18167



INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ

QUAS ROMÆ

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

TRADIDERAT

P. JOANNES JOSEPHUS URRÁBURU S. J.

VOLUMEN PRIMUM

LOGICA

VALLISOLETI
TYPIS VIDUÆ AC FILIORUM A CUESTA

LUTETIÆ PARISIORUM
P. LETHIELLEUX
VIA DICTA CASSETE, 10

ROMÆ
F. MELANDRI
IN TIPOGRAPHIA
DE PROPAGANDA FIDE

1890

Cum opus, cui titulus est: *Institutiones philosophicæ...*, a P. Joanne Josepho Urráburu, nostræ Societatis sacerdote, compositum aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostræ munitas dedimus.

Vallisoleti 8 Decembris 1889.

Ludovicus Martin, S. J.

NOS DR. D. BENEDICTUS SANZ ET FORÉS,

DEI ET SANCTÆ APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS VALLISOLETANUS PRIOR ET DOMINUS JUNCARIÆ DE AMBIA REGIUSQUE CONSILIARIUS, ETC., ETC.

Attestamur et fidem facimus ex nostra commisione examinatum fuisse opus, cui titulus *Institutiones philosophicæ...*, a P. Joanne Josepho Urráburu, S. J. Presbytero, compositum, et cum non modo omnino catholica sit ejus doctrina, sed aliunde eruditio methodique aptitudo laudetur, ex quo perutile ad usum studiosæ juventutis evadat, libentissime facultatem typis mandandi concedimus.

Datum Vallisoleti die sexta mens. Decembris ann. millesimi octingentesimi octogesimi noni.

† *BENEDICTUS, Archiep. Vallisoletanus.*

Excmi. Dni. mei Archiepiscopi mandato,
Dr. Joseph. Meseguer,
SECRETARIUS.

INDEX

DISPUTATIONUM, CAPITUM ET ARTICULORUM.

INTRODUCTIO

IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM.

Pag.

§ I. *De notione Philosophiæ*. 1
§ II. *De Philosophiæ partitione*. 9
§ III. *Philosophiæ origo et progressus*. 10
§ IV. *Consilium et ratio hujus operis conscribendi*. 96

LOGICA.

PROŒMIUM.

LOGICA MINOR.

DISPUTATIO PRIMA.

DE PRIMA MENTIS OPERATIONE.

CAPUT I.

De signo.

Art. I. Quid sit signum. 110
Art. II. Quotuplex sit signum. 114

CAPUT II.

De Termino.

Art. I. De termino generatim. 117
Art. II. De termino mentali. 119
Art. III. De termino orali seu vocabulo. 122
Art. IV. Variæ divisiones termini mentalis. 126

Pag.

ART. V. Variæ divisiones termini oralis. 129
ART. VI. Variæ divisiones termino tum orali, tum mentali, convenientes. 139
ART. VII. De quibusdam terminorum divisionibus, prout respectu aliorum considerantur. 150

CAPUT III.

DE PRÆDICAMENTIS ET PRÆDICABILIBUS.

ART. I. Quid sit prædicatio. 161
ART. II. Quid et quotuplex prædicabile. 164
ART. III. De prædicamentis. 175

CAPUT IV.

DE TERMINORUM PROPRIETATIBUS.

ART. I. De Suppositione. 188
ART. II. De resolutione communis suppositionis. 194
ART. III. De reliquis proprietatibus termini. 197
§ I. *Quid appellatio.* 197
§ II. *De statu.* 199
§ III. *De ampliatione ac restrictione.* 199
§ IV. *De alienatione, diminutione ac remotione.* 200

CAPUT V.

DE MEDIIS QUIBUS DIALECTICA PRIMAM MENTIS OPERATIONEM DIRIGIT.

ART. I. De definitione. 202
§ I. *Ratio definitionis declaratur.* 202
§ II. *Leges rectæ definitionis variæ recensentur.* 207
§ III. *Qualis debeat esse res definienda.* 209
§ IV. *Modi definitiones conficiendi.* 212
ART. II. De divisione. 215

DISPUTATIO SECUNDA.

DE HIS QUÆ PERTINENT AD SECUNDAM MENTIS OPERATIONEM.

CAPUT I.

DE JUDICIO EJUSQUE ORALI EXPRESSIONE.

ART. I. Quid sit judicium. 223
ART. II. Quid sit nomen. 228
ART. III. De verbo. 231

Pag.

ART. IV. De oratione. 240
ART. V. De oratione enuntiativa seu propositione. 243

CAPUT II.

DE DIVISIONIBUS PROPOSITIONIS.

ART. I. Divisiones propositionis ratione materiæ. 246
ART. II. Divisiones propositionis ratione quantitatis. 249
ART. III. Divisiones propositionis ratione qualitatis. 252
ART. IV. Divisiones propositionis ratione unitatis. 254
ART. V. De propositione modali. 256
ART. VI. De propositionibus aperte compositis. 261
§ I. *De copulativa*. 261
§ II. *De disjunctiva*. 263
§ III. *De conditionali*. 265
§ IV. *De causali*. 270
§ V. *De rationali*. 271
ART. VII. De propositionibus exponibilibus, seu occulte compositis. . 271
§ I. *Exclusivæ*. 271
§ II. *Exceptivæ*. 274
§ III. *Reduplicativæ*. 275
§ IV. *Comparativæ*. 276

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS PROPOSITIONUM.

ART. I. Oppositio propositionum simplicium de inesse. 277
§ II. *Leges peculiares oppositionum in quibusdam aliis propositionibus*. 282
ART. II. De æquipollentia propositionum. 284
ART. III. De conversione propositionum. 286
ART. IV. De modalium oppositione. 291
ART. V. De modalium æquipollentia. 296
ART. VI. De modalium conversione. 298
ART. VII. De oppositione propositionum compositarum. 300

DISPUTATIO TERTIA.

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE.

CAPUT I.

QUID EST DISCURSUS VEL ARGUMENTATIO.

ART. I. Quid et quotuplex sit consequentia, ejusque præcipuæ leges. 302
§ II. *Regulæ generales bonæ consequentiæ*. 305

Pag.

§ III. *Regulæ speciales consequentiarum.* 311
ART. II. De ratiocinio et argumentatione. 312
ART. III. Quotuplex sit argumentatio vel discursus. 318

CAPUT II.

DE SYLLOGISMO COMMUNI ET CATEGORICO.

ART. I. Quid sit syllogismus categoricus. 319
ART. II. Artificium et structura syllogismi categorici. 321
ART. III. Materia et forma syllogismi, ubi de figuris et modis ejusdem. 323
ART, IV. Generales syllogismi categorici leges. 325
ART. V. Quotuplex figura et modus syllogismi. 330
ART. VI. Principia quibus innititur syllogismus.. 337
ART. VII. Demonstrantur novendecim modi utiles. 340

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM SYLLOGISMI SPECIEBUS.

ART, I. De syllogismo expositorio et ex obliquis. 345
ART. II. De syllogismis modalibus. 347
ART. III. De syllogismo hypothetico. 348
§ I. *Syllogismus conditionalis.* 348
§ II. *Syllogismus disjunctivus.* 350
§ III. *Reductio syllogismoram hypotheticorum ad categoricum.* . 354

CAPUT IV.

DE CÆTERIS ARGUMENTATIONIS SPECIEBUS.

ART. I. De inductione. 356
ART. II. De enthymemate. 365
ART. III. De exemplo, ubi de analogia. 369
ART. IV. De sorite. 370
ART. V. De dilemmate, pollysyllogismo et epicheremate. 374

CAPUT V.

DE DIVISIONIBUS ARGUMENTATIONIS RATIONE MATERIÆ.

ART. I. De demonstratione.. 377
ART. II. De argumentatione probabili. 381
ART. III De syllogismo sophistico, seu de fallaciis. 384
Appendix de scholastica disputatione. 394

LOGICA MAJOR.

LIBER I.

DE CRITERIIS.

DISPUTATIO PRIMA.

DE VERITATE.

CAPUT I.

DE NATURA VERITATIS LOGICÆ.

		Pag.
ART. I.	Quid sit veritas logica..	404
ART. II.	Quid falsitas logica et quomodo veritati opponatur. . . .	413

CAPUT II.

DE SUBJECTO LOGICÆ VERITATIS.

ART. I.	Utrum adsit veritas in simplici apprehensione	418
ART. II.	Qualis veritas competat simplici apprehensioni.	421
ART. III.	Utrum logica veritas speciali aliqua ratione reperiatur in judicio.	428
ART. IV.	Utrum in simplici apprehensione possit esse falsitas. . . .	433

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM PROPRIETATIBUS VERITATIS LOGICÆ.

ART. I.	Utrum omnis enuntiatio vera essentialiter et ab intrinseco veritatem exigat.	439
ART. II.	Utrum veritas omnis propositionis sit immutabilis, seu utrum propositio simul vera possit in falsum transire.	444
ART. III.	Utrum veritas et falsitas consistant in indivisibili, an vero gradus admittant.	451

DISPUTATIO SECUNDA.

DE VARIIS MENTIS STATIBUS IN ORDINE AD VERITATIS ASSECUTIONEM.

CAPUT I.

DE COGNITIONIBUS INCERTIS.

ART. I.	De ignorantia, dubio ac suspicione.	456
ART. II.	De opinione et probabilitate.	458

CAPUT II.

De certitudine.

Pag.

Art. I. Quid sit certitudo. 469
Art. II. De existentia certitudinis contra scepticos. 478
Art. III. De proprietatibus certitudinis. 492
Art. IV. Utrum certitudo metaphysica, physica et moralis specie differant inter se. 498

CAPUT III.

De evidentia.

Art. I. Quid et quotuplex evidentia.. 508
Art. II. Quæ et quanta sit evidentiæ connexio cum veritate. . . . 517
Art. III. Utrum evidentia cogat intellectum ad assensum. 521

DISPUTATIO TERTIA.

DE CRITERIO VERITATIS

CAPUT I.

De notione et existentia criterii.

CAPUT II.

Falsa criteria refutantur.

Art. I. Refutantur falsa criteria sujectiva. 533
Art. II. Utrum generale ac supremum veritatis criterium in auctoritate reponendum sit. 542
Art. III. Statuitur verum criterium. 551

DISPUTATIO QUARTA.

DE MEDIIS ASSEQUENDÆ VERITATIS.

CAPUT I.

De mediis internis cognoscendi.

Art. I. Brevis descriptio facultatum cognoscitivarum. 561
Art. II. Utrum veraces sint facultates cognoscitivæ. 573
Art. III. Solvuntur difficultates.. 588
§ 1. *Contra veracitatem naturalem facultatum cognoscitivarum generatim.* 588

Pag.

§ II. *Contra veracitatem sensuum externorum.* 591
§ III. *Contra veracitatem conscientiæ sensusque interni.* . . . 595
§ IV. *Contra veracitatem intelligentiæ ac rationis.* 599

CAPUT II.

DE MEDIO EXTERNO VERITATEM ASSEQUENDI, SEU DE TESTIMONIO ALIORUM.

ART. I. Quid testimonium, auctoritas et fides. 600
ART. II. De valore humani testimonii. 606
ART. III. De valore traditionis, historiæ, cæterorumque documentorum. 622
§ I. *De traditione.* 622
§ II. *De historia et reliquis documentis.* 624
ART. IV. De sensu communi naturæ. 630

CAPUT III.

DE IGNORANTIÆ ATQUE ERRORUM CAUSIS.

LIBER II.

DE NATURA ATQUE ELEMENTIS SCIENTIÆ.

DISPUTATIO PRIMA.

DE UNIVERSALIBUS.

CAPUT I.

DECLARATUR UNIVERSALIUM CONCEPTUS.

ART. I. Quid et quotuplex universale. 641
ART. II. Quænam unitas et aptitudo naturæ universali conveniat. . . 646

CAPUT II.

DE REALITATE ATQUE EXISTENTIA UNIVERSALIUM.

ART. I. Exponitur et confutatur nominalismus. 654
ART. II. Exponitur et refutatur realismus rigidus. 661
§ I. *Rejicitur universale separatum.* 666
§ II. *Rejicitur universale formaliter et complete existens in individuis.* 668
ART. III. Solvuntur dificultates. 674
§ I. *Pro nominalismo.* 674
§ II. *Pro realismo platonico.* 678
§ III. *Pro universali existente in individuis secundum unitatem naturæ in omnibus repertam.* 681
§ IV. *Pro universali per indiferentiam.* 685

CAPUT III.

VERA EXPLICATIO UNIVERSALIUM.

		Pag.
ART. I.	Præmittuntur nonnulla pro quæstionis solutione.	690
ART. II.	Quomodo existat universale.	693
ART. III.	Solvuntur difficultates..	706
ART. IV.	De causa efficiente universalium.	711

CAPUT IV.

DE PROPRIETATIBUS ET DIVISIONE UNIVERSALIUM.

ART. I.	Quænam sint universalis proprietates..	727
ART. II.	Quomodo verificentur prædicationes in concretis et abstractis, sive substantialibus sive accidentalibus..	729
ART. III.	Quotuplex universale seu prædicabile..	734
	§ I. *Genus*	735
	§ II. *Species*.	739
	§ III. *Individuum*.	741
	§ IV. *Differentia*.	744
	§ V. *Proprium seu proprietas*.	748
	§ VI. *Accidens logicum*.	748

DISPUTATIO SECUNDA.

DE PRINCIPIIS DEMONSTRATIONIS.

CAPUT I.

DECLARATUR NOTIO PRINCIPIORUM.

ART. I.	Quid sit principium cognitionis et quotuplex.	751
ART. II.	De propositione immediata et per se nota.	758

CAPUT II.

DE EXISTENTIA PRIMORUM PRINCIPIORUM INDEMONSTRABILIUM.

ART. I.	Utrum admittenda sint aliqua principia simpliciter indemonstrabilia, seu propositiones per se notæ.	772
ART. II.	An detur aliquis habitus primorum principiorum.	779
ART. III.	Utrum habitus principiorum naturalis sit, an vero acquisitus.	788

CAPUT III.

QUOMODO PRINCIPIA COGNOSCANTUR.

ART. I.	Utrum principia inductione colligantur.	795
ART. II.	Utrum assensus principiorum sit discursivus, et an et quomodo causetur ab experientia.	805

DISPUTATIO TERTIA.

DE DISCURSU ET ARGUMENTATIONE.

CAPUT I.

DE DISCURSU GENERATIM.

		Pag.
ART. I.	In quo consistat essentia syllogismi.	812
ART. II.	Quomodo præmissæ causent conclusionem.	814
ART. III.	Utrum præmissarum assensus existere debeat simul tempore cum assensu conclusionis.	823
ART. IV.	Utrum ad inferendam conclusionem necessario requiratur prævia notitia de bonitate consequentiæ.	830
ART. V.	Utrum et quomodo conclusio attingat præmissas, vel assensus præmissarum includatur in assensu conclusionis. . .	838
ART. VI.	Utrum discursu ac ratiocinatione novæ veritates detegantur.	847

CAPUT II.

DE DEMONSTRATIONE.

ART. I.	Quid sit demonstratio..	852
ART. II.	Utrum demonstratio debeat procedere ex præmissis necessariis et de prædicato *de omni*, *per se* ac *secundum quod ipsum*, itemque ex propriis..	861
ART. III.	Quotuplex sit demonstratio.	869
ART. IV.	De prærequisitis ad demonstrandum seu de præcognitis et præcognitionibus.	873

DISPUTATIO QUARTA.

DE SCIENTIA.

CAPUT I.

DE NATURA SCIENTIÆ.

ART. I.	Quid et quotuplex sit scientia.	880
ART. II.	Quid sit sapientia.	891
ART. III.	Quid sit ars.	896
	§ I. *Cognitio speculativa et practica.*	896
	§ II. *Notio artis.*	911
ART. IV.	Qualenam debeat esse objectum scientiæ.	917
ART. V.	An scientia et opinio circa idem objectum ex diversis motivis simul in eodem intellectu esse queant.	936

CAPUT II.

De scientiæ existentia in nobis.

		Pag.
Art. I.	Utrum possibilis sit ac porro detur apud nos scientia.. . .	944
Art. II.	Utrum ratio humana rerum omnium notitiam assequi possit.	950
	§ I. *Num sint veritates, quæ absolute vel simpliciter et per se captum hominis excedant.*	952
	§ II. *Quomodo possint a nobis cognosci veritates supra rationem positæ.*	955
	§ III. *Objectiones rationalistarum.*	959
	§ IV. *Utrum quæ sunt supra rationem, sint contra rationem.* . .	962
	§ V. *Quid dicendum de revelatione veritatum humanum captum non excedentium.*	966

CAPUT III.

De unitate ac multiplicitate scientiarum.

Art. I.	De distinctione atque specificatione scientiarum.	969
Art. II.	Undenam sumant scientiæ totales suam unitatem vel diversitatem specificam.	973
Art. III.	Utrum habitus scientiæ totalis sit qualitas simplex.. . . .	984
Art. IV.	De scientiarum subalternatione.	1001
Art. V.	Generalis divisio et coordinatio scientiarum.	1015
Art. VI.	Quomodo inter sese comparentur prædictæ quinque scientiæ primariæ.	1036

DISPUTATIO QUINTA.

DE METHODO.

CAPUT I.

Quid et quotuplex methodus.

CAPUT II.

De methodica dubitatione cartesii.

DISPUTATIO SEXTA.

APENDIX IN QUA ENUCLEANTUR VARIÆ QUÆSTIONES PROŒMIALES DE LOGICA.

CAPUT I.

De natura et proprietatibus logicæ.

Art. I.	Utrum logica sit necessaria ad alias scientias assequendas. .	1066
Art. II.	Qualis sit concursus Logicæ ad alias scientias assequendas. .	1080

Pag.

ART. III. Utrum Logica scientia, an vero ars.. 1082
ART. IV. Utrum Logica sit scientia speculativa, an practica. 1097

CAPUT II.

DE OBJECTO LOGICÆ.

ART. I. Utrum voces sint objectum proprium directe ac per se consideratum a Logica. 1110
ART. II. An res spectatæ secundum suam entitatem sint objectum Logicæ 1117
ART. III. Utrum objectum formale Logicæ sint res prout cognitæ, vel secundum esse intentionale. 1122
ART. IV. Utrum objectum formale Logicæ sit ens rationis et secundæ mentis intentiones. 1129
§ I. *Sententia Thomistarum, pro ente rationis objectivo in ipsis rebus considerato pugnantium.*. 1134
§ II. *Sententia Thomistarum pro ente rationis in ipsis actibus spectato pugnantium, seu artificium actuum, quod Logica contemplatur, formaliter in ente rationis reponentium.* . 1139
§ III. *Sententia reponens objectum formale Logicæ in artificio reali vel rectitudine propria operationum intellectus.* . . . 1139
§ IV. *Judicium Auctoris.* 1150
ART. V. Quodnam sit objectum attributionis Logicæ. 1154

INTRODUCTIO

IN UNIVERSAM PHILOSOPHIAM

Prius quam varias Philosophiæ partes sĩngillatim tractare aggrediamur, oportet quædam præmittere, quæ nobilissimam hanc scientiam notam aliquo modo reddant et commendent, facilioremque ad eamdem addiscendam aperiant viam. Ac primo quidem

§ I.—De notione Philosophiæ.

1. Philosophia, si vim vocis spectes, ἀπὸ τοῦ φιλεῖν *amare* et σοφία *sapientia*, idem sonat atque *amor* vel *studium sapientiæ*, scribente Tullio: «*Nec quidquam aliud est Philosophia, si interpretari velis, quam* **studium sapientiæ** (1). Quid Philosophia ex vi nominis.

At ex impositione scriptorum post Pythagoram, nomen Philosophiæ *sapientiam* ipsam denotat, *Philosophus* vero ad eos designandos, qui priscis temporibus *sapientes*, dicebantur, modestiori jam vocabulo adhibetur. «*Cum enim antiqui studio sapientiæ insistentes* **sophistæ**, *id est,* **sapientes** *vocarentur, Pythagoras interrogatus quid se esse profiteretur, noluit se* **sapientem** *nominare, sicut sui antecessores, quia hoc præsumptuosum videbatur esse; sed vocavit se* **Philosophum**, *id est* **amatorem**

(1) Lib. 2. de Finib. Cfr. *De Legibus*, *lib.* 1; *De Officiis*, lib. 2, cap. 2; S. August. *Contr. Academ.* lib. 2, cap. 2.

sapientiæ (1). Et exinde nomen *sapientis* immutatum est in nomen *Philosophi*, et nomen *sapientiæ* in nomen *Philosophiæ*» (2).

Quamobrem ut intelligatur quid sit Philosophia, declarandum est, quid sit sapientia.

Quid sapientia. Triplex acceptio: prima,

2. At sapientia trifariam accipi potest: primo pro cognitione rerum maxime universali per altissimas causas: quam describit Aristoteles initio suæ Metaphysicæ (3) et nos in suo loco describemus; est enim in hoc sensu sapientia habitus specialis præstantissimæ scientiæ, et in eodem dicitur Metaphysica *sapientia*, et *Philosophia prima* vel simpliciter *Philosophia* quasi per antonomasiam.

secunda,

Secundo sumitur *sapientia* pro excellentia in quavis *arte* vel *scientia*, aut pro arte vel scientia cujusvis rei perfecta et consummata: quo pacto sapiens dicitur v. g. medicus, qui medendi artem perfectissime callet.

tertia.

Tertia est acceptio *sapientiæ* pro collectione omnium scientiarum: et in hac significatione sapientia non importat unum determinatum habitum scientiæ, sed complexionem plurium habituum, ad eum modum quo *justitia*, in quadam acceptione, non unam peculiarem virtutem, sed concentum ac rectitudinem omnium virtutum voluntatis significat (4). Atque in hoc sensu sapientia vel Philosophia definita est a Stoicis, teste Plutarcho (5): *Divinarum* et *humanarum* rerum cognitio aut

(1) S. Thom. lib. 1. *Metaph.* lect. 3 paulo post initium Cfr. 2. 2. q. 186. art. 2, ad 1.um

(2) Pythagoram enim «Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, Principe *Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quædam; cujus ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quæsisse ex eo, qua maxime arte confideret; at illum: Artem quidem se scire nullam, sed esse* **Philosophum**,» id est studiosum vel amicum sapientiæ (Cicero *Tusculan. quæst.* lib. 5 cap. 3.) Cf. Diogen. Laërt. lib. 1 de *Vitis Philosophor;* Plutarch. de *Placit. Philosoph.* lib 1. cap. 3; Quintil. lib. 12 cap. 1., Clemens Alexand. lib. 1. *Stromat.* c. 14 et lib. 4. cap. 3; Jamblic. lib. 1. *de Sect. Pythagoric.*, Lactant. lib. 4 *Divinar. Instit.* cap. 2; S. August. lib. 14 *de Trinit.* cap. 1. n. 2. et lib. 8 *de Civit Dei* cap. 2.

(3) Lib. 1 *Metaph.* cap. 2. Vide ib. S. Thom. lect. 2. et Suarez disp. *1 Metaph.* sect. 5. n. 7, 8, seqq.

(4) Cfr. Suar. *disp. Met.* 1 sect. 5. n. 7.

(5) Plutarch. *De Placitis Philos.* lib. 1 procem.

scientia. Vel si magis tibi placet celeberrima Tullii definitio, «*Sapientia est rerum divinarum atque humanarum causarumque, quibus hæ res continentur, scientia*» (1): quam definitionem postea Clemens Alexandrinus (2) et Origenes (3) aliique multi amplexi sunt. «Nomine vero *divinarum* intelligit Ammonius (4) res sempiternas, vocabulo autem *humanarum*, caducas: Honorius Augustodunensis (5) nomine *divinarum* incorporeas, *humanarum*, corporeas, cum ait Philosophiam esse eorum, quæ sunt et non videntur, et eorum, quæ sunt ac videntur, veram comprehensionem» (6).

Sic accepta Philosophia universam pene humanarum cognitionum *encyclopædiam* comprehendit, nisi verborum sententia paululum coërceatur. Quare nihil mirum, si Cardinalis Toletus sub Philosophia constituerit Musicam et Perspectivam et reliquas artes etiam fabriles, cum eam scientiam in *speculativam, activam* et *factivam*, sub qua continentur artes mechanicæ, divisit (7), solis exceptis quibusdam artibus, «quæ in ministerium Philosophiæ inventæ sunt, ac propterea Philosophiæ partes non censentur ab aliquibus Peripateticis, quamvis nihil vetet ex eis aliquas esse scientias,» et sunt Logica, Grammatica, Rhetorica, Poetica, Historica et Epistolaris: quæ «omnes, inquit, ancillæ Philosophiæ sunt, et ipsi deserviunt.» Et P. Sylvester Maurus etiam Rhetoricam, Poeticam et Grammaticam tamquam species Philosophiæ Rationalis enumeravit (8).

(1) Cicero lib. 2 *de Officiis*, cap. 2.

(2) Lib. 1 *Stromat.* cap. 5.

(3) *Contr. Celsum* lib. 3. cap. 72.

(4) Initio *Prædic.*

(5) Lib. 3 *de Philosophia mundi*, cap. 1.

(6) Fonsec. *Commentar. in libr. Metaphysicor. Aristotelis Stagiritæ*, lib. 2, cap. 3. q. 3. sect. 2 fin. Cfr. Franc. Tolet. *Commentaria una cum quæstionibus in octo libros Arist. de Physica auscultatione.* Præfat. De *Philos. Nomine ac Definitione*; et Conimbricenses, *Commentarior. Collegii Conimbric. e Soc. Jesu super octo libros Physicorum Aristotelis Stagiritæ.* Procem. *De Nomine Definitioneque Philosophiæ* paragr. *Alii Philosophiam esse dixerunt.*

(7) Loc. nuper cit.

(8) *Aristotelis Opera omnia quæ extant, brevi paraphrasi et litteræ inhærente expositione illustrata* a Sylvestro Mauro S. J. vol. 1 Proem. tot oper. n. 3.

Si ergo idem valet Philosophia ac Sapientia pro diversis hisce tribus acceptionibus sapientiæ, varie definiri Philosophia potest. Ut vero nihil hac in re prætereamus, sunt et alii sensus, quibus sumitur Philosophia.

Nam quarto loco accipitur pro veritatis contemplatione, comprehenditque scientias dumtaxat speculativas. Et sic dividitur in hoc sensu Philosophia ab Aristotele in Physicam seu Philosophiam naturalem, Mathematicam et Metaphysicam (1). «Hujus acceptionis, inquit P. Antonius Rubius (2), meminit Plato, ut refert Alcinous in libro de doctrina ejus capite sexto.»

Quinto Philosophia pressius adhuc sumitur pro his solum speculativis scientiis, quæ de rebus per se subsistentibus tractant: et ita solam complectitur Metaphysicam et Physicam seu naturalem Philosophiam. Quem in sensum forte locutus est Stagirita, cum scripsit tot esse partes Philosophiæ, quot substantiæ (3).

Hæ sunt præcipuæ acceptiones Philosophiæ vel sapientiæ, de quibus loquuntur auctores (4). Non tamen omnes accommodatæ sunt ad eam rem declarandam, quæ sub nomine Philosophiæ tractari communiter solet in scholis librisque scriptis. Neque vero nostrum est nunc quid nomine Philosophiæ intelligi possit aut intellectum fuerit ab hoc vel illo auctore, definire, sed frequentiorem magisque usurpatam notionem vocis investigare. Et in primis quarta et quinta sunt nimis restrictæ, ut patet, quia præter Physicam, Mathesin et Metaphysicam, omnes agnoscunt Moralem tamquam veram partem Philosophiæ, practicam nimirum; et communissima item sententia, quam alibi tuebimur, Logicam quoque inter membra Philosophiæ recenset.

---

(1) Vid. Arist. *Metaph.* lib. 2 cap. 1. text. comm. 3; lib. 6, cap. 1.

(2) R. P. Antonii Rubii Rodensis Soc. Jesu *Commentarii in octo. libros Aristotelis de Physico auditu. Universale Procem. totius Op. De nomine et acceptionibus Philosophiæ, paragr. Secundo modo.*

(3) Aristot. lib. 4 *Metaph.* cap. 2. Cfr. S. Thom. ibi lect. 2 fin.

(4) Vide Petrum Fonseca loc. cit., sect. 3; Antonium Rubio loc. cit. et Complutenses, *Collegii Complutens. Discalceatorum Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, Disputationes in octo libros Physicorum Aristotelis.* Disp. prim. procemial., quæst. 1.

Prima etiam acceptio, utpote quæ uni convenit Metaphysicæ inter humanas scientias, ob eamdem causam omittenda est.

Tertia acceptio a quibusdam rejicitur ex eo capite, quod secundum eam definitio illa Stoicorum et Ciceronis non conveniret singulis partibus Philosophiæ, sed solum omnibus simul sumptis; non enim soli Physicæ aut Mathesi etc. convenit esse cognitionem divinarum atque humanarum rerum causarumque, quibus hæ res continentur. Et sic singulæ scientiæ, quæ sub nomine Philosophiæ traduntur, non forent variæ species Philosophiæ, sed solum diversæ partes integrantes unius scientiæ.

Gravior mihi videtur adversus illam acceptionem ea ratio, quod nisi sensus verborum paululum contrahatur, nimis lata futura sit atque diffusa. Nam definitio illa, si prout jacet, intelligatur, nulla erit scientia, quam nequeat sub se comprehendere; cum tamen nec divisiones ex communi Philosophorum sensu factæ, nec libri innumeri de re philosophica conscripti, scientiis et artibus quibusvis, sed paucis quibusdam inter cæteros præstantioribus, nomen ac dignitatem Philosophiæ asseruerint. Cæterum si sensus tertiæ acceptionis apte coërceatur, facile revocari poterit ad veram magisque usitatam nominis interpretationem.

Existimo ergo secundam ex prædictis acceptionibus sapientiæ esse eam, quæ communi scriptorum de re philosophica sensui maxime respondet. Per eam enim intelligi potest, non omnem scientiam Philosophiam esse; eademque accommodatur omnibus tractationibus, quæ sub nomine et amplitudine Philosophiæ a sanioribus saltem auctoribus conficiuntur.

Philosophia itaque in vulgari frequentiorique usurpatione sapientiam importat in secunda ex allatis acceptionibus, nempe non quamvis scientiam vel artem, sed excellentem dumtaxat ac perfectam rei notitiam sive scientiam. Unde etiam Patres Ecclesiæ sacram doctrinam christianæque pietatis et religionis professionem Philosophiam dixere, quasi nobilissimam omnium scientiarum maximeque dignam homine sapientiam.

Realis difinitio Philosophiæ.

3. Ut vero ex hac nominali Philosophiæ interpretatione realem colligas definitionem, nota rem tunc perfecte consummateque cognosci, cum cognoscitur prout est. Est autem

quælibet res, si saltem de creatis agatur, per suas causas. Itaque perfecte non cognoscitur res nisi per suas causas, nec per quamlibet causas, sed per omnes usque ad altissimas ac remotissimas, donec veniatur in demonstrando ad principia immediata per se evidentia et ulterius indemonstrabilia, quæ sunt postrema ratio demonstrationis et ultimus terminus resolutionis scientificæ. Sic si quæratur cur homo sit risibilis, respondere poteris, quia est admirativus, remque scis per causam, quia radix et causa risibilitatis stat in admirativo: nihilominus nondum perfecte consummateque scis hominem esse risibilem, donec venias ad ultimam rationem, nempe ad rationalitatem, quæ cum sit ratio admirativi, est quoque remota et suprema causa risibilitatis. Nam in investigatione causarum risibilitatis, cum jam ventum est ad rationalitatem, quæ est hominis essentia, procedi ulterius nequit. Est ergo Philosophia scientia rerum perfecta consummataque; scientia vero perfecta illa est quæ rem cognoscit per omnes suas causas usque ad ultimas omniumque remotissimas. Scientia enim perfecta non est nisi illa quæ explet cupiditatem omnem sciendi; nec irrequieta cupiditas sciendi prius satiatur, quam omnes rei causæ penitus innotescant.

Quæ cum ita sint, apte describi potest Philosophia: *scientia rerum per causas supremas naturali lumine comparata.* Est *scientia,* nempe cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita, sic enim definitur scientia, quemadmodum suo loco exponetur. Est *scientia per causas supremas;* quia jam diximus, non quamcumque scientiam esse Philosophiam, sed scientiam dumtaxat perfectam, qualis haberi nequit, nisi in causarum investigatione assurgatur usque ad supremas. Unde scientiæ, quas vocant *subalternas*, cum non assurgant usque ad hujusmodi causas, sed haereant in proximioribus, nec habeant principia propia et indemonstrabilia, sed loco principiorum utantur propositionibus in altiori scientia demonstratis; per se nec nomen nec dignitatem Philosophiæ merentur, nisi forte quis illarum cognitionem conjungat et continuet cum cognitione altioris illius scientiæ, sub qua subalternantur.

Denique dicitur Philosophia scientia rerum *naturali lumine comparata,* ut distinguatur a Theologia dogmatica, quæ et ipsa est scientia rerum per causas ultimas, at non comparatur

lumine naturali, sed innititur principiis revelatis. Hinc disces etiam, ut id nunc obiter notemus, vim verborum illorum: *Philosophia Historiæ*, *Philosophia Juris*, *Philosophia Grammaticæ*, et similium, quæ nostris temporibus tantopere jactant nonnulli: significant nempe penitiorem illarum disciplinarum cognitionem, quæ ad supremas usque rationes rimandas ac detegendas assurgat.

Huc revocare facile potes definitionem illam a Fonseca allatam, qua Philosophia dicitur *scientia rerum per omnes suas causas*, vel illa Joannis Damasceni (1) et Ammonii (2), secundum quos Philosophia est *cognitio rerum ut sunt*. «Nam cum res omnes, quarum causæ quæruntur, habeant esse per suas causas; tunc illæ cognitæ erunt, ut sunt, cum omnes earum causæ ita perceptæ fuerint, ut nulla jam superior quæratur, saltem in eo genere» (3).

Et in eumdem etiam sensum interpretari possumus stoicorum sapientiæ aut Philosophiæ definitionem, restringendo illam ad cognitionem rerum sive divinarum sive humanarum per causas omnes usque ad ultimas.

Alias Philosophiæ definitiones quære, si lubet, apud varios auctores congestas (4).

Philosophiæ dignitas.

4. Ex quo jam per se patet dignitas et utilitas Philosophiæ. Dignitas quidem, quia præstantissimam rerum cognitionem præbet expositis causis rationibusque rerum omnibus: unde nobilissimum existit intellectus humani ornamentum. Accedit quod scientia eo est excellentior, quo excellentius est objectum circa quod versatur; objectum autem eo est excellentius, quo magis immateriale, simplex et universale. Atqui tale est objectum Philosophiæ, utpote quod pertingit usque ad ultimas causas supremasque rerum rationes, quæ sunt

(1) Lib. 4.° suæ *Dialecticæ*.

(2) Initio Prædicabilium.

(3) Fonsec. loc. cit.

(4) Vid. S. Joan. Damasc. *Dialect*, cap. 3; Psell. in *Epitome Logic.* et in *Comp. in quinque voces;* Pachymer. *Paraphr. in Aristot.;* Thomasin. *La méthode d'etudier* etc. lib. 1, cap. 1.; Conimbricens. Procem. *in octo libros Physicor. De Nomine definitioneque Philosophiæ.*

omnium universalissimæ, simplicissimæ ac maxime immateriales. Nihil igitur mirum, si Philosophia apud homines in maximo semper honore habita sit, ac tamquam Regina humanarum omnium scientiarum reputata.

utilitas. Utilitas quoque Philosophiæ summa est; primo, quia cæteris omnibus scientiis sua suppeditat principia. Cum enim supremas rerum omnium rationes causasque sectetur, necesse est ut scientiæ aliæ, quæ extra Philosophiæ ambitum vagantur, ab hac sua principia et fundamenta mutuentur. Sane quævis scientia versari debet circa aliquod objectum aut divinum aut creatum. Cum igitur ad Philosophiam spectet rerum omnium, sive divinarum sive creatarum ac naturalium, supremas rationes contemplari, omnes aliæ scientiæ objecta rationesque sub his supremis contentas considerent, oportet; atque adeo prima harum scientiarum principia tandem a principiis illis rationibusque superioribus suum valorem et firmitatem desument.

Neque aliis solum humanis scientiis, sed ipsi etiam Religioni ac supernaturali Theologiæ maximopere deservit, «tum propter confutationem errorum, quos increduli et heterodoxi ex rationis abusu derivant, tum propter demonstrationem veritatum, quæ Fidei sunt præviæ, ut Dei existentia, veracitas, providentia et cætera ejusmodi. Præterea etsi Fides multas veritates præbeat, quæ rationem excedunt et *mysteria* dicuntur; tamen nonnullas etiam tradit, quæ naturale lumen non exsuperant. Tales sunt ex. gr. *creatio mundi*, *liberum arbitrium*, *animorum immortalitas*, et ita de reliquis. Demum quoad ipsa mysteria Fidei rationem excedentia, juvamen affert. Primum quia veritates supernaturales eo melius apprehenduntur, quo magis natura apta fit ad eas recipiendas: habilitas autem naturæ dependet a majore cognitione naturali, quæ per Philosophiam acquiritur. Deinde quia Philosophia non paucos conceptus enucleat, qui pro sua amplitudine rebus tum divinis tum humanis sunt communes. Ita se habent rationes *veri*, *boni*, *substantiæ*, *personæ*, *naturæ*, *principii*, *unitatis*, et centum aliæ, quarum philosophica explicatio summopere confert ad ipsa dogmata distinctius percipienda. Denique ipse apparatus veritatum naturalium cum suis pronuntiatis ordinis, sive ideologici sive ontologici, mirum in modum Theologiæ cam-

pum amplificat; quatenus principiis revelatis adjunctus, innumeris illationibus aditum reserat» (1).

§ II.—De Philosophiæ partitione.

Philosophiæ duplex divisio: prima,

5. Duplicem proponemus Philosophiæ divisionem; alteram, quæ Platoni vulgo tribuitur post Ciceronem (2); alteram, quæ communissime recepta fuit inter Scholasticos. Prima distribuit Philosophiam in *realem, rationalem et moralem.* «Realis est quæ agit de ente reali, hoc est de rebus secundum se et secundum prædicata quæ rebus conveniunt a parte rei et nemine cogitante. Subdividitur in *Physicam*, seu naturalem Philosophiam, *Mathematicam et Metaphisicam.* Physica agit de ente ut naturali, hoc est sensibiliter mobili et mutabili. Mathematica agit de ente ut extenso. Metaphisica agit de ente ut immateriali positive vel præcisive, hoc est de rebus carentibus materia ac de rationibus communibus enti materiali et immateriali, cujusmodi sunt ratio *entis substantiæ* etc.» (3).

«Philosophia rationalis est, quæ agit de ente rationis, hoc est de rebus relate ad actus rationis et ad eorum signa, ac de ipsis actibus rationis et eorum signis» (4). Hæc vocatur alio nomine *Logica*, quia disserit de actibus rationis, prout ad veri assecutionem dirigendis, prout mox declarabitur, ac docet modum recte definiendi, dividendi, argumentandi etc.

«Philosophia moralis est quæ agit de ente morali, hoc est de rebus relate ad actus morales, ac de ipsis actibus moralibus, ac docet modum recte vivendi. Sunt autem actus *morales*, per quos homo efficitur simpliciter bonus vel malus, hoc est aptus vel ineptus ad consequendum suum ultimum finem» (5).

altera.

Alter modus divisionis est, ut prius dividatur in Philosophiam *speculativam* et *practicam.* Et speculativa subdividitur

(1) Liberatore, *Institutiones philosophicæ* vol. 1. *Prolegomena* paragr. 2. *Philosophiæ utilitas et excellentia*, n. V.

(2) Cicero. *Academic.* lib. 1. n. 6.

(3) Sylvest. Maur. *Aristot. Opera omnia* etc. vol. 1. *Procem. tot. oper.* n.° 2.

(4) Id. ibid. n. 2.

(5) Id. ibid. n. 4.

in Physicam, Mathematicam et Metaphysicam; practica vero in Moralem et Rationalem seu Logicam. Harum porro divisionum ratio alio in loco reddenda commodius est.

Omnes istæ partes Philosophiæ aliquod genus rerum per causas ultimas demonstrat; sed objectum nonnullarum potest postulare notitiam objecti alterius ad absolutissimam cognitionem rei per omnes causas. Sic Mathesis licet in suo genere demonstrat per causas ultimas, nihilominus, qui vellet ipsum objectum Mathesis per causas suas cognoscere, deberet ad naturalem Philosophiam confugere, quæ tractat de corporeis substantiis; nam causa materialis seu subjectum extensionis et quantitatis corpus est. Item ultima absolute causa reliquarum omniums cientiarum in Metaphysica reperitur, quæ disputat tum de primis ac latissimis principiis et notionibus in quavis alia scientia supponendis, tum de Deo, qui est causa efficiens, finalis et exemplaris rerum omnium.

§ III.—PHILOSOPHIÆ ORIGO ET PROGRESSUS.

6. Natura dedit nobis, ut ait Seneca, ingenium curiosum, vel quemadmodum scriptum reliquit Aristoteles, (1) et probat eleganter S. Thomas (2) «*omnes homines natura scire desiderant.*» Quare «sicut oculus naturaliter lucem requirit et visum, et corpus nostrum escas et potum desiderat per naturam; ita mens nostra sciendæ veritatis Dei et rerum causas noscendi proprium ac naturale desiderium gerit» (3)

Initium philosophandi ex admiratione

Hinc efficitur, ut cum homines vident effectus quorum causas ignorant, admirentur, et ad causas investigandas propellantur; et sic tandem philosophari incipiunt. «Naturaliter inest, inquit Angelicus Doctor omnibus hominibus desiderium cognoscendi causas eorum, quæ videntur; unde propter admirationem eorum quæ videbantur, quorum causæ latebant, homines primo philosophari cæperunt» (4).

(1) Lib. 1.° *Metaph.* initio.

(2) S. Thom. ib. lect. 1 Cfr. idem S. Doctor, *De Veritate Fidei Cathol. contra Gentes.* lib. 3. cap. 25. arg. 8 *Amplius — Naturaliter inest.*

(3) Origenes de *Principiis*, lib. 2. cap. 11, a 4.

(4) S. Thom. Lib. 3.° *Contr. Gentes.* loc. cit. Cfr. lib. 1 *Metaph.* lect. 3. initio cum Arist. ib. lib. 1.° *Metaph.* cap. 2. et Platon. in *Theæt.* pag. 55 A. edit. H. Stephani, Paris 1578.

Hæc tamen ingenita animo curiositas et consequens inde admiratio adjumentum accipere potuit ad philosophandum ex primæva traditione generis humani. Scimus enim ex sacra Historia primum hominem, Adamum, tamquam parentem ac magistrum nascentis familiæ humanæ plenissima rerum omnium cognitione instructum a Deo fuisse (1), ex eoque filii et nepotes sui doctrinam hauserunt atque in diversas mundi plagas posteris transmittendam secum asportarunt.

Prima traditio veritatum apud homines

Ex hac primævua traditione discere homines potuerunt Deum unum, personalem, viventem, æternum, infinitum, sapientissimum, sanctissimum, liberum, omnipotentem, justum simul ac misericordem, creatorem omnium aliarum rerum, ab iisque distinctum, providum, principium et finem omnium; nosse item potuissent, hominem a Deo creatum fuisse ad imaginem et similitudinem suam, animo præditum spirituali, libero, immortali, naturali lege obligatum, ob cujus observantiam vel violationem æternum esset laturus præmium, aut pœnas pariter æternas in inferis daturus: itemque ab uno protoparente cunctos populos, qui terram incolunt, velut ab uno stipite innumeros ramos progenitos fuisse.

Nihilominus locupletissima hæc altissimarum doctrinarum traditio, quæ usque ad Noeticum diluvium videtur illibata custodita fuisse inter homines, post diluvium ac præsertim post confusionem linguarum, dispersis in varias regiones humanis familiis, paulatim corrupta fuit multisque turpata erroribus, solumque inter Hebræos diligentissime servata, in quibus tamen nullius extat sectæ vel systematis philosophici memoria, in antiquioribus temporibus, quamquam floruerint sapientissimi viri sacræ doctrinæ custodes et magistri, ac præsertim sapientissimus hominum Salomon, qui «*disputavit super lignis a cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum,*

Depositum doctrinæ servatum apud Hebræos.

(1) Vide S. August. lib. 5. *Oper imperfect.* contra Julian. n. 1. Cfr. Plato in *Cratylo* et Cicero lib. 1 *Tusculan. quæst.* qui maximæ indicium sapientiæ esse scripserunt nomina rebus omnibus imponere: quod fecisse Adamum testantur Sacræ Litteræ. — Fuse de his S. Thom. *Summ Theologiæ* 1. part. q. 94, a. 3; *Quæstiones disputatæ*, de *Verit.* q. 18, art. 4; *Comment. in quatuor libros sentent.* lib. 2. dist. 23. q. 2, a. 2.

quæ egreditur de pariete, et disseruit de jumentis et volucribus et reptilibus et piscibus» (1).

Ex Hebræis multæ veritates in Græciam derivatæ.

Ex Hebræis multa accepisse Græcos Philosophos valde credibile est, quidquid scribant in contrarium Protestantes; tum quia id satis frequens Patrum traditio docet, (2) tum quia præter Philosophorum illorum ad regiones, in quibus non pauci Hebræi commorabantur, discendi causa susceptas peregrinationes, et ipsorum Hebræorum in Asiæ Græciæque provincias migrationes, mira multorum græcæ Philosophiæ dogmatum cum Hebræorum doctrinis (3) concordia persuadet. Id quod facere illi potuerunt sin minus *legendo* sacros libros, quemadmodum S. Thomas aliique Scholastici scriptum reliquere (4), certe *colloquendo* cum Hebræis, sicut observat S. Augustinus (5).

Jam quamvis meus scopus non sit nunc Historiam Philosophiæ conscribere, brevissimum saltem catalogum præcipuorum Philosophorum texere oportet, ut jam inde ab ipso hujus scientiæ limine tirones auctorum, qui nominandi sunt, aliquam habeant notitiam.

Philosophiæ apud Indos.

7. Antiquissima omnium scientiæ philosophicæ monumenta vel potius rudimenta pertinent ad Indos, Sinenses, Chaldæos, Persas, Phœnices et Ægyptios. Apud Indos celebrabantur sapientes dicti *Brachmanes* et a Græcis *Gymnoso-*

(1) Lib. 3. Reg. cap. 4, ŷ. 33. Cfr. S. Thom. Quæst. disp. *De Veritate*. q. 12, art. 12.

(2) Vide S. Justin. Mart. in *Orat paræn. ad Gentes;* Origen. *Cont. Celsum* lib. 6; Clem. Alexandr. *Stromat.* lib. 1, cap. 22, paragr. 150; et in *Orat. Exhortator* ad *Gentes*, lib. 2, cap. 1; Euseb. *de Præpar. evangel.* lib. 11, cap. 9; Ambros. *Serm. 18 in Psal. 118.*

(3) Qua de re vide S. Augustin, *de Civit. Dei* lib. 8, cap. 11. Cfr. Huet *Demonstr. Evang.* prop. 4, cap. 2, paragr. 13; Boltus, *Defense des SS. Péres*, liv. 4, cap. 22; Thomassin. *La Méthode d'etudier, et d'eseigner chrétiennement et solidement la Philosophie*, liv. 1, c. 15, paragr. 13; Lami *De recta Christianorum in eo, quod mysterium Trinitatis attinet, sententia.* Florentiæ. 1733, Apud Sanseverino *Elementa Philosophiæ christianæ*, vol. 1 *Epitome Histor. philosoph.* p. X Neapoli 1864.

(4) S. Thom. Quæst. disp. *De Potentia.* q. 4, a. 1 ad 2.um: 1.° Dist. 3. q. 1. a. 4 ad 1.um Vide etiam Alexandr. Halens. *Summ. theol.* pars 2, q. 6; Vicent. Bellovac. *Speculum natur.* lib. 1, cap. 15; Henric. Gandavens. *Summ. theol.* p. 1, a. 13; Roger. Bacon., *Opus Magn.*, pars 2, cap. 8.

(5) *De Civit. Dei* lib. 8, cap. 11.

phistæ, quia «nudi perhibentur philosophari in solitudinibus Indiæ» (1). Indi Philosophi in plurimas sectas divisi dicuntur, quæ a duobus præcipuis scholis derivantur, a *Brachmanismo* et a *Budhismo:* prima longe antiquior esse existimatur, altera vero, auctore Budha, fundata est 600 circiter aut forte pluribus annis ante Christum natum (2). Verum hæc prima tentamina indicæ Philosophiæ turpissimis Pantheismi aliisque erroribus vitiata, parum felices tulere fructus. Nec magnos fecit Philosophia progressus, nec fuit iisdem erroribus immunis apud Sinenses, apud quos celebrantur tamquam insigniores Philosophi Laotseu (600 ann. a. C.) Khoung-foutseu seu Confucius (500 ann. a. b.) hujusque discipulus Meng-tsu vel Mencius et Tchou-hi qui sæculo XII post Christum natum floruit. Primus horum Philosophiam speculativam, Confucius Moralem coluisse perhibetur, ac Tchou-hi ex utriusque doctrinis opus magis completum concinnasse (3).

(1) S. August. Lib. 15 *de Civit. Dei.* cap. 20. Indorum philosophorum notitia primum in Europam Alexandri M. temporibus allata est, ac postea per græcos scriptores Strabonem, Plutarchum aliosque propagata, recentioribus vero temporibus ope potissimum linguæ sanskriticæ, qui est sermo sacer ac liturgicus Brachmanum, et studio atque opera peritissimorum exploratorum magis magisque perficitur. Illorum tamen scientia non magni facienda est, si vera sunt, quæ scripsit el. Bouvier, Cenomanensis Episcopus: «A mesure, inquit, que ces antiquités indiennes se révélent á nous par les travaux assidus de tant d'hommes infatigables, nous acquérons une grande certitude qu'elles ne sont qu'un amas confus de fables absurdes et incohérentes. Nous y trouvons bien, á la verité, quelques ideés saines et des traces assez visibles des anciennes traditions du genre humain, comme l'avaient tres bien dit les missionaires; mais ces débris des premiéres verités sont noyés dans des détails fastidieux et insupportables.» *Histoire abrégée de la Philosophie* par Mgr. J. B. Bouvier, Evêque de Mans, tom. 1 chap. V.

(2) Fuse de Philosophia Indorum cum sua multiplici sectarum varietate Em. Cardin. Gonzalez in sua *Historia de la Filosofia*, tom. 1. 2.ª edit. parag. 5-15. Cfr. Revmus. Dominus Bouvier, Op. et loc. cit.; Tennemann, *Manuale d'ella Storia d'ella filosofia di Gugliel.* Tennemann, tradotto da Franc.° Longhena, vol. 1, parag. 67; Nosse tamen debes opus hoc ecclesiastica sententia damnatum esse atque in romanum Indicem relatum.

(3) Vide Em. Card. Gonzalez Op. et loc. cit. paragr. 15-20; Tennemann, loc. cit. parag. 69; Bouvier loc. cit. chap. 6; P. Jos. Fernandez Cuevas, *Historia Philos.* lib. 1, dissert, 1, cap. 3.

Chaldæi. 8. Chaldaeorum nomen dicitur inditum fuisse apud Babylonios potissimum sapientibus ac sacerdotibus, qui astrologiam præcipue coluerunt. Inter hos celebriorem apud posteros reliquit sui memoriam Berosus, sacerdos Beli, qui 300 circiter ante adventum Christi Domini floruit, historiam Chaldæorum scripsit, primus chaldaicam Philosophiam Athenis docuit, ac tandem statua donatus est a Græcis in Gymnasio (1).

Persæ. 9. Apud Persas Philosophiam excolebant *Magi*, sic enim sapientes appellabantur (2), genus sacerdotale, quorum princeps Zarathustra vel Zoroaster longe cæteris illustrius obtinuit nomen et bis mille quingentis annis ante Christum vixisse censetur a recentioribus, quamquam variæ exstant de illius ætate auctorum sententiæ (3).

Phœnices. De Phænicibus nihil certi statui potest, quod ad historiam Philosophiæ pertineat (4).

Ægyptii. 10. Denique quod attinet Ægyptios, «invenimus ipsos ante Moysen sapientiæ laude commendatos. Moyses enim dicitur eruditus omni sapientia Ægyptiorum (5). Ab Ægyptiis artes mathematicas fuisse inventas post Platonem (6) et Laërtium (7) scribit S. Thomas (8): nam ut Cicero (9) animadvertit, *Ægiptii et Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cæli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt.* Celeberrimus inter Ægyptios fuit Hermes sive Mercurius dictus *Trismegistus*, id est, ter magnus, quod

(1) Vide P. Cuevas loc. cit. cap. 1.; Bouvier loc. cit. chap. 1; Tennemaun, loc. cit. paragr. 71.

(2) Vid. S. Hieron. in cap. 2.^m Danielis; et S. Thom. 3 p. q. 36, a. 3 ad 2.^um

(3) Vid. apud Card. Gonzalez, Op. cit. paragr. 21. De Zoroastri doctrina consule P. Cuevas et cæteros scriptores nuper citatos.

(4) Cfr. Tennemann Op. cit. paragr. 74; Bouvier Op. et loc. cit. chap. 3.

(5) Act. Apost. c. 7, v. 22.

(6) In Phædro.

(7) *De vitis Philosoph.* in Procem.

(8) «Circa Ægytum, ait Aquinas, primo inventæ sunt artes mathematicæ, quæ sunt maxime speculativæ, a sacerdotibus, qui sunt concessi studio vacare et de publico expensas habebant, sicut etiam legitur in Genesi.» S. Th. lib. 1. *Metaph.* lect. 1.

(9) Lib. 2 de Divin. cap.

habitus fuerit magnus Philosophus, sacerdos et Rex. Eumdem post Moysem vixisse, sed longe ante tempora Græcorum Philosophorum, tradit S. Agustinus (1); Ægyptios ab Abrahamo fuisse doctos, cum in Ægyptum perrexit, auctor est Josephus» (2). Hæc Salvator M. Roselli (3).

Antiqui populi Europæ.

11. Intra Europam sapientiæ laude claruerunt in Thracia Zamolsis, qui teste Clemente Alex. (4) unus erat ex familiaribus Pythagoræ; in Scythia Anacharsis, qui, ut habet idem Clemens (5), scribitur Græcorum multis antecelluisse Philosophis; in Gallia Druidæ (6); in Hispania Turdetani (7); in Italia Etrusci et Siculi (8). Fatemur tamen cum Angelico Doctore priorum illorum sapientium Philosophiam (exceptis Hebræis in iis præsertim, quæ ad Religionem et ad mores spectant) fuisse valde imperfectam, plurimisque implicatam erroribus. «Sicut enim pueri de novo loqui incipientes, imperfecte et balbutiendo loquuntur; ita Philosophia priorum Philosophorum visa est balbutiendo et imperfecte de omnibus loqui» (9). Hæc iterum Roselli (10).

Græci.

12. Sed veniamus jam ad Græciam, quæ licet serius, quam alii populi, ex quibus non pauca primum didicisse videtur (11), ad philosophandum accessit, longe tamen illos superavit ac mox magistra primum Romæ, deinde per imperium

(1) Lib. 18 *de Civit. Dei*, cap. 39.

(2) *Antiquit Judaic.* lib. 1, cap. 16.

(3) Fr. Salvatoris M.æ Roselli, S. Theol. Magistri Ord. Prædicatorum *Summa philosophica ad mentem Angel. Doctoris S. Thomæ Aquinat.* Log. tom. 1 quæst. 1, art. 4. n.° 38.

(4) *Stromatum* lib. 4.

(5) *Strom.* lib. 1.

(6) De quibus ita S. Thomas: «Quia futurum erat, ut in Gallia Christiani sarcerdotii plurimum vigeret religio, divinitus est permissum, ut etiam apud Gallos gentiles, sacerdotes, quos Druidas nominabant, totius Galliæ jus definirent, ut refert Julius Caesar in libro, quem de Bello gallico scripsit.» S. Thom. Opusc. 20, lib. 1 cap. 14.

(7) Vide S. Agust. de *Civit. Dei*, lib. 8, cap. 9 et ibi adnot. Ludovici Vives.

(8) Cfr. Clem. Alexandr. Stromat. lib. 1.

(9) S. Thom. lib. 1 *Metaph.* lect. 17 fin.

(10) Oper. et loc. cit. n. 40.

(11) Cfr. Card. Gonzalez, Op. et loc. cit. paragr. 26 p. 92 seqq. edit. Matrit. 1886.

romanum, totius Europæ, atque adeo totius orbis effecta est. «Apud Græcos primi famosi in scientia, inquit S. Thomas, fuerunt quidem poetæ *theologi*, sic dicti, quod de divinis carmina faciebant. Fuerunt autem tres, Orpheus, Musæus et Linus, quorum Orpheus famosior fuit. Fuerunt autem tempore, quo Judices erant in populo Judæorum» (1). Orpheus duodecim circiter sæculis Christum Dominum præcessisse creditur. Hos secuti sunt Homerus, insignis poeta (1000 ann. a. C.); et Hesiodus (800 ann. a. C.) qui multa de natura deorum rerumque origine cecinit; et septem illi viri qui *Sapientes* dicti sunt, *Thales* Milesius, *Pittacus*, *Solon* Atheniensis, *Chilon* Lacedemonius, *Periander* Corinthius (2) *Cleobulus* Lydius, *Bias* Prienensis (3). Thaletem vocat Aristoteles (4) principem Philosophiæ speculativæ, quia, ut scribit S. Thomas, «inter septem Sapientes, qui post theologos poetas fuerunt, ipse solus ad considerandas rerum causas se transtulit, aliis sapientibus circa moralia occupatis» (5). Floruit porro «Thales Milesius tempore Romuli et apud Hebræos tempore Achaz regis Israel (6). Pittacus, apud Hebræos regnante Sedecia et apud Romanos Tarquinio Prisco (7): alii quinque... fuerunt omnes tempore babylonicæ captivitatis» (8).

Poëtæ *theologi*

Homerus

Septem *Sapientes*

Vera tamen historia Philosophiæ græcæ in tres dividi potest ætates, quas dicere, si placet, potes *adolescentiam, virilitatem* ac *senectutem* hellenicæ Sapientiæ (9). Prima ætas a Thalete ad Socratem excurrit (ab anno 600 ad 400 circiter a. C.): altera a Socrate usque ad propagationem græcæ Philosophiæ inter Romanos (ab anno 400 ad 60 a. C.): tertia denique usque ad finem scholæ philosophicæ Atheniensis, regnante Justinia-

Tres ætates Philosofiæ græcæ. Prima ætas

(1) S. Thom. lib. 1. *Metaph.* lect. 4 paragr. g.

(2) Sunt qui loco Periandri hujus recenseant inter 7 sapientes *Anacharsim* Scytham aut *Epimenidem* Cretensem.

(3) Cfr. Theodoretus Ser. 2 *de curandis Græc. affection.*; S. Thom. lib. 1. *Metaph.* lect. 4 parag. e.

(4) Lib. 1. *Metaph.* cap. 3.

(5) S. Thom. loc. nuper cit.

(6) Cfr. S. August. lib. 18 *de Civit. Dei.* cap. 24.

(7) Cfr. S. August. op. cit. c. 25.

(8) S. Thom. loc. nuper cit., S. August. loc. cit.

(9) Cfr. Tennemann Op. cit. paragr. 80.

no Imperatore. Universæ istæ ætates periodum complectuntur fere mille ducentorum annorum (1).

13. Prima ætas, quam *Cosmologicam* quidam ideo vocant, quia in ea mundum mundique causas potissimum Philosophi scrutati sunt, quatuor præcipuas scholas numerat, *Jonicam, Italicam* seu *Pythagoricam*, *Eleaticam* et *Atomisticam*. Schola jonica.

Schola Jonica sic dicta, quia in Jonia nata fuerat, principem habuit magistrum Thaletem (600 ann. a. C.) *Milesium* a Mileto, urbe Joniæ, dictum, unum de *septem Sapientibus*, quem mox sequuti sunt *Anaximander*, etiam Milesius, amicus Thaletis, *Pherecides* Syrensis, *Anaximenes*, Milesius, *Diogenes* Apollonius aliique (2). Ad scholam Jonicam revocari solent *Heraclitus* Ephesius et *Anaxagoras* Clazomenius, qui floruerunt circa annum quingentesimum ante Christum Dominum (3) et a quibusdam etiam Leucippus, Democritus et Empedocles, atomistæ (4). Philosophi scholæ jonicæ explicarunt varie prima corporum principia: alii nempe dicebant illa esse aquam, alii aërem, alii ignem, alii tria hæc cum terra, etc., ut videre est apud Aristotelem (5).

14. Schola Pythagorica vocata est Italica, quia princeps ejus Pythagoras (anno 582 a. C.) in insula Samo, ut communius creditur, natus, in ea Italiæ parte sedem posuit, quæ olim Magna Græcia dicebatur, et nunc Appuliæ et Calabriæ nomen habet. Ferunt namque Pythagoram, postquam Pherecidem et Anaximandrum, ac forte etiam Thaletem, audierat, Ægyptum, Persidem aliasque regiones peragrasse, sciendi cupiditate incensum; cumque scholam in sua patria fundare non posset ob Policratis tyrannidem, in Italiam venisse ac tandem Crotonæ consedisse (6). Inter Pythagoræ discipulos Pythagorica vel Italica,

(1) Vide Card. Gonzalez Op. et loc. cit. parag. 27; Tennemann Op. cit. parag. 80.

(2) Vid. S. Augustin. *De Civit. Dei.* lib. 8, cap. 2; Tennemann, parag. 85 seqq.; Gonzalez parag. 29 seqq.; Bouvier op. cit. lib. 3. chap. 3; Cuevas Op. cit. dissert. 2, cap. 1, art. 1, sect. 1.

(3) Vide Tennemann paragr. 103, 106; Gonzalez paragr. 32, 33, 34; Bouvier et Cuevas locis cit.

(4) Tennemann paragr. 104, 105, 108: Gonzalez paragr. 34.

(5) *Metaph.* lib. 1, cap. 3. Vide ib. S. Thom. lect. 4; Cuevas loc. cit. parag. 29 seqq.

(6) Vid. Card. Gonzalez loc. cit. parag. 36.

recensentur *Philolaus* Crotonensis, *Eurites*, *Archytas* Tarentinus, *Clinias*, *Lysis* qui vixit Thebis et magister fuit *Epaminondæ*, Timæus Locrensis aliique (1). Pythagoricæ sectæ indolem hisce verbis describit Aristoteles: «*Qui appellati Pythagorici primi mathematicis operam dederunt, illa præponebant et eis enutriti, eorum principia entium quoque cunctorum ese putarunt principia*» (2).

Eleatica. 15. Eleaticæ scholæ auctor fuit *Xenophanes*, aequalis Pythagoræ, Colophonius, qui versus annum 536 a. C. Veliæ vel Eleæ urbe, in Italia, sedem possuit, unde et nomen accepit illa secta. Discipulos habuit Xenophanes præcipuos *Parmenidem* (472 a. C.) et *Zenonem* Eleatem (442 a. C.) a quo Dialecticam initium sumpsisse scribunt Diogenes Laertius (3) et Eusebius Cæsareensis (4); et *Melisum* Samium (445 a. C.) Hi omnia unum esse contendebant, nihilque fieri de novo posse, multiplicitatem vero rerum, quæ sensibus objicitur, pure apparentem ac phænomenalem esse recentioribus pantheistis atque idealistis jam inde a remotissima antiquitate præludentes (5).

Atomistica. 16. Atomistica schola quæ ex Jonica prodiit, atque adeo ad illam, ut modo notavimus, solet a quibusdam revocari, principem agnoscit *Leucippum*, in ignota patria natum circa 500 an. a. C., ut probabilior fert opinio. Huic successere *Democritus* Abderitanus (460 an. circiter a. C.) et Agrigentinus *Empedocles* (circa an. 440 a. C.) aliique, ac multo post *Epicurus* (n. 337+270 a. C.). Atomistæ posuerunt res omnes ex atomis seu corpusculis minutissimis in unum conglobatis coalescere et componi (6).

---

(1) Vid. Ritter, *Histoire de la Philos. ancien.* liv. 4, chap. 1; Gonzalez op. et loc. cit. paragr. 37; Bouvier loc. cit. chap. 4.

(2) Arist. lib. 1. *Metaph.* cap. 5; Cfr. ib. S. Thom. lect. 7 paragr. *c*; Cuevas loc. cit. dissert. 2. c. 1, a. 1 sect. 2; Gonzalez, paragr. 38; Bouvier loc. cit. chap. 4,

(3) *De Vitis Philosophor.* lib. 1.

(4) *De Præparat. evangel.* cap. 1.

(5) Vide Aristot. Lib. 1 *Metaph.* cap. 5. Cfr. ib. S. Thom., lect. 9; Vide item Arist. lib. 1 *Physicor.* cap. 2, 3 et ib. S. Thom. lect. 2 et 3 seqq.; Cuevas Op. et loc. cit. sect. 3; Gonzalez paragr. 40, 41; Bouvier loc. cit. chap. 5.

(6) Vide Arist. lib. 1 *Metaph.* cap. 5 et ib S. Thom. lect. 7; Arist.

Sophistæ.

17. Media inter primam et alteram ætatem græcæ Philosophiæ sese offert turba Sophistarum, qui peritia dicendi ingenioque freti, et amore quæstus incitati, de omnibus in utramlibet partem disputare, ac sive ajentem sive negantem sententiam in quavis proposita quæstione argumentis evincere contendebant, auditorum multitudinem post se rapientes ac putidissimis sophismatis decipientes. Quare non Philosophi sed hostes potius corruptoresque Philosophiæ dici meruerunt. Eminuerunt inter alios *Protagoras* Abderitanus (450 a. C.) æqualis Socrati, *Gorgias* Leontinus (426 a. C.), *Hipias* Eliensis, *Prodicus* Ceensis, *Critias* Atheniensis, Socrati infensus etc. (1).

Secunda ætas græcæ Philosophiæ,

18. Altera ætas græcæ Philosophiæ, quam *psychologicam* aut etiam *anthropologicam* vocarunt, quia in ea Philosophi in humanæ naturæ studium diligentius incubuerunt (2), exordium ducit a *Socrate*, ex quo etiam *Socraticæ* nomen obtinuit.

Socrates.

Socrates enim (n. 470+400 a. C.) «sophistarum petulantiam retundere aggressus, atque eorum cavillationibus dissipatam instaurare Philosophiam, multos Athenis docuit cum maxima nominis gloria; donec in deos patrios impietatis accusatus et damnatus, judicum sententia, in carcere, hausta cicuta, interiit, nullis relictis scriptis operibus. Ejus doctrinam ex Xenophonte, Platone et Aristotele cognoscimus» (3). Præcipue coluit moralem doctrinam ac theologicam, veramque sapientiam et sciendi principium in illa oraculi Delphici sententiam *Nosce te ipsum*, situm esse dictitabat. Multos suo nomine sapientiaque traxit ad se discipulos, e quibus cum

---

lib. 1 *Physic.* c. 5 et ib. S. Thom. lect. 10; Arist. *de Gener. et corrupt.* c. 1 et seqq.; et ib. S. Thom. lib. 1 lect. 1-6; Arist. *de Anim.* lib. 1. cap. 2; et ib. S. Thom. lib. 1 *de Anim.* lect. 3. cfr. Tennemann. loc, cit. paragr. 104, 105, 108, 151; Gonzalez loc. cit. paragr. 42 seqq. et paragr. 85.

(1) Vide Tennemann, Op. et loc. cit. parag. 109 seqq.; Gonzalez paragr. 46 seqq.

(2) Cfr. Tennemann, parag. 111. Cuevas Op. cit. dissert. 2 cap. 1 a. 2. parag. 1 initio; Gonzalez paragr. 53.

(3) Cuevas loc. cit. paragr. 1, sect. 1. Cfr. S. August. de *Civit, Dei* lib. 8, cap. 3 Gonzalez Op. cit. paragr. 54 seqq.; Tennemann, paragr. 113 seqq.; Bouvier Op. cit. lib. 3 chap. 8.

alii præcepta gubernandi, alii scientiam quærerent, non lucri cupiditate, sed boni amore, scite illis atque apposite ad cujusque conditionem doctrinam tradebat. Hinc in varias sese scholas illius auditores scinderunt, *Antisthenes* enim (380 a. C.) *Cynicam; Aristippus* (380 a. C.) *Cyrenaicam; Megaricam Euclides, Phœdon Elidensem; Menedemus Eritriensem; Plato* demum *Academiam* fundavit. Alii vero ut *Xenophon, Aeschines, Simon, Cebes* Thebanus (1) etc, vitæ formam præceptis Socratis conformem iniisse dicuntur (2).

Cynica schola,

19. Cynica schola nomen sortitus est vel ex loco *Kynosargo*, ubi Antisthenes docebat, vel ex morum vitæque, quam ille profitebatur, asperitate ac libertate mores aliorum mordendi, et improbis allatrandi. Cynici enim moralem dumtaxat Socratis doctrinam amplexi, reliquas scientias contemnebant, ac severiorem vivendi rationem sectabantur, aliosque ut sectarentur, incitabant. Antisthenem secuti sunt, ut celebriores tantum nominem, *Diogenes* ille Sinopensis (414 a. C.) vir impudentissimus, qui in vacuo dolio habitabat. *Crates* Thebanus, ejus discipulus, et uxor *Hipparchias*. Finem habuit hæc schola in Zenone, qui Cratetis auditor fuit et princeps stoicæ scholæ (3).

Cyrenaica,

20. Cyrenaicam fundavit Cyrenis in Africa Aristippus, qui felicitatem hominis in voluptate, cum corporea tum spirituali, reposuit. Eamdem doctrinam amplexa est uxor illius Aretea, cujus filius Aristippus cognomine *Metrodidactos*, quia a matre edoctus fuerat, avi sui *hedonismum* seu sensualismum amplexus est superavitque, atheismum professus, omnem inficiatus moralitatem. *Metrodidactum* imitati sunt *Theodorus* Cyrenensis, cognominatus *Atheus*, *Bion* Borysthenita, *Evehemerus* aliique (4).

Megarica,

21. Schola Megarica dicta fuit etiam *eristica* ob ardentissimum, quo illius alumni tenebantur, studium dialecticarum disputationum. Ductor hujus sectæ fuit *Euclides* Megaræ

(1) Hic auctor esse censetur operis, cui titulus *Tabula Cebetis*.

(2) Tennemann paragr. 118; Gonzalez paragr. 57; Bouvier loc. cit, chap. 8.

(3) Tennemann parag. 120; Gonzalez parag. 60; Bouvier loc. cit. chap. 9.

(4) Tennemann par. 122; Gonzalez par. 58; Bouvier loc. nuper cit.

natus (circa an. 400 a. C.), «a quo iidem illi Megarici dicti, inquit Cicero, qui id bonum solum esse dicebant, quod esset unum, et simile, et semper» (1). *Eubulides*, discipulus Euclidis et Alexinus invenisse dicuntur quædam sophismatum genera quæstionesque insolubiles, quibus alios philosophos, ac nominatim Aristotelem, lacessebant (2).

Elidensis et Eritriensis.

22. Vix ab hac schola discriminantur *Elidensis* fundata a *Phædone*, cujus nomine mox unum e suis dialogis inscripsit Plato, et *Eritriensis* a Menedemo. Tres istæ postremæ scholæ moralem Socratis doctrinam potissimum coluerunt, viamque parasse putantur sectæ Stoicorum (3)

Verum singulæ istæ sectæ e Socratis schola profectæ, partem dumtaxat doctrinæ Socraticæ amplexæ sunt; universam, seu moralem sive speculativam, tanti magistri disciplinam hauserunt *Plato* et Platonis discipulus, *Aristoteles*, novisque accessionibus auctam, ad maximum gradum perfectionis evexerunt.

Plato.

23. «Platonem, quem *divinum* appellavit antiquitas, alii Athenis, alii in Ægina insula (4) natum ferunt, genere ducto a Codro per matrem Perictoniam, e sanguine Solonis, Olympiade octogesima septima aut octava (ann. circiter 430+348 a. C.) Musarum studio primum indulsit, postea Philosophiam coluit sub Socrate (octo annis), quo defuncto, in Aegyptum ad Sacerdotes iter arripuit, atque in alias regiones (5): unde Athenas regressus, in *Academia*, qui locus in suburbano nemorosus erat (6), disciplinas philosophicas docuit, quas,

---

(1) Cicero *Acad. quæst.* IV, 42 Vide plura apud Tennemann, paragr. 126; Gonzalez par. 62; Bouvier loc. nup. cit.

(2) Tennemann. op. cit. par. 126; Bouvier loc. cit. Vide Diogen. Laert. II, 108 seqq.; Cicer. Acad. quæst. IV, 29; Sext. Empiric. *Adv. Mathem.* VII. 13; Aul Gell. *Noct. attic.* XVI, 2 apud Tennemann.

(3) Tennemann, par. 127; Gonzalez. Op. cit. paragr. 63; Bouvier loc. nup. cit.

(4) Diogen. Läert. Lib. 3.

(5) De quo vid. Gonzalez paragr. 65.

(6) Alii originem cognominis, quo schola Platonis insignita fuit ab amico suo *Academo* derivant qui dominus fuit loci amœni, in quo docebat ille. Vid. Diogen. Laërt de Platone.

conscriptis pulcherrimis dialogis, memoriæ posterorum mandavit» (1).

Platonis doctrinam miris laudibus extulerunt, eumque Philosophorum principem non pauci prædicarunt, multi etiam illustrarunt commentariis (2), tractatusque philosophicos ad illius mentem concinnarunt; qua de re videri potest Tennemann (3). Non tamen naevis caruit tam insignis Philosophi doctrina; in multis enim, ac potissimum in re morali, vir maximus quidem ingenio, lumine tamen revelationis destitutus, luculentissimum specimen præbuit humanæ imbecillitatis, quemadmodum non semel se offeret occasio notandi in operis hujus decursu (4).

---

(1) Cuevas op. cit. dissert. 2. cap. 1. art. 2 par. lib. 3 sect. 2; Cfr. Gonzalez loc. cit. Tennemann. par. 129; Bouvier op. cit. chap. 10.

Opera Platonis ex indice, quem Marsilius Ficinus confecit, hæc sunt: *Hipparchus*, de lucri cupiditate.—*De Philosophia*, seu Amatores.—*Theages*, de Sapientia.—*Menon*, de Virtute.—*Alcibiades primus*, de natura hominis.—*Alcibiades secundus*, de Voto.—*Minos*, de Lege.—*Eutiphro*, de Sanctitate.—*Parmenides*, de uno rerum principio. *Philebus*, de summo hominis bono.—*Hippias major*, de Pulchro.—*Lysis*, de amicitia.—*Theaetetus*, de Scientia.—*Io*, de furore poëtico.—*Sophista*, de Ente.—*Civilis*, de Regno.—*Protagoras*, contra sophistas.—*Euthydemus*, sive Litigiosus.—*Hippias minor*, de mendacio.—*Charmides*, de Temperantia.—*Laches*, de Fortitudine.—*Clitophon*, Exhortatorius.—*Cratylus* de Recta nominum ratione.—*Gorgias*, de Rhetorica.—*Convivium Platonis*, de Amore.—*Phædrus*, de Pulchro.—*Apologia Socratis*.—*Crito*, de eo quod agendum.—*Phædon*, de Anima.—*Menexenus*, seu funebris oratio.—Libri decem *de Republica*.—*Timaeus*, de Generatione mundi.—*Critias*, de Atlantico bello.—Libri duodecim *de Legibus*.—*Epinomis*, id est, *Legum appendix*, vel *Philosophus*.—*Axiochus*.—*Epistolæ duodecim Platonis*.

Ex his tamen operibus *Hipparchias*, *Minos* et *Alcibiades secundus* et *Axiochus* apocrypha existimantur ab eruditis viris; Epistolæ vero *Epinomis*, *Theages*, *Hippias maior* et *Alcibiades* primus, itemque *Parmenides Cratylus* et *Philebus*, ab aliis Platonitribuuntur, ab aliis adjudicantur. Gonzalez Op. cit. paragr. 65, in nota 2 pag. 229, edit. Matriti 1886.

(2) Ses livres et sa doctrine, inquit Bouvier, (loc. cit.) ont eu un nombre prodigieux de commentateurs. Dès le milieu du 4.e siecle, on en comptait déjà 65, selon un savant auteur; il s'en est trouvé bien d'autres depuis ce temps-là.

(3) Op. et loc. cit. in notis ad paragr. 129, 130, 132, 134, 135, 136.

(4) Cfr. Tennemann, par. 138; Gonzalez par. 70.

Antiqui Platonici.

Nobiliores Platonis discipuli, qui ad Academiam ab illo fundatam pertinuerunt sunt *Speusippus* (+339 a. C.), *Xenocrates* (+114 a. C.), *Polemon* (circa an. 114. a. C.) Athenien-sis, *Crates* Triasiensis, aliique (1). Verum supra cæteros omnes eminuit, auctor novæ scholæ *Aristoteles*, qui propter acutis-simum eximiumque ingenium, solertissimam sagacitatem in-quisitionis, potentissimam vim argumentationis, vastissimam-que doctrinam *Philosophi* cognomen apud posteros meruit.

Aristoteles per antonomasiam dictus *Philosophus*.

24. Aristoteles Nicomachi Phaestiadisque filius, Stagirites ex exigua Thraciæ civitate Macedoniorum regno adjuncta, voce gracili et exilibus (2) cruribus, parvisque oculis fuisse dicitur, ac veste insigni uti solitus, annulis et tonsura. A Philippo magister præpositus Alexandro filio, cum huic instituendo satis operam navasset, Athenas concessit, ibique tredecim annis in *Lyceo* docuit, donec ab Eurymedonte hierophanta impietatis accusatus Chalcidem profugit, atque ibidem morbo periit anno ætatis sexagesimo circiter tertio, cum natus esset anno primo nonagesimæ nonæ Olympiadis (an. a. C. 382.) Ejus discipuli *Peripateticorum* nomine insigniti fuere, eo quod magistrum audirent deambulantem (3).

Peripatetici

Multa scripsit opera non solum de re philosophica, sed etiam de Rhetorica et Poetica. Philosophiam vero tractavit universam, excepta Mathesi (4).

---

(1) Tennemann. paragr. 138; Gonzalez, par. 70.

(2) Diogen. Laërt. lib. 5 Arist.

(3) Cuevas loc. nuper cit. sect. 3.

(4) *Logicam* docuit in *Prædicamentis* seu *Categoriis* et in libris *de Interpretatione*, seu *Perihermenias*, *Analyticorum (Priorum* ac *Posteriorum)*, *Topicorum* et *Elenchorum*; *Physicam* seu Philosophiam naturalem in octo libris *de Physico auditu* vel *auscultatione*, quatuor de *Cælo et Mundo*, duobus de *Generatione et Corruptione*, quatuor *Metereologicorum*, tribus *de Anima*, novem de *Historia animalium*, quatuor *de Partibus animalium*, uno de *Incessu animalium*, quinque *de Generatione animalium*, et in libris qui inscribuntur *Parva naturalia*; *Metaphysicam* in libris *Metaphysicorum*.

Moralem demum Philosophiam in libris *Ethicorum ad Nicomachum*, et in libris *Politicorum*.

Alia præterea numerantur spuria, *De Plantis*, *Physiognomica*, *Mechanica*, de *Coloribus*, de *Audibilibus*, de *Spiritu*, de *Proprietatibus Elementorum* de *Mundo ad Alexandrum*, de *Lineis insecabilibus*, *Problemata*, de *admirandis audibilibus*, etc.

Laudatores habuit Aristoteles plurimos, eosque et ingenio et doctrina summos viros, quamquam nec caruit adversariis atque obtrectatoribus; commentatores vero interpretes, fautores atque asseclas nactus est propemodum infinitos: in quibus recensendi præsertim sunt, *Alexander Aphrodisæus*, *Porphyrius*, *Ammonius*, *Themistius*, *Philoponus* et *Simplicius*, *Averroes*, «qui ab ejus diligenti explanatione *Commentatoris* cognomine appellatus est» (1), *Alpharabius*, *Albertus M.*, *S. Thomas*, *S. Bonaventura*, *Joannes Duns Scotus*, *Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus*, *Dominicus Soto*, *Cardinalis Franciscus Toletus*, *Petrus Fonseca*, *Conimbricenses*, *Sylvester Mauri*, aliique bene multi. Illa vero præ cæteris est insignis gloria Stagiritæ, ut illius doctrina, omni erroris nævo contra fidem purgata (2) atque e Sacræ Theologiæ magisterio magis perfecta et perpolita, per plura sæcula fere regnaverit inter Doctores catholicos, et nostris quoque temporibus novissime a Sanctissimo Domino Nostro Leone XIII in pristinum honorem restituta sit, et magnopere commendata.

Comparatio inter Aristotelem et Platonem

25. Jam si Aristotelem Platoni compares, in multis eos discrepare invenies, quantum attinet ingenium et doctrinam (3). Si autem quæras uter utro major fuerit, diversæ extant sententiæ. Platonem multi præferunt, primo quia Plato multo plura de divinis rebus scripsit quam Aristoteles: quare Platonem ejus sectatores *Divinum*, Aristotelem vero *Dæmonium*, quasi medii cujusdam ingenii inter divinum et humanum appellarunt (4).

Deinde quia «ornamenta illa ingenii, quæ in orationis splendore et eruditione posita sunt, in Platone magis quam

---

De re morali sunt etiam *Magna moralia*, *Ethica ad Eudemum*, *Æconomica et de Virtutibus*, quæ inter spuria opera Aristotelis a recentioribus amandantur. Alia etiam videtur Aristoteles scripsisse opera, quæ perierunt. Cfr. Fonseca, *Commentar. in libros Metaphysicor. Arist.* lib. 1 Proæm. Cap. 4.

(1) Fonsec. loc. nup. cit. cap. 3 fin.

(2) De erroribus in quos incidit Aristoteles videri potest Salvator Talamo *Aristotelismo della Scolastica*, par. 2 cap. 2 et 3.

(3) Vide de hac re P. Renatus Rapin e Societate Jesu et Card. Gonzalez, loc. cit. parag. 76, pag. 320, edit. Matrit. 1886.

(4) Vid. Cælium lib. 17 cap. 17 citatum a Fonseca loc. cit. cap. 3.

in Aristotele enituisse, nemo dubitaverit: ita omnia sunt plena lectione antiquitatis, ita ornata et polita, ut non sine causa de Platone dictum sit: «Jovem, si græce loquatur, non alio quam Platonico sermone usurum» (1).

Hinc est ut præstantissima illa ingenia «Marcus Tullius (2) et D. Augustinus (3) Platonem ubique præferant, ita enim Aristotelem admirantur, ut Platonem semper excipiant» (4) Hæc aliaque leviora argumenta refert P. Petrus Fonseca, quibus tamen ipse minime permotus, Aristotelem Platoni præponit (5).

«Quid enim, inquit, Aristoteles non multo absolutius, quam Plato tradidit? Nam ut omittam, quæ ab illo jacta sunt mechanicarum artium præclara fundamenta; Poëticæ item, quæ pene vulgaris res est, gravissimam explicationem; certe oratoriæ artis naturam, partes omnes, præcepta ac usum, omnium, qui unquam scripserunt, ingeniosissime tradidit. In dialectica vero arte, etsi inductiones et quædam definitionum initia Socrati ac Platoni tribuuntur; totam tamen ratiocinandi disciplinam, qua in parte tota pene vis ac difficultas artis posita est, adjuncta etiam locorum doctrina, ipse primus et invenit et ita persecutus est, ut nemo post eum quicquam, quod alicujus nomenti sit, adjicere potuerit (6). Philosophia de moribus quam multi inventam a Socrate, a Platone excultam asserunt, ab utro, quæso, verius, castius, ingeniosius, et ad usum accommodatius tradita est? Utram utiliorem judicavit christiana Respublica, quæ, divino numine edocta, sincerissimam de vita ac moribus doctrinam profitetur?

«Jam in naturali Philosophia nemo est, qui Platonem longe inferiorem fuisse non fateatur, tanta enim est tamque profunda in omni rerum naturalium genere Aristotelica doctrina,

(1) Refert dictum istud Cicero *de Claris Orat.*

(2) Cicero lib. 1 *Academ.*; lib. 1 *Tusculan quæst.*

(3) August. lib. 8 *de Civit. Dei*, cap. 4.

(4) Fonsec. loc. cit.

(5) Cfr. etiam de hac re Gonzalez par. 76.

(6) De inventoribus Logicæ vide P. Barthol. Amici, *in Universam Aristotelis Logicam*, tract. 1.ª quæst. 2; P. Franc. Tolet. *In Universam Aristotelis Logicam Commentaria*, De *Dialectica in Communi*, paragr. 1.

ut quod nobis natura invidisse ac occuluisse videri potest, ipse unus invenisse et aperuisse videatur. »

Concedit quidem Fonseca Platonem plura de divinis rebus scripsisse, quam Aristoteles; verum adjungit, plura etiam in eo peccasse. « At præstat, ut ipse in *Theæteto* ait, pauca bene, quam multa male definire. Qua in re ingenii Aristotelici præstantia justius commendari potest, quod ea pauca quæ scripsit de divina natura cæterisque substantiis a materia separatis, adeo egregia sunt pene omnia, ut nullum prope dogma de iis rebus a theologis usurpetur, si tamen naturali lumine compertum sit, quod illi e libris Aristotelicis non hauserint. »

Non tamen negat Fonseca, nec negari potest, dandam esse Platoni palmam eloquentiæ. Argumentis vero in favorem Platonis adductis quid respondendum sit, videri potest apud eumdem Fonsecam (1): qui etiam rationem reddit cur Philosophus obscure sæpe scripserit (2): qua de re videri quoque possunt Conimbricenses (3).

Cur obscure scripserit Aristoteles.

Aristotelis præcipui discipuli

26. Nobiliores Aristotelis discipuli, ut eos tantum commemoremus, qui magistrum proxime secuti sunt, feruntur fuisse *Theophrastus* Lesbius, quem ipse, tamquam doctissimum discipulorum, sibi successorem delegit, *Eudemus* Rhodius, ac *Dicæarchus* Messanensis et *Aristoxenes* Tarentinus, ambo materialistæ, quorum primus animam esse vim corpoream censebat, alter instar soni vel harmoniæ a corpore productæ (4), *Strato* Lampsacenus, *Demetrius* Phalereus auditor *Theophrasti*, aliique (5); quorum tamen nemo hæreditatem sapientiæ a magistro acceptam augere potuit, vel etiam conservare. Quare Aristotelica doctrina diu jacuit.

Stoici. Zeno.

27. Stoica schola auctorem habuit *Zenonem* (an. 340 circiter a. C.) Citticum ex insula Cypro, *Cratetis* Thebani, ut superius diximus, *Stilponis* Megarici et *Xenocratis* Academici

(1) Loc. cit.

(2) Oper. et loc. cit. cap. 2.

(3) *Commentariorum Collegii Conimbricensis e Societate Jesu, in Universam dialecticam*, proœm. paragr. *De Academia et Stoicorum secta.*

(4) Vide Tennemam, paragr. 150.

(5) Tennemann loc. cit. Gonzalez parag. 77; Bouvier, Op. et loc. cit. chap. 12.

auditorem. Hujus alumni ex porticu, quo ad eum audiendum Athenis confluebant, *Stoici* appellati sunt.

Plures nactus est Zeno discipulos, in quibus illustrius obtinuere nomen *Cleanthes* Assensis ex Troade, qui post magistrum Porticum rexit, *Chripippus* Tarsensis ex Cylicia, qui mortuo Cleanthi successit in eo munere, multisque clarus certaminibus cum aliis æqualibus Philosophis, *Columna Porticus* dictus fuit, *Zeno* Tarsensis, *Antipater* Tarsensis vel Sidonius, ut alii volunt, Magister Catonis Uticensis; *Diogenes* Babylonius, qui Romam missus fuit legatus una cum Carneade Academico et Critolao Peripatetico circa an. 155 a. C., *Panætius* Rhodius, Diogenis auditor, qui Romæ quoque docuisse dicitur et doctrinam Peripateticam cum Stoica in concordiam revocare voluisse; ac demum *Possidonius* Apameensis ex Syria, qui Rhodis docuit, et auditores habuit Ciceronem ac Pompeium. Ex his Antipater Diogenes, Panætius, Possidonius, studium doctrinæ Stoicæ inter Romanos vel excitasse feruntur, vel magis accendisse (1).

Stoici moralem potissimum Philosophiam coluerunt; Logicam etiam amplificarunt, multiplicatis ultra modum præceptis (2); Physicam vero Pantheismo vitiatam tradiderunt.

Epicurei

28. Suppar Zenoni Cittico fuit *Epicurus* (337+270 a. C.) Atheniensis, hic annos natus 32 scholam instituit Lampsaci primum, mox Athenis in suis hortis, et ab ejus nomine dicti sunt asseclæ *Epicurei*. Hanc scholam præ cæteris doctrinæ capitibus celebrem effecit principium illud reponens ultimum finem hominis in voluptate: unde postea, quidquid immoderatum est in usu voluptatum, *epicureum* et *epicurismus* dictum est; in Philosophia vero naturali atomismum propugnavit et positivismi et materialismi semina jecisse existimatur (3). Quamquam non desint, qui Epicurum exemplar modestiæ, probitatis honestatisque fuisse arbitrentur, ac doctrinam illius ab omni turpitudinis et materialismi labe vindicatam velint (4)

(1) Cuevas loc. cit. sect. 5; Tennemann, parag. 158; Gonzalez par. 79, 84; Bouvier loc. cit. chap. XII.

(2) De quo vid. Petrum Fonseca Op. et loc. cit. cap. 4.

(3) Gonzalez parag. 88, apud quem videatur summa doctrinæ epicureæ, par. 83 seqq. et apud Cuevas loc. cit. sect. 4.

(4) Vid. Gonzalez par. 85.

Illustriores Epicuri alumni fuere, ex Diogene Läertio (1), *Metrodorus* Lampsacenus, *Pollyenus* item Lampsacenus, *Hermacus* (200 a. C.) Mytilenensis, quem Epicurus sibi successorem in scholæ principatu delegit (2), et meretrix *Leontium*, amica Epicuri et concubina Metrodori (3), Colotes et Idomeneus Lampsaceni, Leonteus item Lampsacenus et hujus uxor Themista, aliæque fæminæ, quæ mores habuisse doctrinæ penitus conformes dicuntur (4), Polystratus Dionysius, Basilides etc. (5).

Sceptici. 29. Aequalis Epicuro videtur fuisse *Pyrrho* Eleus (circa an. 340+sub an. 288 a. C.), primum pictor, mox comes Alexandri in bellicis expeditionibus. Hic tot tantorumque dissidiorum, et acerrimarum concertationum inter philosophicas sectas pertæsus, Scepticismum invexit, quem postea magis promovit confirmavitque amicus et discipulus illius *Timon*, medicus civitatis Phliuntis, qui circa an. 272 (a. C.) floruisse dicitur. Plures alios Pyrrhonis asseclas numerat Diogenes Läertius (6), nullum tamen memoria dignum. Quare ista doctrina, si doctrina appellanda est, cum communi hominum sensu, immo secum ipsa et cum clarissimo lumine evidentiæ perpetuo pugnans, non potuit stabilem sedem obtinere inter Philosophos, quamquam patronos identidem hic illic sortita fuerit (7).

Academici. 30. Scepticam quoque tendentiam secuta est nova, quam vocant, *Academia*, seu secunda et tertia. Tres namque extitere Academiæ, prima vetus a Platone fundata, de qua supra narravimus, altera media, quæ Arcesilam, tertia seu nova, quæ Carneadem agnovit Auctorem.

Triplex Academia: Prima,

Secunda, Arcesilas Pritaneus (circa an. 316), discipulus Cratetis Atheniensis, cui etiam successit in principatu Academiæ, cum

---

(1) *De Vitis Philosophor.* lib. X.

(2) Scripsit hic *Epistolas supra Empedoclem*, et de *Mathematicis* adversus Platonem et Aritotelem.

(3) Tennemann, parag. 157. Bouvier, Op. et loc. cit. chap XIII.

(4) Bouvier, loc. cit.

(5) Tennemann, Bouvier, loc. cit. Gonzalez, par. 89.

(6) Lib. 9.

(7) Vide Bouvier, Op. et loc. cit. chap. XIV: Tennemann, par. 124; Cuevas, Op. cit. dissert. 11, sect. 1, Gonzalez, par. 91.

ferre non posset Zenonis et Chrysippi dogmatismum, in dubium revocavit, omnique argumentorum genere philosophicas omnes assertiones cæpit impugnare; quo in opere tandem eo devenit, ut statueret omnia *incomprehensibilia* esse, nihilque veri a nobis certo cognosci posse: quare prudens esse consilium, ut in omni nostra cognitione assensum firmamve adhæsionem suspendamus. Successores habuit in eadem schola *Lacydam* Cyrenensem, *Evandrum* Focensem et *Hegesinum* Pergamensem, donec

Tertia.

31. *Carneades* Cyrenensis (215 + 130 a. C.) tertiam seu novam instituit Academiam. Hic cum Romam profectus esset legatus, (circa an. 155) magnam ibi admirationem sua eloquentia excitasse dicitur. Diogenem stoicum primo audiit, mox in Academia Hegesino magister successit et invectam ab Arcesila ἀκαταλήψιαν seu impotentiam res, prout sunt, percipiendi propugnavit; addidit tamen posse nos *verisimilitudinem* seu probabilitatem assequi: quare necesse non esse, ut in omnibus judicium suspendatur, sed ubicumque probabilitas occurrat, posse judicari. In quo paululum discrepasse ab Arcesila videtur Carneades. Cæterum notant quidam ἀκαταλήψιαν suam academicos ad doctrinam morum non applicasse (1).

Successores post se reliquit Carneades *Clitomachum* Carthaginensem, et *Philonem* Larissaeum atque *Antiochum* Ascalonitam. Verum hi duo postremi dubio et incomprehensibilitati valedicere primæque Academiæ honorem restituere conati sunt, vel potius et platonicam et peripateticam cum stoica doctrina amplectentes et in concordiam revocantes, viam eclecticismo parasse creduntur (2).

Tertia aetas.

32. Tertia jam ætas græcæ Philosophiæ perstringenda est, quæ ab invecta Romam hellenica sapientia, ad Imperatoris Justiniani usque tempora porrigitur; quam libuit quibusdam *Theosophicam* vocare, propterea quod in illa absoluto cognoscendo adlaboratum est potissimum in Neoplatonica schola (3).

(1) Gonzalez, par. 92. Tennemann, par. 166.-168; Cuevas, dissert. 2, cap. 1 art. 2, part. 11, sect. 2; Bouvier op. et loc. cit. c. XV.

(2) Tennemann, par. 169; Gonzalez, par. 95.

(3) Gonzalez, parag. 27.

Græca sapientia, dum Ptolomæi reges, Alexandri M. successores, in Ægyptum inferre illam conabantur, collecta Alexandriæ celebratissima illa bibliotheca, Romam etiam paulisper aditum sibi parabat. Nec tamen Philosophis facile fuit inter Romuli cives ac posteros sedem figere: «quippe gens ex latronibus et fugitivis orta, rapinis et cædibus assueta, intestinam pacem conservabat bellis externis. Cum vero finitimos populos debellasset, et imperii dilatandi studio teneretur, nihil magis timebat, quam ne Philosophiæ præceptis bellica virtus languesceret (1). Hinc ubi Atheniensium legati urbem adventarunt tres nobilissimi Philosophi, Carneades, Diogenes et Crytolaus, atque ad eos audiendos juventus confluebat, decretum a Senatu, adnitente M. Portio Catone (seniore), ut statim dimitterentur; ne eorum doctrina latius serperet. Irrepit tamen Philosophia, ejusque studio delectati sunt Africanus Major, L. Furius, C. Lælius aliique præstantissimi viri inter antiquos» (2). Lucullus autem, superato Mitridate, et Sylla, post captas Athenas (84 an. a. C.), Romam reduces, secum plurima græcorum Philosophorum volumina comportarunt.

Philosophia apud Romanos.

Quatuor sectæ

Pythagorici,

33. Quatuor potissimum floruere apud Romanos sectæ Philosophorum: Epicurea, Academica, Stoica et Peripatetica; ut omittamus Pythagoricam, ad quam pertinuisse dicuntur poeta Ennius (237 an. a. C.), Publius Nigidius, amicus Ciceronis, aliique, inter quos longe celeberrimus fuit Apollonius ille Thyanæus, qui Nerone imperatore vixit. Hunc magnis laudibus prædicarunt impii hostes Ecclesiæ catholicæ, insignemque dixere virtutibus multisque patratis miraculis, immo etiam Jesu Christo Domino nostro opponere et comparare non erubuerunt. Verum cum tanta illa hujus viri encomia nullo idoneo monumento comprobari potuerint, unumque auctorem habeant Philostratum, qui scripsit vitam Apollonii 200 annos post ipsius mortem, (3) apparuit iterum quam irrito labore

(1) Cfr. Gonzalez Op. et loc. cit. par. 95.

(2) Cuevas Op. et loc. cit. dissert. 2 cap. 2; in procem.; Bouvier. Op. et loc. cit. livr. 4 chap. 2; Gonzalez par. 95.

(3) « Philostrate écrivait la vie de Apollonius 200 ans après sa mort, en se fondant uniquement sur des memoires de Damis, compagnon de voyage du Philosophe, n' offrent aucun caractère de verité. Philostrate tenait ces memoires de l' imperatrice Julie; mais il ne dit

bellum inferatur Ecclesiæ Christi, quæ stat semper stabitque immota columna et firmamentum veritatis (1).

Epicurei.

34. «Philosophia Epicurea sectatores habuit T. Pomponium Atticum, C. Cassium, Cæsaris interfectorem, L. Torquatum et C. Velleium Paterculum, quos inter emicat *T. Lucretius Carus* (an. 95 + 50 a. C.), qui Epicuri doctrinam versibus exornavit; id vero sibi proposuit in scribendo, ut ipse testatur, ut ex hominum cervicibus jugum Religionis excuteret» (2).

Plinius

Epicuream quoque doctrinam mox professi esse dicuntur *C. Plinius secundus*, anno 79 post Christum erumpentibus flammis Vesubii obruptus, *Lucianus* Samosatenus, qui floruit sub Trajano, Dialogosque sale atque impietate plenos conscripsit, *Celsus*, quem Origenes confutavit, et *Diogenes Laertius*, (circa an. 211 P. C.) auctor Operis de *Vitis* ac *Dictis memorabilibus Philosophorum* (3). Quamquam alii opinentur, non satis constare num Celsus et Laërtius fuerint Epicurei (4). Epicureum denique se jactabat *Horatius*, qui non erubuit se dicere «*Epicuri de grege porcum*» (5).

Diogenes Laërtius

Academici.

35. Academiam primam præ cæteris philosophicis sectis amasse dicuntur *Brutus* et *Varro* (116 a. C.) (6) Academiam novam secutus est *M. Tullius Cicero*, qui cum diversarum sectarum magistros audisset, *Philonem* Larissæum Peripateticum, *Phædrum* Epicureum, Stoicos *Diodotum* et *Possidonium* atque *Antiochum* Academicum; omnibus quidem hisce scholis benevolum se præbuit. Academiæ vero secundæ doctrinas cæteris generatim videtur prætulisse, quamquam alios in aliis tractationibus auctores præcipuos duces sequi videatur, in psychologicis Platonem, in moralibus Aristotelem ac Zenonem,

M. T. Cicero

---

point où Julie les avait pris, et ne décrit aucune de ces circonstances qui rendent un fait historique indubitable.» Mons. Bouvier Op. et loc. cit. chap. 3 fine, ubi citatur *Houtteville*, t. 4, p. 292 *Biogr. univ.* art. *Philostrate*.

(1) Bouvier loc. cit., Gonzalez, par. 102.

(2) Cuevas, Op. cit. dissert. 2, cap. 2, par. I. Cfr. Tennemann, par. 181; Gonzalez, par. 97; Bouvier, op. cit. chap. 9.

(3) Bouvier, ibid. Tennemann, loc. cit. in nota.

(4) Tennemann, ib. in nota.

(5) 2. Horatii Flacci.

(6) Bouvier, loc. cit. chap. 4; Gonzalez, par. 98.

in dialecticis et physicis Academicos novos et Stoicos. Quare ita fuit Academicus, ut Ecclecticismum quemdam sectaretur. Scripsit præclarissimos dialogos de rebus philosophicis, Platonem, elegantia dicendi eloquentiaque, proxime secutus (1).

Stoici. Stoicam scholam illustrarunt Romæ præ cæteris L. *Anneus*

Seneca, *Seneca*, patria Cordubensis (3+65 p. C.), Neronis præceptor; *Epithectus* Hieropolitanus ex Phrygia (90 circiter an. p. C.) servus liberti Epaphroditi et familiaris Neronis, qui Domitiano imperatiore Roma ejectus, Nicopolim in Epirum concessit, ibique docuit, Philosophiam; et *M. Aurelius* imperator. Scripsit Seneca multos libros tractatusque morales præclarissimis præceptis refertos, in quibus vestigia christianæ doctrinæ agnoscere necesse est: vitam tamen moresque suos præceptis

Epithectus, illis parum conformes habuisse testatur historia. Epithectus dicitur universam doctrinam moralem ad hoc præceptum compendio contraxisse: SUSTINE, ET ABSTINE, ἀνέχου καὶ ἀπέχου.

Dogmata illius collegit *Flavius Arrianus* Nicomediensis, illius discipulus in *Enchiridio* et *in Diatribis*.

M. Aurelius. M. Aurelius Antoninus Imperator (121 + 180 p. C.) duodecim libros scripsit τῶν εἰς ἑαυτόν, *eorum quæ ad se ipsum pertinent*, in quibus pulcherrima præcepta traduntur ad vitam recte instituendam.

Præter hos fuerunt et alii plures Romæ stoicæ scholæ alumni, *Balbus*, quem sæpe laudat Cicero in suis scriptis, *Cato Uticensis* seu *Junior*, *Athenodorus* Tarsensis amicus Augusti Claudiique præceptor, C. *Musonius Rufus* magister Epithecti, *Annius Cornutus*, aliique plures; nulla enim alia secta tot Romæ nacta est asseclas, quam Epicurea (2).

Peripatetici 36. Peripateticam denique scholam pauci frequentarunt Romani, utpote quorum indoli minus arridebant speculativæ veritatis inquisitiones. Celebriores fuere *Andronicus* Rhodius (80 an. a. C.) qui Romæ libros Stagiritæ primus edidit et

(1) Scripsit Cicero *Quæstiones Academicas*, *Quæstiones Tusculanes*, *De finibus bonor* et *malor. De natura Deorum*, *De Divinatione*, *De Fato*, *De Legibus*, *De Officiis*, *De senectute*, *De Amicitia*, *Somnium Scipionis*, *De Republica* etc. Vide plura de Cicerone apud Gonzalez parag. 98; Bouvier, loc cit chap. V; Cuevas loc. nup. cit. parag. II.

(2) V. Cuevas loc. nup. cit. par. III; Tennemann, par. 182; Gonzalez, par. 99, 100, Bouvier; loc. cit. chap. VI.

exposuit, ob idque primus habetur Aristotelis instaurator, *Cratippus* Mytilenensis, (48. a. C.) cui Tullius Cicero filium Quintum discipulum tradidit, *Nicolaus* Damascenus et *Xenarcus* e Seleucia, qui tempore Augusti Romæ docuerunt, *Alexander* Egeus, Neronis magister aliique (1).

Inter Peripateticos, qui diversis in locis romani imperii floruerunt in hac ætate, laudandi sunt quoque *Alexander* Aphrodisæus, qui sub tempora Alexandri Severi docuit Alexandriæ, *Themistius* Paphlagonius (sæc IV) et *Ammonius*, filius Hermiæ (sæc. V) commentatores Aristotelis, et *Simplicius* (sæc. VI); quamquam tres isti postremi potius *Eclecticismum* videntur sectati esse. Alexander Aphrodisæus, Themistius, Ammonius, Simplicius.

37. Platonis doctrinam in hac eadem ætate professi sunt inter alios *Thrasyllus* dictus *Astronomus*, qui vixit sub Augusto et Tiberio, *Alcinous* (sæc II) auctor *Introductionis* ad doctrinas Platonis, *Theon* Smyrnensis (sæc. II), *Calvisius Taurus* Berytensis (circa an. 139 p. C.), magister Auli Gellii, *L. Apuleius* Medaurensis ex Numidia (anc. irciter 160 A. C.) *Maximus Tyrus* (an. 180 p. C.) Rhetor, *Numenius*, *Plutarchus* Chæronensis ex Bœotia, Ammonii Alexanadrini discipulus, qui scripsit plures tractatus morales ac vitas illustrium virorum, *Galenus*, nobilissimus medicus (natus circa an. 130 p. C.) Pergamensis, qui quartam *Figuram* in Logicam invexit. Platonici. Alcinous, Plutarchus. Galenus.

38. Alia schola sub id tempus Romanum imperium invaserat, Scepticorum, qui veterem Pyrrhonismum voluerunt instaurare. Dux illorum præcipuus fuit *Ænesidemus* (2) Gnosensis ex insula Creta, qui vixit Alexandriæ paulo post Ciceronis tempora, admisit ac propugnavit decem rationes, quibus Pyrrho permotus fuerat ad suspendendum assensum (3), ac præcipue impugnavit realitatem notionis causæ (4). Scripsit *Octo libros pyrrhonicarum rationum*. Sceptici. Ænesidemus.

(1) V. Gonzalez, par. 96; Tennemann, par. 193; Bouvier, loc. cit. chap. VII.

(2) Diogenes Laërtius narrat (lib. IX 115) Aenesidemum fuisse discipulum sceptici Heraclidæ, qui fuit unus de successoribus Timonis sceptici, de quo superius scriptum est.

(3) Tennemann, parag. 186. Illas rationes vid. apud Gonzalez, par. 93.

(4) Tennemann, par. 187.

Ænesidemo successere inter alios empirici *Favorinus* Arelatensis, quem etiam inter Platonicos alii collocant, *Menodotus* Nicomediensis, *Agrippa*, qui decem rationes Pyrrhonis et Ænesidemi pro suspensione judicii ad quinque revocavit (1), ac potissimum

Sextus Empiricus.

Sextus cognominatus *Empiricus* ex medicorum genere, ad quod pertinebat (2). Hic sub finem sæculi II et initio III vixit, et scripsit tres libros de *Hypotyposibus pyrrhonicis*, et undecim *Adversus Mathematicos;* quibus in operibus omnia, quæ in antecessum pro scepticismo allata fuerant, arripiens, scepticum dubium ad omnes prorsus veritates, immo et ad proprium ipsius dubium, extendere videtur (3). Nihilominus tanto conatu parum causæ suæ profuit Sextus, quandoquidem non potuit discipulos ad scepticam scholam adducere.

Hebræi.

39. De Hebræis diximus superius, illos, utcumque traditionem divinam doctrinamque revelatam custodirent, non tamen præformasse antiquioribus temporibus ullum philosophicum systema. At mox, dum in Babylonica servitute versarentur, aliquid ethnicæ fæcis contraxisse videntur ex longa consuetudine cum exteris gentibus, sive in iis quæ spectant ad doctrinam, sive in iis quæ mores respiciunt. Hinc forte repetenda est informis illa mosaicæ legis errorumque permixtio, quæ Samariam occupavit, variæque sectæ, quæ mox pullularunt, in quibus facile est vestigia quædam agnoscere mysticismi orientalis et budhici traditionumque Chaldæarum. Sparsi etiam Judæi per varias regiones Asiæ Minoris, Græciæ atque Ægypti, ubi frequentissimam satisque florentem opibus fundavere coloniam, pronum erat ut multa acciperent ex doctrinis Græcorum, quæ tunc in illis provinciis vigebant, easque cum suis dogmatibus ac traditionibus in unum permiscerent. Idque revera contigit in quibusdam Philosophis judæis, quorum primus fuit *Aristobulus*, qui

(1) Vid. illas apud Tennemann, par. 188; Gonzalez, par. 94.

(2) Medicorum duæ olim distinguebantur sectæ, *Empiricorum* et *Dogmaticorum*. Dogmatici naturam occultasque morborum causas inquirebant. Empirici e converso, neglecta causarum investigatione, observatione atque experientia sola nitebantur.

(3) Gonzalez, par. 94; Tennemann, par. 188 seqq.; Bouvier, loc. cit. chap. X.

vixit Alexandriæ sub Ptolomæo Philometore (1), atque ut doctrinam in sacris Bibliis contentam cum græcæ Philosophiæ dogmatibus conciliaret, aut etiam unam esse probaret, non veritus est etiam ad fabellas fictionesque confugere.

Idem systema doctrinæ eclecticæ, licet honestius, secutus est Philo, qui natus est paucis annis ante Christum Dominum, et vixit Alexandriæ, Moysi cum Platone conciliando intentus (2).

Flavius Josephus (natus an. 37 p. C.) etiam Hebræorum doctrinam spoliis græcæ Philosophiæ vestivit (3), idemque videtur voluisse *Numenius* Apameensis Platonicus, qui eo intendit potissimum, ut Platonem cum Pythagora conciliaret, et utriusque doctrinas perficeret cum religiosis traditionibus ex India et Ægypto derivatis, et sic prima fundamenta jecit Neoplatonismi Alexandrini, quemadmodum videtur Eusebio Cæsariensi (4). Hujus est vox illa: *Platonem aliud non esse, quam Moysem Atticum.*

40. Cum de Hebræorum Philosophia fit sermo, silentio præteriri nequit *Cabala*, seu oralis traditio: quo nomine intelligitur certa ratio secretior et mystica interpretandi divinas litteras, sensusque occultiores ac difficiles inveniendi, ope variarum compositionum aut dissolutionum verborum, syllabarum, litterarum, punctorum atque accentuum; quo etiam pertinet modus mira quædam patrandi, puta curandi morbos, vel dæmones ejiciendi, adhibitis certo quodam pacto textibus Sacræ Scripturæ vel pronuntiato Dei nomine peculiari aliqua ratione. Doctrina hæc, quam antiquissimam quidam putant, concinnata et in ordinem redacta dicitur ab *Akibha* (+ 138 p. C.) et continetur potissimum in libro cui titulus *Jezirah*, qui eidem Akibhæ tribuitur, et in altero *Sohar* conscripto a *Simeone Ben Jochai*, Akibhæ discipulo. Philosophica doctrina cabalistica respicit originem rerum per emanationem a luce quadam primitiva infinita, quam *Ensophen* dicunt, prout fusius

Cabala Judæorum.

(1) Gonzalez, par. 104; Tennemann, par. 196.
(2) Vide Gonzalez, parag. 106; Tennemann, loc. cit. par. 196.
(3) Tennemann, loc. cit.
(4) Apud Gonzalez, par. 114; ubi plura hac de re.

exponit hebræus scriptor Münk (1). Cæterum traditio Cabalæ tam secrete ab alia in aliam generationem transmissa est inter judæos, ut christianis non innotuerit usque ad sæc. XV (2).

Neoplatonismus.

41. Sed jam de *Neoplatonismo* seu *Eclectica* vel *Syncretica* schola narrandum est, cujus origo ex duplici causa repeti potissimum potest. Primo enim mutua dissidia et pugnæ, quibus se invicem vexabant variæ sectæ, arma præbebant scepticis, ut facilius illas impeterent. Deinde etiam christiana religio, quæ totum orbem sensim invaserat, divinaque sua sapientia cœlestem doctrinam spargebat errores ethnicæ Philosophiæ notabat, idolorum cultum vanissimum ostendebat, moresque sanctissimos et exemplo vitæ cultorum suorum et sermone eloquentissime docebat, ut timendum revera Philosophis esset, ne magis in dies magisque Græcorum sapientia vilesceret apud omnes gentes, ac penitus desereretur (3). Quare ut huic malo, quod sibi imminebat, occurrerent, decreverunt Philosophi ex diversis sectis, excepta epicurea, optima quæque, et adversariorum telis minus patentia, *seligere* atque in unum corpus *colligere:* unde illorum ratio philosophandi *Eclecticismus* et *Syncretismus*, seu electionis et collectionis systema vocata est, ipsi vero *Eclectici*. At quoniam in hac collectione doctrinæ Platonicæ, Aristotelicæ, Pythagoricæ et Stoicæ, prævaluit præ cæteris primasque habuit Platonica, systema Eclecticismi vocatum etiam est Neoplatonismus, quod nomen longe est aptius nomine *Philosophiæ Alexandrinæ*, quo etiam appellatum est, quia nec omnes sapientes Alexandriæ Neoplatonismum secuti sunt, nec Alexandriæ dumtaxat Neoplatonismus sectatores habuit. Cæterum Neoplatonismus accepit etiam cognomen *enthusiastici*, (4) quia Philosophi hujus scholæ non raro jactabant inspirationem quamdam ac revelationem cælestem doctrinæ, quam tradebant,

(1) Apud Gonzalez, t. 2, par. 99; Cfr. Tennemann, par. 198; Bouvier, Op. cit. liv. 1 chap. VI.

(2) Tennemann, loc. nup. cit.

(3) V. Cuevas, Op. cit. dissert. 3 cap. unic.; Bouvier, Op. cit. et loc. chap. XII. His causis Neoplatonismi alias adjungit Tennemann, par. 201.

(4) Vox enim græca, ἐνθουσιασμός. ut notum est, *afflatum divinum* sonat.

ut nempe facilius aliis eam persuaderent, tamquam viri divino numine afflati (1). Hæc ergo est indoles neoplatonici Eclecticismi, ut philosophicis doctrinis theosophicum mysticismum immo et magica ac theurgica secreta permisceat. «Hujus Philosophiæ auctor fuisse dicitur *Potamon* Alexandrimus (2) qui haud ita pridem, ut suo tempore testatur Laërtius (3), de singulis sectis, quæ sibi placuere, selegerat; cui successit popularis ejusdem *Ammonius Saccas* (4) imperante Commodo. Hic cum a christiana Religione defecisset (5), Philosophiam docuit multos discipulos, quorum principes extitere *Longinus, Herennius* et *Plotinus*» (6). Longinus circa initium sæculi III natus, vir eruditissimus et eloquens, scripsit tractatum de *Sublimi*, cujus pars tantum ad nos pervenit. Inter cæteros ejus discipulos principem locum obtinent *Zenobia*, regina Palmirensis, quam græcas ille litteras docuit, et Malchus, quem ipse nominavit *Porphyrium*. Longinus.

Hic est Porphyrius ille Syrus vel Tyrius, ut alii volunt, religionis christianæ impudentissimus desertor (7), qui natus circa annum 232 vel 233, primum Longini Athenis, mox Plotini auditor fuit Romæ, atque infensissimum bellum gessit contra Ecclesiam Christi: quem propterea S. Methodius, Eusebius Cæsariensis, alii PP. etscriptores tamquam periculosum hostem confutarunt. Scripsit Commentarios *Timæi* Pla- Porphyrius.

(1) Bouvier, loc. cit.; Tennemann, par. 201; Cuevas, dissert. 3.ª

(2) Secundum opinionem forte probabiliorem floruit hic sub finem sæcu. II.ⁱ et initium III.ⁱ Vid. Bouvier, op. et loc. cit. chap. XII.

(3) Lib. 1 cap. 21.

(4) Fuit hic Alexandrinus, diversus ab alio Ammonio, quem superius memoravimus, Aristotelis commentatore; dictus vero fuerat Saccas, quia junior ob suam indigentiam vitam alere debuit in officio bajuli.

(5) Ita refert Porphyrius, quamquam Eusebius Cæsariensis e contrario scribat Ammonium ex ethnico christianum factum fuisse. Sed probabilius videtur, quod Porphyrius narrat, quemadmodum probat Gonzalez paragr. 114.

(6) Cuevas, lot. nup. cit.

(7) Utraque forte hæc opinio conciliatur, si verum est, quod Tennemann scribit (parag. 216), Porphyrium natum esse in Syria in urbe Batanea, quæ colonia erat Tyriorum.

tonis, et Introductionem seu Ισαγώγην in Aristotelis Dialecticam, aliaque multa opera quæ periere (1).

Plotinus

42. Plotinus Lycopoli in Ægypto natus (an. 205 + 270) est unus e celeberrimis Philosophis hujus ætatis, et princeps scholæ Neoplatonicæ. Docuit Romæ, habuitque plurimos discipulos, qui undique ad illum audiendum confluebant. Tota Plotini doctrina innititur Pantheismo reali emanationis simul et ideali. Ejus scripta digessit carissimus discipulus et familiaris Porphyrius, atque in sex *Enneades* seu tractatus divisit, quorum singuli libros continent novem (2): eademque e græco transtulit in latinum sæc. XV Marsilius Ficinus.

43. Alter ex præcipuis Neoplatonicis fuit *Jamblicus*, natus Chalcide in Cælesyria, discipulus Porphyrii, acerrimus et ipse hostis christianæ religionis, quam, exemplum secutus magistri sui, impudentissimis mendaciis et calumniis exagitavit. Scripsit vitam Pythagoræ, quem tamquam sanctum ac miraculorum patratorem venditat, immo et Jesu Christo Domino nostro, opponere ausus est: itemque de *Mysteriis ægyptiorum, de Generali Mathematum scientia, et Adhortationem ad Philosophiam*. In hujus viri operibus continetur jam diu præformata doctrina recentiorum *Spiritistarum*. Mortus est anno 333 multis post se relictis discipulis et asseclis, in quibus nominandi præcipue sunt *Ædisius* Cappadox, ejus successor, cujus mox locum tenuit *Eustathus*, *Sosipater*, hujusque uxor et filius *Antonius*, *Maximus* Ephesinus, et ejus discipulus *Julianus Apostata* (+ 365), *Sallustius*, *Chrysanthus* et *Eunapus* (3) Sardicensis, *Hierocles*, *Olympiodorus*, *Themistius* Paphlagoniensis, (sæc. IV) Aristotelis commentator, Macrobius, auctor *Saturnalium* aliique (4). Hi auctores Neoplatonismum docuerant Romæ et Alexandriæ; sed finito IV.° sæculo, Athenis

Julianus Apostata

(1) Vide plura apud Conimbricenses, op. cit. Dialectica, *Commentarii in Isagogen Porphyrii*, Procem, Toletum in *Procem.* in *Porphyrii Quinque Prædicabilia*; Bouvier, loc. cit.; Gonzalez, par. 117.

(2) V. Cuevas loc. cit.; Gonzalez, par. 115, 116; Tennemann, par. 203, 216; Bouvier, chap. XIII.

(3) Scripsit *Vitas Philosophorum et sophistarum*.

(4) Gonzalez, par. 118; Tennemann, par. 218; Bouvier, loc. cit. chap. XII.

principem suam sedem stabilivit hæc philosophandi ratio. Licet enim Hadrianus et Marcus Aurelius in hac urbe sectis omnibus scholas aperuerant, eæque aliquandiu suas quæque doctrinas tradiderant, mox tamen Syncretismus, qui Alexandriam occupaverat, Athenas quoque ob easdem causas invasit. Itaque *Plutarchus*, Nestorii filius, Atheniensis (natus an. 350+450) docuit primus in patria sua *theurgicum* Eclecticismum. Eidem successit discipulus *Syrianus* Alexandrinus (350-430), cui varia tribuuntur opera, de *Republica Platonis*, de *Theologia Orphei*, de *Diis Homeri*, ac de *Consensu inter Orpheum, Pythagoram et Platonem*. Verum princeps Atheniensis Neoplatonismi fuit

Proclus

44. *Proclus* cognominatus *Diadochus*. Hic natus Lyciæ vel Byzantii anno 412, litteris operam dedit primum Alexandriæ sub Olympiodoro, mox Romæ, ac demum Athenis, ubi audivit Plutarchum, ejus filiam *Asclepigeniam* et *Syrianum*, a quo etiam electus fuit, ut sibi succederet in principatu Platonicæ scholæ Athenarum. Nemo fuit illo aptior ad ecclecticam diversarum sectarum conciliationem perficiendam, nemo superstitionibus Neoplatonismi magis addictus. Plura scripsit opera, quorum nonnulla periere, sed præcipuam merentur memoriam *commentarium in Alcibiadem Platonis*, cujus duæ partes *De anima* ac *Dæmone* et *de Sacrificiis* et *Magia* latine in lucem editæ sunt a Marsilio Ficino, in *Theologiam Platonis*, *commentarium* in *Platonis Timæum* etc. Proclo etiam tribuitur a S. Thoma notissimus liber *de Causis*, qui tanti factus est in medio ævo, et præstantissimis commentariis illustrari meruit ab eodem Angelico Doctore aliisque illius ætatis scriptoribus.

Inter Procli discipulos et asseclas recensendi sunt præter fœminas, *Hippatiam*, quæ publice docuit Philosophiam Alexandriæ magno cum plausu, *Sosipatram* et *Ædesiam*, *Marinus*, qui vitam scripsit magistri sui, plenam fabellis, eidemque succesit, et *Isidorus* Gazensis, *Heliodorus* et *Ammonius*, filii Hermiæ, quorum postremus Aristotelem commentatus est (sæc. V.), *Damascius*, auditor Marini, Isidori et Ammonii, et *Simplicius* e Cilicia (circa sæc. VI) Ammonii ac Damascii discipulus, atque Aristotelis commentator. Cum Damascius doceret Athenis, Justiniani Imperatoris edicto clausa est (an. 529) schola Neoplatonica illius urbis, ipso Damascio, Isidoro

Ammonius.

Simplicius.

et Simplicio confugientibus in Persidem, et sic cito ethnica Philosophia evanuit (1).

Falsa deprehenditur lex indefiniti progressus.

45. Ex hac brevi philosophicæ historiæ recensione duo statim colligere licet: primum falsam prorsus et commentitiam esse jactatam illam a multis neotericis humanæ mentis legem, qua continua et indefinita progressione contendat ad veritatis ac virtutis fastigium. Philosophia enim a Thalete usque ad Socratem modo procedit, modo regreditur in veri semita; nunc certa dogmata, nunc profitetur scepticum dubium; tum Deum a mundo dividit, tum utrumque confundit ac permiscet. Quod si repente ad maximam evehitur perfectionem sub Platone et Aristotele, mox declinat sub Epicuro, Zenone et insequentibus Philosophis, ac misere extinguitur in Eclecticorum gymnasiis.

Infirmitas virium humanarum.

Deinde illud liquido ostendit ethnicorum Philosophia, quantis valeat viribus humana ratio, si modo revelationis divinæ lumine destituatur. «Et sane, præclare, inquit SSmus. Dominus Noster Leo XIII, Philosophorum veterum, qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi, in pluribus deterrime errarunt. Nostis enim, inter nonnulla vera, quam sæpe falsa et absona, quam multa incerta et dubia tradiderunt de vera divinitatis ratione, de prima rerum origine, de mundi gubernatione, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis, æternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certaque notitia nihil magis est hominum generi necessarium» (2).

Institutio Ecclesiæ.

46. Interea dum istæ, quas hactemus enumeravimus, philosophicæ scholæ sensim declinabant, Verbum divinum, sapientia increata, humanam assumens carnem, descendit in terram, ut homines in tenebris et umbra mortis sedentes erigeret ac cœlesti doctrina erudiret. Et hæc quidem divina Philosophia a Christo Domino nostro tradita, ac dein per Apostolos ac discipulos tanti magistri promulgata, non solum mysteria humanæ menti impervia, sed alias quoque plurimas

(1) Bouvier, chap. XIII; Gonzalez, paragr. 119; Tennemann, par. pag. 221.

(2) SSmi. D. N. Leonis XIII Epist. Encycl. *Æterni Patris*.

veritates naturalis ordinis sive speculativas sive practicas continebat, a quibus Philosophi ethnici turpissime aberraverant; tantamque illico efficacitatem ac virtutem patefecit, ut de omnibus calumniis illorum, impugnationibusque omnis generis, ac de Romanorum Imperatorum potentia tandem triumpharit, immo vero in omnes philosophicas scholas actionem suam exercuerit. Vix enim ulla extitit post institutam a Christo Domino Ecclesiam secta, in qua non detegantur vestigia doctrinæ illius ab increata sapientia de cælo nobis allatæ.

Et initio quidem cultores christianæ doctrinæ homines fuere rudes atque illiterati, *infirma enim mundi elegit Deus, ut fortia quæque* confunderet (1). Præterea Patres primi sæculi, ut ex eorum Epistolis a Cotelerio editis infertur, nullum præsidium ad propagandam defendendamque Religionem christianam in Philosophia quæsivere: id quod, ut observat Origenes (2), sapientissimo consilio a Deo provisum est, ut ne divina Religio ullis humanæ sapientiæ argumentis innixa videretur. At postea etiam eruditi viri et Philosophi cælestem doctrinam amplexi sunt, ut S. Justinus M., Athenagoras, Aristides, Clemens Alexandrinus, Tertullianus aliique, qui scriptis suis inanium deorum cultum irriserunt, errores gentilium confutarunt, veram sapientiam exposuerunt, Fidemque Christi ab adversariorum calumniis vindicarunt. Quo in opere, licet Patres Ecclesiæ aliquando acerbius vel contra insigniores antiquitatis Philosophos, ac nominatim contra Platonem (3) et Aristotelem (4) pro temporum adjunctis scripserint; iidem tamen alias non dubitarunt plura, quæ ab ethnicis, ipso naturæ lumine duce, vere sapienterque dicta fuissent, decerpere, atque in revelatæ doctrinæ commodum utilitatemque convertere. Hujus

(1) Epist. I ad Cor. c. 1. v. 27.

(2) *Contr. Celsum* lib. 3 cap. 39.

(3) Vide Tertullian. *De Anim.* Cap. 2. ubi «Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum» esse scribit. Cfr. Ern. Salam. Cyprianum Diatriba, qua *expenditur illud Tertulliani* «**Hæreticorum patriarcha Philosophi,**» et Sanseverin, *Elementa Philos. christianæ cum antiqua et nova comparata*, Vol. 1, *Epitome Hist. Phil.* p. XIII, in not.

(4) Tertulliam., S. Gregor. Nazianz. et S. Epiphan. apud P. Petrum Fonseca, op. cit. procem. Cap. 5.

Incunabula christianæ Philosophiæ.

rei sancti illi Doctores «formam quamdam... et prope figuram agnoscunt in Hebræorum facto, qui Ægypto excessuri, deferre secum jussi sunt argentea atque aurea Ægyptiorum vasa cum vestibus pretiosis, ut scilicet, mutato repente usu, religioni veri Numinis ea supellex dedicaretur, quæ prius ignominiosis ritibus et superstitioni inservierat. Gregorius Neocæsariensis (1) laudat Origenem hoc nomine, quod plura ex ethnicorum placitis ingeniose decerpta, quasi erepta hostibus tela, in patrocinium christianæ sapientiæ et perniciem superstitionis singulari dexteritate retorserit. Et parem disputandi morem cum Gregorius Nazianzenus (2), tum Gregorius Nyssenus (3) in Basilio Magno et laudant et probant; Hieronymus vero magnopere commendat in Quadrato Apostolorum discipulo, in Aristide, in Justino, in Ireneo, aliisque permultis (4). Augustinus autem (5), *Nonne aspicimus*, inquit, *quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus, doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorianus, Optatus, Hilarius? ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci?* (6).

Videlicet «primi Ecclesiæ Patres et Doctores, qui satis intellexerant ex divinæ voluntatis consilio, restitutorem humanæ etiam scientiæ esse Christum, qui Dei virtus est Deique sapientia (7), et in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (8), veterum sapientum libros investigandos, eorumque sententias cum revelatis doctrinis conferendas suscepere: prudentique delectu, quæ in illis vere dicta et sapienter cogitata occurrerent, amplexi sunt, cæteris omnibus vel emmendatis, vel rejectis. Nam providissimus Deus, sicut ad Ecclesiæ defensionem martyres fortissimos, magnæ animæ prodigos, contra tyrannorum sævitiem excitavit, ita philosophis

(1) *Orat. panægyr. ad Orig.*
(2) *Vit. Moys.*
(3) *Carm. 1 Jam. 3.*
(4) *Epist. ad Magn.*
(5) *De Doctri christ.* lib. 2, cap. 40.
(6) SSmi. Domini Nostri Leonis XIII Epist. Encycl. *Æterni Patris.*
(7) I Cor. c. 1. v. 24.
(8) Coloss. cap. 2, v. 3.

falsi nominis aut hæreticis viros sapientia maximos obiecit, qui revelatarum veritatum thesaurum, etiam rationis humanæ præsidio tuerentur. Itaque ab ipsis Ecclesiæ primordiis catholica doctrina eos nacta est adversarios multo infensissimos, qui christianorum dogmata et instituta irridentes, ponebant plures esse deos, mundi materiam principio causaque caruisse, rerumque cursum cæca quadam vi et fatali contineri necessitate, non divinæ providentiæ consilio administrari. Jam vero cum his insanientis doctrinæ magistris mature congressi sunt sapientes viri, quos Apologetas nominamus, qui, fide præeunte, ab humana quoque sapientia argumenta sumpserunt, quibus constituerent, unum Deum, omni perfectionum genere præstantissimum esse colendum; res omnes e nihilo omnipotenti virtute productas, illius sapientia vigere, singulasque ad proprios fines dirigi ac moveri. — Principem inter illos sibi locum vindicat *S. Justinus* martyr, qui posteaquam celeberrimas græcorum Academias, quasi experiendo, lustrasset, plenoque ore nonnisi ex revelatis doctrinis, ut idem ipse fatetur, veritatem hauriri posse pervidisset, illas toto animi ardore complexus, calumniis purgavit, penes Romanorum Imperatores acriter copioseque defendit, et non pauca græcorum philosophorum dicta cum eis composuit. Quod et *Quadratus* et *Aristides*, *Hermias* et *Athenagoras* per illud tempus egregie præstiterunt. — Neque minorem in eadem causa gloriam adeptus est Irenaeus martyr invictus, Ecclesiæ Lugdunensis Pontifex: qui cum strenue refutaret perversas orientalium opiniones, Gnosticorum opera per fines romani imperii disseminatas, origines hæreseon singularum (auctore Hieronymo), et ex quibus philosophorum fontibus emanarint..... explicavit (1). Nemo autem non novit *Clementis Alexandrini* disputationes, quas idem Hieronymus sic, honoris causa, commemorat: «*Quid in illis indoctum? imo quid non de media philosophia est?*» (2). Multa ipse quidem incredibili varietate disseruit ad condendam philosophiæ historiam, ad artem dialecticam rite exercendam, ad concordiam rationis cum fide conciliandam utilissima. Hunc secutus *Origenes* scholæ Alexandrinæ magi-

(1) *Epist. ad Magn.*
(2) Loc. cit.

sterio insignis, græcorum et orientalium doctrinis eruditissimus, perplura eademque laboriosa edidit volumina, divinis litteris explanandis, sacrisque dogmatibus illustrandis mirabiliter opportuna: quæ licet erroribus, saltem ut nunc extant, omnino non vacent, magnam tamen complectuntur vim sententiarum, quibus naturales veritates et numero et firmitate augentur. Pugnat cum hæreticis *Tertullianus* auctoritate sacrarum Litterarum; cum Philosophis, mutato armorum genere, philosophice; hos autem tam acute et erudite convincit, ut iisdem palam fidenterque obiiciat: *Neque de scientia, neque de disciplina, ut putatis, æquamur* (1). *Arnobius* etiam vulgatis adversus gentiles libris, et Lactantius *divinis* præsertim *Institutionibus*, pari eloquentia et robore dogmata ac præcepta catholicæ sapientiæ persuadere hominibus strenue nituntur, non sic philosophiam evertentes, ut Academici solent (2), sed partim suis armis, partim vero ex philosophorum inter se concertatione sumptis eos revincentes (3). Quæ autem de anima humana, de divinis attributis, aliisque maximi momenti quæstionibus, magnus *Athanasius* et *Chrysostomus*, oratorum princeps, scripta reliquerunt, ita, omnium judicio, excellunt, ut prope nihil ad illorum subtilitatem et copiam addi posse videatur. Et ne singulis recensendis nimii simus, summorum numero virorum quorum est mentio facta, adiungimus *Basilium* magnum et utrumque *Gregorium*, qui cum Athenis, ex domicilio totius humanitatis exiissent philosophiæ omnis apparatu affatim instructi, quas sibi quisque doctrinæ opes inflammato studio pepererat, eas ad hæreticos refutandos, instituendosque christianos converterunt. Sed omnibus veluti palmam præripuisse visus est *Augustinus*, qui ingenio præpotens, et sacris profanisque disciplinis ad plenum imbutus, contra omnes suæ ætatis errores acerrime dimicavit fide summa, doctrina pari. Quem ille philosophiæ locum non attigit? imo vero, quem non diligentissime investigavit, sive cum altissima fidei mysteria et fidelibus aperiret, et contra adversariorum vesanos impetus defenderet,

(1) *Apologet.* paragr. 46.
(2) *Inst.* VII, cap. 7.
(3) *De Opific. Dei*, cap. 21.

sive cum, Academicorum aut Manichaeorum commentis deletis, humanæ scientiæ fundamenta et firmitudinem in tuto collocavit, aut malorum, quibus premuntur homines, rationem et originem et causas est persecutus? Quanta de Angelis, de anima, de mente humana, de voluntate et libero arbitrio, de religione et de beata vita, de tempore et æternitate, de ipsa quoque mutabilium corporum natura subtilissime disputavit?» (1). Circa idem tempus videtur etiam floruisse *Nemesius*, quem multi putant fuisse episcopum Emesanum in Phœnicia, auctor Operis non vulgaris de *Natura hominis* (2); et vulgatus *Dionysius Areopagita*, cujus præstantissima opera, licet præclarissimam doctrinam contineant, stilum tamen formamque loquendi neoplatonicam redolent. Huius Doctoris librum de Divinis Nominibus insigni Commentario illustravit S. Thomas (3).

Cæterum veteres Ecclesiæ Patres non eo consilio Philosophiam excoluerunt, ut novam aliquam sectam instituerent, sed ut illam in Religionis subsidium adhiberent. Quamobrem nec etiam ulli scholæ sic addicti erant, ut ab alterius cujusvis scholæ placitis abhorrerent, sed quidquid illi contrarium noverant, respuebant (4). Videlicet eam philosophandi normam sectati sunt, quam eclecticam in recto sensu dicere licet; non quidem methodum illam eclecticam Neoplatonicam Cousinianamve, quæ omnia Philosophorum systemata in concordiam adducere conatur, sed illam, quæ, quidquid verum et vero cohærens detegit, apud quamcumque sectam reperiatur,

---

(1) SSmus. Dnus. Noster Leo XIII. loc. cit.

(2) Vide Gonzalez, t. 2 parag. 14

(3) Disputant critici de Auctore Operum quæ sub nomine S. Dionysi Aræopagitæ celebrantur. Quicumque ille fuerit, certum est illa opera conscripta fuisse ante sæc. V.^{m}

(4) Patres late diserteque notarunt gravissimos, in quos impegit graeca Philosophia, errores: qua de re lege Clem. Alexandr. *Stromat.* lib. 6, cap. 5 et alias passim; Origen. *Contr. Celsum*, lib. 6 saepe; S. Augustin, qui id praestitit (lib. 8 *de Civit. Dei* cap. 41) omnes Philosophorum sectas recensendo. Ac nominatim errores quos in Platonis Philosophia notavit S. Augustinus, vide apud Andream Martin (*Philos S. August.* edit. Fabre. pars 1.ª cap. 15-25, Paris 1863.) Cfr. Degerand, auctor certe non suspectus (*Hist. compar. des Systèmes* de *Philos.* chap. 22, t. 4 p. 16, Paris 1822.)

arripit. «*Philosophiam autem*, inquit Clemens Alexandrinus, *non dico Stoicam, nec Platonicam aut Epicuream, et Aristotelicam; sed quæcumque ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum dico Philosophiam*» (1). Falso ergo summaque injuria quidam historiæ Philosophiæ scriptores, ac potissimum protestantes, quibus inter catholicos Günther (2) ejusque asseclæ adstipulati sunt, Platonismi notam plerisque Patribus inusserunt (3).

Gnostici.

47. Dum præstantissimam hanc operam ponebant Patres, ex doctrina Ecclesiæ perperam intellecta et cum erroribus ac dogmatiso rientalium, ægyptiorum græcorumque Philosophorum, ac nominatim Philonis, permixta, hæreticæ sectæ *Gnosticorum* nascebantur, qui id nomen accepere a *gnosi* (γνῶσι) seu scientia secretiori et perfectiori divinæ naturæ rerumque originis, quam se assecutos esse jactabant ex primitiva quadam traditione occultiori, quæ ab Apostolis facta fuisset paucis christianis e tota multitudine electis.

Basilides.

Horum semina errorum primus videtur jecisse *Maenander* Samaritanus, discipulus Simonis Magi, primo Ecclesiæ sæculo. Hujus discipulus *Saturninus* Antiochenus, *Basilides* Alexandrinus, *Carpocrates* et ejus filius *Epiphanes* Alexandrini sparserunt gnostica dogmata triginta prioribus annis imperii Hadriani; et paulo post *Valentinus* Alexandrinus idem systema sub nova forma proposuit, (4) quem secuti sunt discipuli *Heraclion*, *Secundus*, *Marcus* et alii. Gnosticis quoque

Valentinus.

---

(1) *Stromat*, lib. 1. cap. 7. Cfr. S. Justin *Dial. cum Triphon.*, cap. 2; Orig. *Epist, ad Gregor*; S. August. *de Civit. Dei* lib. 8, cap. 9.

(2) *Lydia*, pag. 72 Vindob. 1849.

(3) Qua de re vide Baltus, *Défense des SS. Père accusés de Platonisme*, Paris 1766; *Histoire critique de l' Eclétícisme*, Paris 1711; Roesler *Dissertatio de originibus philosophiæ ecclesiasticæ*, Tubingæ 1781; *De Doctoribus veteris Ecclesiæ culpa corruptæ per Platonicas sententias theologiæ liberandis*, Comment, XXII. *Proœm.* et Comment. 1.^{um} inter *Opuscul. Academic. collécta a Goldhorn*, sect., post. Lypsiæ, 1821; *La scienza et la Fede*, serie 1.^{a} p. 393 etc. citata a Mons. Salvatore Talamo *L' Aristotelismo della Scolastica, Introduzione* pag. XXVII, 3.^{a} edizione Siéna 1881; Cfr. etiam Sanseverino *Element. Philos. christianæ*, loc. nup. cit.

(4) Affinitatem Valentinianæ doctrinæ cum Pantheismi idealis deliriis expendit Em. Card. Gonzalez, Op. cit. tom. 1, paragr. 113.

accensentur *Cerdo*, Saturnini auditor, et *Bardesanes* Syri (medio sæc. II) et *Marcio* Paphlagonius (med. sæc. II) ejusque discipulus *Apelles* et Persa *Manes* (sæc. III), auctor Manichæismi (1). Hi errores, qui sub variis formis sæpius recocti, diu Ecclesiam Christi vexarunt, a pluribus Patribus egregie confutati sunt, ac nominatim a Clemente Alex, Origene, Irenæo, Theodoreto, Epiphanio, Tertulliano atque Augustino. Manes.

48. Ecce autem sæculo V, barbaris imperium romanum occupantibus vastantibusque, litteræ atque scientiæ maximam cladem passæ sunt. Nonnulli tamen adhuc floruere viri laude doctrinæ conspicui, in quibus principem locum obtinuere sæc. V *Claudianus Mamertus*, sacerdos Viennensis in Gallia (post med. sæc. V) qui libros tres scripsit de *Statu Animæ*, ut errores Fausti Rhegiensis Semipelagiani refelleret; et *Marianus Capella* in suo *Satyrico* (2), atque *Anitius Maulius* Severinus Boëtius, romanus patritius (n. circa an. 470+525) et præclarus Philosophus christianus, qui ob affectatæ libertatis suspicionem a Theodorico, rege Italiæ, cujus prius fuerat Administer, custodiæ traditus, in qua plura scripsit opera: *Commentaria in prædicamenta Aristotelis; Commentaria minora et maiora in librum de Interpretatione, Analyticorum Priorum et Posteriorum, De Unitate et Uno, De Consolatione Philosophiæ;* ac postea jussu regis dire occisus est. Scripsit præterea duos alios tractatus, de *Trinitate et de Hebdomadibus*, qui ab Angelico Doctore luculentissima expositione declarati sunt (3). Claudianus. Boëtius

49. Böetium secutus est Magnus Aurelius Casiodorus Squillacensis e Calabria (n. 480 circiter+575), qui scripsit, inter alia opera, *De anima* et *de Artibus et disciplinis liberalium litterarum*, quo in tractatu agit de tribus artibus vel scientiis *sermocinalibus*, *Grammatica* nempe, *Rhetorica* et *Dialectica*, quæ componunt notissimum illud veterum *Trivium*, Casiodorus.

(1) Gonzalez, tom. 1 par. 108; Bouvier, loc. cit. chap. III; Tennemann, par. 199; Alzog. *Histoire de l' Eglise... traduite sur la 3.me édition par Isidore Goschler, Première Periode, Deuxieme Partie*, chap. II; Darras, *Historia de la Iglesia...* traducida por el Dr. Frey Don Pedro M.ª de Torrecilla, tom. 1 cap. 4.

(2) *Satyricon* sive *de Nuptiis inter Philologiam* et *Mercurium et de septem artibus liberalibus*, studio Frid. Kopp. Francf. 1836.

(3) Gonzalez, t. 2. parag. 20-21; Bouvier loc. cit. chap. VII.

ac de quatuor scientiis *realibus*, *Arithmetica*, *Geometria*, *Musica*, et *Astronomia*, ex quibus *Quatrivium* coalescit.

S. Isidorus hispalensis.

50. Sanctus «Isidorus hispalensis Antistes, (+ 636) suæ ætatis sapientissimus, universam fere veterum sapientiam libris suis complexus est, præsertim libris *Sententiarum*, *Differentiarum*, *de Natura rerum* et præcipue in *Etymologiis*, floruit sæculis sexto et septimo» (1). Scholam instituit Hispali, in qua non solum *Trivium* et *Quatrivium* docebatur, quibus fere absolvebatur studiorum cursus in ea ætate fieri solitus, sed præteræ lingua hebraica et græca, Geographia, Jus, aliæque disciplinæ (2). Ad hujus exemplum alibi quoque apertæ sunt scholæ, Toleti, Cæsaraugustæ, Barcinone, Bracharæ, Cordubæ, Vici, aliisque in urbibus; et illustria nomina *S. Brauli*, Cæsaraugustani, et SS. *Ildephonsi ac Juliani* episcoporum Toletanorum, *Itacii* Barcinonensis, *Conantii* Palentini et *Fructuosi* Bracharensis, manifeste produnt, quantum debuerint S. Isidoro litteræ scientiæque in Hispania. Scholæ illæ adhuc post Arabum irruptionem totiusque fere regni occupationem floruerunt.

Quod in Hispania effecit S. Isidorus, Claudianus Mamertus in Gallia, Böetius et Casiodorus in Italia, idem præstitere in Anglia et Germania *Venerabilis Beda* (n. [673 + 735) (3) *Alcuinus* (n. 735 + 804) quem Carolus Magnus e Britanniæ finibus in Galliam accersivit.

Ven. Beda, Alcuinus.

51. Per Orientem post clausas Athenis decreto Justiniani Philosophorum scholas floruere *Joannes Philoponus* (+ 608 circiter) qui Alexandriæ docebat, cum capta hæc urbs fuit a Saracenis, anno 640, et commentarios scripsit Aristotelis; *S. Joannes Damascenus* (n. 676 + 754), (4) *Michäel Psellus* (5)

Philoponus.

S. Jo. Damascenus.

(1) Cuevas, op. cit. lib. II, dissert. 2 cap. I, art. 2.

(2) Gonzalez, parag. 24.

(3) Scripsit inter alia multa opera, *Commentarium* in Böetii opus de *Consolatione Philos.*: *Libros quatuor de Philosophia, Sententias* ex *operibus Aristotelis et Ciceronis*, *Axiomata Aristotelis*.

(4) Scripsit inter alia opera *Capita philosophica*, quæ *Dialecticam* ex Aristotelis Organo decerptam continent, et dissertationes *de animæ partibus tribus*, *virtutibus quatuor et de facultatibus* (opp. ed. Lequien, Paris 1712.)

(5) Natus sæc. VIII desinente, vel IX ineunte.

et *Photius*, Constantinopolitanus Patriarcha (n. 858 + 891), auctor schismatis seu separationis Ecclesiæ græcæ a latina. Atque ita longo labore Patrum et scriptorum ecclesiasticorum *Philosophia christiana* stabilita est, quæ postea summum incrementum atque splendorem nacta est a Sholasticis: illa nempe philosophia quæ veritates a Deo revelatas præ oculis habens nihil amplectitur, quod iisdem vel minimum repugnare valeat, sed prætermissis tamquam suo instituto alienis iis, quæ rationis humanæ captum superant, in reliquis omnia resolvit secundum lumen rectæ rationis et secundum auctoritatem Dei vel Ecclesiæ, ubicumque divina providentia ad humanæ imbecillitatis subsidium aliquid docere dignata sit, etiam eorum, quæ per se intellectus nostri vires minime transcendunt. Photius. Philosophia christiana

Novi profecto haud bene sonare castissimis auribus quorumdam rationalistarum nomen christianæ Philosophiæ (1). Verum quid, quæso, absurdi est in eo cognomine, quod nomini Philosophiæ additum, nihil aliud exprimit nisi quod eam, quantum humanæ sapientiæ licet, ab omni errore liberet, maximoque veritatum præstantissimarum thesauro ditet? Quid enim aliud est chistiana Philosophia, ut ex ejusdem notione patet, nisi scientia divinæ sapientiæ et clypeo circumdata et lumine illustrata, ut in plurimos errores, in quos omnes Philosophorum sectæ inciderunt, non impingat, plurimasque, quas illi attingere nequiverunt, veritates assequatur?

52. Sed antequam ad *Scholasticos* deveniamus, aliquid etiam dicendum est de Arabibus Philosophis. Studium scientiarum apud Arabes debetur Principibus generis Abissidarum ac nominatim *Al Manzori* (2) *Al-Mohdi* (+ 784), *Harouni al Raschid* (3), *Al-Mamouni* (4) et *Motasem* (+ 84) qui et græca opera in arabicum sermonem convertenda curarunt, et scholas aperuerunt et libros undique, studentium commodo, colle- Arabum Philosophia.

(1) Vid. v. g. Feuerbach, *Philosophie und Christenthum.* pag. 31, Leipzig 1839.

(2) Hic regnavit ab an. 753 ad 775.

(3) Regnavit ab an. 786 ad 808.

(4) Regnavit ab an. 813 ad 833.

gerunt (1). Arabes coluerunt Philosophiam, Mathesin et Medicinam; et Philosophi quidem Aristotelem potissimum ducem secuti sunt cum ejus antiquioribus commentatoribus usque ad Joannem Philoponum. Præ cæteris autem nominari merentur

Al Kendi, Al Kendi (Abu Yusuf Ebu Eschak *Al Kendi*) medicus et vir, judicio Casirii (2), multiplici eruditione clarus (3); *Alpha-*

Alpharabius, *rabius* (Abu Nasr Mahommed Ebu Tarcan *Al Farabi*+circa ann. 950), non raro laudatus a Scholasticis; qui fere omnia opera Aristotelis, ac præcipue logica, commentatus est, aliaque

Avicenna, scripsit opera: *Avicenna* (Abu Ali al Hosain *Ebn Sina)* celeberrimus inter arabes medicos (n. circa 980+1036), et Aristotelis, Hippocratis et Galeni studiosissimus, plura scripsit opera et philosophica et medica, in quibus Liber *Canonis totius medicinæ* diu in Scholis adhibitus esse dicitur a magistris explicandus. *Algazel* (Abu Hamed Mohammed Eb Moham-

Algazel. med Ebu Achmed *Al Gazali*, n. 1058+circa 1111), fuit scepticus, et inter alia opera scripsit *Destructionem vel Eversionem Philosophorum*, eo fine, ut eorum errores detegeret atque exaggeraret, et infirmitatem demonstrationum philosophicarum vanitatemque doctrinæ et scientiæ illorum ostenderet. (4) Post hunc extincta ferme videtur apud Arabes Orientales Philosophia; quæ tamen novo vigore in Hispania nata est.

Avempace, Primus se offert inter hispanos arabes *Avempace (Ebn Badja)*, Cæsaraugustæ natus sub finem sæc XII, et mortuus

Tophail, ann. 1138. Hunc secutus est *Thophail* (Abu Dsafer Ebu *Thophail*, Accitanus (de Guadix) (+1185 circiter) scripsit celeberrimum opus, quod in latinum a Pocoke conversum ac typis editum est sub titulo *Philosophus autodidactus*, in quo fingit hominem in deserta insula natum et solitarium facultatesque suas pedetentim evolventem scientiasque comparantem.

---

(1) Bouvier, op. et loc. cit. livr. 6.nae chap. 4; Tennemann, paragr. 254.

(2) *Biblioth. Arabic. hisp.* cod. 912.

(3) Floruit sæc. IX, multaque scripsit opera, quorum titulos vid. apud. Gonzalez par. 90 in nota ex Casirio.

(4) Vid. Bouvier, loc. cit.; Gonzalez, t. 2, parag. 90-94; Tennemann, par. 256.

Verum inter arabes Philosophos Aristotelisque commentatores facile princeps fuit *Averroes* (Abul Walid Mohamed Ebn Achmed Ebn Mohamed *Ebn Rosch*) Cordubensis (n. 1126+1217): summe admiratus est Aristotelis ingenium, cujus etiam omnia fere opera commentariis exposuit, et *Commentatoris* per antonomasiam nomen apud posteros obtinuit; alia quoque plura scripsit opera, quorum maxima pars ab hebræis Hispaniæ in suam linguam conversa, mox latina facta sunt. Non paucos habuit asseclas in posterioribus sæculis. At impietatis atque atheismi et materialismi haud immerito a multis accusatur (1) ejusque errores varii, philosophici simul et theologici, a pluribus Conciliis proscripti sunt (2). Averroes, vulgo dictus *Commentator*.

Paulo ante hos Arabes Hispaniæ floruit celeberrimus hebræus *Avicebron* (seu *Ebn-Gebirol*), quem sæpe laudant in suis operibus S. Albertus M., Gullielmus Parisiensis, S. Thomas aliique Scholastici, multique arabem putarunt, at nuper ostendit Münk (3) judæum fuisse. Natus fuit Malacæ et educatus Cæsaragustæ, ubi anno 1045 scripsit tractatum moralem et aliqua pöemata; nomen tamen suum debet operi, cui titulus *Fons vitæ*, arabice, ut videtur, conscripto et in latinum translato circa sæc XII (4). Hunc paulo post secutus est *Maimonides* (Moises ben *Maimoum)* seu filius Maimonis, alter hebræus, et ipse sat notus, Cordubensis (n. 1135+1204), discipulus Averrois; scripsit *Ducem* seu *Directorem errantium* et *perplexorum*. Cæteri nobiliores hebræi Philosophi ævi medii videri possunt apud Gonzalez (5). Avicebron. Maimonides.

53. Sed jam de *scholastica* Philosophia dicendum est. *Scholasticorum* nomen, quod primum videtur iis potissimum viris in medio aevo tribui cœpisse, qui, in scholis a Carolo M. in variis urbibus institutis, maxime eminebant; mox ad eos dumtaxat Theologos et Philosophos designandos adhibitum Philosophia Scholastica

(1) Vide inter alios Ludovic. Vives. *De Causis corrupt. art.;* et Campanella apud Gonzalez, parag. 96; Cfr. Bouvier loc. cit. chap. V.

(2) De Averroe et Averroistis vide Liberatore *Conoscenza intellettuale*, Part. second. cap. 4.°, art. 3, pag. 161 seqq. Romæ 1858.

(3) Vid. Münk *Melanges de philosophie juive et arabe*, parag. 1-7, pag. 339-458 Paris 1859.

(4) Vide Gonzalez, t. 2, paragr. 100.

(5) Op. cit. parag. 101-102.

est, qui certa methodo theologicas et philosophicas disciplinas tractabant, nempe apte definiendo secundum logica præcepta, et in partes convenientes materiam distribuendo, sententiam in quavis quæstione tenendam perspicua propositione enuntiando, ac brevi et nervosa argumentatione ad formam syllogisticam exacta, demonstrando, ac demum argumenta contraria dissipando. Præter hanc peculiaris methodi formam duæ aliæ notæ scholasticam Philosophiam distinguunt: 1.° quod arctissime connexa est cum Theologia, quam, velut ancilla dominam reveretur, eique servit, instrumenta et modum sciendi suppeditans ac plurimos enucleans conceptus, quibus illa utitur ad scientificam divinorum dogmatum expositionem et confirmationem perficiendam. 2.° Maxima pars scholasticæ doctrinæ in Philosophia ex peripatetica Aristotelis schola hausta est. Licet enim plures Patres atque ecclesiastici scriptores priorum sæculorum magis adhæserunt Platoni, at mox paulisper Aristoteles cæpit præferri, ac tandem triumphavit de Magistro suo inter christianos Doctores: viderunt quippe sagacissimi viri neminem apud antiquos Stagiritæ parem fuisse in Logica, neminemque tam perfecte universam Philosophiam esse in suis operibus complexum, Quare peripateticam Scholastici Philosophi doctrinam fecere suam; purgatam tamen omni erroris naevo secundum divinam revelationem et Ecclesiæ magisterium, et auctam etiam atque completam veritatibus, quas in aliis scholis reperire potuerunt. *Scholasticorum* insignem commendationem habes in Litteris encyclicis *Æterni Patris* Smi. Domini Nostri Leonis XIII (1).

Triplex aetas Scholasticismi:

Cæterum triplicem juvat distinguere Philosophiæ scholasticæ ætatem: prima illius velut adolescentiam usque ad sæc XIII; altera juventutis robur usque ad sæc XIV, nempe ab Alberto M. usque ad Durandum a Sancto Portiano: tertia demum senectam præ se fert usque ad medium sæc. XV.

prima.

54. In prima ætate, sive scholis in pluribus urbibus ad exemplum *scholæ palatinæ*, cui Alcuinum Carolus M. præfecit in suo palatio, instauratis, sive aliis quæ jam inde a Casiodori tempore in cænobiis religiosorum florebant, prima exordia scholasticæ philosophandi formæ assignare velis;

(1) Parag. *Exinde mediæ ætatis Doctores.*

antiquissimus inter Scholasticos judicio multorum nominatur

Joannes Scotus Erigena, Hibernus (n. 810), qui præter alia opera scripsit tractatum *De Divisione naturæ* putidissimo pantheismo vitiatum. Circa idem tempus floruit *Rhabanus Maurus* († 856) Archiepiscopus Maguntinus, et *Henricus* Augustodunensis, discipulus Haymonis (1); et *Gerbertus*, mox Sylvester II, Romanus Pontifex, qui circa medium sec. X natus, scientias didicit in Hispania sub Atone Vicensi Episcopo (2); et *Lanfrancus* episcopus Cantorberiensis. Scotus Erigena, Rhabanus Maurus, Gerbertus, Lanfrancus.

At sæc. XI controversiæ de natura universalium inter scholasticos exortæ, plurimum acuerunt ingenia, et in causa fuerunt, cur scholastica Philosophia non leves faceret progressus. Hoc in certamine, ut præcipuos dumtaxat pugnatores nominemus, eminuerunt: *Joannes Roscellinus* Canonicus Compendiensis, dictus a suis æqualibus «*novi Lycei conditor*,» princeps Nominalistarum, quamvis ex quibusdam antiquis monumentis, non ipse fuerit primus auctor Nominalismi, sed *Joannes Surdus*, ut quidam opinatur (3): cumque doctrinam suam ad augustissimum SS. Trinitatis mysterium transferre voluisset, contra Fidem catholicam erravit. Vixit sæc XI et XII. Controversiæ de universalibus. Roscellinus.

Petrus Abaelardus discipulus Roscellini et Gullielmi Campellensis, de quo mox (n. 1073 † 1142). Nominalismum quoque sectatus est, existimavitque mysteria Fidei solo naturæ rationalis lumine intelligi posse; quare fuit verus Rationalista, licet alterius prorsus generis a recentioribus Rationalistis. Omnes quippe Rationalistæ negant ullam veritatem esse, quæ humanum captum transcendat; at recentiores negant omnia mysteria, quæ in numerum fabellarum impie amandant, propterea quod percipi a ratione non possint; Abaelardus vero Fidei dogmata vera agnoscebat, tantumque negabat illa supra rationem esse. Cæterum vanissimus hic vir, qui eloquentia Abaelardus.

(1) Gonzalez, t. 2, par. 30.

(2) Gonzalez, par. 31.

(3) De doctrina Roscellini videatur Joan. Sarisberey, *Metologicus* lib. 3, c. 17; S. Anselm. *De Fide Trinit* contra *blasphemias Roscellini* Cfr. Gonzalez, par. 34; Tennemann, par 249.

sua innumeros ad se trahebat auditores (1), fortissimum nactus est adversarium S. Bernardum Claravallensem, erroresque illius damnavit Concilium Suessionense (2).

S. Anselmus, 55. *S. Anselmus*, Cantuariensis Archiepiscopus, Augustæ Prætoriæ (Aosta) (natus an. 1033 + 1109), multa scripsit et theologica et philosophica, fuitque præstantissimus Scholasticorum primæ ætatis. Nominales validissime insectatus, veram de universalium natura sententiam docuit (3).

Gullielmus Campellensis, Suppar S. Anselmi fuit *Gullielmus Campellensis*, qui ut discipuli sui Abaëlardi aliorumque Nominalium sententiam confutaret, in contrarium extremum incidit Realismi exaggerati; quamquam senior factus, videtur veram assecutus fuisse hac de re doctrinam (4).

Ad eamdem ætatem pertinent *Barnardus Carnotensis* qui a Joanne Sarisburiensi *perfectissimus inter Platonicos* vocatur (5), et *Hugo a S. Victore* (n. 1096 + 1140) (6) et *Richardus a S. Victore* (+ 1173) (7); Joannes Sarisburiensis (n. circa an. 1110 + 1180) (8). Alanus de Insulis (n. 1114 + 1203) ob suam eruditionem vocatus *Doctor universalis* (9); Pantheistæ *Amalricus Del Bene* Carnotensis (+ circa 1207) *David de Dinant*, quorum errores damnati fuere a III Concilio Lateranensi 1215 et ab Honorio III anno 1225 (10); ac *Petrus Lombardus*, natus prope Novariam in Insubria (+ 1164) Episcopus Parisiensis, dictus *Magister Sententiarum*, quia scripsit Libros quatuor *Sententiarum*, quos ex sententiis sacrarum Litterarum, Patrum et Conciliorum collegit. Hoc opus diu in scholis adhibitus et explicatus est, ac præclarissimis commentariis illustratus a S. Thoma aliisque summis Doctoribus (11).

Hugo Victorinus, Joannes Sarisburiensis, Alanus de Insulis,

Petrus Lombardus, *Magister sententiarum.*

(1) In his recensebantur Petrus Lombardus, Petrus Pictaviensis, Joannes Sarisburiensis aliique celebres viri.

(2) Gonzalez, loc. cit. par. 35; Bouvier, livr. 7 chap. 2.

(3) Gonzalez, par. 37; Cuevas, op. cit. lib. 1 part. 2, dissert. 2 c. 1.

(4) Gonzalez, par. 38.

(5) Gonzalez, par. 39.

(6) Gonzalez, par. 40.

(7) Gonzalez, par. 41.

(8) Gonzalez, par. 43.

(9) Gonzalez, par. 44.

(10) Gonzalez, par. 45; Bouvier, loc. cit. livr. 7 chap. 2.

(11) Gonzalez, par. 44; Tennemann, par. 251–252; Bouvier, loc. cti.

Altera ætas Scholasticismi.

56. Altera Scholasticismi ætas fuit vere aureum sæculum Philosophiæ scholasticæ. Maxima in ea floruere ingenia, quæ acceptam ex præcedenti ætate doctrinæ hæreditatem diligenti studio assiduoque labore mirum in modum auxere. Non parum etiam juvit, ut tantos facerent scientiæ progressus, majus commercium ingeniorum europæorum cum orientalibus arabibus et hebræis, ope militum Cruciatorum, cognitioque operum quorumdam Aristotelicorum, quæ prius a nostratibus ignorabantur, ac novæ et accuratiores Stagiritæ versiones (1) et commentaria Alexandri Aphrodisæi, Simplicii, Philoponi, Averrois cæterorumque arabum et hebræorum Philosophorum (2), de quibus superius diximus (3). Omnibus hisce instructi præsidiis ingeniosissimi viri, omnes fere in religiosis conventibus commorantes, divinæ gloriæ religionisque propugnandæ atque explicandæ studiosi, volumina majorum diurna et nocturna versantes manu, et Philosophiam et Theologiam scholasticam ad altissimam gloriam evexere. Tales fuerunt *Alexander Halensis, Albertus M., S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus, Henricus Gandavensis, Rogerius Baco* etc.

Alexander Halensis, *Doctor irrefragabilis.*

57. *Alexander* Halensis, cognomento *Doctor irrefragabilis*, anglus (+ 1245) Philosophiam ac Theologiam docuerat Parisiis, cum anno 1222 Regulam S. Francisci amplexus est: scripsit «*Quæstiones seu Commentaria in libros quatuor Sententiarum*» a Petro Lombardo concinnatos: quod opus etiam sub nomine *Summæ Theologiæ* laudatur (4).

Gullielmus Parisiensis.

58. *Gullielmus* dictus *Parisiensis*, quia Parisiorum fuit episcopus (+ 1249) scripsit *de Immortalitate animæ* et *de*

(1) *Michael Scotus*, sæc XII natus, in latinum transtulit omnia fere opera Aristotelis, quamvis scribit Rogerius Baco «fere omnia quæ sub nomine ejus prodierunt, ex Andrea quodam judæo» prodiisse (apud Gonzalez, parag. 49 in nota); *Robertus Greathead* dictus Lincolniensis, quia Præsul Lincolniensis diœcesis fuerat, Moralia Philosophi latina fecit, et quosdam libros ejusdem logicos commentatus est; *Jacobus Venetus*, Organum, et Gullielmus de Moerbek, ex S. Prædicatorum Ordine, omnes libros ejusdem Stagiritæ, rogante S. Thoma, et alios etiam aliorum græcorum Philosophorum, latinitati donavit. (Gonzalez, loc. cit. paragr. 49.)

(2) Cfr. tamen Gonzalez, tomo 2, par. 97 et 105.

(3) Cfr. Gonzalez, loc. cit. par. 46.

(4) Gonzalez, par. 47.

Universo: auctor gravis et eruditus, qui tamen stilo utitur minus scholastico (1).

Raymundus Martin,

59. *Raymundus Martin*, hispanus ex Catalaunia, in suo *Pugione Fidei*, quem contra Hebræos scripsit, multas etiam philosophicas quæstiones tractavit (2).

Vincentius Bellovacensis (de Beauvais).

60. *Vincentius Bellovacensis*, e S. Ordine Prædicatorum sicut Raymundus Martin, elucubravit encyclopædicum opus, cui titulus *Speculum majus* divisum in tres partes: *Speculum naturale*, in quo agit de scientiis theologicis, moralibus ac philosophicis; *Speculum doctrinale* in quo tractatur origo et progressus omnium scientiarum, artium liberalium et mechanicarum; et *Speculum historiale*, seu universalem historiam. Aliud quoque *Speculum morale*, licet falso, a quibusdam auctoribus Bellovacensi tribuitur (3).

S. Albertus Magnus, *Doctor universalis.*

Albertus Bollstädtiensis, ob suam eruditionem nominatus *Magnus* et etiam *Doctor universalis* (n. 1193 vel. 1205+1280) plurima scripsit opera, quorum aliqua videri possunt laudata apud Emm. Gonzalez (4).

S. Bonaventura, *Doctor Seraphicus.*

61. *S. Bonaventura, Doctor Seraphicus*, lumen et ornamentum Franciscanæ Familiæ, discipulus Alex. Halensis, Balneoregii (Bagnorea) in Etruria natus (anno 1221+127) Magister Generalis sui Ordinis et S. R. E. Cardinalis, vir non minus pietate quam ingenio et scientia insignis, æqualis et amicus S. Thomæ Aquinatis, multa et præclara scripsit opera (5) quæ mystica suavitate commendantur.

S. Thomas Aquinas, *Doctor Angelicus.*

62. At «inter Scholasticos Doctores, omnium princeps et magister longe eminet *Thomas Aquinas*,» *Doctor Angelicus* (n. 1225 vel 1127+1274) Alberti M. discipulus; qui, uti Cajetanus animadvertit, veteres doctores sacros, quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est. (6) Illorum doctrinas, velut dispersa cujusdam corporis

(1) Gonzalez, par. 48.
(2) Gonzalez, par. 50.
(3) Gonzalez, par. 52.
(4) Loc. cit. par. 53.
(5) Præcipua inter scientifica sunt *Commentaria in Magistrum Sententiarum*, *Itinerarium mentis in Deum*, *Breviloquium* et *de Reductione artium ad Theologiam.*
(6) In 2ª. 2.ᵃᵉ q. 148, a. 4 in fine.

membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit, et magnis incrementis ita adauxit, ut Catholicæ Ecclesiæ singulare præsidium et decus, jure meritoque habeatur. Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitæ integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia prædives. Soli comparatus, orbem terrarum calore virtutum fovit, et doctrinæ splendore complevit. Nulla est Philosophiæ pars, quam non acute simul et solide pertractarit: de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quæstionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quæque explicandi facilitas, desiderentur.

Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quæ quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipso impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. Præterea rationem, ut, par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum jura conservavit, tum dignitati consuluit; ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomæ pennis evecta, jam fere nequeat sublimius assurgere; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adjumenta præstolari, quam quæ jam est per Thomam consecuta» (1).

Innumera scripsit Opera Doctor Angelicus, in quibus, ut omittamus *Commentaria in S. Scripturam*, præcipua sunt: *Summa Theologica* (divisa in tres partes, quarum secunda in duas alias dispescitur; tertiam, morte immatura præreptus, absolvere non potuit; singulæ vero istæ partes pluribus constant

(1) SSmus. Dominus Leo XIII in cit. Epist. Encyclic. *Æterni Patris*.

quæstionibus et hæ articulis): *De Veritate Fidei catholicæ contra Gentes*, quæ vocari quoque solet *Summa Contra Gentes* (divisa in quatuor libros, quorum singuli in plura capita distribuuntur): *Commentum in quatuor libros Sententiarum*. (Horum singuli multas continent *Distinctiones*, et hæ varias quæstiones atque articulos): *Quæstiones disputatæ* (in quibus sunt plures de *Potentia*, de *Malo*, de *Veritate* etc.): *Quodlibeta* seu *Quæstiones Quodlibetales:* Commentaria in plura opera Stagiritæ; Commentaria in librum de *Divinis Nominibus* vulgati Dionysii Areopagitæ; Commentaria in librum *de Causis;* et plurima opuscula, sive philosophica sive theologica, quæ varia conficiunt volumina.

Rogerius Baco, *Doctor mirabilis*

63. Rogerius Baco, cognomento *Doctor mirabilis* anglus (n. 1214 + 1294), discipulus Oxonii Roberti Lincolniensis, Franciscani Ordinis alumnus, experientiam et inductionem maxime, forte etiam nimis, commendavit (1), et Mathesis ac Philosophiæ naturalis studiosus fuit. Inter libros ab ipso scriptos, præcipue laudatur *Opus majus*, quod jubente Clemente IV, discipulo quondam suo, composuisse dicitur (2).

Petrus Hispanus

64. *Petrus* dictus *Hispanus*, quem plures volunt fuisse patria Lusitanum, eumdemque ipsum, qui mox ad solium Pontificium evectus, nomen accepit Joannis XXI, alii vero contendunt fuisse vere hispanum et religiosum e S. Prædicatorum Ordine, scripsit *Summulas logicales*, quæ diu in scholis a magistris explicatæ sunt, et commentariis quoque Tartareti, Versorii aliorumque illustratæ (3).

Henricus Gandavensis, *Doctor Solemnis.*

Henricus Goethals Gandavensis, *Doctor Solemnis*, natus prope Gandavum, Archiepiscopus Tornacensis (+ 1293), varia ingenii monumenta præclara reliquit, in quibus principem locum tenent *Summa Theologiæ* et *Quæstiones Quodlibetales* (4).

Richardus a Media Villa, *Doctor Solidus.*

65. *Richardus a Media Villa* (Middletown), anglus (+ 1300) *Doctor solidus* e S. Familia S. Francisci; extant hujus auctoris *Commentaria*, seu *Quæstiones subtilissimæ super quatuor libros sententiarum* Petri Lombardi (5).

(1) Gonzalez, par. 61.
(2) Gonzalez, ibid.
(3) Gonzalez, par. 65.
(4) Gonzalez, par. 66.
(5) Gonzalez, par. 64.

Joann. Duns Scotus, *Doctor Subtilis*

66 Joannes Duns Scotus, *Doctor Subtilis*, decus et lumen S. Franciscani Ordinis, natus, ut plures volunt, in pago Duns Scotiæ post medium sæc. XIII (1) maximo subtilissimoque fuit ingenio: docuit magna cum laude in Universitate Oxoniensi et Parisiensi, unde Coloniam misus a suis Superioribus, obiit immatura morte paulo post annum 1307 (2). Plurimos reliquit partus ingenii, ac nominatim Commentaria in varia opera Stagiritæ, *Quæstiones Quodelibtales* et Commentaria, seu *Quæstiones subtilissimas* super Magistrum Sententiarum: quibus in operibus sæpe Doctorem Angelicum impugnat illique oppositas tuetur sententias.

Ægidius Columna, *Doctor fundatissimus*

67. Ægidius Columna, Romanus e nobilissima stirpe *Columnarum*, *Doctor fundatissimus* et Thelogorum princeps nominatus ac discipulus S. Thomæ, alumnus et gloria S. Familiæ Augustinianæ (n. 1247 + 1316). Varia reliquit opera, in quibus præcipue celebrantur commentaria in Magistrum Sententiarum et tractatus De *Regimine Principum* (3).

Thomistæ et Scotistæ.

68. Sub nomine Doctorum, *Angelici* et *Subtilis*, duæ per id temporis institutæ sunt celeberrimæ scholæ, *Thomistica* et *Scotistica*, quæ tot tantaque inituræ erant certamina de quæstionibus, sive philosophicis sive etiam theologicis, nondum Ecclesiæ judicio definitis, sed liberæ Catholicorum Doctorum controversiæ permissis. Causa duarum istarum scholarum videtur fuisse, primo ingenium et doctrina tantorum scriptorum, qui cum supra cæteros omnes, in sua quisque Familia, multum eminerent, facile poterant ad se trahere præ amore atque admiratione non paucos asseclas, potissimum ex suis discipulis ac fratribus. Huc accessit, quod vix mortuo Aquinate, quidam Doctores Universitatis Parisiensis et Oxoniensis aliquot capita doctrinæ illius impugnarint, ac Gullielmus de Lamarre, ex S. Franciscanorum Ordine adversus eumdem

---

(1) De Scoti patria et anno natali variant Auctores: alii volunt illum Scotum, alii Anglum, alii ibernum; itemque alii putant natum 1274, alii 1263, alii 1247.

(2) Gonzalez, par. 62.

(3) Gonzalez, parag. 68.

scripserit *Correctorium Operum Fratris Thomæ* (1) et mox Scotus, vestigia secutus magistri sui, Gullielmi Warronis, sæpe contradixerit (2).

Thomistæ; Hervæus etc.

69. Inter Thomistas antiquiores recensentur, præter alios qui apud. Em. Gonzalez videri possunt (3), *Hervæus Natalis*, Magister Generalis S. Ordinis Prædicatorum, Doctor et Rector Universitatis Parisiensis (+ 1323), scripsit Commentaria in Magistrum Sententiarum et *Quæstiones Quodlibetales:* quandoque tamen hic autor ab opinionibus aliorum Thomistarum recedit.

Scotistæ; Franciscus Mayronis, *Doctor illuminatus* et *Magister abstractionum.*

70. Scotistæ celebriores fuere *Franciscus Mayronis,* vocatus ab æqualibus suis *Doctor illuminatus* et *Magister abstractionum* (+ 1325); *Antonius Andreas*, ex Aragonia, *Doctor dulcifluus*, fidelissimus Scoti sectator (+ 1320 circiter); *Joannes Bassolis*, *Doctor ornatissimus;* Petrus Aureolus (+ 1320) *Doctor facundus*, quamvis hic auctor non minus Doctorem Subtilem quam Angelicum quandoque impugnat, et Walterus *Burlæus* (Burleigh), *Doctor planus* et *perspicuus*, qui Parisiis et Oxonii sacras disciplinas tradidit (n. 1275 + circa 1337).

Antonius Andreas,

Bassolis,

Aureolus,

Burlæus.

Raymundus Lullus.

Per idem tempus floruit Raymundus Lullus, hispanus, Palmæ in insula Majorica natus (an. 1235 + 1315) e Tertio S. Francisci Ordine, vir non uno nomine mirandus, de quo tam varie loquuntur auctores, aliis illum tamquam scriptorem divino numine afflatum ad sidera extollentibus: aliis errores atque hæreses in ejus libris notantibus. Plurima exaravit opera, quæ decem magnis voluminibus edita in lucem sunt Maguntiæ an. 1721 (4).

Durandus, *Doctor resolutissimus.*

71. Claudat agmen Scholaticorum secundæ ætatis Durandus a Sancto Portiano, *Doctor resolutissimus*, Magister S. Palatii, atque episcopus primum Aniciensis (de Le Puy), mox Meldensis (Meaux). At quamvis ad S. Prædicatorum Ordinem pertinuerit, Thomistis tamen accenseri nequit: immo aliquando

(1) Contra hoc opus prodiit « *Defensorium librorum Doctoris Angelici Thomæ Aquinatis* in *Gullielmi Lamerensis Thomæ Corruptorium;* quod opus, licet a quibusdam adscribatur Ægidio Columnæ, communius tamen tribuitur Thomistæ Joanni Parisiensi.

(2) Gonzalez, par. 69.

(3) Loc. nuper cit.

(4) Gonzalez, paragr. 71 et 72.

nimis liber ac temerarius fuit in suis opinionibus, communi aliorum scriptorum et Eclesiæ doctrinæ parum consentaneis.

Tertia ætas Scholasticismi.

72. Tertiam aggredimur ætatem, in qua scholastica Philosophia a dignitate ac splendore suo non parum descendit (1). Quo tempore, præter Thomistarum et Scotistarum, tertia apparuit Schola, *nempe Nominalium* quorum doctrinam, pridem a Roscellino et Abælardo propugnatam, ut superius notavimus, ac deinde diu oblivioni traditam, novo rigore instauravit *Guillelmus Ockam*, e S. Familia Franciscanorum, appellatus a suis *Doctor singularis* et *invincibilis* (2), et etiam *Venerabilis inceptor* (3) (+ 1343 vel 1347) vir turbulentus et non raro parum tutus in suis opinionibus (4). Huic tribui solet illud proloqium: *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate.*

Gullielmus Ockam, *Doctor singularis.*

73 Ockamum secuti sunt inter alios *Joannes Buridanus*, Rector Universitatis Parisiensis (5); *Albertus* a *Saxonia*; *Gregorius Ariminensis* (+ 1358) Magister Generalis S. Ordinis Augustiniani; et *Gabriel Biel* (+ 1495). Hi auctores ac potissimum Ockam et Biel, videntur plus æquo, vel de veritatibus solido nixis fundamento, dubitasse, atque adeo scepticismo favisse (6). Nominalistis quoque solet accenseri *Petrus de Alliaco* (d' Ailly) Cancellarius Universitatis Parisiensis, Episcopus Cameracensis et S. R. E. Cardinalis *Aquila Doctorum Franciæ*

Nominales: Gregorius Ariminensis, Gabriel Biel,

Petrus de Alliaco.

---

(1) Causas hujus rei varias exponit Card. Gonzalez, loc. cit. par. 75.

(2) Forte ob suum ingenium in effugiendis adversariorum telis.

(3) Forte quia ipse renovavit Nominalismum, et relictis communioribus aliorum opinionibus, sua placita discipulis sequenda proposuit.

(4) Gonzalez, par. 76-77.

(5) Hujus auctoris celebre est argumentum quod vocant *argumentum asini*. Docuit falsissime voluntatem liberam, si duo æqualia bona hinc inde sibi proponantur, neutrum posse eligere. Idque ut probaret, attulisse dicitur exemplum asini famelici, quem putabat, si duos coram haberet hordeo plenos saccos, quibus æque alliceretur, neutrum posse tangere, ac fame periturum fore. Hinc celebrari cæpit *Asinus Buridani*. (Cfr. Gonzalez, par. 79 in nota. Tennemann, par. 272.)

(6) Gonzalez, par. 76-79.

dictus, unus e Patribus Concilii Pisani et Constantiensis (+ 1419 vel 1420) (1).

Thomas Argentinas, Marsilius, Dominicus a Flandria, Raymundus Sabunde, Joannes Gerson, Nicolaus Cusanus, Tostatus.

74. In eadem quoque ætate floruere *Thomas Bradwardine*, Anglus Archiepiscopus Cantuariensis (+ 1349); *Thomas Argentinas* (Strasburg), Magister Generalis Eremitarum S. Augustini; *Marsilius ab Ingben*, dictus *Ingenuus* (+ 1396); *Robertus Holcot*, Anglus e S. Prædicatorum Ordine (+ 1349); *Dominicus a Flandria* ex eadem S. Familia, Thomista; Raymundus Sabunde Barcinonensis, cujus opus de naturali Theologia, cui titulus *Liber creaturarum* sive *de homine*, maxime celebratur, de quo videri potest. Em. Card. Gonzalez (2); *Joannes Gerson*, discipulus Petri Albacensis (n. 1363 + 1429) Cancellarius Universitatis Parisiensis, Doctor Christianissimus, Nicolaus Cusanus (n, 1401 + 1464) unus e præcipuis PP. Concilii Basileensis; et *Alphonsus a Madrigal*, vulgo dictus *Tostatus* et *Abulensis*, quia episcopus fuerat civitatis Abulæ, vir summæ eruditionis.

Brevis defensio Scholasticorum. 1.ª objectio. Responsio.

75. Adversus Scholasticos quorum catalogum breviter texuimus, plura solent objici. Et primo quidem quod stilo usi fuerint barbaro. At hoc vitium non minus temporum, quam personarum est; addo etiam eam posse quidem esse causam, cur Grammaticus, vel Rhetor a Scholasticis non petat exempla latinitatis et eloquentiæ, non tamen deserendos propterea esse insignes illos viros, multoque minus impugnandos aut irridendos. Si vera docuerunt, si sapientiæ thesauros in suis operibus congesserunt, quamvis minus latine eleganterve scripserint, ratio postulat, ut segregata præcisaque sermonis ruditate, doctrina diligentissime consideretur atque hauriatur. Dic mihi, sodes, quid censeres de illo qui auri metalla contemneret, propterea quod luto aut lapidibus obruta reperiantur?

2.ª objectio. Responsio.

Accusantur quoque Scholastici, quod multas inutiles quæstiones tractaverint. Id vero, si de quibusdam Scholasticis, potissimum tertiæ ætatis dicatur, verum est, non tamen de omnibus, ac nominatim de S. Thoma cæterisque primi subsellii scriptoribus: quia multa quidem subtilissima disputarunt, ac

(1) Gonzalez, par. 80.
(2) Oper. et loc. cit. par. 82.

materiam transcendentia, quæ tamen otiosa non sunt, neque exiguum habent momentum. Cæterum mos est eorum auctorum, qui plus minus materialismi et positivismi erroribus favent, ut fere, quidquid materiam et corpus non sapiat, imaginarium atque adeo inutile putent, et sub nomine *abstractionum* et *speculationum* repudient: quasi vero abstractis et immaterialibus notionibus nulla responderet veritas extra mentem cogitantis!

Tertio dicuntur Scholastici Philosophiam cum Theologia confudisse: quo nihil a veritate alienius scribi potest. Certum quidem est multos Scholasticos in eodem opere quæstiones et philosophicas et theologicas tractasse, quia, quamvis præcipue intendebant sacram doctrinam, simul etiam plures controversias ad Philosophiam spectantes, quia opportunæ ad meliorem divinorum intelligentiam erant, agitandas sibi esse existimarunt: at certum pariter est, illos utrasque disciplinas probe distinxisse, sicut distinxerunt lumen revelationis a lumine rationis. Id quod tum diserte tradiderunt sæpisssime (1), tum implicite sæpe alias, quando scripserunt Philosophiam Theologiæ ancillari, vel etiam Metaphysicam subalternari sacræ doctrinæ. 3.ª objectio. Responsio.

Quarto Scholasticis imponitur quod cæce, ac pecudum more, Aristotelem secuti sint, illius vel unice vel certe præcipue auctoritate permoti. Hæc est communis vox Ludovici Vives (2), Marii Nizzolii (3) Desiderii Erasmi Roterodamensis (4) Launoji (5), Tribbecovii (6) Francisci Baconis á Veru- 4.ª objectio.

(1) Vide Alex. Halens. *Summ. Theol.* p. 1. a. 1; Albert. M. *Summ. Theol.* p. 1, tr. 1. q. 5, n. 4.; S. Thom. *Summ. Theol.* 1 p. q. 1, a. 1; 2. 2. q. 2. a. 3 et 4; *Comment. in Magistr. Sent.* lib. Prolog. q. 1, a. 1; *Summ. Contr. Gent.* lib. 2, cap. 4; *De Verit.* q. 14, art. 10; S. Bonavent. *Compend. Theol* in præf.; *Breviloq.* procem.; Henric. Gandav. *Summ. Theol.* p. 1, a. 7, q. 1, n. 11. 12 et 13, Duns Scot. In lib. 1 *Sentent.* Prolog. q. 1; Roger. Baco *Opus Majus*, part. 2 passim; Ægid Column. *In lib. 2. Sentent*, dist. 1 p. 1, q. 1, a. 3.

(2) *De Causis Corrupt. artium.*

(3) *Antibarbarus seu de veris principiis et vera ratione philosophandi.*

(4) In suis oper. passim.

(5) *De varia Aristotelis fortuna in Acad.* Paris.

(6) *De Doctoribus Scholasticis, ac corrupta per eos divinarum humanarumque scientia.*

lamio (1), Cartesii (2), Bruckeri (3) aliorumque plurium apud el. Talamo (4).

Responsio.

Quod Scholastici Philosophum secuti præcipue fuerint, in dubium revocari nequit. De hoc tamen solo nemo jure reprehenderit Scholasticos, nisi simul Platonicis, Cartesianis, Leibnitzianis vitio vertat, quod Platonem, Cartesium, Leibnitzium ducem sequantur. Videndum ergo est, num Scholastici cæco animi impetu Stagiritæ adhæserint. Ego vero puto ideo clarissimos illos Doctores Aristotelem magistrum assumpsisse, quia nullum alium generatim numeris omnibus absolutiorem in antiquitate repererunt, et doctrinam illius aptissimam judicarunt, paucis exceptis, et philosopho christiano convenientissimam ad ipsa etiam Fidei dogmata aliquo modo exponenda. Id quod persuasum habeo, primo quia non solum Aristotelem, sed alios præterea Philosophos noverunt Scholastici; nec alia fingi ratio potest cur illum, utcumque difficiliorem et obscurum, cæteris prætulerint. Deinde quia in pluribus Stagiritam emendarunt, impugnarunt (5), et novis veritatum accesionibus auxerunt, quemadmodum occasio se offeret sæpe notandi. Tertio quia scholasticorum hæc communis est doctrina, auctoritatem nihil valere in Philosophia sine ratione. *Studium Philosophiæ* non est, inquit S. Thomas, *ad hoc quod sciatur quid homines senserint, sed qualiter se habeat veritas rerum* (6).

In Philosophia nihil valet auctoritas sine ratione, quemadmodum docent communiter Scholastici.

Et Albertus M. « *Quod autem de auctore quidam quærunt, supervacuum est, et nunquam ab aliquo Philosopho quæsitum est, nisi in scholis Pithagoræ, quia in illis scholis nihil recipiebatur, nisi quod fecit Pithagoras. Ab aliis autem quæsitum non*

(1) *De augmentis scientiarum* lib. 1; *Novum Organ.* Aphorism. 77.

(2) *Princip. Philos. epist. loc. Præf.*

(3) *Historia critic. Philos.* Period. II, pars. II lib. 2. c. 3, sect. 2 et 3.

(4) *L'Aristotelismo della Scolastica nella Storia* della filosofia... pel Prof. Salvatore Talamo, terza edit. cap. 1.° pag. 2-25 Siena 1881.

(5) Errores in Aristotele a Scholasticis notatos fuse persequitur Salvator Talamo in opere nuper laudato, parte 2.ª cap. 2 et 3.

(6) S. Thom. in lib. 1 *de Cælo* lect. 22. Ad de Lib. 1 *Ethicor*, lect 6. par. 6-

est: a quocumque enim dicta erant, recipiebantur dummodo probatæ veritatis haberent rationem. Unde Seneca de Virtutibus cardinalib.: Ne, quis dicat, sed, quid dicat, intuitor (1).

Similia habet Gullielmus Parisiensis: «*Non intret... in animum tuum, quod ego velim uti sermonibus Aristotelis tamquam authenticis ad probationem eorum, quæ dicturus sum, quia scio locum dialecticum ab auctoritate tantum esse, et solum posse facere fidem, cum propositum meum sit et in hoc tractatu, et ubicumque possim, certitudinem facere demonstrativam, post quam non relinquitur tibi dubitationis ullum vestigium* (2).

Et S. Bonaventura: «*Locus ab auctoritate concludens infirmus et inartificialis appellatur pro eo quod non proprio argumento, sed aliunde parato testimonio utatur, qui arguit, ut Boëtius docet lib. II Topicorum, cap. V.*» (3).

Aegidius vero Romanus ita scribit, tamquam doctrinam communem tradens: «*Scientia humana principalius innititur rationi, et ex consequenti, auctoritati. Unde consuevimus dicere, quod locus ab auctoritate est valde debilis et infirmus. Et in 2.° Metaphysicor, traditur, quod impedimentum est ad scientiam, credere testimoniis famosorum... Si ergo non credimus Philosophis, nisi quatenus rationabiliter locuti sunt, quia (1.° Poster.) propter quod unumquodque, et illud magis; consequens est, ut rationi magis credamus, quam ipsis Philosophis. In scientia ergo humanitus inventa ad nostrum propositum ostendendum, prius debemus rationem tanquam quid principalius adducere, et postea debemus nostrum dictum per auctoritatem philosophicam confirmare*» (4).

Et Rogerius Baco: «*Non oportet nos adhærere omnibus, quæ audimus et legimus, sed examinare debemus districtissime sententias majorum, ut addamus quæ eis defuerunt et corrigamus quæ errata sunt, cum omni tamen modestia et excusatione. Et ad hanc audaciam erigi possumus non solum propter necessitatem, ne deficiamus vel erremus, sed per exempla et auctoritates, ut in*

(1) Albert *M. Periherm*, lib. 1, tr. 1, cap. 1. Cfr. *Poster. Analyt.* lib. 1 tr. 1, cap. 2; *Summ. Theol.* part. 1, tract. 1, q. V, m. II ad 4.^m

(2) *De Anima* cap. 1, p. 1.

(3) Opusc. *Principium S. Scripturæ.*

(4) Ægidius Columna. In II Sent. Dist. 1 part. 1, q. 1 art. 2.

nullo simus reprehensibiles de præsumptione.» Et mox laudat Platonem, Aristotelem, Senecam, Böetium, et S. Augustinum in hujus doctrinæ confirmationem (1).

Et Durandus a S. Portiano: «*Naturalis Philosophia non est scire, quid Aristoteles vel alii Philosophi senserint, sed quid habeat veritas rerum: unde ubi deviat mens Aristotelis a veritate, non est scientia scire quid Aristoteles senserit, sed potius error*» (2).

Quibus similia etiam docuere alii prisci Scholastici, quos postea secuti sunt Abulensis (3) Victoria (4) Melchior Canus (5), Dominicus Bañez (6) Gabriel Vazquez (7) Gregorius de Valentia (8) aliique.

Hinc nihil mirum si Ægidius Romanus librum scripserit *De erroribus Philosophorum, Aristotelis, Averrois, Avicennæ, Algazelis, Alkendi, Rabimoysi.* Et alii cum sese offerret occasio, libere invecti sunt in errores Aristotelis (9), cujus cæteroquin auctoritatem in confirmationem doctrinæ non allegabant nisi post adducta rationis argumenta. Quod si S. Thomas non raro solam affert auctoritatem Philosophi, ideo est, quia jam in commentariis suis assertionem ac doctrinam, de qua est sermo, cum eodem Aristotele probaverat.

5.ª objectio

Responsio

Denique in invidiam vocantur Scholastici, eo quod ab omni in Philosophia et scientiis progressu abhorreant. At vero id falsissimum esse constat tum exemplo Scholasticorum, qui plura præcedentium Philosophorum inventis addidere; tum doctrina, quia disertis verbis progressum hujusmodi professi sunt (10).

(1) *Opus Majus*, pars. 1, cap. 7 Cfr. ib. 2—pars. cap. 8.

(2) Durand in 1.° Sent. Dist. 4 q. 5.

(3) *In Defension*, part. 2. cap. 18.

(4) Apud Melchior Can. *De Locis theolog.* lib. 12, cap. 1.

(5) Ibid. lib. 7 cap. 3.

(6) In 1ªm part. *Summ. Theol.* S. Thom. q. 1 art. 8, dub. 5.ᵘᵘ *Circa secundum locum.*

(7) In 1ªm part. disp. 3. n. 6, 7.

(8) In 1.ªm part. Summ. theol. S. Tom. Præfat.

(9) Cfr. Albert. M. *Summ. Theol.* par. 2 q. 4. m. 2, a. V, partis I; et lib. 8 *Physicorum* trac. 1 cap. XIV; Gullielmus. Paris. *De Univers.* 1.æ part. pars 2. cap. 8, *De Anim.* capitul 1, cap. 1.

(10) Vide S. Thom. 1. 2. q. 97, a. I; lib. I *Ethicor.* lect. II; *Politicor.* lib. 3 lect. 8; Vincent. Bellovac. *Speculum doctrin.* lib. 1, cap. 39;

76. Verum ut ad rem nostram redeamus, circa medium sæculum XV.^{m} incipit ætas, quæ nomen nacta est restaurationis *(renacimiento, renaissance)*: in qua ob causas a scriptoribus historiæ philosophicæ enumerari solitas (1), plures enatæ sunt sectæ, quæ tamen fere famosiores antiquitatis scholas imitatæ sunt, præcedentiumque Philosophorum doctrinas sub novis formis in medium produxerunt (2). Et primo quidem

Aetas *instaurationis* artium et scientiarum.

Scholam Platonicam renovarunt Georgius *Gemistus Pletho*, Constantinopolitanus, a Joanne Palæologo missus anno 1438 in Concilium Florentinum, in quo unus fuit eorum qui unioni utriusque Ecclesiæ, Latinæ et Græcæ, obstitit. Mox in Italia commoratus, Platonicas vel potius Neoplatonicas doctrinas seminavit, pluresque ad amorem studiumque Platonis incitavit. Modestior temperatiorque Platonis sectator fuit nobilissimus Cardinalis *Bessario*, Trapezuntinus, ex Ordine S. Basilii (n. 1395+1472), unus e Patribus Concilii Florentini, in quo pro unione utriusque Ecclesiæ laboravit (3).

Schola Platonica,

Cardinal. Bessario.

Præcipuus discipulus Gemistii, platonicæque doctrinæ inter italos propugnator, fuit *Marsilius Ficinus*, florentinus medicus (n. circa 1433+1499), qui non solum opera Platonis, Plotini, Jamblici, Procli et Porphyrii latina fecit, sed alia quoque ipse conscripsit (4) Hujus discipulus fuit *Joannes Picus* a Mirandula (n. 1463+1494), vir summæ eruditionis, qui potius eclecticus, quam Platonicus dicendus videtur, siquidem Platonem cum Aristotele, S. Thomam cum Scoto, Averroem cum Avicenna in concordiam revocare aggressus est (5). His adde Franciscum Picum a Mirandula, præcedentis sobrinum, item-

Marsilius Ficinus.

Jo. Picus a Mirandula.

Gullielm. Paris. *De Anim. Capitul.* 6, part. 3; Albert. M. *De Elenchis*, lib. 2, tract. V. cap. 3; *Ethic.* lib. I tract. 6. cap. 10; Rogèr. Bacon. *Opus Majus*, Pars. 1.ª cap. 3-7; *Compend. Philos.* pars. 1.ª cap. 2; *Compend. Theol.* pars. 1.ª cap. 2; Alex. ab Alexandria ex Ord. S. Franc. lib. 2. *Metaph.*: quod opus sub nomine Alexandri Halensis prodiit.

(1) Vide inter alios Gonzalez, Op. cit. tom. 3, parag. 1; Bouvier, Op. cit. tom. 2, livr. 8, chap. 1.

(2) Gonzalez, Op. cit. t. 3. par. 2.

(3) Gonzalez, op. cit. t. 3, par. 3; Tennemann, op. cit. t. 2 par. 280; Bouvier, op. cit. t. 2. liv. 8, chap. 3.

(4) Gonzalez, ibid. par. 4; Tennemann, par. 285; Bouvier, loc. cit.

(5) De quo vide plura apud Gonzalez, par. 5 et Bouvier loc. cit.

que Germanos *Joannem Reuchlin* (n. 1455+1522) et *Henricum Cornelium* Agrippam Coloniensem (n. 1486+1535) (1).

Aristotelici

77. Inter Aristotelicos hujus ætatis nominandi sunt *Gregorius Scholarius*, vocatus etiam alio nomine *Gennadius*(+1464); *Georgius Trapezuntinus* (n. 1396+1486); *Theodorus a Gaza*, Thessalonicensis; *Joannes Argyropulus*, Constantinopolitanus (+1486), qui doctrinam Stagiritæ ab impugnationibus Gemisti Plethonis vindicarunt; et *Jacobus Faber* Stapulensis (Etaples) ac *Rodolphus Agricola* (n. 1443+1485) (2).

Peripartici dicti *Alexandrini:*

At in Aristotelis sectatoribus quidam Philosophum secundum Alexandri Aphrodisiæ interpretationem sectabantur, ideoque *Alexandrini* dicti sunt; aliis Averrois placita arridebant, et Averroistarum nomen meruerunt. Præcipui Alexandrini fuere Petrus Pomponatius, Mantuanus (1462+1524) qui in suo libro *De Animorum immortalitate* probare conatus est, Aristotelem negasse animarum immortalitatem, eamque ratione confirmari non posse, quamvis ob sacrarum Litterarum et Ecclesiæ auctoritatem tenenda sit. Hæc aliaque asserta temeraria parumque doctrinæ catholicæ conformia in suis scriptis sparsit. Fidelissimus Pomponatii discipulus fuit

Petrus Pomponatius,

Simon Porta,

Simon Porta neapolitanus (+1555); æmulus magistri sui in temeritate opinandi. Cæteri celebriores Pomponatii discipuli fuere *Paulus Jovius* noviocomensis (n. 1483+1552) primum medicus, deinceps episcopus Nuceriensis; *Julius Cæsar Scaliger* (n. 1284+1559); Cardinales *Hercules Gonzaga* et *Gaspar Contarini*, Joannes *Genesius Sepulveda*, hispanus (n. 1490+1573) theologus et historiographus imperatoris Caroli V, ob suum stilum dictus *Livius hispanus* (3). Ad eamdem Aristotelicorum Alexandrinorum sectam pertinent quoque *Jacobus Zabarella*, patavinus, (n. 1532+1589), *Augustinus Niphus*, *Cæsar Cremonini* mutinensis, (n. 1552+1634); *Franciscus Piccolomini* aliique (4).

Paulus Jovius, Jul. Cæs. Scaliger, Sepulveda

Zarabella, *Niphus* etc.

Peripatetici *Averriostæ.*

Inter Aristotelicos Averroistas recenseri solent *Nicolaus Vernias; Alexander Achillinius*, bononiensis (+1512); *Mar-*

(1) Gonzalez, par. 5; Tennemann, par. 286.

(2) Gonzalez, Oper. cit. t. 3. par. 6; Tennemann, par. 280.

(3) Gonzalez, par. 8; Bouvier livr. 8, chap. 8; Tennemann, par. 290.

(4) Gonzalez, par. 7; Tennemann; par 289; Bovier; chap. 8.

cus Ant. Zimarra (+ 1532); *Andreas Cesalpini*, medicus Clementis VIII, Pontificis *M.*, *Aretinus* (n. 1509 + 1603) et *Lucillius* vel *Julius Cæsar Vanini*, neapolitanus (n. circa 1585 + 1619), vir impius, qui Tolosani senatus decreto combustus est (1). Zimarra etc.

78. Contra hos omnes steterunt infensissimi Aristotelis hostes *Marius Nizzolius*, insignis Grammaticus; *Franciscus Patritius*, dalmata (+ 1597), *Petrus Ramus* (La Ramée), picardus (n. 1515 + 1572), hæreticus Calvinista, *Hermolaus Barbarus*, Venetus; *Desiderius Erasmus* roterodamensis (n. 1467 + 1536), *Laurentius Valla*, Grammaticus (n. 1415 + 1465); *Bernardinus Telesius*, cosentinus e Calabria (n. 1508 + 1588); *Jordanus Brunus* nolanus (n. medio sæc. XVI + 1600), Ordinem S. Dominici ingressus, apostata, Pantheista, demum Romæ combustus ob suos errores ac defectionem a Catholica Religione; *Galilæus Galilæi*, Pisanus (n. 1564 + 1642), vir de naturalibus scientiis optime meritus; *Thomas Campanella*, calaber (n. 1568 + 1639) e S. Ordine Dominicano; *Petrus Gassendi* Gallus, atomista (n. 1592 + 1655) *Franciscus Baco a Verulamio*, londinensis audax veterum contemptor, osor syllogismi et magnus inductivæ methodi laudator, quem summis cumularunt recentiores laudibus, quamquam revera non tantum meruisse illum nomen in Philosophia fuse ostendit Card. Gonzalez (2); et *Thomas Hobbes*, Anglus, materialista impius (n. 1588 + 1679); et *Claudius Guillermet* de *Berigard* vel *Beauregard* (n. 1591 + 1668) (3). Antiperipatetici. Nizzolius, Patritius, Petrus Ramus, Erasmus, Laurentius Valla. Telesius, Jordanus Brunus, Galilæi, Campanella, Petrus Gassendi, Baco a Verulamio Hobbes etc.

79. Quidam horum naturales et mathematicas scientias coluerunt. In quarum studio eminuerunt etiam *Nicolaus Copernicus* (n. 1472 + 1543); *Ticho-Brahe* et *Keplerus* wurtembergensis (n. 1571 + 1630); et *Andreas Laguna* segoviensis (n. 1499 + 1560), medicus Caroli V; *Joannes Huarte* Bearnensis ex oppido S. Joannis de Pie de Port; *Michael Servet*, tutelensis, hæreticus ac pantheista, Genevæ combustus, Scientiarum naturalium cultores: Copernicus, Ticho-Brahe, Keplerus,

(1) Gonzalez, par. 9 et 10.

(2) Op. cit. t. 3, par. 40.

(3) De his aliisque Philosophis Stagiritæ adversariis vide Gonzalez ib., par. 11, 12, 42, 47, et 53; Tennemann, par. 292, 295, 296, 297, 315 seqq.; Bouvier livr. 8 chap. X, XV.

auctore Calvino et plaudentibus Protestantibus; *Georgius Gomez Pereira*, natus Methymnæ Campi, medicus Philippi II, qui in quibusdam doctrinis Cartesio prælusit; et *Oliva Sabuco de Nantes*, complutensis fæmina (1).

Gomez Pereira, etc.

Paracelsus,

Huc etiam revocari possunt theosophi medici *Paracelsus* (Aureolus Theophrastus), cujus verum nomen fuit Philippus Bombat ab Hohenhein, helvetius (1501+1576); *Hieronymus Cardanus*, ticinensis (n. 1501+1576); et uterque *Van Helmont Joannes Baptista* (n. 1577+1644), bruxellensis, ejusque filius *Franciscus Mercurius* (n. 1618) et alii, qui magia naturali, alchimia, astrologia, Cabala ac theurgicis operationibus delectabantur (2).

Cardanus,

Van Helmont,

Philosophi *independentes:*

80. Liberos, nullique addictos sectæ philosophiæ se præbuerunt, quamvis totam, ut ita dicam, essentiam christianæ Philosophiæ retinerent, hispani *Ludovicus Vives*, valentinus (n. 1492+1540), vir politissimi stili et iniquus Scholasticorum insectator (3), quem superius quoque meminimus; *Sebastianus Foxus Morcillo*, hispalensis (n. 1528 + circa 1558); (4) *Franciscus Vallés*, medicus Philippi II (5); *Isaac Cardoso* (6); aliique (7).

Ludovicus Vives,

Foxus Morcillo, Vallés,

Cardoso.

Philosophi morales: Machiavellus,

81. Inter eos qui in hac eadem ætate moralem Philosophiam et politicam coluere, celebrantur *Nicolaus Machiavellus*, florentinus (n. 1469+1527) qui tyrannidi favit, docuitque artem gubernandi astutia, dolo et perfidia, posthabitis etiam humanitatis ac justitiæ juribus: unde *Machiavellismi* nomen manavit. Perversam hanc doctrinam confutavit, inter alios, Petrus Ribadeneira in præclarissimo suo opere: *El Principe cristiano*.

Petrus Ribadeneira.

B. Thomas More

Thomas Morus, cui nuper SS. Dominus noster Leo XIII Beatorum decrevit honores, Regis Angliæ religiosissimus et fortissimus administer (n. 1480 + 1535) scripsit *De optimo*

(1) Gonzalez, par. 13-14.

(2) Gonzalez, par. 15; Bouvier, loc. cit. chap. XII.

(3) Gonzalez, par. 17. Cuevas, Op. cit. lib. 2, dissert. 3, Cap. 1 art. 3. par. 1.

(4) Gonzalez, par 17; Cuevas, loc. nuper. cit. par. 3.

(5) Gonzalez, par. 18.

(6) Gonzalez, par. 18.

(7) Quos vide apud Gonzalez, par. 20.

reipublicæ statu, deque nova insula **Utopia**. Quibus adde *Joannem Bodinum*, andegavensem (n. 1530 + 1596); *Joannem de Mariana*, e Societate Jesu; et aliis omissis (1), *Hugonem Grotium* (Groot), batavum (n. 1583 + 1645), qui quamvis e partibus Calvinistarum esset, bene tamen afficiebatur erga catholicam religionem, nec male de Scholasticis sentiebat. Scripsit de *Jure pacis ac belli*, ac generatim habetur auctor et inventor scientiæ Juris publici, quamvis non ipse hanc scientiam revera invenit, sed potius doctrinam a S. Thoma, aliisque catholicis Doctoribus, ac nominatim a Suarezio in suo egregio opere *de Legibus* præclare traditam, in unum corpus redegit (2).

Mariana, Grotius.

82. In tanta sectarum varietate deesse non poterant sceptici in sæculo XVI: præcipui fuere *Michaël Montaigne* Gallus (n. 1533 + 1591); *Petrus Charron*, Parisiensis (n. 1541 + 1603) et *Franciscus Sanchez*, lusitanus (n. circa 1562) alter ab alio ejusdem ætatis Francisco Sanchez, hispano, Doctore Salmanticensi, qui dictus fuit *Brocensis* scripsitque sub nomine *Minervæ* præstantissimam Grammaticam latinam (3).

Sceptici.

83. Verum jam ad Scholasticos properandum est. Collapsam, Nominalium inanitatibus et sceptica tendentia, Scholasticorum formam disputandi instaurandam suscepere, novoque splendore illustrarunt viri gravissimi atque ingeniosissimi, quorum uberem copiam tulit potissime sæculum XVI. Hi antiquitatis sacræ et profanæ monumenta et Scholasticorum præcedentium opera assidua lectione versantes atque attentissima consideratione meditantes, in sapientissimis, quos scripserunt, omnique plenis eruditione libris, summorum Magistrorum dignissimos se discipulos, immo et æmulos, præbuerunt.

Scholastici

Inter Scholasticos hujus temporis nominandus est *Joannes Major*, Doctor Parisiensis, qui vixit sæculo XV vertente et ineunte XVI. Scholam thomisticam illustrarunt, aliis omissis, *Joannes Capreolus*, qui post medium sæc. XV floruit, ac *Princeps Thomistarum* dictus est, habeturque unus e fidelissimis

Joannes Major. Thomistæ; Capreolus dictus *Thomistarum princeps*,

(1) Gonzalez, par. 23.

(2) Gonzalez, par. 21, 22.

(3) Gonzalez, par. 35-36; Bouvier, Op. cit livr. 8, chap. 13, 14 Tennemann, par. 302, 303.

Aquarius, Soncinas, interpretibus S. Thomæ, *Mathias Aquarius*, *Paulus Soncinas*, *Thomas de Vio* Cardenalis S. R. Eclesiæ, a patria sua vulgo dictus *Cajetanus*, qui præter alia plura opera *Summam* theologicam Angelici Doctoris et Opusculum De *Ente et essentia* doctissimis, licet obscuro et barbaro stilo conscriptis, commentariis illustravit (1); *Joannes Chrysostomus Javellus* (2): *Franciscus de Silvestris* vocatus *Ferrariensis*, auctor notissimorum commentariorum in Summam S. Thomæ contra Gentes; *Franciscus Victoria* (+ 1546) lumen Salmanticensis Academiæ, et magister Dominici Soti, Melchioris Cani, aliorumque sapientissimorum Theologorum (3); *Dominicus Soto*, segoviensis (n. 1492+1560) unus ex doctissimis Patribus Concilii Tridentini, qui præter alia opera scripsit Commentarios in Aristotelem (4); *Melchior Canus*, ex oppido Tarancon diœcesis toletanæ, qui etiam interfuit eidem Concilio, et præclarissimum opus edidit *De locis theologicis* (5); *Dominicus Bañez* (+ 1604) qui vulgo creditur auctor systematis de *Præmotione physica* (6); *Bartholomæus de Medina* (+1580) *Joannes Paulus Nazarius* (n. 1556+1645 vel 1646); *Joannes Martinez de Prado* vallisoletanus (+ 1668). *Joannes a S. Thoma*, olisiponensis (n. 1589+1644), auctor egregii Cursus Philosophici, et Theologiæ octo volumina in folio complexæ, vir doctissimus et gravis: et aliquanto serius celeberrimus *Antonius Goudin*, Lemovicensis (+ 1695, anno ætatis circiter 56). Omnes hi fuere filii S. Prædicatorum familiæ. Eidem thomisticæ scholæ nomen suum et patrocinium dedere *Patres Carmelitani* in suis Disputationibus super Aristotelem *Collegii Complutensis S. Cyrilli Discalceatorum Fratrum Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo*. Auctor hujus operis, excepta Logica, quæ est R. P. *Michaelis a SS. Trinitate*, beatiensis (Baeza), fuit R. P. *Antonius a Matre Dei*,

Card. Cajetanus,

Javellus, Ferrariensis,

Victoria,

Dominicus Soto,

Melchior Canus,

Bañez,

Medina,

Nazarius,

Martinez de Prado,

Joannes a S. Thoma,

Goudin.

Carmelitani *Complutenses*,

Antonius a Matre Dei,

(1) Gonzalez, par. 28.
(2) Gonzales, ib.
(3) Gonzalez, par. 29.
(4) Gonzalez, par. 30.
(5) Gonzalez, par. 31.
(6) Id quidem negant Thomistæ, qui contendunt, cæteris repugnantibus, doctrinam Physicæ Præmotionis S. Thomæ esse adscribendam: qua de re non est hic locus disputandi.

antea A. de Olivera nuncupatus, legionensis, qu etiam tria priora volumina *Cursus theologici* salmanticensis composuit. At ut Cursum Philosophiæ integrum exhiberet hoc opus, complevit illud *Blasius a Conceptione*, Gallus, adjecta Metaphysica et Ethica (1). Blasius a Conceptione, etc.

84. Scotisticam scholam sustinuerunt inter alios *Petrus Tartaretus*, *Franciscus Lichettus*, Magister Generalis Ordinis Franciscani, *Antonius Trombetta*, *Joannes Monlorius*, *Bargius*, *Franciscus Herrera*, (+1680), *Joannes* (olim Franciscus) de *Rada*, aragoniensis, qui edidit *Controversias theologicas inter S. Thomam et Scotum super 4 libros sententiarum; Hugo Cavelli*, hibernus (+1626) *Bartholomeus Mastrius de Meldulla; Angelus Vulpes de Montepiloso* (+1647); *Martinus Meurisse*, Gallus (+1644); *Joannes Merinerus*, matritensis (+1663) *Joannes Pontius* hibernus (+1660); *Philippus Faber* vel *Fabri* faventinus (+1630); *Gabriel Boyvin;* et postea *Claudius Frassen* (n. 1620+1711) ac *Sebastianus Du Pasquier*. Scotistæ: Tartaretus Lichettus — Trombella, Joannes Monlorius Rada, — Cavelli, Mastrius, Vulpes, — Pontius, Fabri, — Frassen, Du Pasquier etc.

85. Præter hos haud vulgarem sapientiæ laudem per id tempus meruere *Gaspar Cardillo de Villalpando*, segovianus (n. 1527+1581, auctor plurium operum philosophicorum et theologicorum, *Raphaël Aversa* ex S. Ordine Clericor. regul. minor., (+1657, ætatis anno 68) ac serius Card. *Josephus Saenz Aguirre*), ex Ordine S. Benedicti, lucroniensis (1633 +1699.) Villalpando, — Aversa, — Card. Aguirre.

86. Dum hi aliique sapientes viri clarissimo doctrinæ splendore florerent, S. Ignatius de Loyola novo religiosorum hominum Ordine fundato «ethnicæ superstitioni hæresique bellum indixit, eo successu continuatum, ut constans fuerit omnium sensus, etiam pontificio confirmatus oraculo, Deum, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita Luthero ejusdemque temporis hæreticis, Ignatium et institutam ab eo Societatem objecisse» (2). Societas Jesu.

At mox eventus etiam patefecit, Societatem Jesu, vix enatam, dum Ecclesiam Christi Domini nostri propagaret

(1) Vid. Nicolaum Ant. in *Biblioth. hispana nova*, voce *Antonius a Matre Dei;* et H. Hurter, *Nomenclator litterarius*. t. 1, n. 179, p. 697, Œniponte 1871-1873.

(2) Breviar. Roman. in lect. V. Officii *S. Ignatii de Loyola*, die 31 Julii.

propugnaretque, honorem quoque litterarum et scientiarum, sive divinarum sive humanarum, sustinuisse atque auxisse. Ac primo quidem nonnullos theologos misit in Concilium Tridentinum, in quibus eminuerunt *Jacobus Laynius* (Lainez) oraculum illius sapientissimi consessus, et *Alphonsus Salmeron*, qui 16 volumina commentariorum in S. Scripturam edidit, (+1585 ætatis 69). «Laynez et Salmeron, «inquit doctissimus Ægidius Foscarari, O. Prædicatorum, episcopus mutinensis, «maximo cum splendore de SS. Eucharistiæ sacramento contra lutheranos disseruerunt, et revera me felicem duco, quod in hæc tempora tam doctorum quam sanctorum Patrum inciderim.» (1) Tales tantosque duces et inceptores alii mox gravissimi asseclæ successere, e quibus nostrum est præcipuos dumtaxat, eosque qui bene de philosophicis disciplinis meruerunt, referre.

Jacobus Lainez, Alphonsus Salmeron.

86. Aristotelem Commentariis et doctissimis quæstionibus illustrarunt Card. *Franciscus Toletus*, cordubensis (n. 1532 + 1586) a Gregorio XIII omnium suo tempore sine ulla controversia doctissimus judicatus (2) et ad gravissima negotia expedienda ob sapientiam insignem innocentissimæque vitæ integritatem adhibitus, maximi etiam factus a Sixto V, Gregorio XIV et Clemente VIII, a suo vero magistro Dominico Soto *prodigium* propter ingenii excellentiam appellatus; clarissimus theologus ac sacrarum litterarum interpres et concionator pontificius. Præter opera theologica scripsit commentarios et quæstiones in Aristotelis libros de *Logica*, *Physico auditu*, de *Generatione* et *corruptione*, ac de *Anima*.

Card. Toletus,

87. *Petrus Fonseca*, lusitanus (+1599, ætatis 71) scripsit egregiarum *Institutionum Dialecticarum* libros octo; et *Commentaria* in *libros Metaphysicorum Aristotelis*. «Magnus erat præsertim sæc XVII horum commentariorum in scholis

Petrus Fonseca

(1) Apud H. Hurter *Nomenclator litterarius* t. 1 p. 155, Œniponte, 1871-73. Quanti fieret Foscararius a Concilii Patribus constat ex iis quæ de eo referunt Echard et Quetif. script. O. Præd. «Sessionum etiam ejusdem concilii ordinandarum digerendarumquo cura canonum ipsi demandata fuit, quod egregie præstitit et quæ nunc habemus editaque prodierunt, ordine redegit.» Cfr. Pallavicini Histor. Conc. Trid. lib. 17 c. 11 Hurter ib. in nota.

(2) In litteris ad Albertum Bavariæ ducem anno 1576 datis.

philosophicis usus (1). Celebritatem autem nactus est Fonseca, quod primus, *non novitatis amore,* sed *claritatis gratia*, tertium invexerit membrum in scientiæ divinæ partitione, quæ a loco intermedio, quem occupat inter scientias, liberam et necessariam, contingentem et naturalem, *scientiæ mediæ* nomen obtinuit, quæ tot deinceps rumores excitavit, et cujus tantæ sunt partes in Molinæ aliorumque de gratia systematibus» (2).

Conimbricensium Cursus Philos. Auctoribus, Emmanuele de Goes et Sebastiano Couto,

88. *Collegii Conimbricensis Cursus Philosophiæ.* «Emmanuel de Goes, Lusitanus, ex oppido Portel Eborensis diœcesis, Jesuitarum sodalis, oratione tam soluta quam pedibus adstricta dicendique facultate plurimum valuit, humaniorum et philosophicarum disciplinarum valde doctus, scripsit: *In libros Physicorum Aristotelis;* in ejusdem libros de *Cœlo, Meteora* et in *Ethica:* quæ vivus edidit. In ejusdem libros de *Anima* et in libros de *Generatione* et *Corruptione*. Hæc omnia sine auctoris nomine sub appellatione *Collegii Conimbricensis* edita sunt. Cui cum supposuisset nomini alius, nescio quis, *Commentarios* in *Aristotelis Logicam*» indignos qui ad perficiendum Artium, ut vocant, Cursum hunc admitterentur, editos Francofurti anno 1604; abolendis illis edidit, Collegii ejusdem appellatione usus, Sebastianus Coutus Lusitanus ex oppido Olivenza, genuinos Commentarios in Logicam» Aristotelis, qui una cum cæteris jam laudatis per manus eunt (3).

Rubio,

89. «*Antonius Rubio*, patria rodensis, Jesuita, Mexici Novæ Hispaniæ Philosophiæ Theologiæque docendæ operam diu navavit, reversusque in Hispaniam Compluti consedit, obiitque 8 Martii 1615, ætatis suæ 67, vir doctrina eximius atque editis de tota Philosophia libris. Nempe in lucem dedit *Commentarios in Universam Aristotelis Logicam, sive Logicam Mexicanam*... Eorumdem Commentariorum *Compendium in gratiam Academiæ Complutensis*, quæ publico decreto suis professoribus eos juventuti explicandos præscripsit, curavitque decretum hoc suum auctoritate regia firmari, si non fallit Alegambius in *Bibliotheca Societatis. Commentarios in octo libros*

(1) Cfr. Alegambe, Biblioth. scriptor. S. J.; Backer. Bibliotheque des Ecrivains de la Compagnie de Jesus.

(2) H, Hurter. Op. cit. t. 1, pag. 101, 110 in nota.

(3) Nicolaus Anton. in *Bilioth. nova*, tom. 1, pag. 349, Matriti 1783.

Aristotelis de physico auditu, De Ortu et interitu seu de Generatione et *corruptione rerum naturalium, Commentarios in libros de Anima*. Prodierunt etiam posthumi *Commentarii* in libros Aristotelis *de Cœlo et mundo*» (1).

Sylvester Maurus,

Aliquot annis posterius Aristotelis libros felicissima maximeque perspicua paraphrasi exposuit et illustravit *P. Sylvester Maurus* (n. 1619 + 1687), qui præterea libros quinque *Quæstionum philosophicarum* et tractatus varios theologicos evulgavit.

Ludov. de Molina,

90. *Ludovicus de Molina*, conchensis, discipulus Petri Fonseca (+ 1600 ætatis 65), vir insignis ingenio et, quod caput est, virtute, paupertate potissimum, humilitate, obedientia observantiaque in Superiores. «Magnus utique fuit Molina, scribit Nicolaus Antonius, nullique secundus moralium rerum et jurisprudentiæ utriusque magister» (2). Nec minorem famam assecutus est in Theologia, in qua ipse primus, variis hinc inde Patrum ac veterum scriptorum collectis doctrinæ capitibus, systema suavissimum concinnavit, conciliandæ cum humana libertate divinæ prædestinationi gratiæque efficacitati, quod Societatis theologi aliique externi bene multi propugnarunt, et his quoqu etemporibus propugnant adversus Thomistarum systema.

Francisc. Suarez, *Eximius Doctor.*

91. *Franciscus Suarez*, granatensis (n. 1548 + 1677), *Theologiæ Scholasticæ clarissimum* et *famosissimum lumen* (3), *recentiorum omnium gravissimus scriptor* (4), *tantæ subtilitatis Theologus ac Philosophus, ut vix quemquam habeat parem* (5), *quo loquente, universam recentiorem scholam audimus* (6), honorificentissimo *Doctoris Eximii* titulo insignitus a Paulo V Pontifice Max., quod deinceps cognomen tota posteritas confirmavit. A multis in dubium vocatum est, doctiorne esset Suarez, an sanctior. Philosophiam primum docuit Segoviæ (1572); Theologiam vero Abulæ, Segoviæ (1575), Vallisoleti (1576), Romæ (1578), ubi primæ, quam habuit, prælectioni

(1) Nicolaus Ant. Op. nuper cit. t. 1, pag. 159.
(2) Nicol. Ant. Op. nuper cit. t. II pag. 53.
(3) Joann. Morinus, *de Pœnitentia*, lib. 8, cap. 4.
(4) Card. Norisius in *Vindic. August.* Cap. 1.
(5) Grotius epist. 154 Joanni Cordesio inscr. 15 Octob. 1663.
(6) Bossuet apud Feller *Biographie universelle*, 12, 74.

fertur Gregorius XIII interfuisse (1), Compluti (1885) et Conimbricæ (1597), cujus academiam viginti circiter annos suæ splendore doctrinæ illustravit. Opera Suarii Lugduni, Maguntiæ ac demum Venetiis 1740-1757 collecta 23 voluminibus in folio prodierunt, quæ Parisiis iterum edita sunt an. 1856 voluminibus 28 in 4.°, quibus adjecit cl. Malou aliud ex ineditis, quod Bruxellis an. 1859 typis mandavit cum hoc titulo: *R. P. Francisci Suaresii* etc. *Opuscula sex inedita*... Alii vero adhuc restant tam fœcundi ingenii partus, qui lucem nondum viderunt. In his operibus philosophica sunt quinque libri *de Anima*, in volumine tertio Operum contenti, quos junior scripsit Suarez, nec corrigere potuit, morte correptus, nisi usque ad cap. 14 libri primi. Insignis quoque tractatus *De Legibus* plurima philosophica continet. Opus demum *Metaphysicarum disputationum*, in quo Theologia naturalis ordinate traditur et quæstiones ad omnes Aristotelis duodecim libros pertinentes accurate disputantur, tanti a doctis viris factum est, «ut haud multorum annorum spatio duodecies vel sæpius prodiret in Gallia, Germania, Belgio et Italia. Assidue illud lectitabat Fabius Chigi (postea Alexander VII); hinc in præfatione thesium, quas pro obtinenda doctoratus laurea publice defendit, ita de Suarez loquitur: «*Qui mihi professoris voce destituto unus præsto fuit suis in lucem editis libris Franciscus Suarez, theologorum hujus ætatis facile princeps: quem cum Philosophiæ operam darem, scriptorem novi acutissimum amavique, ideo ipsum in Theologia doctorem sane perspicuum optimumque sum expertus*» (2).

Superfluum plane est, encomia quæ largissime omnis ætatis, conditionis, nationis viri eruditi de *Doctore Eximio* pronuntiarunt, hic referre; notissimum siquidem est, Suarez, principis instar inter recentioris scholæ Theologos eminere. Merito in ejus operibus laudant profunditatem ingenii, qua omnia fere tangit, quæ in unaquaque materia apte dici possunt (3), claritatem insignem (4), qua omnes in qualibet

(1) Cfr. *Historia Soc. Jes.* part. 6 lib. 2. n. 121.

(2) H. Hurter, Op. cit. vol. 1, pag. 262.

(3) Ita Vincentius Fassari, *Trutinæ theol*, disp. 5, divis. 2 par. 2 n. 11.

(4) Werner, Franc. Suarez apud H. Hurter loc. cit. pag. 259, nota 2.

quæstione cujusvis ætatis sententias dilucide refert cum argumentis, quæ modeste dein omnes in partes expendit. Neque solum versatissimus est in operibus Theologorum Scholæ, verum etiam in operibus Patrum, in scriptis hæreticorum omnis ætatis et in operibus æqualium suorum, licet in regionibus dissitis prodierint» (1).

Et hæc, pauca quidem pro tanti viri dignitate, nimis tamen multa, si scopus hujus indicis celebriorum Philosophorum spectetur, ideo dicta sunt, quia probe novi male Suarium apud quosdam audire, qui *Doctorem Eximium* dictitant, egregium quidem fuisse Theologum, at perversum vitandumque Philosophum: quasi fieri posset, ut aliquis perversus aut etiam mediocris Philosophus, insignis evadat Theologus Scholasticus (2). Alii dicunt ideo se Suario esse infensos, quia Suarius S. Thomæ doctrinam deseruit vel etiam corrupit et adversus ejus scholam ipse suam scholam instituere contendit. Hanc tamen ego meram calumniam esse certissime puto, et facile quivis videbit, si paulisper opera granatensis Philosophi evolvere velit: quæ etiam est sententia Em. Cardinalis Zephyrini Gonzalez, e S. Ordine Prædicatorum in sua Historia Philosophiæ (3), ubi docet Philosophiam Suarezii eamdem esse cum Scholasticorum Philosophia vel potius esse Philosophiam S. Thomæ, et ab hoc illam vix in ulla re alicujus momenti discedere, si distinctionem inter essentiam atque existentiam excipias, et directam singularium cognitionem

---

(1) H. Hurter, op. cit et loc. pag. 258, 259, ubi plura alia elogia vide.

(2) Audi quid in hanc rem scripserit SSmus. Dominus Noster in suis Litteris *Æterni Patris: Cum illud sit Scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo conjunxerint, profecto Theologia in qua illi excelluerunt,* **non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem Philosophiam adhibuissent.** Paragraph. *Quæ verba quamvis.....*

(3) «La Filosofía de Suarez coincide con la escolástica, ó mejor dicho, es la Filosofía de Santo Tomás, á quien cita y sigue en cada página de sus obras filosóficas.» (Op. cit. tom. 3. par. 34, par. 145, Madrid 1886).

modumque divini concursus (1). Verum ut sincere quod sentio, aperiam, id mihi videtur revera in Suarezio adversariis displicere, quod simili modo ille S. Thomam secutus est, quo ipse S. Doctor suos magistros, nempe illos attentissime legendo et meditando, non dissimulando vel contemnendo aliorum scriptorum sententias, sed omnia sedato animo in trutinam rationis revocando, rationemque auctoritati anteponendo. Verum ad alios transeamus.

Gabriel Vazquez,

92. Gabriel Vazquez, Bellomontanus (n. 1551 + 1604) alterum Theologiæ Scholasticæ clarissimum et famosissimum lumen (2), quem nonnulli propter ingenii acumen et profunditatem *hispanum Augustinum* dixere (3). «Vir fuit acerrimo ingenio, ait Nicolaus Antonius, singulari ac recondita rerum sacrarum eruditione, totius theologicæ doctrinæ callentissimus atque in veterum Patrum monumentis exercitatissimus» (4). Nec minus laude dignus fuit propter insignes virtutes, in quibus eminebant sui contemptus, paupertas, et obedientia (5). Scripsit decem volumina in folio, *Commentariorum ac Disputationum in Summam theologicam* et variorum Opusculorum. «Exstant præterea collectæ ex ipsius operibus ab aliquo doctrinæ ejus studioso, et typis editæ, *Metaphysicæ disquisitiones*. Antuerpiæ 1618 in 8.°» (6).

Gregorius de Valentia,

93. *Gregorius de Valentia*, natus Methynnæ Campi in Hispania an. 1551, mortuus 1603, Romæ primum Philosophiam admodum juvenis docuit, mox «a Provincialibus tum Franciæ tum Germaniæ propter insignes ingenii dotes expetitus, in Germaniam fuit missus 1575, ubi Dilingæ per annos circiter 23, tum Ingolstadii strenue promovit rem catholicam prælectionibus, disputationibus, scriptis.» Denique «Romæ Theologiam docere, ac dein in celebri Congregatione *de Auxiliis* coram Clemente VIII doctrinam Societatis jussus est

(1) Ibid, ubi nota relate ad modum divini concursus aliis videri Thomistas potius, quam Suarezium vel Doctores Societatis, a S. Thoma discedere: qua de re suo loco fuse disputandum erit.

(2) Morinus. De Pœnitentia, lib. 8, c. 4.

(3) Novis. in *Vindic. August.* c. 3. par. 5.

(4) *Biblioth. hisp. nova* vol. 1, p. 510.

(5) *Historiæ Soc. Jesu auctore Juvencio*, par. 5. lib. 23 par. 42.

(6) Hurter, Op. cit. vol. I pag. 268, ubi plura alia.

defendere: quod magna ingenii subtilitate, claritate et eruditionis apparatu præstitit, adeo ut illum Pontifex *doctorum Doctorem* (1) dixisse feratur» (2). Inter plura alia hujus viri opera eminent *Commentariorum theologicorum in Summam S. Thomæ* volumina quatuor, in quibus plurimæ etiam philosophicæ quæstiones pro re nata disputantur mira claritate, profunditate, ingenii subtilitate.

Didacus Ruiz de Montoya,

94. *Didacus Ruiz de Montoya* quoque «primis Scholæ sideribus annumerandus» est (3): fuit hispalensis, multaque conscripsit theologica opera vere aurea, in quibus etiam sæpe occurrunt philosophicæ controversiæ cum theolologicis connexæ, eruditissime solidissimeque pertractatæ. Vivere desiit anno 1632 (4).

Card. Joannes de Lugo.

95. *Joannes de Lugo* S. R. E. Cardinalis, patria hispalensis, quamvis natus Matriti fuerat 25 Nov. 1583, vir acerrimi subtilissimique ingenii, docuit Theologiam in Romano collegio viginti annorum spatio. Plura scripsit opera theologica et Cursum Philosophiæ, qui tamen nondum editus est.

Rodericus Arriaga,

96. *Rodericus de Arriaga* lucroniensis (n. 1592 + 1667), Philosophiam Vallisoleti magno plausu professus est, mox Pragam translatus Theologiam 13 annis docuit, 12 annis cancellarius illius Universitatis fuit, et 20 annis generalis studiorum præfecti munus obiit magna doctrinæ et nominis claritudine; «vir omnium judicio ob subtilitatem ingenii, doctrinæ præstantiam et virtutis commendationem inter prima Societatis lumina collocandus» (5). Scripsit *Cursum Philosophiæ* sæpius typis impressum, et *Disputationes theologicas* in Summam S. Thomæ, seu Cursum theologicum tom. 8 in folio.

Cosmus Alamanni,

Benedictus Pereira,

97. His addendi sunt *Cosmus Alamanni*, qui Summam Philosophiæ ad formam Summæ theologicæ S. Thomæ conscripsit ex verbis ejusdem Doctoris concinnatam; *Benedictus*

---

(1) Adamus Contzen, lib. 5 *Politicæ*, cap. 1.

(2) H. Hurter, loc. cit. p. 281, ubi plura alia.

(3) H. Hurter, loc. cit. p. 518.

(4) Vide plura apud Hurter et Nicolaum Antonium in *Biblioth. hisp. nova*. t. 1 p. 311.

(5) Cfr. Sotvellus, *Scriptores Soc. Jesu;* Nicol. Ant, Op. cit. t. 2, p. 26; H. Hurter, Op. cit. t. 2. pars 1 pag. 1. 2.

Pererius (Pereira) valentinus, vir eruditissimus, qui præter plurima alia opera theologica et exegetica scripsit *De communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus* libros 15 (1). Cursus vero philosophicos ediderunt *Petrus Hurtadus* gente cantaber domo valmasedanus († 1651), *Bartholomæus Amicus*, neapolitanus († 1649), *Franciscus Oviedo*, matritensis († 1651); *Georgins Rhodes* († 1661) avenionensis, *Franciscus Soares*, lusitanus († 1659); aliisque multis omissis, *Joannes Baptista de Benedictis* (n. 1622 † 1706) italus, «cujus celebre nomen in Philosophia peripatetica: edidit enim *Philosophiam peripateticam* t. 5 (sed tomus quintus non prodiit) comprehensam... et *Lettere apologetiche in difesa della Theologia e Filosofia peripatetica*, sub nomine *Benedetto Aletino*... quæ scripta sunt adversus Cartesii Philosophiam» (2).

Petrus Hurtadus, Barthol. Amicus. Francisc. Oviedo, Georgius Rhodes, Francisc. Soarez, Joannes Bapt. De Benedictis

98. Sed jam veniendum est ad novam vel recentem Philosophiam, quæ a Cartesio initium habuit. *Renatus Cartesius (Des Cartes)* natus est in Gallia in oppido Haye Provinciæ Tourainensis anno 1596, absolutisque studiis, militiam primum secutus, deinde varias nationes peragravit, ac demum ad scribendum se contulit († 1650). In illo principio quo statuit *nihil esse admittendum tamquam verum nisi quod evidens est*, agnoscunt multi rationalismum, qui putatur esse propria tessera doctrinæ Cartesianæ (3). Hinc Victor Cousinus asseruit: «*Philosophia, quæ Cartesium præcesserat, erat Theologia, at Philosophia Cartesii est separatio Philosophiæ a Theologia.*» Horum primum falsum est, inquit Em. Card. Gonzalez, quia licet Philosophia ante Cartesium amice cum Theologia concordabat, erat tamen scientia ab eadem distincta; alterum autem verissimum existit, eo enim tendit indoles cartesianæ Philosophiæ, ut a Theologia divortium faciat (4). Cæterum quamquam Cartesium de scientiis mathematicis ac Physica experimentali bene meruisse compertum est, variæ tamen fuere de

Philosophia innovata. Renatus Cartesius.

(1) Hujus laudes auctoris fusius videri possunt apud Nicol. Anton. Op. cit. vol. 1, p. 211, 212, H. Hurter op. cit. t. 1 pag. 330 seqq.

(2) H. Hurter Op. cit. 2 pars. 1, pag. 655.

(3) Vide fuse de his disserentem C. Gonzalez, Op, cit. t. 3. par, 48 Cfr. par. 39, 47.

(4) Gonzalez, Oper. cit. par. 48.

meritis ejus in Philosophia sententiæ, aliis illum ad sidera extollentibus, aliis fere omnium posteriorum errorum reum judicantibus, quia nempe illorum in ejus operibus vel semina et principia vel certe occasionem et incitamentum deprehendere sibi videbantur. Illud quoque addi potest, graviores sanioresque Theologos ac Philosophos catholicos plus minus a Cartesianis placitis abhorruisse in Philosophia (1).

Cartesii asseclæ.

Cartesium fidelissime secuti sunt *Ludovicus de la Forge*, medicus et amicus illius; *Antonius Le Grand*, medicus, duacensis; *Claudius Clerselier; Sylvanus Regis; Clauberg* (n. 1622;) *Christophorus Vitichius* (n. 1625 + 1687) et Jansenisticæ sectæ asseclæ, *Antonius Arnaldus* (+ 1694) ac *Nicole* (+ 1695), aliique (2). Nec inter ipsos ecclesiasticos viros defuere multi, qui Cartesium Aristoteli ac Scholasticis anteponerent.

Cartesii impugnatores.

Contra vero illum acerrime impugnarunt inter alios *Gisbertus Voet*, minister Protestanticæ religionis; *Cudwort* (1617 + 1688), auctor *Systematis intellectualis; Samuel Parker*, pseudo episcopus Oxoniensis anglicanorum; *PP. Bourdin* et *Daniel* e Societate Jesu (3); *Daniel Huet*, episcopus Avrincensis (4); sed præ cæteris *Petrus Gassendi* (n. 1522 + 1655) vir non minus infensus Cartesianis, quam Asistotelicis doctrinis (5).

Alii Cartesiani: Geulincx, Mallebranche,

Cartesianam quoque disciplinam amavit occasionalismi instaurator *Arnaldus Geulincx* (6), (n. 1625 + 1670); et *Nicolaus Mallebranche*, e Congregatione Oratorii Berullensis, natus Parisiis anno 1638 et mortuus 1715, Occasionismi, Ontologismi aliorumque errorum sectator (7), et *Baruch* vel *Benedictus Spinosa*, amstelodamensis (n 1632 + 1677), atheus et impius rationalista et sophisticus pantheista (8).

Spinosa, impius pantheista. Leibnitz.

99. Cartesiana doctrina nobilissimum nactus est adversarium in Gottifredo Gullielmo *Leibnitz*. Lipsiæ natus (a. 1646),

(1) De doctrina Cartesii vide Card. Gonzalez, par. 49, 50.
(2) Gonzalez, par. 51; Bouvier, op. cit. liv. 8, chap. 18.
(3) Bouvier, Op. cit. liv. 8, chap. 18.
(4) Gonzalez, par. 52.
(5) Gonzalez, par. 53.
(6) Id. Ibid. 54.
(7) Id. Ibid. par. 58, 61.
(8) Id. Ib. par. 58-61.

vir fuit doctissimus et gravissimus, philosophus, theologus, mathematicus et jurisconsultus. Et quamvis nulli se penitus sectæ addixit, Scholasticorum doctrinam præ cæteris amavit, inque suis libris potissimum amplexus est. Non certe caruit nævis, nec cavit omnes errores; maxime tamen laudandum est, quod vir Protestantium religionem professus, tam solide et christiane scripserit; eaque est haud levis scholasticæ Philosophiæ commendatio, quod tale ingenium in sui amorem ac studium trahere potuerit. Vivere desiit anno 1716 (1).

Æquales Leibnitzii fuere: *Anastasius Kircher* e Societate Jesu (n. 1602 + ætatis 79) fuldensis, scientiarum naturalium et mathematicarum eximius cultor fœcundissimusque scriptor; Samuel Baro de *Pufendorf*, qui Juris prudentiam coluit (n. 1632 + 1694); atquea cerrimi et prorsus iniqui Aristotelis Scholasticorumque insectatores *Ehrenfried Walther de Tschirnhausen* (n. 1651 + 1708) Mathematicus ac Physicus haud vulgaris, et *Christianus Thomasius* (n. 1655 + 1728) filius Jacobi Thomasii, qui magister fuerat Leibnitzii (2).

Æquales Leibnitzii: P. Kircher,

Pufendorf,

Thomasius,

Discipulus Leibnitzii præcipuus fuit *Christianus Wolf*, Wratislaviensis (n. 1679 + 1754), qui tamen in quibusdam rebus magistrum deseruit. Hic speculativam Philosophiam primus dicitur divisisse in *Logicam* et *Metaphysicam*, quæ deinceps partiatur in *Metaphysicam generalem* seu *Ontologiam, Cosmologiam, Psychologiam* et *naturalem Theologiam:* quæ divisio placuit multis posteris Philosophis (3).

Christianus Wolf, discipulus Leibnitzii, novam divisionem Philosophiæ invexit.

100. Adversarii Leibinitzii fuere: *Joannes Joachimus Lange*, *Petrus Bayle*, *Joannes Franciscus Buddeus* pomeranus (n. 1667 + 1729); *Andreas Rüdiger* (n. 1673 + 1731); *Christianus Aug. Crusius* (n. 1721 + 1775) et alii (4). Æqualis Leibinitzio fuit etiam *Joannes Locke*, anglus (n. 1632 + 1704), instaurator empirismi Baconiani et auctor sensismi, qui sponte sua desinit in materialismum, et magister gallorum scriptorum,

Adversarii Leibnitzii.

Joannes Locke, parens Sensismi.

(1) Vide Gonzalez, par. 65–68.

(2) Gonzalez, par. 68–70.

(3) Alios Leibnitzianos et Wolfianos, vide, sis, apud Gonzalez, par. 70 et Tennemann, t. 2. par. 368, 369.

(4) Gonzalez, par. 71; Tnnemann, par. 363 seqq.

quos *Encyclopedistas* dixere, in cujus operibus vix quidquam de veri nominis Philosophia reperias (1).

Shafterbury. Newton, Clarke, Collier, Collins, etc.

Circa id tempus vixerunt angli: *Richardus Cumberland* (n. 1632+1719), *Antonius Ashley Cooper* Comes *Shaftesbury*, amicus et Mæcenas Lockii (n. 1671+1713); *Isaac Newton* Cantabrigiensis (n. 1642+1727) vir de naturalibus scientiis optime meritus; *Samuel Clarke* (n. 1675 + 1729); *Thomas Wollaston* (n. 1669+1731) impius osor divinitatis Jesu Christi aliarumque veritatum Catholicarum; *Arthurus Collier* (n. 1680 +1732) qui semina jecit idealismi, quem mox evolvit Berkeley; *Antonius Collins*, amicus et discipulus Lockii, ardens incredulitatis propugnator, aliique (2).

Lockiani: Bolingbroke, Harteley, Priestley, Toland, impius materialista, Mandeville.

101. Discipuli et successorres Lockii habendi sunt *Henricus a S. Joanne* vicecomes *Bolingbroke* (n. 1672+1751) impius vir, sensismi et empirismi sectator et fautor scepticismi, *David Hartley* (n. 1704+1757), qui negavit homini intelligentiam specie diversam a facultate cognoscitiva brutorum, et sensationes, intellectiones, volitionesque reposuit in nerveis cerebri vibrationibus; *Josephus Priestley* (n. 1733 + 1804), Socinianus, qui materialismum professus est, negata animi spiritualitate ac libertate; *Joannes Toland*, hibernus, incredulus materialista, impudentissimus osor religionis catholicæ; et *Bernardus Mandeville*, batavus, qui tamen Londini vixit et scripsit, materialismum professus et inficiator discriminis inter bonum et malum (3).

Berkeley auctor Idealismi.

102. *Georgius Berkeleyus*, hibernus (n. 1684 + 1353), pseudo-episcopus Protestantium oppidi Cloyne, auctor *Idealismi*, qui suum systema ex Lockiana doctrina logice conclusit. Lokius enim substantiam negaverat, et distinctis qualitatibus corporeis in primarias et secundarias, asseruit solas illas (extensionem nempe, figuram, motum, etc.) esse objectivas, secundarias vero, quæ visum, auditum olfactum et gustum afficiunt, esse pure subjectivas. At Berkeleyus eodem jure

---

(1) Fertur Leibnitzius Philosophiam Lockii vocare solitus fuisse *paupertinam Philosophiam*. Plura de hoc auctore vide apud Gonzalez, par. 72–75.

(2) Gonzalez, par. 75; Tennemann, par. 346–349.

(3) V. Gonzalez, par. 76.

qualitatum omnium realitatem objectivam eliminandam esse statuit, et sic nihil extra nos realitatis esse, sive substantiale sive accidentale, sed repræsentationem corporei mundi esse meram illusionem mentis. Hanc esse existimavit Berkeley aptissimam viam evertendi materialismum (1).

Hume.

103. *David Hume*, edimburgensis (n. 1711 + 1766), negavit principium causalitatis, et ex lockiano systemate conclusit scepticismum, ac denique materialismum professus est et Positivismo Comtii prælusit (2). Adversus inexorabilem Humii scepticismum

Schola Scotica *sensus communis* Thomas Reid,

104. *Schola scotica Sensus Communis instituta est a Thoma Reidio* (n. 1704 + 1796), qui principia quædam admittenda esse decrevit, quæ ab experientia minime dependent, sed instinctu ab omnibus pronuntiantur: illaque *veritates communis sensus* appellavit. Quamquam Reidium fere in hac doctrina præcesserat jam diu *Eduardus Herbert*. cherburiensis (n. 1581 + 1648), Hobbesii æqualis.

Dugald Stewart, Hamilton.

Ad eamdem scoticam scholam pertinent *Jacobus Beattie* (n. 1735 + 1803), *Jacobus Oswald: Dugald Stewart* (n. 1753 + 1828); *Gulielmus Hamilton* (n. 1788 + 1856) (3). Cæterum tota fere hujus scholæ Metaphysica ad empiricam Psychologiam revocatur (4). Sed jam ad gallos Lockii discipulos veniendum est. Primus se offert

Sensistæ: Condillac,

105. *Stephanus Bonnot de Condillac*, sacerdos (n. 1715 + 1780), Gratianopolitanus (de Grenoble) eo tandem dementiæ venit, ut negaret hominis intelligentiam, neque ullam ei vitalem operationem sensatione perfectiorem concederet; immo vero vel ipsas potentias sentiendi assereret actibus sensitivis comparari, non autem esse virtutes animo natura ingenitas (5).

Cabanis,

Ad sensualisticam condillacthii scholam revocandi sunt P. F. *Georgius Cabanis* (n. 1757 + 1808), qui operationes omnes, sive sensibiles sive intellectuales in variis nervorum affectionibus absurdissime reposuit, animamque ipsam

(1) Cfr. Gonzalez, par. 77.
(2) Gonzalez, par. 78.
(3) De quo fuse Gonzalez, par. 80.
(4) Cfr. Conzalez, par. 81.
(5) Gonzalez, par. 82.

rationalem esse aliquid resultans ex nerveo systemate (1); *Destutt Tracy*, sensualismi vel sensismi sectator, qui omnem diversitatem operationum cognoscitivarum appetitionumque, ad meram sensationum varietatem revocavit.

Tracy.

106. Lockii etiam asseclis aggregari merentur Franciscus Maria Arouet *Voltaire* (1694 + 1778) vir impius, sceleratissimus, et sacrarum divinarumque rerum impudentissimns irrisor; *Joannes Jacobus Rousseau*, genevensis (n. 1715 + 1778) eversor ordinis moralis et socialis, osor revelatæ religionis, dux et magister civilium perturbatorum; et *Encyclopædistæ*, genus scriptorum materialistarum et atheorum, qui nullam religionem professi, christianam potissimum religionem omni studio delendam, auctoritatem evertendam, moresque penitus corrumpendos suscepisse videntur. Eum in finem *Encyclopædiam* (2) conscripsere triginta tria volumina complexam. Præter Dionisium *Diderot* (n. 1713 + 1784) et Joannem Le Rond *d' Alembert* (n. 1717 + 1783) qui opus illud edidere ac direxere, plures alii fuerunt, qui *Philosophorum* sibi nomen arrogantes, vel in eo conficiendo allaborarunt, vel similes errores disseminarunt. Tales fuere P. L. Moreau de *Maupertuis* (n. 1698+1759) Gullielmus Thomas *Reynal* (n. 1713+1796), Fridericus Melchior *Grimm* (n. 1723 + 1807) Julianus Offroy de *la Mettrie* (n. 1709+1751); *Franciscus Vincentius Toussaint* (n. 1715+1772), Claudius Hadrianus *Helvetius* (n. 1715+1771), Paulus Henricus Dietrich baro *d' Holbah*, (n. 1723+1789) auctor *Systematis naturæ*, quod opus sub nomine *Mirabaudi* apparuit, estque armamentarium atheismi et materialismi (3); Renatus *Robinet* (n. 1735+1820); J. Andreas *Naigeon* (n. 1738+1810); M. J. Antonius Nicolaus Caritat marchio de *Condorcet*, Carolus Franciscus marchio *de Saint Lambert*, Franciscus Chasseboeuf Comes *Volney* (n. 1755 +1820) aliique (4).

Voltaire,

Rousseau,

Encyclopædistæ.

Diderot,

D'Alembert,

Impii Scriptores dicti *Philosophi:*

Maupertuis,

La Mettrie,

Helvetius,

Holbach,

Robinet,

Condorcet.

(1) Gonzalez, par. 83. Sunt tamen qui Cabanio attribuunt epistolam quamdam, in qua doctrina hujusmodi corrigitur ac penitus deseritur.

(2) *Encyclopédie on Dictionaire raisonnée des sciences etc.*

(3) Hoc opus ab aliis tribuitur *Lagrangio*, qui fuit pædagogus filiorum baronis d' Holbach.

(4) V. Gonzalez, par. 85-89.

Isti nempe qui se *Philosophos* dicebant, nihil minus fuere quam Philosophi, scriptores materialistæ, impii, levissimi, impudentissimi, ac satyrici sacrorum omnium irrisores, qui morum corruptelam, fidei christianæ ruinam, auctoritatis contemptum cæteraque fere mala, quæ lugemus, invexerunt ac latissime propagaverunt.

107. Paulo ante encyclopedistas floruere: neapolitanus *Joannes R. Vico* (n. 1668+1744); Carolus Secundat baro de *Montesquieu*, burdigalensis (n. 1690+1755), qui licet habeat multa recte scripta in suo opere de *Spiritu legum*, alia tamen sunt, potissimum in *Litteris Persianis*, haud indigna vel ipsis encyclopædistis ac Philosophis; *Joannes Jacobus Burlamaqui* (n. 1694+1748) genevensis; et *Emericus Vattel*, helveticus (n. 1714+1767) qui de Jure scripserunt; et *Carolus Bonnet* (n. 1720+1793) genevensis, naturalium scientiarum haud vulgaris cultor (1); et Georgius Ludovicus Le Clerc comes de *Buffon* (n. 1707+1788), qui haud exiguum nomen obtinuit sua Historia naturali (2).

Vico, Montesquieu. Burlamaqui, Bonnet. Buffon.

108. Scepticismum in hac ætate, quæ a Cartesio initium repetit, vel propugnarunt vel plus minus foverunt inter alios: *Samuel Sorbiere*, parisiensis (n. 1615+1670): *Simon Foucher* (+ 1648) qui Nicolaum Mallebranchium impugnavit; *Josephus Glanvill*, anglus (+ 1680); *Petrus Daniel Huet*, episcopus Avrincensis (n. 1630+1721); *Petrus Bayle* (n. 1647+1706) vir periculosissimus, plenus impietate ac dolo; et Joannes Baptista Boyer, marchio *d' Argens*, aquensis (n. 1704+1771), Friderici Magni cubicularius (3).

Sceptici: Petrus Bayle, Argens etc.

109. In tanta novarum sectarum turba non defuere, qui Scholasticorum doctrinas cum honore tuerentur: in quibus speciali mentione digni sunt, aliis omissis, Card. *Aguirre*, Antonius Goudin et Joannes Baptista de Benedictis, quos superius memoravi, et P. *Ludovicus de Lossada* e Societate Jesu, qui egregium et gravissimum *Cursum Philosophicum regalis Collegii Salmanticensis* edidit elapso sæculo, quod opus iterum typis mandatum est Barcinone ante paucos annos;

Scholastici: P. Lossada.

(1) Gonzalez, par. 87; Bouvier, livr. 9. sect. 2. chap. 2. 4.
(2) V. Bouvier, loc. nup. cit. chap. 3.
(3) V. Tennemann, par. 341 et 350.

Caramuel, Roselli. *Joannes Caramuel de Lobkowicz* ex S. Ordine Cisterciensi, hispanus; *Salvator Maria Roselli* ex S. Ordine Prædicatorem, qui elapso sæculo eruditam et præclaram *Summam Philosophiæ ad mentem Angelici Doctoris* scripsit (1).

Feijoo, Hervas. His addendi sunt *Feijoo* ex S. Familia S. Benedicti, eruditissimus scriptor, et P. *Laurentius Hervas* y *Panduro* naturalium scientiarum peritus ac pater recentis Philologiæ aliique (2), qui licet penitus Scholastici non fuere, bene tamen de Philosophia meruerunt. Horum tamen conatus impedire nequiverunt, quominus ubique fere triumpharent doctrinæ a Cartesio ejusque asseclis profectæ. Interea vero novus novarum doctrinarum magister et coriphæus surrexit,

Kant. 110. *Emmanuel Kant* (n. 1724+1804) regiomontanus (Kœnisberg) auctor *Criticismi* ac *Transcendentalis Scholæ*, et fœcundus parens recentis pantheismi, rationalismi, idealismi, scepticismi, atheismi, immo forte etiam ipsius materialismi ac positivismi (3). Multos nactus est Kantius et adversarios et asseclas, quos longo ordine recensitos reperies apud Tennemann (4). Inter adersarios Kantii nominandus est *Fridericus Henricus Jacobi*, Germanus, auctor *Scholæ sentimentalis* (n. 1743 + 1819), cujus præcipuus discipulus fuit batavus *Hemsterhuis* (5): inter asseclas autem memorari merentur *Krug* (n. 1774+1842); et *Fridericus Bouterweck* (n. 1766+1828); *Bardili* (n. 1761+1808), et *Jacobus Fridericus Fries* (n. 1773 + 1843), quamvis tres prostremi doctrinam Kantii non parum immutarunt emendaruntque (6).

Jacobi auctor Scholæ sentimentalis

Pantheistæ transcendentales: Fichte, Schelling, Hegel 111. Ex Kantiano systemate natus est *Transcendentalis Pantheismus*, quem professi sunt *Amedeus Fichte* (n. 1762+1814), *Fridericus Schleimacher* (n. 1768+1834), *Fridericus Gullielmus Jos. Schelling* (n. 1775+1854), *Gullielmus Fridericus Hegel* (n. 1770+1831), qui deliriis sua opera impleve-

(1) Cfr. Gonzalez, par. 89.

(2) Vide illos apud Gonzalez, par. 80.

(3) V. Gonzalez, par. 92 seqq.; Bouvier, Op. cit. livr. 9 sect. 3 chap. 5 seqq.

(4) Paragr. 386-387. Cfr. Gonzalez, par. 101-104.

(5) Gonzalez, tom. 3. par. 104.

(6) Gonzalez, t. 3. par. 103. Tennemann, par. 411-412. Bouvier, livr. 9. sect. 3 chap. 10.

runt (1). Pantheistæ quoque fuere *Carolus Christianus Fridericus Krause*, cujus placita ad multorum perniciem invexit in Hispaniam, *Sanz del Rio* (2); et propugnant in Belgio *Tiberghien* et *Ahrens* (3). Pantheismum mixtum cum rationalismo et materialismo sectatus est impius *David Fridericus Strauss* (n. 1808) (4); Pantheismum cum *Anthropolatria* seu hominis *divinizatione* et sensualismo materialistico *Feuerbach* (n. 1804 + 1872) et *Max Stirner* et *Arnaldus Ruge* (n. 1802) ac *Georgius Fridericus Daumer*, qui hujusmodi absurda collegerunt ex hegelianis principiis (5). Cæterum Schelling et Hegel haud paucos habuere asseclas et adversarios, quos referre hic non est necesse (6); at culmen pantheisticæ dementiæ attigisse videntur *Schopenhauer* (n. 1788) et *Eduardus Hartmam* (n. 1842), de quibus videri potest Card. Gonzalez (7).

Krause, Sanz del Rio, Tibergien, Ahrens, Strauss, Feuerbach, Schopenhauer, Hartmann.

112. Sectam, quam dicunt *psychologicam* duxere contra materialismum et idealismum pantheisticum Joannes *Fridericus Herbart* (n. 1776+1841); *Rodolphus Herman Lotze* (n. 1817); *Fechner*, *Waitz* (n. 1821+1864) aliique (8).

Psychologica schola. Herb Lotze,

Adulphus *Trendelenburg* recentiorum placita cum Aristotelis doctrina revocare in concordiam studuit (9). At *Czolbe* sensismum redintegravit, ac negata omni realitate, quæ sensum transcendat, purum materialismum professus est, nihil esse in rerum natura statuens præter materiam et motum. Brutalem hanc doctrinam, quam dudum Cabanis, La Mattrie, et Broussais docuerunt, magis evolvit nostris diebus *Büchner*, quem sequuntur *Vogt*, *Littré*, *Lefevre*, *Broca*, *Moleschott*, *Virchow*, *Tyndall*, *Huxley*, *Jacquot*, *Burmeister*, *Bois Reymond*, *Veberweg*, *Comte Löwenthal*, *Haeckel* aliique. Videntur

Trendelenburg. Materialistæ: Czolbe, Littré, Moleschott, Virchow, Tyndall, Bois-Reymond, Hæckel

(1) Gonzalez, op. cit. vol. 4, par. 3-4-5-6-8-13 et 33.

(2) Gonzalez, par. 18. Vide opus a cl. Joanne Emmanuele Orti y Lara contra Krause scriptum.

(3) Gonzalez, Op. cit. t. 4 par. 65.

(4) Gonzalez, vol. 3 par. 16.

(5) Gonzalez, par. 17.

(6) Vide, sis, Gonzalez, vol. 3 par. 7-13-14-15. Tennemann, par. 402.

(7) Op. cit. t. 4 par. 27-32.

(8) De quibus omnibus vid. Gonzalez, par 21-27.

(9) Gonzalez, par. 34.

autem inter materialismum et spiritualismum incerti fluctuare *Flügel*, *Zoellner* et neokantianus *Lange* (1).

Transformismus:

113. Maximam habet affinitatem et connexionem cum materialismo *Darwinismus*, seu doctrina *transformationis* specierum et *evolutionis* materiæ ab imperfectioribus ad perfectiores species per suos gradus, quæ a Gallo I. B. P. Antonio de Monnet *Lamark* (n. 1774 + 1829) primum proposita mox a Carolo *Darwin* magis evoluta (anno 1859) in libro de *Origine specierum*, tandem ab Haeckel (ab anno 1866) ad ultimas usque consequentias rigidioris materialismi deducta est (2).

Lamark
Darwin,
Hæckel.

Positivismus.

114. Non procul abest a materialismo etiam *Positivismus* sive systema eorum, qui rejecta *causarum* investigatione, quam impossibilem reputant, facta dumtaxat seu phænomena inquirenda esse in scientia docent, et leges phænomenorum, sive mutuas successionis, simultatis, prioritatis etc. relationes inter varia facta. Hanc doctrinam, quæ omnis scientiæ veri nominis interitus est, primum invexit *Augustus Comte* (n. 1798 + 1857) (3), deinde cum materialismo permiscuerunt Robin et Littré et alii in Gallia (4) Eamdem in Anglia coluere potissimum *Stuart Mill*, pater ejus *Jacobus Mill*, *Bain*, *Lewes*, et *Herbertus Spencer* (5), qui etiam ad scholam, quam vocant *psychologicam*, pertinent, quæ nempe phænomena conscientiæ, eorumque causas leges et conditiones scrutatur.

Comte,

Stuart Mill,
Herbertus
Spencer,

115. Adversus atheisticum sensismum gallorum encyclopædistarum, duo genera Philosophorum pugnaverunt potissimum in Gallia, *Spiritualistæ* catholici et sectatores spiritualismi racionalistici. In his postremis eminent *Roye-Collard* (n. 1763 + 1845), Petrus *Laromigiuière* (1757 + 1837). *Maine de Biran* (n. 1766 + 1824) (6), et *Victor Cousin* (n. 1792 + 1867), qui Pantheismum prius, deinde, nondum eodem penitus ejurato, spiritualismum rationalisticum amplexus est, simul cum *Eclecticismo* illo absurdo, qui a suo auctore nomen

Rationalistæ
galli:
Roye-Collard,
Laromiguière,
Maine de Biran,
Victor Cousin,
pantheista,
rationalista et
absurdi
Eclecticismi
fautor.

(1) V. Gonzalez, par. 47.

(2) Vide apud Gonzalez (t. 4, par. 55-59) varios tam abnormium errorum propugnatores.

(3) V. Gonzalez, par. 43.

(4) Gonzalez, par. 44.

(5) Gonzalez, par. 45 et 59.

(6) Gonzalez, par. 31. Bouvier, livr. 10, chap. 3.

habuit, supponitque in omnibus opinionibus et systematis, utcunque inter se contradictoriis, particulam aliquam veritatis, et veritatem dispersam ac divisam esse inter omnia systemata philosophica, nullum proinde veritatem plene possidere, sed singula illa non esse nisi veluti facies diversæ ac partes veritatis, atque adeo veritatem plenam obtineri non posse, nisi conflatis in unum atque in concordiam redactis variis contrariisque systematis (1). Cousini discipuli celebriores fuisse dicuntur *Damiron*, *Remusat*, *Theodorus Jouffroy* (n. 1796 + 1842), *Julius Simon*, *Saisset*, *Leveque*, *Caro*, *Coquerel*, *Fontanès* aliique (2).

Cousini asseclæ: Th. Jouffroy, Julius Simon, Saisset etc.

Renan, *Taine* et *Vacherot* sectantur Philosophiam, quam dicunt *criticam*, quæ a Kantiano criticismo derivat, et negato omni ente supranaturali, pluribusque veritatibus ordinis metaphysici et moralis, immo et realitate ideæ Dei, mediam quamdam viam tenere sibi illudit inter idealismum et positivismum ac materialismum, inter dogmatismum et scepticismum, inter atheismum ac theismum; re tamen vera incidit in positivismum materialisticum et atheismum (3). Hæc doctrina videtur esse forma quædam recentis *Neokantismi*, quem profitentur Lange, Liebmann aliique (4).

Philosophia *critica*. Renan etc.

116. Progressum indefinitum mixtum cum pantheismo effrenique vivendi licentia docuit Henricus comes *Saint Simon* (n. 1760) quem secuti sunt *Petrus Leroux* (n. 1798 + 1871) et *Joannes Ernestus Reynaud* (n. 1806 + 1863), *Enfantin*, *Bazard*, *Lerminier*, *Rodriguez* et alii a suo duce dicti *Saint-Simoniani* (5).

Progressus indefinitus. Saint Simon, Petrus Leroux etc.

Carolus Fourier (n. 1772) qui plures nactus est discipulos, *communismum* ac novam hominum in societate distributionem proposuit, et passionum affectionumque omnium sanctitatem, nempe impudentissimam epicureismi renovationem (6). *Robertus Owen* (n. 1771) anglus ad eamdem Saint Simonis et

Communismus. Fourier etc.

(1) Gonzalez, par. 38.
(2) Gonzalez, n. 40.
(3) Gonzalez, par. 53.
(4) Gonzalez, par. 35.
(5) Gonzalez, par. 49, 50, 51; Bouvier, livr. 10, chap. 7.
(6) Gonzalez et Bouvier, loc. citatis.

Fourieri sectam pertinet, licet paulo aliter doctrinam suam exposuerit (1).

Prudhon.

Petrus Josephus Prudhon (n. 1809 + 1865) atheus, fautor perfectæ inter cives æqualitatis et anarchiæ, osor proprietatis, qui rationalismum positivistam ac materialisticum ad ordinem moralem et politico-socialem applicavit, moralitatemque absurdissimam invexit præcisam a notione Dei et ab omni metaphysico principio (2).

Ferrari, Ausonius Franchi, Mamiani, Vera etc.

117. In Italia scholam critico-positivistam secuti sunt *Josephus Ferrari*, *Christophorus Bonavino*, qui cum a catholica religione defecit, se *Ausonium Franchi* vocavit, ac nuper in sinum carissimæ Matris Ecclesiæ se recepit, et catholicam veritatem cœpit strenue propugnare in suo opera *L'ultima Critica; Mazzarella*, *Ardigo*, et *Siciliani;* quibus adjungi possunt materialistæ *Herzen Mantegazza* (3). Spiritualismum rationalisticum *Mamiani* aliique (4), et Hegelianam doctrinam coluit inter alios neapolitanus *Vera* (5) qui tamen christiane tandem mortuus est.

Gioia, Romagnosi. Antonius Rosmini.

Gioberti.

118. Liberales doctrinas, quibus Ecclesiam ipsam corrigere ac reformare nitebantur et liberam omnium cultuum professionem, bonorum ecclesiasticorum venditionem aliaque id genus propugnabant, sparserunt *Gioia* et *Romagnosi* (6) primum, ac deinde *Antonius Rosmini Serbati*, sacerdos Roveretanus (1797 + 1855), cujus varia opera, et pantheismum aliosque errores continentia plura asserta proscripsit Ecclesia (7); et *Vincentius Gioberti*, sacerdos taurinensis (n. 1801 + 1852) professor Ontologismi, qui dum scriptis suis ecclesiastici ordinis ac disciplinæ mutationem ac perturbationem audacissime propugnabat, non parum juvit verbis ac scriptis suis causam sacrilegorum rei publicæ perturbatorum in Italia. Hujus quoque viri doctrinæ quædam damnatæ ab Ecclesia sunt (8). Multos nactus

(1) Gonzalez, loc. cit. par. 49; Bouvier, loc. cit.
(2) Gonzalez, par. 52.
(3) Gonzalez, par. 61.
(4) Gonzalez, par. 62.
(5) Gonzalez, par. 63.
(6) Vide Gonzalez, par. 64, 77.
(7) Gonzalez, par. 79 et 64.
(8) Vide Gonzalez, par. 80 et 74.

est Rosminius discipulos, *Tommaseum*, *Pestolazzam* et cœteros (1); suos quoque habuit asseclas Giobertius, qui videri possunt apud Gonzalez (2).

119. Inter christianos Philosophos hujus sæculi numerari possunt Ludovicus Ambroise, Vicecomes de *Bonald* (n. 1754 + 1840); *Josephus de Maistre; P. Franciscus Alvarado* e S. Prædicator. Ordine, *Fraissonous;* Card. *Wiseman*, *Lacordaire*, *Montalembert*, *Gratry*, *Maret*, *Augustus Nicolas*, *Bautain*, *Henricus Martin*, *Bouvier*, *Jacobus Balmes*, *Donoso Cortes*, *Ozanan*, *Stolberg*, *Görres*, *Möhler*, *Staudenmaier*, *Hettinger*, *Ketteler*, *Perin*, *Paschalis Gallupi* aliique (3).

Bonald
De Maistre,
Alvarado,
Wiseman,
Nicolas,
Balmes,
Donoso Cortes,
Goërres,
Gallupi etc.

Errores vero sat graves admisere semicatholici ac semirationalistæ *Froschammer* (4) Georgius *Hermes* (n. 1775 + 1831), cujus quædam propositiones damnatæ sunt Romæ (5), *Günther* (n. 1785 + 1861) sacerdos, qui cum opera sua in romanum *Indicem* ecclesiastica sententia relata fuissent, laudabiliter se subjecit (6), ac potissimum *Baader* (7). Nec vero ipse Görres omnino immunem se ab omni errore servavit (8). Güntheri præcipui discipuli fuere *Baltzer*, *Pabst*, *Merten*, *Gangauf*, *Knoodt*, qui vitam magistri sui nuperrime (1881) edidit, aliique (9).

Froschammer,
Hermes,
Günther,

Baltzer, etc.

Denique partim christianam doctrinam, partim Pantheismum, et Traditionalismum mixtum cum rationalismo aliisque erroribus tradidit infelicissimus *Felicitas* de *Lamais* cujus etiam quædam scripta proscripta a Pontifice Romano fuere (10).

Lamennais

120. Duo fuere inter catholicos hujus sæculi systemata, in quibus nonnihil censura dignum reperit S. Romana Ecclesia: *Traditionalismus* et *Ontologismus*.

Traditionalismus.

---

(1) Vide illos apud Gonzalez, par. 79.
(2) Paragr. 80.
(3) Gonzalez, par. 66, 73, 74, 75, 76, 78 et 89.
(4) Gonzalez, par 68.
(5) Gonzalez, par. 69.
(6) Id. par. 70, 71.
(7) Id. par. 69.
(8) Id. Ibid.
(9) Id. par. 72.
(10) Gonzalez, par. 41-42; Bouvier, livr. 10 chap. 4.

Bautain, Bonnety,

Traditionalismum docuere potissimum Bonald, Lamennais, *Ludovicus Eugenius Maria Bautain* (n. 1796 + 1867), *Bonnety* et quidam alii scriptores Annalium Philosophiæ christianæ in

Raulica etc.

Gallia per aliquot annos, ac demum P. *Ventura Raulica* (1), qui licet optimo consilio ducti, grassantem Rationalismum profligandum suscepissent, excesserunt tamen, rationem plus æquo deprimentes. Adversus Traditionalismum egregie scripsere *Lupus* et P. *Chastel* e Societate Jesu.

Ontologismus. Gerdil, Ubaghs, Gioberti etc.

121. Ontologismum professi sunt post Mallebranchium Cardinalis *Sigismundus Gerdil* pedemontanus (+1821) vir doctissimus, *Ubaghs*, *Mœller de Clœssens* aliique scriptores lovaniensis periodici libelli *Revue Catholique* in Belgio in primis temporibus; Gioberti, P. *Josephus Romano* et alii (2).

Scholastici recentissimi;

122. Scholastica Philosophia in effreni opinandi licentia cum tanta mentes hominum invasisset colluvies absurdissimorum systematum, jacebat hoc sæculo ineunte miserandum in modum, donec opera præstantissimorum scriptorum pedetentim erigi cæpit atque in pristinum honorem restitui. Quo

Liberatore,

in opere primas tulit P. *Matthæus Liberatore* e Societate Jesu, neapolitanus, qui jam anno 1841 cursum philosophicum edidit, eumque magis et magis perfecit plusquam duodecim editionibus factis ad annum usque 1860, cum novam longeque auctiorem et meliorem elucubravit editionem tria complexam volumina, ac triennali Philosophiæ studio accommodatam. Ab anno demum 1860 pluries idem opus editum est magis elaboratum. Huic cursui plura alia, eaque non vulgaria opera philosophica addidit idem clarus auctor (3). Hæc initia juvit «opus periodicum, cui nomen *Civilitas Catholica*, quæ anno 1853 palam professa est (4) instaurandam esse Philosophiam S. Thomæ, veluti unicum inveteratis scientiarum malis remedium» (5). Prodiere deinde alia scripta, quæ inceptum opus promove-

(1) Gonzalez, par. 83-88.

(2) Vid. Gonzalez, par. 75.

(3) *Della Conoscenza intellettuale; Del Composto umano et Dell' Anima umana.*

(4) La *Civilta Cattolica, anno quarto, seconda serie*, vol. 3 pag. 265, *Del progresso filosofico possible nel tempo presente.*

(5) Liberatore, *Institutiones philosophicæ*, vol. 1, pag. v. Prati, 1881.

rent, in quibus præcipua tantum hic nominanda sunt. P. *Aloysius Taparelli* e Societate Jesu præclarum tractatum lucubravit de *Jure naturæ*, *Cajetanus Sanseverino*, canonicus neapolitanus anno 1862 evulgare cæpit opus pluribus constans voluminibus, cui titulus: *Philosophia christiana cum antiqua et nova comparata* (1). Circa idem tempus *P. Josephus Kleutgen* Soc. Jesu, germanice scripsit *Philosophiam veterum expositam et defensam*, quod opus deinceps in linguam italicam conversum est. P. *Salvator Tongiorgi* ex eadem Societate, suas edidit *Institutiones philosophicas*, quarum vestigia et imitationes passim cernere est in quibusdam libris philosophicis, qui postea prodierunt. Accessere mox P. *Joannes Maria Cornoldi*, *Dominicus Palmieri*, Em. Card. *Thomas Zigliara*, ac recentissime P. *Sanctus Schiffini* (2) in Italia; PP. *Tilmannus Pesch* (3) ac *Theodorus*, *Meyer* (4) e Soc. Jesu in Germania; *P. Joseph Costa Rosetti* ejusdem Societatis (5) in Austria; *P. Lepidi*, neapolitanus, e S. Ordine Prædicatorum (6), *P. Ludovicus de San* (7). *Van der Aa*, ac nuperrime *Gustavus Lahousse* (8) uterque e Societate Jesu, in Belgio. In Hispania superioribus hisce temporibus *Philosophiæ rudimenta* evulgavit anno 1861 *P. Josephus Fernandez Cuevas* e Societate Jesu, quem secuti sunt inter alios Eminentissimus Cardinalis *Zephyrinus Gonzalez* e S. Prædicatorum Ordine, Archiepiscopus hispalensis, pluribus scriptis philosophicis clarissimus; *P. Joachim a Jesu Alvarez*, Venerabilis Familiæ Augustinianorum alumnus, *P. Josephus Mendive*, e Societate Jesu, qui post egregium opus

Taparelli, Sanseverino, Kleutgen, Tongiorgi, aliique recentiores.

(1) An. 1864 idem auctor edidit *Elementa Philosophiæ christianæ cum antiqua et nova comparata.*

(2) Edidit *Principia Philosophica* ad *mentem Aquinatis*, Augustæ Taurinorum 1886; et *Disputationes Metaphysic.* vol. 2. Augustæ Taurinorum 1888.

(3) *Institutiones Philosophiæ naturalis.* Friburgi Brisgoviæ, 1880 et *Institutiones logicales.* Friburgi Brisgov. 1888.

(4) *Institutiones Juris naturalis* Friburgi Brisgoviæ, 1885.

(5) *Institutiones Ethicæ et Juris naturæ.*

(6) *Examen philosophico-theologicum de Ontologismo.*

(7) *Institutiones Metaphysicæ specialis,* Lovanii 1881.

(8) *Prælectiones Metaphysicæ specialis..... Cosmologia.* Lovanii 1887; *Psychologiæ*, Lovanii 1888; *Theologiæ naturalis*, Lovanii 1888; *Logicæ* et *Ontologiæ*, Lovanii, 1889.

contra Gullielmum Draper conscriptum, cursum Philosophiæ hispanice lucubravit, illumque mox ipsemet latinum fecit; et *D. Joannes Emmanuel Orti y Lara* qui, qua voce, qua variis in lucem editis libris, optime scholasticam doctrinam tradidit. Fatendum tamen est unum aut alterum horum auctorum in quibusdam controversiis alicujus momenti a Scholasticorum sententiis abhorrere. His addi merentur, ut cæteros omittam, Illmus ac Revmus *Thomas Camara* e S. Augustinianorum familia, episcopus Salmanticensis, P. *Michael Mir*, e Soc. Jesu, *Antonius H. Fajarnes*, *Antonius Comellas* y *Cluet* et *Marcellinus Menendez* Pelayo qui licet scholastici non sint, opera tamen memoria digna ediderunt.

§ IV.—CONSILIUM HUJUS OPERIS CONSCRIBENDI.

Consilium et ratio hujus operis.

123. In tanta sectarum nominumque varietate ego semper Scholasticos, ut præcipuos Magistros colui, eorumque vestigia et nominatim S. Thomæ, quemadmodum leges nostræ præcipiunt (1), premam in hoc qualicumque opere, in quo, multorum hortatu amicorum ea quæ Romæ per plures annos in

(1) En quid doceat hac de re Congregatio V.ª sub Claudio Aquaviva, Præposito Generali Societatis Jesu, coacta: «*Nostri omnino S. Thomam, ut proprium Doctorem habeant, eumque in scholastica theologia sequi teneantur.... Non sic tamen S. Thomæ adstricti esse debere intelligantur, ut nulla prorsus in re recedere liceat; cum illi ipsi, qui se Thomistas maxime profitentur, aliquando ab eo recedant; nec arctius nostros S. Thomæ alligari par sit, quam Thomistas ipsos.*»

«*In quæstionibus mere philosophicis, aut etiam in iis, quæ ad Scripturas et Canones pertinent licebit sequi etiam alios, qui eas facultates magis ex professo tractaverunt.*» *Institut.* Soc. *Jes.* t. 1. *Congr. Gener* V. decr. 56, n. 1. 2, 3. Cfr. Reg. 2 et 3 *Professor. Theol.*-Itemque: «*Nulli sectæ, ut Averroistarum, Alexandrinorum et similium, vel se vel suos addicant: nec Averrois aut cæterorum errata dissimulent; sed inde acrius eorum auctoritatem deprimant. Contra vero de S. Thoma nunquam non loquantur honorifice: libentius illum animis, quoties oporteat, sequendo; aut reverenter et gravate, si quando minus placet, deserendo.*» Ibid. *Congr. Gen.* V. decr. 41 n. 3 Cfr. Reg. 5 et 6 *Professor. Philos.*

In his conficiendis decretis Cardinalis Bellarminus simul cum aliis gravissimis sapientissimisque Patribus allaboravit in quinta general Congregatione: illaque nunquam postea abrogata fuere, sed e contrario sæpe alias, ac nuperrime a postrema Congregatione (decr. 15 et 18 confirmata.

Gregoriana Universatite et alibi voce docueram, scriptis nunc evulgare decrevi. Illud autem fuit meum consilium, quod jam diu executioni ab aliis mandari vehementer cupiebam, ut nempe nondum penitus omnibus notos, qui in libris S. Thomæ aliorumque summorum virorum continentur, doctrinæ thesauros recluderem, atque ex his recentiores errores confutarem. Hunc in finem non dubitavi verba sæpe ac longiora veterum loca exscribere meaque facere. Quid enim verear, quæ summi viri sapientissime, longeque melius quam ego possim, dixere, ea iisdemmet verbis iterare? Et veterum quidem scripta monumenta diligentissime consulenda meditandaque semper judicavi, neque enim approbari potest Rationalistarum stulta opinatio dictitantium, in Philosophia abjiciendam penitus esse traditionem majorum, quasi vero Philosopho, more pöetarum, omnia de novo, prout cuivis libuerit, fingenda sint. Quod si in artibus ac mathematicis physicisque disciplinis omnes vel magistrum quaerunt, vel labores aliorum consulunt, quibus in suis studiis doceantur diriganturve, quis sanus, quæso, negaverit idem faciendum esse ad altissimam difficillimamque omnium humanarum disciplinam, Philosophiam, assequendam? Equidem persuasissimum habeo, neminem hactenus vel mediocrem philosophicarum quæstionum notitiam suis dumtaxat viribus fretum comparasse, nec ipsum Aristotelem aut S. Thomam ad tantam sapientiæ laudem perventuros fuisse, nisi scripta majorum assidua lectione atque attenta meditatione versassent.

Cæterum quomodo decreta hæc observaverint optimi quique Auctores nostri, quidve de Angelico Doctore senserint et scriptis et elogiis suis luculenter docuerunt Ludovicus de Molina (*Comment.* in 1^am^ partem, præfat. pag. 16), Petrus Fonseca (*Metaphys.* t. 1. *Admonitio Lectoris*); Card. Toletus (*Enarrationes* in Summ. S. Thomæ tom. 1. pag. XXXI. et 5 etc., et in *Physica—Ad Lectorem* pag. 2), Franciscus Suarez (*Prolegom.* 6 de *gratia*, cap. 6, n. 28; *Præfat.* in tractat. de *Incarnatione*), Gabriel Vazquez (In 1^am^ part. disp. 3, n. 6 seqq.), Gregorius de Valentia (*Comment* in 1.^am^ part. *Præfat*), Benedictus Pereira (*De communibus omnium rerum principiis*, Præfat pag. 2), Joannes Martinez de Ripalda (*De Ente supernaturali.* disp. 8, sect. 6, n. 26); Lossada *Cursus Philos.* tom. 1.° in epist. nuncupatoria ad *Exim. Doctorem....*) aliique. Quæ si quidam viri considerassent, numquam Scriptores Societatis velut juratos Aquinatis adversarios et osores iniquissime traduxissent.

Jam si is, qui summus evadere philosophus cupit, alios auctores consulat necesse est, eos potissimum quærere debet, qui inter cæteros doctrina et ingenio aptaque methodo emicarunt. Ac tales profecto fuere Scholastici, sub quibus Philosophia ad maximum, quem unquam habuerit, splendorem evecta est, et quibus deficientibus, illa quoque pene defecit, aut certe turpissimis erroribus deturpata est, atque incredibilibus deliriis desipuit. Neque tamen is ego sim, qui solos Scholasticos audire velim, eaque dumtaxat amplecti quæ illi docuere. Sicut enim ipsi multa suis majoribus addidere, potuerunt quoque et ipsis alia posteri addere, ac de facto addiderunt in re potissimum physica et mathematica, quorum nos rationem habere oportet, immo etiam ad eorum normam, ubi opus fuerit, quædam veterum placita reformare. Faxit Deus, ut scholastica Philosophia, ad maximum Theologiæ, atque adeo christianæ Religionis emolumentum, pristino honori restituatur, quemadmodum Sanctissimus Dominus Noster variis modis, ac potissimum encyclicis suis Litteris *Æterni Patris*, vehementissime se cupere ostendit, jamque obtiner pluribus in locis cæpit.

Scribebam Vallisoleti die Immaculatæ Virgini sacro, anno 1889.

LOGICA

PROŒMIUM

1. Logica definiri potest ad mentem Angelici Doctoris: *Ars directiva ipsius actus rationis ad verum assequendum, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat* (1). Definitio Logicæ.

Dicitur *ars*, quæ nihil est aliud ex eodem Aquinate, quam *certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt* (2): est enim Logica institutio quædam mentem erudiens ad verum assequendum.

Dicitur *directiva ipsius actus rationis*, ut discriminetur tum ab artibus, quæ corporis membra dirigunt, quales sunt mechanicæ aut fabriles, tum etiam ab iis quæ ad alias animi facultates dirigendas inesse possint. Id namque proprium sibi Logica vindicat, ut intellectum ipsum ad veritatem in studio scientiarum capessendam instituat. Quamobrem merito a S. Augustino appellata est, *disciplina disciplinarum*, quæ *docet docere... docet discere... scit scire: sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest* (3).

Quamquam enim non solos mentis actus tractat Logica, sed multa quoque disserit de vocibus; eo tamen omnia tandem dirigit, quemadmodum suo loco fusius disputabitur, ut

---

(1) S. Thom. Commentar. in 1.um librum *Posterior. Analyticor.*, lect. 1.

(2) S. Thom. ibid. Cfr. Conimbricenses *Commentar.... in Universam Dialecticam Aristotelis*, proœm., q. 1, a 2.

(3) De *Ordine* lib. 2. c. 13. Cfr. idem S. August. *De Doctrina christ.* lib. 2. c. 37, et *Contr. Crescon.* lib. 1. cap. 13.

intellectum humanum, instar sapientis magistræ, tutam doceat viam ad scientias comparandas.

Ideo etiam per Logicam dicitur homo edoceri, ut «*in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat*» Etenim potest quidem intellectus insita sibi vi veritatem attingere scientiasque addiscere; ut autem id *ordinate, faciliter ac sine errore* obtineat, absque Logicæ præsidio fieri nequit. Non quia Logica infallibilitatis donum intellectui præstet in veritatis indagine; sed quia quicumque hanc artem callebit, exercebitque, quantum patitur in hac vita imbecillitas humana, habebit unde possit facilius errores cavere, quibus mentem, Logicæ adjumentis distitutam, turpari necesse est.

Alia Logicæ definitio.

Huic affinis est definitio illa, qua Logica dicitur esse *ars* sive *doctrina disserendi* (1). Quam definitionem ut recte interpreteris, nota cum Conimbricensibus, vocem *disserere* quandoque idem valere ac *sermone uti* (2), alias idem ac *probabiliter disputare* (3), tertio idem atque *argumentari* (4), denique idem ac «ignotum ex iis quæ nota sunt patefacere, sive id fiat argumentatione, ut in tertio significato, sive definitione aut divisione» (5). In allata ergo Logicæ definitione vox *disserere* in hac postrema significatione desumitur: non quasi sola Dialectica vel Logica «veritatem inquirat disserendo, id enim cæteris disciplinis commune est, sed quod ea tantum doceat, quo pacto mens nostra recte et sine errore disserat, id est, incognita ex notioribus investiget» (6).

Cur vocatur Logica,

2. Quamobrem recte appellatur hæc disciplina Logica, a græca voce λόγος, seu rationalis scientia. *Quæ non solum rationalis est ex hoc quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc quod est circa ipsum*

(1) Vide apud Fonseca *Institutionum dialecticarum*. lib. 1, cap. 1; Conimbric. Op. et loc. cit., quæst. 4 procemial art. 1.

(2) Ita apud Platonem et Aristotelem citatos a Conimbricensibus.

(3) Ita apud Ciceronem lib. 3 *de Natura deorum* fin., et sæpe apud Aristotelem, de quo vide Conimbricenses.

(4) Ita apud Ciceronem, *de Finibus*.

(5) Conimbric. loc. cit. Hac aceptione vocis usus est Cicero. lib. I *Academicar. quæstion.*, cum ita scripsit: «Nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique, ut hæc omnia *disserendi* verbo complectar, artem esse disserendi putant.»

(6) Conimbr. loc. cit.

actum rationis, sicut circa propriam materiam. Et ideo videtur ars artium, quia in actu rationis nos dirigit, a quo omnes artes procedunt (1).

Vocatur etiam *Dialectica*, ex græca voce διαλέγεσθαι quasi *ars recte disserendi*. Etenim quamquam verum sit, *dialecticam* sæpe ab Aristotele (2) aliisque antiquis doctoribus eam tantum Logicæ partem specialiter appellari, quæ de syllogismo *probabili* disputat, tamen usus jam communis, ipsius Aristotelis, Ciceronis aliorumque veterum auctoritate confirmatus, nos docet totam quoque Logicam, Dialecticæ nomine designare (3). Dialectica,

Denique, ut alia omittam nomina, dicitur etiam Logica, ex præcipuo ipsius objecto, *Modus sciendi*, itemque *Organum* scientiæ, quia docet modum disserendi, estque velut commune scientiarum comparandarum instrumentum, dum præceptis suis viam sternit ad eas addiscendas. Modus sciendi et Organum.

3. Ex prima istarum definitionum facile colligitur: 1.° Materiale objectum proprium Logicæ nempe actus intellectus, licet de hoc alibi disputandum est. 2.° Objectum, quod vocant formale Logicæ sunt actus intellectus, prout artificiose disponendi ac dirigendi ad verum assequendum: sub hac enim ratione et consideratione disciplina hæc tractat actus rationis, et sic discrepat a scientia de *Anima*, quæ de iisdem quoque actibus disputat, sed sub alio respectu, nempe secundum eorum *esse* physicum ac naturale. 3.° Finis proximus est normas recte disserendi tradere, remotus autem est mentem in assequendis scientiis dirigere ac juvare (4). 4.° Utilitas denique maxima, nec solum ad humanas, verum etiam ad ipsas divinas scientias addiscendas: quare nihil mirum, si vel ab ipsis Ecclesiæ Patribus aliisque auctoribus commendata Objectum materiale et formale Logicæ; finis, utilitas.

(1) S. Thom. In lib. 1.um *Poster* lect. 1.

(2) Vide *Topicor.* lib. 1. c. 1, 2, et sæpé alias.

(3) Ita loquuntur etiam Petrus Hispan. cum suo interprete Versorio in *Summulis Logicalibus;* Petrus Fonseca in *Institutionibus dialecticis* et Lib. 2 *Metaphysic.* c. 3, q. 1 sect. 2; Franc. Tolet. *Introductionis in Dialecticam*, lib. 1, c. 1; Conimbric. *In Universam Dialect. Arist.* Quæst. procem. 4.ª a. 1, ubi fuse atque egregie de his, sicut et Fonsec. *Metaphys.* lib. 2, loc. cit.

(4) Cfr. Coimbric. loc. cit. q. 4, a 1 fin; Fonsec. *Institut. dialect.* lib. 1, cap. 1 et Commentar. *in Metaph.* libr. 2. c. 3. q. 1 a. 2.

Elogia Logicæ

Logica sit (1). Ideo a quibusdam scriptoribus vocatur «*examen et libra veritatis;* ab aliis *formatrix sapientiæ*, *regula* et *mensura artium*, *clypeus disciplinarum*, *mundi rationalis*, id est, *humanæ mentis sol*, *rationis oculus*, *scientia ordinis*, *clavis aurea*, *scientia scientiarum*» (2). Nec solum utilis Logica, verum etiam necessaria aliquo saltem modo ad alias scientias addiscendas communissime existimatur, quemadmodum alibi dicetur.

Nec vero te moveat in contrarium censura S. Augustini, qua regulas dialecticas carpere tamquam parum utiles videtur: «*Plerumque accidit, inquit, ut facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quam talium præceptorum nodosissimas et spinosissimas disciplinas..... Ita plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quam præcepta ejus capit: tardus autem eam non videt, sed multo minus, quod de illa præcipitur. Magisque in omnibus ipsa spectacula veritatis sæpe delectant, quam ex eis in disputando aut judicando adjuvamur*» (3). Origenes vero (4) et Tertullianus (5) S. Hieronymus (6) aliique Apud Card. Aguirre (7), *disp. 1*, *sect. 5* talia scribunt, unde Logicam non inutilem modo verum etiam perniciosam esse concludendum sit (8).

Hisce vero S. Augustinus non aliud carpere voluit, quam præcepta superflua ac pene in infinitum multiplicata. Et ratio est, tum quia secus dicendum foret S. Augustinum omnes æque artes, ac nominatim oratoriam, eo in loco reprehendisse, id quod nemo certe crediderit, tum quia paulo ante relata verba ipsemet S. Doctor: *Disciplina*, inquit, *conclusionum et*

---

(1) Vide Origen. *Homil. 2.ª in Exod.*; Clement. Alexandr. Lib. 1 et 6 *Stromat.*; Hieron. *in Ezechiel;* epist. 103 *ad Paulin.* et alibi sæp.; S. August. lib. 2 *de Ordine* cap. 13; lib. 2 *de Doctrina christ.* cap. 36 etc.: qua de re Cfr. Conimbricenses, *Dialect.* quæst. 6 procemial. art. 1; Lossada, *Cursus philosoph.* t. 1 Logic. tract. 1 procemial. disp. 1, cap. 1. n. 6-10.

(2) Conimbric. loc. nuper cit.; Cfr. Fonsec. *Instit. dialect.* lib. 1. cap. 1.

(3) S. August. lib. 2 de *Doctr. christ.* cap. 37.

(4) *Homil. 2 in Exod.*

(5) De *Præscriptionibus adversus hæreticos*, cap. 7.

(6) Cap. ult. *in Nahum* et *in Psalm.* 104 et 105.

(7) *Disput. select. in Logic.* tract. 1, disp. 1, sect. 5.

(8) Vid. apud Conimbric. Op. et loc. cit. q. 6 art. 1.

definitionum et distributionum plurimum intellectorem adjuvat; itemque in tractatu de *Ordine* superius laudato Logicam valde commendat; immo et alibi ejus necessitatem agnoscit (1), et Cresconium Donatistam carpit, quod Dialecticam reprehenderit (2). Quapropter quæ S. Augustinus aliique modo citati scriptores contra Dialecticam scripsisse videri possunt, non contra artem ipsam dicta fuisse putandum est, sed solum contra artis abusum, et contra «eam facultatem, quæ cum se Dialecticam videri optet, sophisticæ contentionis cavillis veritatem oppugnat» (3).

Sitne scientia, vel ars?

Quæres nunc fortasse utrum Logica sit ars vel scientia. Sed quæstio hæc, quam veteres acriter agitabant, commodius alibi tractanda est.

Divisiones: 1.° in naturalem et artificialem.

4. Logices variæ circumferuntur divisiones. Primo enim partitur in *naturalem* atque *artificialem*. Naturalis est ipsa innata vis intellectus et aptitudo ad recte ratiocinandum: hæc proinde cuique vel rudi homini modos quosdam disserendi faciliores sponte suggerit. Artificialis est collectio præceptorum ordinata, intellectum reddens promptum et expeditum ad recte disserendum. Naturalis est imperfecta et inchoata, perfecta vero artificialis. Quamquam nemini dubium est, Logicam naturalem artem non esse, sed nativam dispositionem, in eamque quadrare non posse allatam superius definitionem. Idem enim hic contigit, quod in reliquis artibus. Nam *sicut ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinventa est ars ædificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate hujus actus exercere potest* (4), ita etiam mens in seipsam suosque actus reflectens, artem invenit apte disserendi, quæ nativam facultatem juvaret, perficeret, compleretque.

Artificialis dividitur in actualem et habitualem.

Logica artificialis dividitur in *actualem et habitualem:* quæ divisio communis est cunctis scientiis, artibus, virtutibusque ac vitiis. Logica actualis sunt ipsa præcepta vel regulæ disserendi, seu dictamina, quibus intellectus in disserendo ducitur. Habitualis vero est qualitas mentis ex hujusmodi regulis

(1) *Lib. 8 de Civitate* Dei, cap. 13.

(2) Lib. 1. *Contra Crescon*, cap. 13.

(3) Conimbric. ibid. art. 2, fin. Cfr. Lossada loc. cit. tract. 1, disp. 1, cap. 1, n. 11; Card. Aguirre, loc. nup. cit.

(4) S. Th. in 1.um *Poster.* lect. 1.

ac dictaminibus generata intellectum juvans et inclinans ad facile repetendos actus talium regularum vel dictaminum (1).

Logica docens et utens

Celebris apud veteres erat divisio Logicæ in *docentem* et *utentem*. Docens est, quæ præcepta recte disserendi tradit: utens, quæ præcepta hæc exercet atque in praxim deducit. «Ad hujus rei explanationem, inquiunt Conimbricenses (2), advertendum est in quacumque arte practica, quæ methodo et via traditur, aliquo modo distinctam esse doctrinam ab usu. Nam doctrina est illud dictamen sive norma, qua ars præscribit modum operis efficiendi, et quæ sine ullo opere existere potest; usus autem est ipsa operis executio, quæ est operatio supponens priorem normam, quæ dirigitur et regulatur. Exemplum desumatur ex arte pingendi, qua qui affectus est, primo concipit intellectu, quo pacto deducenda sunt lineamenta, et inducendi colores picturæ, quam molitur; quæ sunt præcepta artis: deinde penicillum sumit, producit lineam, addit colorem, qui est ejustem artis usus. Eodem modo se res habet in Dialectica. Nam qui instructus est habitu dialectico inclinante ad efficiendum syllogismum in *Barbara*, verbi causa, primo format hoc judicium: *syllogismus constare debet ex tribus universalibus affirmativis hoc modo complicatis:* qui actus potest esse absque illa syllogismi confectione. Deinde per actum distinctum conficit syllogismum ad normam prioris actus. Ac prior quidem actus est doctrina actualis; et habitus, qui illius causa est, apellatur *Dialectica docens:* posterior vero est usus; et habitus, qui ad illum concurrit, *utens Dialectica* nuncupatur» (3).

Non vacat autem nunc ea omnia meminisse, quæ prisci Logici de hac divisione fusissime in disputationem vocabant, de quibus aliquid alibi dicetur.

Alia Logicæ divisio in Minorem et Majorem.

Sed omissis aliis divisionibus, quæ videri passim queunt apud veteres, dividitur Logica in *Parvam* seu *Minorem* et *Majorem*. Quæ divisio ut intelligatur, animadvertendum est, Logicæ, ut actus mentis doceat in veritatis assecutionem

(1) Cfr. Lossada, loc. cit. tract. 1, disp. 1, cap. 2, n. 2.

(2) Loc. cit. quæst. procemial. 4, a. 2.

(3) Conimbr. loc. cit. quæst. 4. procem. art. 2. Cfr. etiam Arriaga, *Logic.* disp. 3, sect. 1.

ordinare, multa tractanda esse, quæ partim spectant ad artificium ipsum ratiocinii rectamque syllogismorum structuram, partim ad conditiones aliquas generales actuum intellectualium respectu materiæ, circa quam versatur. Prima ergo illa objectum sunt Logicæ Minoris, hæc vero Majoris. Itaque Logica Major et Minor non sunt duæ species diversæ, sed duæ partes integrantes ejusdem disciplinæ, quarum altera nuncupatur Minor vel Parva, quia et brevior est et facilior, quamquam non exigui sane momenti.

Logica Minor. vocatur Summulæ et

Logica Minor a priscis AA. (1) passim vocabatur *Summulæ*, seu parva summa, non quia est compendium Logicæ, sed quia brevius stiloque magis præceptivo, quam scientifico, suscipit tractandas quæstiones faciliores ac magis necessarias, quæ ipsam argumentandi formam respiciunt. Unde ab aliis nomen accepit etiam *Isagoges* seu *Introductionis ad Logicam*, quia non solum viam præparat ad reliquas scientias, verum etiam ad ipsam Majorem Logicam manuducit, utpote quæ, cum res investiget abstrusiores, præeumtem requirit cognitionem artis syllogisticæ (2).

Isagoge et Introductio in Logicam,

Dialectica et Logica formalis.

Tandem Logica Minor vocatur etiam a recentioribus, *Dialectica* et *Logica formalis*, per oppositionem ad Majorem Logicam, quæ simpliciter Logica appellatur aut etiam *Logica materialis;* ideo fortasse quia Minor formas argumentandi explicat eaque omnia enucleat, quæ ad ipsam dispositionem et ordinationem actuum rationis spectant; Major vero in actibus ejusmodi non considerat ordinationem ac dispositionem variam, secundum quam institui possunt ad veritatem attingendam, sed alias eorumdem affectiones materiam potius et objectum respicientes.

Atque his tandem duabus partibus absolvitur non modo ars ipsa syllogistica, sed illa etiam omnia, quæ ad reliquas scientias facilius assequendas requiruntur. Et hanc nos quoque divisionem usu jam communi ac diuturno comprobatam sectabimur.

---

(1) Post Petrum Hispanum, qui summularum auctor fuisse dicitur.

(2) Cfr. P. Sylvester Mauri. *Quæst. Philosoph., Summulæ seu Logica brevis*, procem. Cap. 1.

Logicæ inventor.

5. Jam si de inventore Logicæ quæras, credendum est ante omnia, Adamum, generis humani protoparentem, a Deo simul cum aliis scientiis Logicam quoque infusam accepisse. Cum vero decursu temporis pene tota Logica artificialis perierit, pedetentim instauranda fuit; et quamvis et Critici et Historici, alii aliis, palmam inventionis attribuant, vel potius inter varios Philosophos dividant, doceantque ante Aristotelem plura de re logica tradidisse præcepta Zenonem Eleatem, Socratem, Platonem et alios; tamen Aristoteles Dialecticam primus ad artis formam redegisse dicitur; et novis certe partibus amplificavit, perfecit atque ita numeris omnibus absolvit, ut jure merito princeps in hac arte habitus fuerit, immo et ob eam causam inventor ejusdem a multis dici meruerit (1). «Nam in libris *Peribermenias* elementa, naturam et proprietates Enuntiationis explicat: in *Topicis* probabilium argumentorum locos aut sedes copiose tradit: in *Elenchis* omnium sophismatum genera distincte detegit: in *Categoriis* notiones aut ideas rerum generales formare docet, ad definiendum ac dividendum aptas. Multa etiam super *Definitione* ac *Divisione* disserit sparsim in *Metaphysicis* aliisque libris. Ac demum in *Analyticis* artem syllogisticam, in qua neminem prælucentem habuit (2), a fundamentis excitat, et mira ingenii felicitate consummat» (3). Postea vero a Porphyrio addita sunt *Quinque Prædicabilia* magnam partem ex Aristotelis doctrina excerpta (4): ac denique multo serius a Petro Hispano primum, ut quidam scribunt, *Summulæ logicales* concinnatæ sunt atque ab aliis quæstionibus difficilioribus segregatæ (5).

Cæteræ vero circa naturam Logicæ controversiæ alibi opportunius tractabuntur. Itaque jam ad *Summulas* seu *Logicam Minorem* accedendum est.

(1) Vide ipsum Arist. Lib. 2 *Elenchor.* cap. ult.; S. Isidor. Hispalen. lib. 2 *Origin.*, de *Dialect.* n. 1.

(2) Vide Aristot. in lib. 2 *Elenchor.* cap. ult.

(3) Lossada, loc. cit. tract. 1, disput. 1, cap. 1, n. 14.

(4) Cfr. Tolet. Procem. *in Porphyrii Quinque Predicabilia...*; Conimbricen. Procem. Commentar. *in Isagogem Porphyrii.*

(5) Vid. P. Barthol. Amici. *In Universam Aristot. Logicam*, tract. 1.°, q. 2, dub. 1, art. 1 et 2; Lossada, loc. cit. tract. 1 disp. 1, cap. 1, n. 14; Complutenses, in *Aristot. Dialecticam*, procemio *De nomine et auctore hujus tractatus.*

LOGICA MINOR.

6. Actus mentis, quem dirigere Logica debet ad verum assequendum, est operatio quædam, qua res aliqua percipitur, seu cognoscitur, atque animo repræsentatur. Vocatur passim *cognitio*, *notitia conceptus*, *intentio mentis* (1), *cogitatio*, (2) *intellectio*, *verbum mentis* (3) aliisque nominibus quæ proprio in loco declarabuntur. Quid actus mentis.

Actus autem omnes cognoscitivi, quos elicit intellectus in veritatis investigatione, ad tres omnino revocantur, *simplicem nimirum apprehensionem*, *judicium et ratiocinium* (4). Etenim quidquid menti nostræ contemplandum occurrit, ita cognoscimus, ut vel solam rei habeamus notitiam, instar intuitus cujusdam, nihil de ea affirmantes aut negantes, vel de re sic percepta aliquid affirmemus aut negemus. Si primum contingat, actus ille *simplex apprehensio*, seu perceptio; sin alterum, *judicium* nuncupatur. Sed judicium ejusmodi vel pronunciatur statim cognitis terminis et ex mera objecti propositione, vel nonnisi ex successiva binorum terminorum cum tertio quodam comparatione, nimirum unum judicium ex alio vel aliis inferendo. In primo casu existit actus qui judicium immediatum aut propositio vocatur, in altero judicium mediatum seu *ratiocinium*. Quotuplex.

Exempla præsto sunt innumera: cogito *Deum*, *mundum*, *hanc chartam*, nihil de his objectis judicando, sed id solummodo mente versando quod simplices hæ voces significant; et

---

(1) Hæc itaque *intentio* differt a voluntatis proposito aliquid faciendi, quod vulgo intentio appellatur.

(2) Nihilominus «*cogitatio proprie in inquisitione veritatis consistit*», ut docet Aquinas (1 p. q. 34, a. 1 ad 2.^{um}), atque adeo non identificatur cum qualibet cognitione.

(3) Vid. S. Thom. *de Verit.* q. 4. a. 2., et alibi sæpe.

(4) Vid. S. Th. *Periherm.* lib. 1, lect. 1; 1.ª *Poster.* lect. 1, et auctores alios passim.

habeo simplicem apprehensionem. Affirmo *corpora existere, duo ac tria esse quinque:* actum elicio judicii. Demum, si post cognitam existentiam mundi, colligo exinde supremi Conditoris existentiam; posui actum ratiocinii (1).

Ordo tractationis.

« *Harum autem operationum prima ordinatur ad secundam, quia non potest esse compositio et divisio* (judicium) *nisi simplicium apprehensorum. Secunda vero ordinatur ad tertiam; quia videlicet oportet, quod ex aliquo vero cognitio, cui intellectus assentiat, procedat ad certitudinem accipiendam de aliquibus ignotis* » (2).

Quamobrem hæc nobis totius hujus tractationis, non minus simplex quam rei conveniens divisio, ac rerum ordo tenendus est, ut primum de iis, *quæ ad simplicem apprehensionem*, tum de iis, quæ ad *judicium*, ac tandem de iis, quæ ad *discursum ac ratiocinium* spectant, disputemus (3).

Sunt alii tamen, qui divisionem Dialecticæ ex fine ipsius ducendam esse existimarunt. Itaque tot ei partes assignant,

---

(1) Passim audies nomina *attentionis*, *reflexionis*, *abstractionis*, *synthesis*, *comparationis* etc. Hi tamen actus facile revocantur ad aliquem ex tribus prædictis, aut eorumdem sunt quædam affectiones.

Attentio enim est ea operatio, qua mens ex pluribus rationibus aut objectis, quæ simul occurrunt, unum præ alio considerat, in illud dumtaxat obtutum defigendo. Reflexio est conversio mentis in proprios actus contemplandos. Abstractio est attentio quædam, qua ex pluribus natura conjunctis unum sine altero apprehenditur, ut si animæ spiritualitatem cogites, non cogitata ejusdem immortalitate. Synthesis est conjunctio plurium idearum in unum, ut si chartam albam intelligas, vel si judices ignem comburere. Tandem comparatio est actus, quo mens plures ideas inter se conferens, modo hanc, modo illam contuetur, ut mutuas earumdem relationes investiget.

Atque idem dic de *suspicione* et *admiratione* quæ prima fronte possent incipientibus videri diversæ a tribus operationibus mentis supra recensitis. Suspicio enim est simplex quædam apprehensio in judicium inclinans: admiratio vero est affectio animi resultans ex contemplatione alicujus effectus, cujus causa ignoratur.

(2) S. Thom. *Periherm.* lib. 1 lect. 1.

(3) Eamdem partitionem amplectitur S. Thomas et plurimi alii veteres Doctores. Vid. S. Th. *Periherm.* lib. 1; lect. 1; *Posterior Analyticor.* l. 1, lect. 1; *Summ. totius Logicæ Aristot.* in *Procem.*: aliosque passim veteres scriptores, et nominatim Card. Tolet. *in Univers. Arist. Logicam, Procem.* quæst. 6. Cfr. ib. *De Prædicamentis,* initio.

quot sunt modi disserendi ac sciendi, eo enim tandem Logica tendit, ut quomodo sciendum disserendumque sit, doceat. Cum ergo modi sciendi tres numerentur, *Definitio*, *Divisio*, *Argumentatio*, in eas dividunt Dialecticam. Hæc est Böetii sententia (1), Petri Fonsecæ (2) Conimbricensium (3) aliorumque, et fundari forte potest in S. Augustino (4). Nobis planior videtur ea, quam cum Angelico Doctore amplexi sumus, divisio. Cæterum, utramlibet quis sequi volet, de iisdem rebus haud dispari accuratione diligentiaque agat, oportet, pro gravissimo tractationis hujus momento.

DISPUTATIO PRIMA

DE IIS QUÆ PERTINENT AD PRIMAM MENTIS OPERATIONEM.

Tum simplex mentis apprehensio, tum ejus externa, sive per voces sive per scripta, manifestatio, generali vocabulo *terminus* a Logicis nuncupatur, de quo plura nobis investiganda sunt. Sed cum terminus omnis, quin et actus mentis cognoscitivus ejusque externa expressio, id sibi propium vindicet, ut aliquid *significet*, rationem *signi* ante omnia exponendam esse arbitramur.

---

(1) Comment. in *Topic. Ciceron.* par. 2.
(2) *Institut. Dialect.* lib. 1, cap. 4.
(3) Op. cit. *Appendix ad quæstiones proœm.*
(4) *De doctrina christiana*, lib. 2. cap. 37.

CAPUT I.
DE SIGNO

ARTICULUS I.
Quid sit signum.

Definitio signi prima

7. Signum definitur a S. Augustino: *Res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire* (1): vel *quod et seipsum sensui, et præter se aliquid animo ostendit* (2).

Hæc tamen signi acceptio, quamvis maxime propria est, si nominis originem ac primævam institutionem respiciamus, nihilominus nimis restrictos continet limites. *Maxime* inquam, *propria est,* quia cum cognitiones nostræ initium a sensibus ducant, ea primum objecta videntur homines primo ac principalius signorum nomine distinxisse, quæ cum in sensus incurrunt, et per sensus in intellectum, præter sui notitiam, alterius quoque rei excitant cognitionem (3), Est tamen nimis pressa hæc signi notio, utpote quæ signa tantummodo sensibilia comprehendit; cum tamen ex communi philosophorum sententia dentur etiam signa insensibilia, quæ nimirum solo intellectu capi possunt (4).

Quare S. Augustinus dicendus est non tam signum in universali sua acceptione, quam illud quod tale est primo et principaliter, ac prout nobis inservit, quibus nihil insensibilem mediate ac per se officium signi exhibere potest, definire voluisse (5).

---

(1) S. Aug. *De Doctr. christ.* lib. 2. c. 1.

(2) S. Aug. vel quisquis fuerit auctor opusculi *De principiis Dialecticæ*, cap. 5. Cfr. S. Th. in 4.° Dist. 4. quæst. 1. a. 1.

(3) Vid. S. Thom. 4.ª Dist. 1, quœst. 1, art. 1, quæstiunc 1. in solutione; 3 p. q. g. 60, art. 4 ad 1um; Conimbricenses, Op. cit. *De interpret.*, quæst. 1 art. 1.

(4) Vide S. Th. 4.ª dist. 1 et 3 p. q, 60, a. 4 nuper cit.: item quæst. 9 *de Verit.* art. 4 ad. 4.m

(5) Vel dic cum Scoto S. Doctorem loqui voluisse «*non solum de signo sensibili, accipiendo sensum stricte pro sensu corporali... sed de sensu incorporali, accipiendo sensum generaliter pro potentia cognoscitiva.*» (Scot in 4.° Dist. 6, quæst. 10, D. n. 3.)

Secundum alios signum dicitur quidquid potentiæ cognoscitivæ, præter sui cognitionem, alterius quoque rei cognitionem ingerit. Quæ definitio colligi videtur ex illis Aquinatis verbis: *Signum importat aliquid manifestum quoad nos, quo manuducimur in alterius cognitionem* (1). Alia definitio controversiis obnoxia.

Verum hæc etiam definitio, placere multis nequaquam potest. Quod ut plane videas, nosse debes ex communissima sententia, conceptus mentis vera esse rerum, quas cognoscimus, signa. Porro docent plurimi non ita conceptus esse rerum signa, ut prius in se ipsi percipiantur, iisque mediis deinde in rerum progrediamur notitiam (2). Atqui cum his stare nequit allata definitio, quæ ad rationem signi postulat, ut sit aliquid prius in se ipso notum, ex cujus deinceps cognitione deveniamus in alterius cognitionem.

Itaque ut definitionem afferamus adæquatam, quæque respui a nemine rationabiliter possit, dico signum esse, *quidquid potentiæ cognoscitivæ aliquid a se diversum rebræsentat* (3). Vera definitio.

Sic fumus ignem, sceptrum regiam dignitatem, internam lætitiam significat risus. Repræsentare idem sonat ac ment præsens sistere objective atque intentionaliter, nimirum notitiam alicujus rei ingerendo. Porro signum dicitur aliquid a se diversum repræsentare; nihil enim proprie seipsum significat, sed aliud, sive re sive saltem ratione distinctum. Quare non videtur idem esse omnino significare ac repræsentare aut etiam manifestare. Nihil enim vetat, quominus aliquid possit etiam seipsum repræsentare ac manifestare, non vero signifi-

---

(1) 4.° Dist. 1, q. 1 a. 1, quæstiunc. 1 ad 5; quæstiunc. 2 in solution. Similia habet S. Doctor, quæst. 9 *de Verit.* a. 4. ad. 4.am « *Communiter possumus signum dicere quodcumque notum, in quo aliquid cognoscatur.* » Et ibidem ad 5.m *De ratione signi proprie accepta non est, quod sit vel prius vel posterius in natura, sed solummodo quod sit nobis præcognitum.* »

(2) Non est hujus loci, ut quidquam de hac opinione aut de ejus opposita decernatur. Mihi nunc sufficiat notasse allatam definitionem controversiis opinionumque varietate carere non posse.

(3) Cfr. Fonseca et Conimbricenses loc. cit.; Lossada *Instit. Dialect.*, disp. 1 cap. 1, n. 1, et cap. 2, n. 17; Joann. a S. Th. *Cursus philosoph., Logicæ*, part. 1 et part. 2. quæst. 21.; Thom. Compton, *Philos. Universa., Logic.* disp. 42, sect. 1; Georgius Rhodes, *Cursus Philosoph.*, lib. 1, disp. 3, quæst. 1.

care. Sic sol lucet quidem, et se manifestat, verum non se illuminat, sed alia a se. Quamquam fateor in his misceri posse quæstiones inutiles de voce (1).

Duplex habitudo signi

Rectissime proin docet S. Bonaventura (2) duplicem in quovis signo esse habitudinem seu comparationem, alteram ad potentiam cognoscitivam, cui objectum aliquod manifestat, alteram ad objectum ipsum quod significat: quare signum est medium quoddam potentiam inter et objectum.

Per respectum ad quam potentiam cognoscitivam dicatur signum.

Et potentiæ quidem cognoscitivæ nomine intelligimus non modo intellectum, sed imaginationem quoque et ipsos sensus externos. Hinc bruta, licet non discurrant, nec ipsam signi naturam percipiant, signis tamen utuntur. Nam non modo exprimunt suos conceptus signis naturalibus, quemadmodum docet Angelicus (3) sed etiam *contigit... ex memoria præteritorum beneficiorum* vel *flagellorum, ut bruta aliquid apprehendant quasi amicum et prosequendum vel sperandum, et aliquid quasi inimicum et fugiendum vel timendum* (4).

Plerumque effectus sunt causarum signa

Quod vero ad objectum ipsum significatum attinet, illud est plerumque causa; ex effectibus enim causas, et ex proprietatibus naturas rerum fere in hac vita indagamus. Unde etiam argumentatio ex effectibus derivata nomen argumentationis *a signo* per antonomasiam accepit. Sed negari non debet, posse etiam effectus a causa significari. Quæ doctrina est S. Thomæ, sic scribentis: *Signum, quantum est in se, importat aliquid manifestum quoad nos, quo manuducimur in cognitionem alicujus occulti. Et quia, ut frequentius, effectus sunt nobis manifestiores causis; ideo signum quandoque contra causam dividitur, sicut demonstratio* **quia** *est quæ dicitur esse per signum a communi, ut in 1.° Physic. (textu 4.°) dicitur; demonstratio autem* **propter quid** *est per causam. Quandoque autem causa est manifesta quoad nos, utpote cadens sub sensu; effectus autem*

Sed possunt quoque causæ significare effectus.

---

(1) Vide Arriaga *Cursus philosoph.*, Logicæ disp. 13 sect. 1 n. 4, 5; Lossada, loc. cit. n. 3.

(2) S. Bonaventura in 4.° Dist. 1. q. 2, Cfr. Lossada loc. cit. n. 2, et alii aa. passim.

(3) *De Veritate* quæst. 9, art. 4. ad 10.um

(4) *De Veritate* Quæst. 24 art. 2 ad 7. Fuse de hoc P. Joannes a S. Thom. Op. cit. *Logic.* quæst. 21, art. 6.

occultus, ut si expectatur in futurum: et tunc nihil prohibet causam signum sui effectus dici (1).

Sæpe etiam aliquid est signum alterius, cujus nec effectus nec causa est: id quod locum obtinet in signis arbitrariis, de quibus mox. Ita sceptrum significat regiam auctoritatem, ramus tabernam vinariam.

Et potest etiam significare res aliquid, quod nec causa sit nec effectus ipsius.

Atque hæc nobis circa signi naturam sufficere videntur (2). Si vero scire cupis quid signum ab imagine differat, breviter respondebo, duplex esse discrimen. Imago enim ex doctrina S. Thomæ (3), importat similitudinem cum re, cujus est imago, sive secundum naturam, sive saltem secundum figuram; deinde imago originem importat seu processum ab illa re, cujus est imago. Harum vero neutra conditio necessario requiritur ad rationem signi, quemadmodum patet, v. g. in ramo significante tabernam vinariam. Quare licet omnis imago sit signum, non tamen omne signum est imago.

Quid differat signum ab imagine.

---

(1) S. Th. in 4.° dist. 1 quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1, ad 5.m Cfr. *De Veritate* quæst. 9, art. ad 5; 1 p. q. 70 a. 2.

(2) Sunt, qui certas quasdam conditiones præterea requirant ad rationem signi. Et primo quidem volunt proprium signum postulare ut, sive ex naturæ ipsius ordine sive ex hominum placito, sit ad hoc institutum, ut specialiter ducat potentiam cognoscitivam in cognitionem alterius. Ita inter alios Cardin. Francisc. Toletus (in lib. 1 Aristot. *de Interpret.* c. 1, quæst. 1); P. Sylvester Maurus (*Quæst. philos.* tom. 1 quæst. 55); P. Petrus Hurt. (*Summul.* disp. 1 sect. 4, n. 19).

Deinde alii contendunt signum debere esse imperfectius ac deterius signato. Ita P. Joann. a S. Th. (*Log.* quæst. 21, art. 4, *Appendix*). Oppositum vero alii censent, ut videre est apud P. Ludov. Lossada (Inst. Dialect. disp. 1, cap. 2. n. 10).

Idem Joannes a S. Thoma vult signum esse debere signato dissimile: unde varia excludit a ratione signi.

Ab his ego controversiis, vel quia fere sunt de modo loquendi, vel quia tenebras potius quam lucem affundere mentibus incipientium videri possunt, abstinendum in ipso Logices limine existimavi, illamque signi præbendam esse definitionem ac declarationem, quæ neutram ex adversis opinionibus excluderet, neutram supponeret, sed ab utraque præscinderet.

(3) S. Th. 1 p. q. 35, art. 1; q. 93, art. 1.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit signum.

Signum formale

8. Signum dividi potest primo ratione modi significandi, in *formale* et *instrumentale*. Formale est forma seu entitas illa, quæ potentiæ cognoscitivæ inhærens, seipsa notum illi reddit objectum. Hujusmodi est actus quilibet cognitionis, sive intellectualis sive sensibilis, cognitio enim repræsentat

Instrumentale

objectum. Signum instrumentale seu objectivum est quidquid prius notum ducit nos in cognitionem alterius. Ita vestigium signum est pedis, fumus ignis (1).

Hoc differunt inter se signum instrumentale ac formale, quod illud prius in se cognoscatur, et ex sui cognitione ingerat quoque alterius rei notitiam, secus ac signum formale. Neque enim ut intellectione aut visione mea domum attingam, opus mihi est prius ipsam visionem aut intellectionem, quæ objecti similitudo quædam intentionalis est, percipere ac contemplari. Ideo signum formale vocatur etiam medium *quo*, instrumentale vero medium *ex quo*.

Naturale, arbitrarium et ex consuetudine.

Deinde pro diversitate nexus cum re significata dividitur signum in *naturale*, *arbitrarium* et *ex consuetudine*. Naturale est, quod suapte natura vim habet manifestandi aut significandi: sic gemitus natura sua dolorem, ignem fumus ostendit. Arbitrarium seu conventionale ved ad placitum est id, quod vim significandi non a natura, sed ex libera institutione sortitur. Libera porro hæc institutio potest esse vel Dei, vel angeli, vel hominis: ita sacramenta signant sanctificantem gratiam ex institutione divina, et ramus ad januam quarumdam domorum appensus vinum ibi vendibile commonstrat ex libera hominum voluntate. Denique signum ex consuetudine est quod ex consuetudine nactum est vim aliud repræsentandi. Hoc modo ornatior templi apparatus sollemniores ritus, mappa mensæ prope meridiem imposita, prandium mox futurum, et

(1) Fuse ac more suo egregie Conimbricenses de hac divisione (Loc. cit. q. 2 a. 1, 3).

canis herum comitari solitus, eumdem pone sequentem designat (1).

Quid differant signa naturalia a reliquis.

Hinc facile concludes eam esse naturalium signorum propietatem, ut semper et ubique idem significent; natura enim rerum eadem est apud omnes nec mutatur temporum fluxu. Secus vero dicendum est de reliquis signis.

Sensibile atque insensibile

Præterea signum pro diversitate potentiarum cognoscitivarum duplex est, *sensibile* atque *insensibile*. Sensibile definiri potest cum S. Augustino: *res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire*. Sic purpurea vestis Cardinalem nuntiat, fumusignem, mitra episcopalem dignitatem. Signum insensibile est, quod solo intellectu percipi potest: quales sunt v. g. spirituales mentis actus, ex quibus ipsa suam immaterialitatem cognoscit. Ita etiam ex theologorum doctrina character sacramentalis et locutio angelorum signa sunt insensibilia (2).

Manifestativum et suppositivum.

Denique ratione usus divides signum in *pure manifestativum* et *suppositivum* seu *doctrinale*. Pure manifestativum est quod solum inservit ad rem manifestandam, quin pro ea substituatur. Exemplum habes in campanæ sonitu, fumo, sceptro, aliisque innumeris, quæ ita rem significant, ut ad nullum usum eidem substituantur. E contrario signum

(1) Sunt qui signa hæc ex consuetudine ad arbitraria vel naturalia revocare velint, atque ita consequenter loqui debent illi, qui ad proprii signi rationem requirunt aliquam sive ex natura, sive ex hominum placito, institutionem atque ordinationem ad significandum, sicut docet, ut cæteros omittam, Joan. a S. Th. loc. cit. art. 6. Controversia hæc parvi profecto est momenti; sed in allatis exemplis vis significandi non videtur saltem immediate derivari ex natura hominumve placito. V. Lossada loc. cit. n. 13. 14-18.

(2) Cave autem ne confundas divisionem hanc cum illa alia per quam signum dispesci potest in *corporeum* et *incorporeum*. Ratio enim corporei aut incorporei in signo repetitur ex physica ipsius conditione materialitatis aut in materialitatis; ratio vero sensibilis aut insensibilis desumitur ex respectu signi ad potentiam a qua cognoscitur, et fieri bene potest, ut aliquod signum in se materiale quiddam sit ac corporeum, non vero sensibile, si nimirum percipi a sensu nequit. Sic cognitio sensibilis est signum formale et corporeum, seu materiale, utpote actus humani compositi; non est autem signum sensibile, cum cognosci in seipso a sensibus minime possit.

suppositivum ita rem repræsentat, ut etiam ejus vices gerat. Sic imago alicujus sancti et vocabula sunt signa suppositiva, quia ad quosdam usus accipiuntur pro rebus ipsis, quas repræsentant; ut cum loco B. Mariæ Virginis veneranda proponitur ejusdem imago (1), et voces de vocibus prædicantur, licet in se distinctissimæ sint, quia res identicas significant: et prorex regem repræsentat, ejusque gerit vices.

Demonstrativum, rememorativum et prognosticum.

Satis vulgaris est etiam divisio illa qua signum dividitur in *demonstrativum; rememorativum* et *prognosticum*. Demonstrativum rem præsentem, præteritam rememorativum, futuram prognosticum designat. Exemplum primi est gemitus dolorem manifestans; secundi vestigium indicans animalis transitum; tertii sol, cum *cæruleus pluvias prænuntiat igneus euros* (2). Ita etiam *sacramentum est signum rememorativum ejus quod præcessit, scilicet passionis Christi*, et *demonstrativum ejus quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiæ, et prognosticum, id est prænuntiativum futuræ gloriæ* (3).

Speculativum et practicum.

Tandem omissis aliis divisionibus, quæ satis per se constant, signum partitur in *speculativum* et *practicum*. Speculativum significat, sed non causat rem signatam. Practicum vero causat idipsum quod significat, ut sacramenta gratiam.

---

(1) «*Solent quippe imagines*, inquit S. Augustinus, *rerum earum nominibus appellari, quarum imagines sunt... velut cum intuentes tabulam ad parietem, dicimus: Ille Cicero* est, *ille Sallustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma; cum aliud nihil sint quam pictæ imagines.*» (lib. 2 qq. ad *Simplic.*, quæst. 3.)

(2) Virgil.

(3) S. Thom. 3 p. q. 60, art. 3. in corp.

CAPUT II.

DE TERMINO

ARTICULUS I.

De termino generatim.

9. Terminus a Logico definiri cum Aristotele potest: *id in quod resolvitur propositio, ut in subjectum et prædicatum* (1). Quid terminus

Quam definitionem ut intelligas, notare debes propositionem omnem affirmatione aut negatione contineri, qua aliquid de alio enuntiatur. Sic quando dico: *Deus est immortalis; Homo non est lapis;* assero tribuoque Deo immortalitatem, ab homine autem conditionem lapidis removeo. Id, de quo aliquid affirmatur aut negatur in propositione, vocatur *subjectum* ejusdem; id vero, quod affirmatur aut negatur, *prædicatum;* ipsa denique affirmatio aut negatio, *copulæ* nomen accepit a Logicis. Copula ergo est quasi vinculum et commissura quæ propositionem construit ex subjecto et prædicato. Resolutio vero propositionis est divisio ejusdem ac dissipatio in sua elementa partesque, quibus coalescit. Subjectum, prædicatum, copula.

Itaque jam perspicis allatæ vim definitionis. Terminus est id, in quod resolvitur propositio tamquam subjectum et prædicatum: videlicet id quod, analysi logica instituta propositionis cujuslibet, munus gerere subjecti ac prædicati deprehendimus.

Non ergo termini sunt omnes illæ partes, in quas propositio quomodolibet dispesci potest, hæc enim si composita sit, dividitur primo in alias simplices, quæ certe termini non sunt. Quin etiam ipsa simplex propositio, saltem si de orali aut scripta loquamur, non in vocabula solum, sed ulterius in syllabas quoque ac litteras, quibus vocabula coalescunt, dissipari potest, quæ pariter non vocantur termini. Sed illis solis Non quælibet pars propositionis est terminus

(1) Lib. 1, *Prior. Analyt.* c. 1. Eamdem definitionem amplectuntur S. Thom. Fonseca, Conimbric. Toletus, Hurtadus aliique communissime.

propositionis partibus nomen factum est terminorum, quæ subjecti ac prædicati locum in illa tenent.

Cur sic appelletur.

Ex iis patet etiam ratio appellationis termini: subjectum enim et prædicatum ex ipsa rei natura propositionem utrimque *terminant*, tamquam bina extrema communi copulæ vinculo colligata. Deinde subjectum et prædicatum *terminant* analysin ac resolutionem ratiocinii logicam. Etenim, quemadmodum ex iis elementis componitur propositio, et ex propositionibus ratiocinium: ita vicissim ratiocinium dividitur in propositiones, hæ vero in subjectum et prædicatum: in quæ cum perventum fuerit, sistit Logicus, Grammaticis relinquens cæteras, si quæ faciendæ sint, ulteriores resolutiones.

Quæ cum ita sint, jure merito professores artis logicæ, jam inde ab Aristotele, terminum definierunt non omne id, in quod utcumque resolvitur propositio, sed subjectum et prædicatum ipsius (1).

Non me latet contra hanc termini declarationem posse quasdam subtiliores tricas opponi. Iis tamen morari non debemus, cum præsertim sermo sit de vocis cujusdam acceptione, quæ ab usu potissimum sapientum dependet, *quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.* Huic definitioni alii alias substituunt, inter quas ea quoque satis communis et bona videtur, qua terminus dicitur *extremum propositionis simplicis* (2), aut etiam *pars ex qua immediate componitur propositio simplex* (3).

Terminus mentalis, oralis et scriptus.

10. Jam terminus dividitur primo in subjectum et prædicatum, de quibus supra: deinde in *mentalem, oralem, et scriptum.* Mentalis est conceptus mentis, ex quo inmediate componitur judicium, seu in quem resolvitur propositio mentalis tamquam in subjectum et prædicatum; et vocatur etiam *simplex apprehensio.* Terminus oralis, ex quo inmediate componitur oralis propositio, appellaturque *vocabulum;* et scriptus, ex quo inmediate conflatur scripta propositio.

Et de termino quidem scripto nihil occurrit dicendum: mentalis autem et oralis accuratiorem postulant tractationem.

(1) Cfr. P. Pet. Fonseca *Inst. Dialect.* lib. 6, c. 9; Card. Tolet. *Summul.* lib. 1 cap. 10 aliique passim.

(2) Lossada *Summul.* disp. 4, c. 1, n. 3.

(3) Ibid. Cfr. S. Thom. lib. 1, *Periherm.* lect. 6, paragr. *c.*

ARTICULUS II.

De termino mentali seu simplici apprehensione

11. Terminus mentalis, ut modo scripsimus, est pars illa quæ in propositione munus gerit subjecti aut predicati, estque semper actus quidam simplex mentis ita rem aliquam cognoscentis, ut nihil de illa affirmet, nihil neget. De quo actu alibi (1) fusius agendum nobis est: nunc solum animadvertimus eum præ se ferre imaginem quamdam objecti spiritualem (2). Vocatur etiam *idea* (3), *simplex apprehensio, simplex conceptus*, et potissimum a veteribus, *indivisibilium intelligentia ac simplex intellectus* (4). Omnes ergo hæ voces unam eamdemque rem pro Logico significant, videlicet primam mentis operationem; sed sub diverso respectu.

Variis nominibus appellatur terminus mentalis:

Nomen enim *terminus mentalis* declarat conditionem ipsius, secumdum quam est elementum, in quod resolvitur propositio. Vocatur vero *idea* ab εἴδω, quia est quasi visio quædam objecti. Vocatur *conceptus*, quia est partus quidam et opus mentis: et quoniam omnis operatio intellectus est eo sensu conceptus, additur *simplex* ad excludendam affirmationem aut negationem, quam continent mentales conceptiones judicii et ratiocinii. Dicitur *simplex apprehensio* ad designandum modum, quo cognitionem mens elicit, imaginem objecti in se gignens et quasi depingens, nimirum apprehendendo ac trahendo ad sese objectum. Nam *omne intellectum, in quantum intellectum, oportet esse in intelligente; significat enim ipsum intelligere apprehensionem ejus quod intelligitur per intellectum* (5). *Intelligentia simplicium* vocatur aut *simplex intelli-*

idea,

conceptus,

apprehensio,

intelligentia simplicium,

(1) In tractatu de *Anima*.

(2) *Omnis enim cognitio fit secundum similitudinem cogniti in cognoscente* S. Th. lib. 2 *Contr. Gent.* c. 77 et alibi passim. Cfr. S. Anselm. *Monol.* c. 33.

(3) Prisci tamen Doctores sæpius *ideam* appellabant cognitionem practicam, ad cujus imitationem atque exemplar aliqua res fiat.

(4) Vid. S. Th. lib. 1 *Periherm.* lect. 1 et alibi sæpe.

(5) S. Th. *Contr. Gent.* lib. 4, c. 11.

gentia vel etiam *intelligentia indivisibilium* (1), non quia ille actus simplicia dumtaxat objecta repræsentat aut indivisibilia, sed quia quamlibet rem simpliciter exprimit, nullum de illa proferens judicium aut sententiam. Actus enim judicii nuncupatur etiam compositio et divisio, ut mox videbitur. Tandem

verbum,

prima mentis operatio appellatur *verbum mentis*, quia mens cognoscendo rem quasi loquitur secum ipsa. Hinc S. Augustinus: *Verbum*, inquit, *quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet, cui magis verbi competit nomen. Nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est, verbumque et ipsum dicitur propter illud, a quo, ut foris appareat, assumptum est* (2). Vocatur quoque ab Arabibus *imaginatio intellectus* (3).

Idea vel conceptus est signum rei et quale

Cæterum communissima est sententia Philosophorum, quod idea et conceptus est signum, et quidem naturale, rei; est enim forma seu entitas quædam suapte natura objecta menti repræsentans. Est præterea signum formale, non autem objectivum seu instrumentale.

Non confundenda cum phantasmate.

Unum solent hic Logici monere artis dialecticæ tirones, ideam seu conceptum non esse confundendum cum phantasmate, quod de rebus quibusvis cogitantes conflamus, eas coloribus quibusdam certisque lineamentis figurando. Phantasma enim ejusmodi est opus imaginationis, idea vero intellectus; quæ sunt duæ facultates diversæ. Quare illud cum brutis commune nobis est, secus atque idea. Præterea phantasma externa tantum ac sensibilia exhibet accidentia corporum; sed idea interius penetrat, ut substantiam quoque ipsam et rationes prorsus inmateriales atque insensibiles perscrutetur. Quin sæpe, dum imaginatio rem aliquam corporeis convestit coloribus, intellectus eamdem in idea sua tamquam omnis materialis affectionis expertem repræsentat. Exemplum habes in *angelo*, *animo nostro*, *Deo*.

---

(1) Apud S. Th. 3.ª dist. 23, q. 2 a. 2, in solutione prima et 1.° dist. 19. q. 5 art. 1 ad 7.um

(2) Lib. 15 *de Trinit.* 1. 11. Conf. S. Th. 1 p. q. 34. a. 1; Opusc. *de Differentia divini Verbi et humani*, et P. Molina. 1 p. q. 27, disp. 6; sed de his alibi.

(3) Apud S. Thom. 1. dist. 19, q. 5 ad 7.um; et *de Veritate* q. 14 *de Fide*, art. 1.

Quid et quotuplex ideæ objectum: materiale, formale

12. Objectum ideæ est id, quod per ideam repræsentatur ac notum fit. Et duplex esse potest, *materiale* ac *formale*. Objectum materiale est res ipsa, quæ actu mentis attingitur, prout in seipsa est; formale autem res, prout est in mente, seu id quod de re per ideam cognoscitur. Multæ namque sunt in rebus perfectiones, vires et gradus entitatis, qui diversis conceptibus attingi possunt, ac porro debent, spectata intellectus nostri imbecillitate: ex quo fit, ut una eademque realitas physica, idem objetum materiale, possit esse formaliter multiplex, seu multiplicia objecta formalia offerre menti contemplanda. Ita v. g. cognoscimus in Deo *justitiam*, *misericordiam* et reliqua atributa.

Quid notæ ideæ alicujus.

Hæ diversæ rationes quæ totidem constituere possunt objecta formalia, diversasque terminare mentis conceptiones, vocantur objecti *notæ intelligibiles;* sunt enim rei illius velut lineamenta, quibus intuenti manifestatur, et ab aliis rebus secernitur.

Quid comprehensio et extensio ideæ.

In idea qualibet considerari potest cum recentioribus *comprehensio* atque *extensio* ejusdem. Comprehensio ideæ vel conceptus est complexio notarum, quæ in illa relucent. Extensio vero est multitudo subjectorum, de quibus idea quælibet enuntiari potest.

Quomodo se habent inter comprehensio et extensio.

Ad determinandam mutuam habitudinem inter idearum comprehensionem acque extensionem, hæc a recentioribus Logicis regula præcipitur: *Quo maior est ideæ comprehensio, eo magis late patet ejusdem extensio;* et vicissim, *quo latius patet extensio, eo minor est comprehensio*. Quæ regulæ intelliguntur de rebus ad eamdem categoriam ordinemque pertinentibus(1). Et ratio est, quia, ut inferius dicetur, sub latissimo entis conceptu varia instruuntur rerum genera, et sub singulis generibus innumera continentur objecta, suis quoque distincta notis ac perfectionibus. Unde fit, ut quo plures habeat ejusmodi perfectiones objectum aliquod, eo plura possideat lineamenta, quibus a reliquis rebus secernatur: et consequenter, eo pauciora erunt objecta, quæ cum illo conveniant.

(1) Neque id sufficit, ut regula ista sit vera; sed requiritur præterea, ut intelligatur de rationibus specificis ac genericis, aut generatim de illis, quæ directe ponuntur in linea prædicamentali. Secus enim, si regula intelligatur de quocumque objecto ideæ, multis exemplis falsa deprehendetur.

ARTICULUS III.

De termino orali seu vocabuli.

13. Ideæ intus in animo latentes patere aliis non possunt, nisi per signa quædam externa, v. g. *gestus*, *risus*, *gemitus*, *lacrymæ* aliaque id genus. Principem tamen inter conceptuum signa locum obtinent vocabula et scriptura, terminus nimirum oralis et scriptus (1). De orali nobis hic dumtaxat agendum est.

Vocabulum quid.

Vocabulum definitur communiter *vox hominis articulata ex conventione aliquid significans*. Dicitur *vox*, quæ est *sonus ab ore animalis prolatus cum imaginatione quadam* (2). Dicitur *vox hominis*, quia brutorum voces non apellantur vocabula: *articulata*, id est litteris vocalibus et consonis ac syllabis diversimode per variam labiorum, linguæ, dentium, palati, gutturisque actionem modificata et quasi totidem articulis distincta (3). Neque enim omnis vox, etiam hominis, est vocabulum, sed vox articulata. Additur vocabulum *significare* ad placitum conceptus mentis, quia quamquam naturalis est homini ad loquendum propensio atque aptitudo; electio tamen sonorum, quibus loquela constat, et velut totidem signis utitur ad exprimendas suas ideas, itemque horum signorum institutio ad certas quasdam res constanter exprimendas libero arbitrio relicta est.

Est signum. arbitrarium.

Secus enim, quemadmodum eadem sunt apud omnes gentes reliqua signa naturalia, eadem quoque forent vocabula

---

(1) Vid. S. Th. 1. *Perihermen.* lec. 2 initio.

(2) S. Th. ib. lect. 4, et fuse *de Anima*, lib. 2., lection. 18 initio. *Non omnis sonus animalis*, inquit, *est vox. Contingit enim linguam facere aliquos sonos, qui tamen non sunt voces, sicut et tussientes faciunt sonum, qui tamen non est vox. Oportet enim ad hoc quod sit vox, quod verberans aerem sit animatum, et cum imaginatione ad aliquid significandum. Oportet enim, quod vox sit sonus quidam significans vel naturaliter vel ad placitum, et propter hoc dictum est, quod hujusmodi percussio est ab anima. Operationes enim animales dicuntur, quæ ex imaginatione procedunt.* S. Thom. *de Anima*, lib. 2, lect. 18. Cfr. Arist. ib. lib. 2. text. 87-92.

(3) Cf. Petrum Hispanum, *Summul. logical.* tract. 1; Salvator. Tongiorgi, *Institutiones philos., Logic.* n. 60.

iisdem rebus significandis destinata, nec tanta linguarum varietas adeo difficilem redderet consuetudinem inter homines diversarum nationum (1).

Voces significant et res et mentis conceptus.

14. Jam si quæras quid voces significent, responsio in promptu est, eas significare et mentis conceptus et res seu objecta horum conceptuum, prout communissima tenet sententia (2). Id quod vel hæc una demonstrat experientia, quod «cum vox auditur, statim mens convolat ad rem determinatam percipiendam, et certa est de cognitione loquentis, ita ut hominum de rebus judicia et apprehensiones audita voce experiamur. Ergo necessario fatendum est, tum rem tum conceptum per vocem significari» (3). Voces tamen sunt signa suppositiva rerum, et solum manifestativa conceptuum. Etenim substituuntur voces pro rebus in sermone, et sic voces de vocibus prædicamus, ut cum dicimus; *Petrus est homo, Deus est immortalis*: quæ propositiones veræ minime possent esse, nisi voces rerum vices gererent. Neque enim est identitas inter voces *Petrus et homo, Deus et immortalis*, sed inter res ipsas iis vocibus significatas.

Quid prius vocabula significent.

Difficultas autem et dissidium auctorum est in definiendo, quid prius et inmediatius per voces significetur, resne, an vero earumdem conceptus. In qua controversia S. Thomas sæpissime docuit, vocibus prius conceptus quam res, hasque nonnisi mediis conceptibus significari (4): quæ est etiam

(1) Sunt tamen quædam vocabula, quæ pro varia soni conditione, sive aspera, sive suavi, sive tarda, sive celeri, affinitatem quamdam naturalem cum rebus significandis retinent. Ita *mel* dulciter sonat, aspere *crux*, *vepres* et *murmur; balatus*, *sibilum*, *tinnitus* aliaque non pauca vocabula, rerum, quas significant, conditionem sono ipso videntur imitari. Præterea voces naturaliter indicant, eas proferentem esse *vivum*, *loqui velle*, *aliquid cogitare*. Vid. P. Sylv. Mauri, *Quæst. Philos.*, t. 1. quæst. 56.

(2) Cfr. Conimbricen. Op. cit. in lib. 1 de *Interpret*, c. 1. quæst. 3. a. 1.

(3) Conimbric. ibid. art. 2.

(4) Vide inter alia loca 1 p. q. 13, a. 1 in corp.; a. 4 in corp.; art. 9 ad 2.um; Qq. disput., *De Potentia*, quæst. 7, a. 6; q. 8 art. 1; q. 9 art. 5; *De Veritate* q. 2, a. 1; q. 4, a. 1 ad 7; *Perihermen.* lib. 1, lect. 2, lect. 8, et lect. 10.—Opusc. *De intellectu et intelligibili*, et Opusc. *de Differentia divini verbi et humani*, etc.

Variæ sententiæ.

Aristotelis sententia (1) et plurium veterum Doctorum. Aliis arridere magis opposita sententia videtur, quamquam crediderim diversitatem opinionum potissimum in ratione loquendi consistere.

Notanda: 1.°,

15. Circa hanc controversiam illud in primis notandum venit, minime hic disputari de quibusdam vocabulis ad ipsos animi actus denotandos institutis, qualia sunt: *judicium* v. g., *cognitio*, aliaque id genus; hæc enim procul dubio conceptus mentis immediate significant; sed de reliquis vocibus quæ alias res ab actibus animi distinctas exprimunt.

2.°,

Deinde facile convenire debet apud omnes, verba, quemadmodum P. Vazquez (2) aliique loquuntur, in locum conceptuum subrogari ac substitui in officio, quod ipsi, si patescere per se possent, præstarent, manifestandi aliis ea quæ loquens cognoscit.

3.°

Notandum denique est tria posse in cognitione spectari, primo, ipsum formalem actum mentis, quo notitia objecti comparatur, quique dici etiam solet *formalis conceptus;* secundo, rem prout apprehensam et cognitam a mente, quæ vocatur *conceptus objectivus;* et tertio, rem prout est in se ipsa extra mentem. Hisce præstitutis

DICO 1.° **Vocibus principalius res ipsæ, quam loquentis conceptus significantur.**

Vocabula principalius significant res ipsas.

Et ratio est, quia, ut experientia docet, in communi vitæ commercio tam loquens quam audiens ad res ipsas magis attendit, quam ad cognitiones verba proferentis. Et quemadmodum audiens per se non tam cupit scientiam loquentis, quam rem ipsam, cognoscere; ita pariter loquens magis per se intendit rei ipsius, quam suæ propriæ cognitionis, notitiam ingerere.

---

(1) *Perihermen.*, lib. 1, cap. 1.

(2) *Commentar. in 1.am part. Summæ theolog. S. Thomæ* disp. 75. cap. 3, n. 16. Quæ sententia S. Augustini est, sic pulchre scribentis: *Nullo modo ambigo id conari verba veracium, et id quodammodo profiteri, ut animus loquentis appareat. De Magistro*, cap. 13.

Vocabula prius res significant prout conceptas.

DICO 2.° **Voces prius et immediatius videntur significare res prout conceptas, seu objectivos conceptus, quam aut conceptus formales aut res ipsas, prout in se sunt.**

Prima pars. Significare est repræsentare menti aliquid, seu excitare notitiam alicujus rei. Atqui, experientia teste, vocabula prius excitant rerum a loquente cognitarum notitiam, quam cognitionum seu conceptuum ejusdem. Etenim cum locutionem aliquam audimus, illico noster animus, absque ulla supra conceptum loquentis reflexione, ad rem ipsam cogitandam pervolat. Quin sæpe non aliud advertere videmur præter ipsas res auditas. Quando vero præterea de ipsa loquentis cognitione subit animum cogitatio, id fieri videtur quasi ex consequenti, quatenus nimirum ex rebus auditis scientia vel ignorantia, veræ vel falsæ loquentis cognitiones colliguntur.

Confirmatur. Quia aliud a nobis prius et inmediatuis apprehenditur, cum audimus: *Roma existit;* et aliud, cum audimus: *Cogito* vel *concipio Romam existere.* In posteriori porro exemplo prima, quæ menti occurrit apprehensio, est de loquentis conceptu. Ergo oppositum dicendum est de primo exemplo.

Secunda pars. Nam cum vocabula in locum internorum conceptuum subrogentur, qui patescere aliis hominibus per se non possunt; res ipsas non patefaciunt nisi secundum mensuram et regulam cognitionum loquentis. Id quod nullibi melius cernitur quam in vocibus naturas universales, v. g. *hominem, animal,* vel formas abstractas, puta *albedinem, rationalitatem,* et generatim objecta præcisive, inadæquate et imperfecte exprimentibus. Unde patet, res non quomodocumque significari vocibus, sed prout substant conceptibus, seu prout exprimuntur conceptibus. Locutionem enim conceptus et cognitio præcedere debet, et pro diversitate conceptus adhibentur voces rem perfectius aut minus perfecte declarantes.

Brevi: voces inventæ sunt et usurpantur, ut aliis pateat id ipsum quod loquenti patet per suos proprios conceptus et cognitiones. Atqui loquenti primo et immediate patent res prout conceptæ. Ergo.

Atque hæc est sententia P. Gabrielis Vazquez (1), P. Georgii de Rhodes (2), Sebastiani Dupasquier (3) aliorumque: et videtur optima via conciliandi oppositas opiniones. Neque enim S. Thomas, cum sæpius scripsit vocibus res significari, mediantibus conceptibus, aliud voluisse censendus est, nisi quod voces significent res interventu conceptuum et juxta mensuram eorumdem, ideoque inmediate res prout conceptas, seu conceptus objectivos (4).

ARTICULUS IV.

Variæ divisiones termini mentalis.

16. Quamquam prisci AA. vix quidquam de mentali termino ejusque divisionibus disputabant, usus tamen jam invaluit apud recentiores, ut in ipso Philosophiæ vestibulo fusior de his habeatur sermo. Huic nos mori obtemperandum esse duximus, eas hic leviter perstringendo divisiones conceptuum seu idearum, quarum cognitionem utilem jam nunc discentibus fore judicamus, uberiorem tractationem in Psychologiam tamquam in propiam sedem amandantes.

Ideæ dividuntur in adventitias et factitias.

Itaque ratione originis dividuntur a recentioribus ideæ in *adventitias* et *factitias*. Adventitias vocant, quas mens, positis sensationibus, illico et immediate efformat; factitias autem, quas mens sibi fabricatur ope compositionis aut discursus et reflexionis supra adventitias. Adventitia est v. g. idea *coloris*, *motus*, *corporis;* factitia vero idea *montis aurei* et *horologii* aut machinæ cujuslibet novæ pro artifice, qui primus eam invenit. Idea factitia potest esse vel mere arbitraria, si notas eas et elementa in unum conglobet, quæ ita simul unita nuspiam reperiantur, qualis est idea montis aurei aut hominis cornuti; vel discursiva, quæ notas illas conjungit, quæ revera conjunctæ existunt, quamvis detegi absque discursu et synthesi mentis

(1) In 1.m part. disp. 75, c. 3, n. 15.

(2) *Philos Peripat.* lib. 1, disp. 3, q. 1, sect. 1, *quæritur* 5.ª

(3) *Summa Philos. scholastic.* disp. 10, quæst. 2, concl. 3.ª

(4) *Nomina enim imponuntur a nobis,* inquit Angelicus, *secundum quod nos intelligimus, quia nomina sunt intellectuum signa.* 5.ª *Metaph.* lect. 5, paragr. *c.* Cfr. 1, p. q. 18, art. 2.

nequeant. Et ejusmodi est idea Dei, quam assequimur in hac vita, assurgendo per ratiocinium a creatis perfectionibus ad infinitam summamque perfectionem entis increati.

Idearum factitiarum proinde maxima utilitas est non in scientiis solum, sed etiam in artibus, sive liberalibus sive mechanicis, in quibus archetypa humani ingenii vis innumera præformat, et conflat operum exemplaria, quorum in natura nonnisi semina deprehendit huc illuc dispersa.

Ideæ seu conceptus intuitivi et abstractivi

17. Ideæ ratione modi, quo rem repræsentant, dividuntur in *intuitivas* et *abstractivas*. Intuitiva est, quæ objectum existens prout existens contemplatur, et quidem per speciem propriam, id est, immediate in seipsa, et non per discursum, comparationes analogicas aut similitudines et respectus ad alia objecta. Et nomen accepit a visione oculi, qui proprie *intueri* dicitur. Quare duplex est intuitivæ cognitionis conditio essentialis: α) ut respiciat objectum existens prout existens: β) ut illud per speciem propriam referat.

Abstractiva idea est, quæ alterutra conditione caret. Ita, Deum, dum in hoc exilio mortalis vitæ peregrinamur, etiam tum, cum existentem apprehendimus, non intuitive sed abstractive cognoscimus: beati autem in cælo Deum intuentur, qui præsentem et existentem immediate et absque alienis speciebus contemplantur. Ita etiam, quamvis colorum, quicumque non cæcutiunt, ideas habeant intuitivas, corpoream tamen substantiam nonnisi abstractive cognoscunt, utpote quæ per seipsam minime pateat, sed sub qualitatum sensibilium cortice velata delitescat, nec aliter nostris obtutibus objiciatur, quam per suas proprietates et manifestationes externas. Imo de ipsa existentia potest haberi idea pure abstractiva, si videlicet repræsentetur a mente, non ut actu exercita, sed tamquam mera quædam realitas, quæ nullam involvat in se repugnantiam: datur quippe existentia possibilis.

Claræ et obscuræ,

18. Ratione perfectionis in objecto repræsentando partiuntur ideæ in *claras* et *obscuras*. Claræ dicuntur, quæ ita objectum exhibent, ut ab aliis discerni possit secundum aliquid sibi proprium: si secus accidat, idea vocatur obscura. Idea solis clara est pro omnibus, qui semel illum viderunt. Si quis vero numquam vidisset v. g. equum aut mulum, nec ullam audisset descriptionem alicujus notæ propriæ, ut non posset

alterum ab altero distinguere, ideam haberet eorumdem obscuram.

distinctæ et confusæ,

Idea clara subdividitur in *distinctam* et *confusam*. Distincta est ea, quæ præ se fert aliquas saltem notas essentiales rei: secus erit confusa. Sic distinctam habet hominis ideam, qui novit eum ut viventem et intelligentem.

completæ et incompletæ.

Idea distincta subdividitur in *completam* et *incompletam*. Completa est v. g. idea hominem exhibens ut substantiam corpoream, viventem, sensitivam, rationalem.

Idea comprehensiva.

Hanc divisionem videntur nonnulli confundere cum illa alia, secundum quam idea dispescitur in *adæquatam* et *inadæquatam*. Alii tamen adæquatam identificant cum *comprehensiva*, quæ nimirum totam rei exhaurit intelligibilitatem, eam penitus cognoscendo, quantum sub quacumque ratione ac respectu cognoscibilis est.

Directa et reflexa.

19. Præterea idea seu conceptus partitur in *directum* et *reflexum*. Reflexus est qui pro objecto habet alium mentis actum prævium, ut conceptus, quo *cognosco me cognoscere*. Directus est, qui aliud objectum respicit distinctum a prævio aliquo actu a mente exercito, ut cum intelligitur *lapis, charta* etc.

Reflexio ontologica et psychologica.

Reflexio autem duplex distinguitur a philosophis: altera *objectiva* seu *ontologica* et altera *subjectiva* seu *psychologica*. Per illam recogitamus objectum prius cognitum, et ideo vocatur quoque *recogitatio*. Reflexio autem psychologica est ea, per quam actus aliquis prævius, prout est affectio quædam proprii subjecti internumque animi nostri phænomenum, cogitatur (1).

Conceptus ultimatus et non ultimatus.

20. Dividitur etiam conceptus in *ultimatum* et *non ultimatum*. Ultimatus est ille quem percepto signo aliquo, nobis noto, efformamur de ipsa re significata: talis est conceptus quem quivis latini sermonis gnarus efformat audiens vocem

(1) Hanc divisionem reflexionis in ontologicam et psychologicam indicat S. Thomas, vel quisquis sit auctor operis, quod inscribitur *Totius Aristotelis Logicæ summa*, tract. 1 cap. 1. Hoc opusculum non esse S. Thomæ probat de Rubeis in dissertatione de *Gestis et Scriptis* D. Thom. dissert. 24. cap. 2, n. 3. Est tamen procul dubio antiqui et sapientis auctoris.

homo. Non ultimatus, qui et *medius* appellatur, est ille, quem percepto signo, efformat significationis illius ignarus: ut si sonitum tubæ audiens nescias, quid tandem ea re significetur. Quare medios dumtaxat seu non ultimatos habens conceptus, quærit et irrequietus est, donec rei notitiam nanciscatur.

Formalis et objectivus.

Illa demum non levis momenti divisio est, qua conceptus distinguitur in *formalem* et *objectivum*. Formalis est actus ipse cognitionis objectum quodlibet repræsentantis; objectivus est objectum prout tali conceptu expressum. Rem intelliges similitudine vocabuli, nam etiam terminus oralis dividi potest in formalem et objectivum: et formalis est ipsa vox, sonitus nimirum qualem superius descripsimus, quæ assumitur tamquam instrumentale signum ad aliquid significandum; objectivus vero res ipsa secundum modum et gradum, quo per tale vocabulum exprimitur. Ita cum *bovem* concipio, conceptus formalis est meus actus cognitionis, nimirum entitas quædam spiritualis inhærens intellectui, cujus natura suo loco declarabitur; objectivus vero est bos ipse intellectus, prout intellectus. Porro cum in judicio unum conceptum de alio affirmamus aut negamus, non affirmamus aut negamus conceptum formalem de formali, sed objectivum de objectivo.

ARTICULUS V.

Variæ divisiones termini oralis.

Terminus significans et non significans

21. Dividitur primo in *significantem* et *inanem* seu non significantem. Prior est ille, qui aliquid significat, ut *templum, sol*. Non significans est, qui nihil significat, seu non adhibetur tamquam signum ad quidquam aliis manifestandum v. g. *blictri, scindapsus;* quæ voces nullam ex hominum instituto habent significationem.

univocus et æquivocus.

22. Deinde terminus oralis dividitur in *univocum* et *æquivocum* (1). Univocus est ille, qui plura significat secundam

(1) Plures antiqui Dialectici dividunt univoca in *univocantia* et *univocata;* et æquivoca in *æquivocantia* et *æquivocata*. Univoca univocantia sunt termini univoci; univoca vero univocata sunt res ipsæ univocis terminis significatæ, nimirum illæ quarum «*et commune nomen est, et ratio substantiæ* (id est naturæ et objectivæ reali-

eamdem rationem seu significationem nominis. Talis est *homo*, cum prædicatur de Petro, Paulo, etc. et *animal*, quod dicitur æquo modo de homine et bruto.

Æquivocus est qui pluribus applicari potest, sed secundum diversam rationem et nominis significationem, ut *gallus*, qui et de gallinaceo dicitur, et de homine in Galliis nato: et *canis* de certo animali terrestri, de pisce ac de constellatione.

Ad univocationem non requiritur perfecta in omnibus convenientia, nec ad æquivocationem perfecta discrepantia

Ubi nota primo, sicut ad univocationem non requiritur, ut res univocæ in omnibus inter se conveniant, sed in illa ratione, quæ per commune nomen designatur; ita e converso neque ad æquivocationem opus esse, ut quæ nomine donantur æquivoca, in omnibus inter se discrepent, sed sufficit, ut in illa tantum ratione discrepent, quæ communi notatur vocabulo (1). Sic Petrus et Paulus in multis quidem discriminantur, sed conveniunt in humanitate, unde univoce dicuntur homines. Et e converso gallus gallinaceus et homo in Galliis natus in multis conveniunt, puta in animalitate, vita, ratione corporis, substantiæ, entis; sed discrepant in ea præcise ratione quæ nomine galli venit in utroque (2).

Eadem vox respectu diversorum univoca et æquivoca.

Nota secundo, vocem eamdem posse per respectum ad varia objecta modo univocam modo æquivocam esse. Quemadmodum *homo* univocus est pro variis individuis humani generis, et æquivocus respectu hominis vivi et picti vel sculpti.

Æquivocus a casu et a consilio seu analogus

Terminus æquivocus subdividitur in æquivocum stricte seu *a casu*, et æquivocum late seu *a consilio* vel *analogum* (3).

---

tatis) *nomini accommodata eadem est.*» (Arist. *De Prædicam.* c. 1) Similiter æquivocantia sunt termini æquivoci; æquivoca vero æquivocata sunt objecta ipsa «*quorum nomen solum commune est, ratio vero substantiæ nomini accommodata, diversa.*» (Arist. ibid.) Cfr. Conimbricenses in hunc locum.

Cæterum appellatio univocorum et æquivocorum magis proprie rebus ipsis competit, quam vocabulis, spectato vocis etymo.

(1) Vide Conimbricenses in expositione laudati textus Aristotelici.

(2) Cfr. S. Th. *De Veritat.* quæst. 2. art. 11 ad 7.m

(3) Totam hanc doctrinam sic expresserat Clemens Alexand. *(Stromat.* lib. 8.) *Ex his quæ sunt sub decem prædicamentis, alia quidem sunt synonima* (univoca), *quorum et nomen est ambobus commune: sicut bos et homo, quatenus animal: sunt enim synonima, quorum amborum nomen est commune, ut animal, et ratio eadem, hoc est,*

Aequivocus a casu est, qui pluribus tribuitur secundum significationes omnino diversas, quæ nimirum nullam retinent inter se affinitatem, propter quam nomine communi exprimantur; ut mons *Taurus*, et *taurus* animal cornutum. Et propterea dicuntur hæc æquivoca a casu, quia casu factum est, et absque ulla objectiva ratione, ut eamdem sortirentur appellationem. Aequivocus a consilio est terminus plura significans secundum rationem partim eamdem, partim diversam. Hoc pacto dicitur *sanus* de animali, de colore, de medicina, de cibo; sed ita ut vox illa prædicata de animali significat bonam ejusdem valetudinem; prædicata vero de colore, signum valetudinis; de medicina causam producentem vel restituentem; et de cibo, causam conservantem. Ita etiam *oculus* dicitur et corporis et animæ, ad significandam tamen rem non omnimo eamdem, sed quodammodo affinem et cognatam. Quare manifestum est, inquit Angelicus (1), *quod quæ sic dicuntur, media sunt inter univoca et æquivoca. In univocis enim nomen unum prædicatur de diversis secundum rationem totaliter eamdem; sicut animal de equo et de bove significat substantiam animatam sensibilem. In æquivocis vero* (a casu) *idem nomen prædicatur de diversis secundum rationem totaliter diversam sicut patet de hoc nomine* CANIS, *prout dicitur de stella et quadam specie animalis. In his vero, quæ prædicto modo dicuntur* (æquivoce a consilio seu analoge), *idem nomen de diversis prædicatur secundum rationem partim eamdem, partim diversam: diversam quidem, quantum ad diversos modos relationis; eamdem vero, quantum ad id, ad quod fit relatio. Esse enim significativum, et esse effectivum diversum est; sed sanitas una est. Et propter hoc hujusmodi dicuntur analoga, quia proportionantur ad unum* (2).

---

definitio, nempe essentia animata. Omonyma (æquivoca) sunt, *quæ utuntur eodem nomine, non habent autem eamdem rationem, ut homo qui est animal, et homo pictus.* Et ex omonymis *alia quidem habent idem nomen ex fortuna, ut Ajax Locrus, et Ajax Salaminius* (Telamonius): *alia autem ex cogitatione.* —Similia habet. S. Joan. Damasc. *Dialect.* cap. 32. 46.

(1) In lib. II *Metaphysicor.*, lect. 3, par. 9. Cfr. loca inferius citanda.

(2) Cfr. Conimbric. *In Prædicament. Arist.*, cap. *de Aequivocis*, q. 1. a. 1.

Aequivoci a consilio vocantur ita, quia in iis imponendis consilium regnavit et ratio innixa in aliqua convenientia vel ordine objectorum ipsorum. Quod probe notandum est. Si enim idem nomen pluribus inter se diversis imponitur quidem ob consilium aliquod certamque rationem, non vero fundatam in objectivo rerum ordine, sed in aliqua causa subjectiva ipsius imponentis; non erit æquivocum a consilio, quale Philosophi considerant tamquam medium inter pure æquivocum et univocum. Ut si quis imponat filio suo *Caroli* nomen ad memoriam et recordationem parentis, qui tali nomine donatus fuerat; tum Caroli nomen, licet consilio impositum, non erit analogum, sed pure æquivocum. Et idem esset, si quis puero nomen *Aloysii* ideo imponeret, quia sperat illum S. Aloysio juventutis Patrono fore similem. Hujusmodi æquivoci termini dicuntur a consilio ob *memoriam vel spem*, nec pertinent ad logicam considerationem (1).

Quale consilium requiritur ad constituendam analogiam.

Cæterum termini æquivoci a consilio apellantur etiam analogi, ex voce græca ἀναλογία quæ, interprete Tullio (2), *latine comparatio proportiove dici potest.*

23. Termini analogi multæ fiunt subdivisiones, quas ob ingentem utilitatem usumque frequentissimum rite intelligere oportet. Et primo quidem alia est analogia per *intrinsecam denominationem, alia per extrinsecam dumtaxat* (3).

Analogia duplex, alia per intrinsecam, alia per extrinsecam dumtaxat denominationem

---

(1) Vid. Card. Tolet. *In Categor.* Aristot., cap. 1, quæst. unica; Fonseca, *Instit. dialect.* lib. 1, cap. 20; Izquierdo, *Pharus scientiar.*, disp. 17, quæst, 22, n. 458, aliosque.

(2) *De Univers.* n. 197. Cfr. Quintilian. lib. 1.

(3) Cfr. S. Thom. 1.º Distinct. 19, q. 5 a. 2 ad. 1. ubi sub aliis nominibus duplex hæc analogia describitur.

Hæc analogorum divisio ponitur hic primo loco, ut præscindamus ab omni controversia. Quamquam enim omnes conveniunt in agnoscendis analogis per intrinsecam denominationem, disputant autem acriter, num dentur analoga secundum attributionem seu proportionem, quæ talia sint per intrinsecam denominatianem. Negant Cajetanus (Opusculo de *Nominum analogia* cap. 2), Complutenses (*Logic.*, disp. 10, quæt. 3), Joannes a S. Thom (*Logic.*, quæst. 13, art. 4) aliique, qui existimant solam analogiam proportionalitatis esse posse per intrinsecam denominationem. Affirmant autem, ut mihi quidem videtur, probabilius, Suarez (disp. 28 *Metaph.*, sect. 3, n. 14), Rubius (*Logic. Mexican.*, tract. de anal., n. 23), Conimbricenses (*Dialect.*

Prima intercedit, cum forma seu ratio, unde communis denominatio petitur, in omnibus analogatis intrinsece reperitur, licet semper prius ac principalius in uno. Sic sapientia dicitur analogice per intrinsecam denominationem tum de increata, tum de creata sapientia; forma enim seu perfectio nomine sapientiæ designata intrinsece verissimeque inest non Deo solum, sed etiam creaturis. Et ejusmodi est etiam ratio entis aliæque sexcentæ. Hanc analogiam agnovit Angelicus Doctor sub nomine analogiæ *secundum esse* et *secundum intentionem* (1). E converso analogia per extrinsecam denominationem obtinet, quando forma denominans in analogato principali tantummodo reperitur intrinsece, in aliis autem solum inest ordo aliquis et habitudo ad illam, ut patet in voce *sanus*, cum tribuitur animali, cibô et colori, et in voce *homo* dicta de homine vero ac picto etc. Hæc vocantur ab Aquinate analoga *secundum intentionem* et *non secundum esse* (2).

Multiplex porro est discrimen inter duplicem istam analogiam: de quo vide Suarezium egregie disputantem (3).

Analogia secundum attributionem et secundum proportionalitatem.

24. Alia est divisio termini analogi in analogum *analogia attributionis* et analogum *analogia proportionalitatis* (4). Analogus terminus secundum attributionem, seu etiam *secundum proportionem*, ut a multis vocatur, est ille qui de pluribus ita

---

De æquivocis, quæst. 1, a. 2. *Nihilominus communior*) atque alii multi. Sed de his alibi.

(1) Loc. cit. I. dist. 19, q. 5 a 2 ad 1.um

(2) Ibid.

(3) Disp. *Met.* 28, sect. 3, n. 14.

(4) Terminus analogus *analogia attributionis* et *proportionis* pro eodem habentur atque indiscriminatim accipiuntur a S. Thoma (1 p. q. 13, a 5; *Metaph.* lib. 4, lect. 1, par. *d;* Q. q. disp., *de Verit.*, quæst. 2, a 11; *Compend. Theol.* cap. 27 etc.); Rubio, (*Logic. tract.* de *Analog.*, n. 11, 12); Joan. a S. Thom. (*Curs. thomist., Logic.*, q. 13, art. 3); Complutenses (*Dialect.*, disp. 10, quæst. 2); Thoma Compton (*Log.*, disp. 39, sect. 3) aliisque.

At P. Petrus Fonseca (In lib. 4.um *Metaphys.*, Cap. 2, q. 1, sect. 6. Cfr. *Instit Dialect.* lib. 1 cap. 20); Conimbric. (*Dialect.* In *Anteprædicament.* cap. de *Æquivocis*, quæst. 1 a 1): Hurtadus, Sylvester Maurus aliique analogiam secundum proportionem accipiunt pro analogia proportionalitatis. Quæ diversa loquendi ratio habenda præ oculis est, ne confusio soboriatur in lectione auctorum tam varie vocis ejusdem significationem interpretantium.

prædicatur, ut unum quidem eorum principaliter significet, reliqua vero solum propter ordinem atque habitudinem ad illud. Analoga enim per attributionem vocantur ea quæ ordinem habent ad unum vel dependentiam ab uno principaliori. Exemplum habes in voce *sanus*, quæ prædicatur tum de animali, tum de cibo, colore, medicina; sed de animali principaliter, quia sanitas est forma propria animalis; de reliquis vero per ordinem dumtaxat ac respectum ad animalis sanitatem, quam vel conservant, vel significant, vel amissam restaurant.

Unde analogiæ attributionis denominatio.

Hinc patet etiam ratio, cur hæc analogia vocetur attributionis seu secundum attributionem, quia nimirum ab uno principaliori derivatur communis denominatio seu attributio in alia minus principalia propter ordinem ac dependentiam ab illo. Vocatur etiam idem hic terminus a multis analogus proportionis seu secumdum proportionem quia de pluribus prædicatur ob quamdam proportionem atque habitudinem ad unum (1).

Illud quod terminus analogus secundum attributionem principaliter significat, nominatur principale analogatum, reliqua vero secundaria seu minus principalia.

Cæterum ordo et habitudo, propter quam secundaria analogata principalis nomine insigniuntur, varia est, ut explicat Angelicus Doctor non uno in loco (2) cum Aristotele: nimirum secundaria respiciunt principale analogatum, vel tamquam finem vel tamquam principium (3); vel si mavis,

---

(1) De analogis attributionis notat Fonseca. (In lib. 4.um *Metaphys.*, loc. nup. cit.) numquam illa fuisse ab Aristotele vocata *analoga*, sed ea quæ sunt *ab uno vel ad unum*. (Vide Philosophum lib. 4 *Metaph.*, text. Comm. 2; Item lib. 7, text. Comm. 15; et lib. 1 *Ethicor.*, cap. 7.; item lib. 7, text. comm. 15; et lib. 1.° *Ethicor.* cap. 7): analogoru menim nomen Aristoteles solis analogis analogia proportionalitatis reservavit. Cfr. Card. Cajetan, Opuscul. *de Analog. nomin.* cap. 3; Conimbricenses, *Logic.* in cap. de *Antepræd icam.*, quæst. 1, a. 2. *Veniamus ad objecta.*; Joan. a S. Thom., *Logic.*, quæst. 13, a 3.

(2) S. Thom., Lib., 1 *Ethicor.* lect. 7; Lib. 4.° *Metaphysicor.* lect. 1.

(3) *Et hoc patet in exemplis infra positis* (ab. Aristot. ib. text. 2). *Ponit enim primo unum exemplum, quando multa comparantur ad unum, sicut ad finem, sicut patet de hoc nomine sanativum et salubre. Sanativum enim non dicitur univoce de diæta, medicina, urina et animali. Nam ratio sani secundum quod dicitur de diæta, consistit in*

secundaria respiciunt principale tamquam causam in aliquo ex quatuor vulgaribus causarum generibus, nempe efficientis, finalis, materialis vel formalis, ut alii auctores loquuntur (1).

Analogia proportionalitatis.

Sed jam veniamus ad analogiam proportionalitatis. Terminus analogus analogia proportionalitatis est ille, qui pluribus tribuitur ob similitudinem proportionum et habitudinum. Res vero analogæ secundum proportionalitatem sunt eæ, quarum idem est nomen et eadem quoque ratio proportionaliter, seu similis secundum proportionem. *Sicut ridere dictum de prato, nihil aliud significat, quam quod pratum similiter se habet in decore, sicut homo cum ridet, secundum similitudinem proportionis* (2). Ita etiam facile deprehendes eamdem analogiam in voce *stella* vel *porta cœli* aliisque similibus, quibus B. Virgo Maria vocatur ab Ecclesia. Etenim ratio, cur nomina *stellæ* ac *portæ* tribuuntur diversissimis inter se rebus, est proportionalitas vel similitudo proportionum, quibus illæ comparantur ac referuntur ad aliquid.

Notandum 1.° Quid proportio et proportionalitas.

Hæc ut melius capias, adverte primo, proportionem esse habitudinem unius quantitatis ad aliam (3); proportionalita-

---

conservando sanitatem; secundum vero quod dicitur de medicina, in faciendo sanitatem; prout vero dicitur de urina est signum sanitatis; secundum vero quod dicitur de animali, ratio ejus est, quod est susceptivum sanitatis. Sic igitur omne sanativum vel sanum dicitur ad sanitatem unam et eamdem; eadem enim est sanitas quam animal suscipit, urina significat, medicina facit, et diæta conservat. Secundo ponit exemplum, quando multa comparantur ad unum, sicut ad principium efficiens. Aliquid enim dicitur medicativum, quia habet artem medicinæ, sicut medicus peritus; aliquid vero, quia est bene aptum ad habendum artem medicinæ, sicut homines qui sunt dispositi, ut de facili artem medicinæ acquirant; ex quo contingit quod ingenio proprio quædam medicinalia operantur: aliquid vero dicitur medicativum vel medicinale, quia eo opus est ad medicinam, sicut instrumenta, quibus medici utuntur, medicinalia dici possunt; et etiam medicinæ, quibus medici utuntur ad sanandum. S. Thom., 4 *Metaph.*, lect. 1, paragr. *d.* Cfr. 1.° *Ethicor*, lect. 7 paragr. *i.*

(1) Vide Card. Cajet. (Opusc. cit. *de Analog. nomin.* cap. 2.); Conimbric. (loc. nup. cit. art. 1); Fonseca, *(Instit. Dialect.* lib. 1, cap. 20) etc.

(2) S. Th. 1 p. q. 13, a. 6. Cfr. *De Veritate*, quæst. 2. art. 11.

(3) Cfr. S. Th. *De Verit.* quæst. 8, art. 1 ad 6.um; Lib. 5 *Ethicor.* Lect. 5 initio.

tem autem esse similitudinem proportionum; quæ proinde postulat quatuor saltem terminos. Sic proportio adest inter *duo et quatuor*, inter *tria et quinque* etc; proportionalitas vero inter *duo et quatuor* hinc et inter *quinque ac decem* inde, quemadmodum enim se habent duo ad quatuor, ita se habent quinque ad decem, cum in utraque proportione adsit relatio dupli ac dimidii inter extrema. Ita etiam, quoniam inter oculum respectu visus et intelligentiam respectu intellectionis adest similitudo habitudinum, oculus et intelligentia proportionalitatem habent.

Proportionalitas duplex, altera propria, impropria altera.

Proportionalitatem dividunt Philosophi in *propriam* et *impropriam*. Propria est, quando similitudo proportionum, in diversis rebus existens, in illis proprie reperitur et absque ulla dissimilitudine secundum illam rationem; qualis est proportionalitas in ratione *dupli*, *tripli*, *quadrupli* etc. in qua infinita numerorum binaria perfectissime conveniunt: quamquam enim duo v. g. et quatuor, quindecim et triginta, centum et biscentum in seipsis absolute diversi sint numeri, at relative ac proportionaliter, nimirum secundum dupli rationem, minime discriminantur. Proportionalitas impropria viget, cum similitudo proportionum non ita perfecta est, quin habeat admixtam dissimilitudinem. Sic inter *oculum* et *intellectum* est similitudo proportionis per ordinem ad objecta cognoscenda cum magna commixta dissimilitudine in modo cognitionis et natura potentiarum ipsarum: unde fit, ut si eodem significentur vocabulo, velut cum *intelligentia dicitur oculus animæ*, adsit improprietas in sermone. Et in hac impropria proportionalitate fundantur omnes metaphoræ.

2.ª Quœnam proportionalitas constituat analogiam.

Ad veram ergo analogiam, de qua nunc loquimur, non videtur sufficere quæcumque proportionalitas, sed requiri impropria (1), vera enim analogia postulat similitudinem et

(1) Vide Suar. Disp. *Met.* 28, sect. 3, n. 11; Lossada *Metaph.* disp. 1, cap. 3, n. 30 *Aliquod nomen potest esse communicabile dupliciter*, inquit Angelicus (1 p. q. 13, a 9): *uno modo proprie, alio modo per similitudinem. Proprie quidem communicabile est, quod secundum totam significationem nominis est communicabile multis; per similitudinem autem communicabile est, quod est communicabile secundum aliquid eorum, quæ includuntur in nominis significatione. Hoc enim nomen* leo *proprie communicatur omnibus illis, in quibus invenitur*

convenientiam admixtam dissimilitudine, ut ex analogorum generali definitione constat. Ita ratio *dupli*, quia præ se fert proportionalitatem propriam plurium binariorum, non est respectu illorum analoga analogia proportionalitatis, quia non designat, nisi illud in quo illa omnia identificantur, ac proinde videtur univoca ratio esse dicenda. E converso realitas, quæ exprimitur per vocem *oculus* dictam de vero visionis corporeæ organo et de intellectu, et ratio quæ significatur per terminum pes, cum prædicatur de animalis pede ac de ima parte montis, et alia sexcenta his similia exempla continent veram analogiam proportionalitatis, quia involvunt non puram similitudinem, sed convenientiam simul cum discrepantia.

3.° proportionalitas non modo inesse in re, sed exprimi quoque voce debet, ad hoc ut sit terminus analogus.

Demum notandum est, ad hoc ut terminus aliquis sit analogus secundum proportionalitatem, non sufficere quod sit in variis rebus ejusmodi analogia, sed debere insuper illam termino ipso significari. Hoc modo si vox *leo* adhibeatur ad significandum ducem fortem in bello, et vox *tigris* ad denotandum trucem tyrannum, terminus erit analogus analogia proportionalitatis, quia inter fortem ducem et verum leonem ac inter tyrannum verumque tigrim, non modo adest proportionalitatis analogia, sed etiam exprimitur vocibus illis. Quod si ad exprimendum ducis fortitudinem loco vocis *leo* usurpes vocem *fortis*, et ad exprimendam pariter alterius crudelitatem uteris vocabulo proprio *crudelis*, quamquam erit quidem in re analogia, non vero in sermone, ideoque *terminus* desinet esse analogus, cum non exprimat nisi puram rationem crudelitatis ac fortitudinis absque dissimilitudine et discrepantia secundum naturas, quas voces *leo* et *tigris* referunt, cum de homine et brutis animalibus prædicantur.

Differentia inter analogiam attributionis et proportionalitatis.

Quæ cum ita sint, facile est analoga secundum attributionem vel proportionem ab analogis secundum proportionalitatem distinguere. Analoga enim secundum attributionem semper

---

natura, quam significat hoc nomen leo; *per similitudinem vero communicabile est illis, qui participant quid leoninum, ut puta audaciam vel fortitudinem, qui metaphorice leones dicuntur.* Id quod inferius ibidem explicat exemplo nominis *Achilles*, quo proprie unus tantum individuus homo appellatur, per similitudinem vero alii etiam, qui aliquam illius proprietatem participant v. g. fortitudinem. Cf. S. Th. 1.° dist. 8, q. 1, a 2.

1.ª dicuntur per respectum ad unum, in quo ratio significata principalius reperitur, in reliquis autem cum dependentia et ordine ad illud; analoga vero secundum proportionalitatem non dicuntur hoc modo, ut videre est in allatis exemplis et aliis innumeris, quæ possent produci, sed quia similitudinem aliquam habent respectu alicujus effectus, muneris vel officii, ad quod proportione quadam simili comparari possunt.

2.ª Unde in analogis analogia attributionis non opus est, ut forma denominans sit in omnibus intrinsece; in analogis vero secundum proportionalitatem forma denominans, saltem inadæquate, debet intrinsece reperiri. Sic nomen *porta* ingerit ideam medii ad domum ingrediendum, et hanc eamdem ideam, licet non adæquate atque eodem modo, innuit idem terminus cum Beatissima Virgo prædicatur *felix cœli Porta*.

Analogia inæqualitatis. Præter has duas analogias, secundum attributionem nimirum et secundum proportionalitatem, tertia quædam solet distingui sub nomine analogiæ *inæqualitatis*, quam S. Thomas vocavit analogiam *secundum esse, et non secundum intentionem*. Sunt autem analoga secundum inæqualitatem ea, quæ licet conveniant in una ratione intelligibili, tamen variant ac diversificantur secundum esse physicum. Ita ratio quævis generica respectu diversarum specierum v. g. animalitas respectu hominis et bruti dici potest analoga hoc modo, quia quamvis easdem notas intelligibiles habeat conceptus animalis sive in homine sive in bruto, tamen in ipsa reali existentia animalitas hominis, utpote penitus quoad rem ipsam identificata cum rationalitate, diversa est ab illa bruti, quæ e converso irrationalis est. Verum, ut vides, hæc analogia non est propria analogia, cum reperiatur in notionibus perfectissime univocis (1).

Axiomata duo circa analoga Duo sunt axiomata, quæ passim audies in hac materia de analogia. Primum est, quod nomen analogum absolute prolatum stat pro famosiori analogato (2). Alterum est, quod principale analogatum poni debet in definitione aliorum; ut si volueris declarare quid sit medicinam esse sanam, dices eam

(1) Cfr. Cardin. Cajetan. Opusc. cit. de *Analog. nomin.*, cap. 1; Fonseca, lib. 4 *Metaph.*, cap. 2, quæst. 1, sect. 6, etc.

(2) Vid. S. Thom. 1.ª dist. 9.ª, quæst. 1, a. 1 ad 2.um

esse causativam sanitatis in animali. Et similiter ad declarandum, quid sibi velit terminus *leo* vel *agnus* de Christo Domino per metaphoram ac proportionalitatem prædicatus, confugiendum est ad proprietates veri leonis et agni (1).

Hæc tamen axiomata intelligenda sunt in toto rigore de analogis per extrinsecam denominationem deque aliis admixtis cum metaphora; in cæteris enim possunt non habere veritatem, ut patet v. g. in ratione *entis* ac *sapientiæ increatæ* ac *creatæ* (2).

Plura de analogis in Ontologia.

ARTICULUS VI.

Variæ divisiones termino tum orali tum mentali convenientes.

Terminus categorematicus et syncategorematicus.

25. Terminus, sive mentalis sive oralis dividitur in *categorematicum* et *syncategorematicum*. Categorematicus est, qui ita aliquid significat, ut per se solum possit esse subjectum aut prædicatum propositionis. Syncategorematicus est, qui ita significat, ut solus neque subjectum neque prædicatum esse possit, sed tantummodo ut alteri adjectus. Sic *homo, Petrus, arbor, albedo*, sunt termini categorematici; *velociter, omnis, etiam, hominis*, et generatim omnes casus obliqui Grammaticorum, omnia adverbia, propositiones, particulæ conjunctivæ, numeri et reliqui termini, qui non aliud facere in propositione possunt, quam ejusdem subjectum aut prædicatum complere ac modificare, vocantur *syncategoremata*, seu termini syncategorematici (3). Quare termini syncategorematici vere et proprie

(1) S. Th. 10 q. 13, a. 6.

(2) Vid. Suarez, disp. 28 *Metaph.*, sect. 3, n. 14; Molina in 1 p. quæst. 13, a. 6. Cfr. S. Thom. 1, p. q. 13, a. 6 ad 2.um et Qq. disp., quæst. 2 *de Verit.* a. 11, ad. 6.um

(3) Circa nomina adjectiva est opinionum varietas, aliis censentibus ea esse pura *syncategoremata*, ut PP. Hurtadus, Izquierdo et Ulloa, aliis e converso contrarium sentientibus cum PP. Mauro, Fonseca et Lossada, quorum ratio loquendi mihi magis arridet. Vide Lossada, Disp. 4, cap. 4., n, 8; et Arriaga disp. 1, sect. 3.

termini non sunt, cum non possint esse nisi partes subjecti aut prædicati (1)

Finitus et infinitus.

26. Dividitur secundo terminus in *finitum* et *infinitum*. Finitus seu finitatus est, qui aliquid determinate significat, ut *homo*, *lapis*. Infinitus, qui nihil determinatum exprimit, licet aliquid determinatum removeat, velut *non homo*, *non lapis*. Hi enim termini removent quidem determinate ac signate naturam *hominis* et *lapidis*, nihil tamen designant speciale (2). Terminus ergo *infinitatur* præfixa particula *non*, per quam desinit significare illud quod prius, et potest significare quamlibet aliam rem, sive realem sive chimæricam, præter illud.

Notanda: 1.° Transcendentes termini nequeunt infinitari.

Circa hanc divisionem notari 1.° debet, esse nonnullos terminos, illos nempe qui transcendentes dicuntur seu prædicabiles de omnibus, infinitari non posse. Quia licet terminis hisce præponas negativam particulam, non ideo desinent aliquid determinatum significare: nam *non ens* v. g. et *non res*, aut *non aliquid*, idem valet ac *nihil*. Præterquam quod proprium est terminorum infinitorum, ex Aristotelis ac S. Thomæ doctrina (3), ut æque possint prædicari de ente ac de non ente, non enim minus vera est hæc propositio: *Chimæra est non ens*, quam hæc alia: *Equus est non homo*. Termini vero transcendentales, si præfixam habeant particulam negativam, non poterunt jam indifferenter dici sive de ente sive de non ente, sed determinate significabunt *non ens*, seu *nihil*.

2.° Habitudo termini finiti et infiniti secundum extensionem.

2.° Quo latius patet terminus aliquis finitus, eo minus patebit idem ipse factus infinitus: et e converso. Et ratio est manifesta, quia cum terminus finitus et infinitus universam entis et non entis extensionem complectantur, quo major est

---

(1) Ideo haud inepte nonnulli cum P. Compton (disp. 2, sect. 4) et P. Sylvestro Mauri (Summul., cap. 7) terminos categorematicos litteris vocalibus, syncategorematicos consonis comparant. Sicut enim consonæ se solis nequeunt syllabam conficere; ita nec syncategorematici possunt absque alterius præsidio subjectum aut prædicatum constituere. Alii vero ob eamdem rationem syncategorematicos eodem modo se habere dicunt ac *zero* in Mathematicis.

(2) Vide S. Thom. in lib. 1.m *Periherm.*, lect. 4, paragr. *e*.

(3) S. Th. 1.° *Periherm.* lec. 4, paragr. *e*. Vide Aristotelem, *Periherm.* cap. 2.

unius latitudo, eo minor alteri necessario relinquenda est. Ideo quia *Petrus* v. g. minorem habet extensionem quam *homo*, et *homo* quam *animal; non Petrus* de pluribus prædicari potest quam *non homo*, et *non homo*, quam *non animal*.

3.° Vis diversissima particulæ negativæ infinitantis terminum et solam verbi copulam efficientis

Exinde patet, quam diversa sit vis particulæ negativæ, prout vel solos terminos propositionis afficiat, vel ejusdem copulam. Cum enim terminos afficit, eosdem infinitat et in alios proinde commutat; si vero copulam afficit, terminos minime in seipsis afficit, sed indicat solummodo eos inter se discrepare. Ita in hac propositione: *Non homo brutum est*, si particula negativa non aliud præstet, quam *infinitare* terminum *homo*, propositio affirmativa est, huncque reddit sensum: *Quod non est homo, brutum est*. Si autem est particula negans, propositio æquivalet huic alteri: *Homo non est brutum*. Cum itaque ejusmodi propositiones occurrunt, diligenter cavendæ sunt sophistarum fraudes, duplicem hunc sensum subdole permiscentium, ut incautos decipiant.

Complexus et incomplexus

27. Tertio dividitur terminus in *complexum* et *incomplexum*. Complexus est, qui pluribus constat partibus, seorsim significantibus, suamque in complexione significationem retinentibus. Talis est hæc complexio: *Homo justus*. Incomplexus est, qui partibus non constat, quidquam seorsim significantibus: id quod bifariam contingere potest; vel quia revera terminus partes nullas habet, quæ separatæ quidpiam significent, vel quia licet constet partibus hujusmodi, hæ tamen hic et nunc in tali termino nihil significant, ut *homo*, *Bonaventura*, *Salmantica*. Terminus enim *homo* non constat partibus quidquam seorsim significantibus; licet autem *Bonaventura* dividi possit in voces *bona ventura*, et *Salmantica* in *Sal mantica*, quæ possunt etiam seorsim significare, tamen istæ partes cum cöeunt in unum ad conficienda prædicta nomina, jam non amplius retinent suam vim ac significationem, quam haberent separatæ.

Quatuor conditiones ad complexum terminum requisitæ.

Hinc vides ad rationem complexi termini requiri quatuor conditiones: primo, ut constet pluribus partibus (1), quarum saltem aliqua sit terminus categorematicus: deinde, ut

(1) Sunt plures qui notant, terminum *nemo*, licet formaliter incomplexum, esse nihilominus virtualiter et æquivalenter complexum, utpote qui prorsus idem sonat atque terminus *Nullus homo*.

omnes illæ partes aliquid diversum exprimant unde varia nomina ejusdem personæ, ut v. g. *M. Tullius Cicero*, non efficiunt terminum complexum. Tertio, ut eamdem significationem habeant partes omnes conjunctim ac seorsim, ita ut significatio totalis complexi termini coalescat ex complexu partialium significationum. Quarto demum, ut partes illæ nexu aliquo grammaticali copulentur, ut cum dicitur: *Petrus et Paulus*, *homo albus*, *equus Francisci*.

Denominativus et denominans.

28. Dividitur quarto terminus in *denominativum* et *denominantem*. Denominativus est qui ab alio derivatur et quoad vocem et quoad significationem. Sic *candidus* a *candore* denominatur; *studiosus* a *studio*. Denominans dicitur ille a quo alter et quoad vocem et quoad significationem ducitur. Ita *candor* denominat *candidum*, *studium* vero *studiosum*.

Notat autem Petrus Fonseca (1) cum Alberto Magno (2), nomine derivationis non hic intelligi grammaticalem derivationem, sed potius rationalem et ex rei petitam natura. Quamobrem *justus* denominatur a *justitia* logice: quamquam enim ex Grammaticorum præceptis, *justitia* derivetur a voce *justus*, quoad rem tamen ipsam secus accidit, ideo enim quisque dicitur et est *justus*, quia *justitiam* habet.

Absolutus et connotativus.

29. Quinto dividitur terminus in *absolutum* et *connotativum;* in quorum tamen intelligentia et explicatione dissidium apud auctores reperio. Alii enim cum PP. Fonseca, Toledo, Lossada, Joanne a S. Thoma, et Dominico Soto apud Hurtadum (3) definiunt absolutum terminum eum, qui significat ad modum per se stantis, sive ratio significata, in sua physica realitate, sit substantialis seu per se stans, sive non; ut *homo, animal, candor, dulcedo*. Connotativum autem definiunt iidem eum, qui significat ad modum alteri adjacentis, sive ratio illa reipsa sit alteri adjacens seu accidentalis, sive secus; ut *vivens, animatus, candidus, dulcis*. Notandum enim est, quemadmodum sunt duo rerum genera in existendo, alia quæ per se stant, et dicuntur *substantiæ*, alia quæ esse nequeunt nisi

(1) *Inst. dialect.*, lib. 1, c. 25.

(2) *In Prædicament.* tract. 1. Cfr. Auctor. *Totius Logicæ Arist. Summa*, tract. 2, c. 1.

(3) *Summul.* disp. 1. sect. 9.

alteri inhæreant, ideoque nominantur *accidentia;* ita etiam duos esse modos cognoscendi et significandi realitates tam substantiales quam accidentales, alterum absolutum, alterum connotativum. Sicut enim *albedo* v. g. in existendo dependet a subjecto aliquo; ita *albus* in cognoscendo ac significando postulat alium terminum, cui adhæreat, et cum quo concordet. Ex qua doctrina colligitur, terminos *absolutos* non esse confundendos cum *substantivis*, neque *connotativos* cum *adjectivis* Grammaticorum; quamquam enim omnes *absoluti* sint etiam *substantivi*, sunt tamen nonnulli *substantivi*, secundum istorum AA. doctrinam, qui non sint *absoluti*, sed *connotativi*, utpote formam aliquam significantes instar alteri adjacentis. Tales sunt v. g. *pictor*, *artifex*, *pater*, *dominus*, aliique similes.

At vero Complutenses DD. (1) et PP. Mauri, Compton Hurtadus, Semmery (2) aliique, rem aliter declarant. Dicunt enim terminum illum esse absolutum, qui ad plene et perfecte significandum non eget alio, cui adhæreat, ut *homo*, *virtus*, *candor:* Connotativum autem, qui significat, tamquam alteri termino adjacens, a quo pendet proinde ad perfecte aliquid significandum, velut *albus*, *virtuosus*, *vivens*. Atque ex hac declaratione id omnino consequitur, terminos *absolutos*, confundi cum *substantivis*, *connotativos* autem cum *adjectivis* Grammaticorum, qui propterea dicuntur a Logicis *connotativi*, quia præter formam seu rationem quam primario exprimunt, adsignificant etiam seu connotant secundario subjectum, cui forma talis competit. Ita *album* v. g. primario *albedinem*, secundario *subjectum albedinis* designat.

Terminus connotativus sæpe sumitur pro relativo.

Harum opinionum utra præferenda sit, non est, cur ego definiam, cum potissimum tota quæstio vocalis sit, neque eadem magni momenti. Illud porro est observandum, *connotativum* terminum sæpe sumi pro *relativo*, pro eo nimirum qui aliquid significat respectum importans ad aliud, sine cujus proinde cognitione perfecte cognosci nequit, quemadmodum *pater*, *filius*, *servus*, *creatura*.

Concretus et abstractus

30. Sexto dividitur terminus in *concretum* et *abstractum*. Concretus est, qui significat rem simul ac formam seu determi-

(1) *Summul.* lib. 1, de *terminis*, Cap. 4.

(2) In *Summulis*, ubi hæc divisio termini declaratur ab his *AA*.

nationem, qua afficitur, v. g. *homo*, *vivens*, *album*, *cæcum* (1). Abstractus est qui formam seu determinationem ejusmodi, ut per se stantem ac sine subjecto exprimit, ut *humanitas*, *vita*, *albedo*, *cæcitas*. Duo namque considerari possunt in rebus: primo id quod possidet ac sustentat naturam, proprietates, accidentia quælibet, perfectionemque in certo gradu determinationis, et vocatur *subjectum* seu *suppositum;* ac deinde natura ipsa, proprietates, accidentia ac determinationes illæ subjectum constituentes, aut quomodolibet afficientes, quæ dicuntur communi vocabulo *formæ*. Termini ergo concreti utrumque significant, et *subjectum* et *formam*, subjectum forma affectum, et formam inhærentem subjecto. At vero abstracti solam *formam* exprimunt, quasi præcisam a subjecto ac per se stantem. Hinc non leve discrimen est abstracta inter et concreta in modo significandi ut egregie docet S. Thomas (2).

Concretum substantiale et accidentale.

Concreta varie dividuntur ab auctoribus, et primo in *substantialia* et *accidentalia*. Concreta substantialia sunt illa, quorum forma et est substantiale quiddam et instar substantiæ significatur, ut *homo vivens;* accidentalia vero ea, in quibus forma est aliquid accidentale, aut saltem instar

---

(1) Cum formam audis in hac materia, intellige formam non tantum positivam, sed etiam privativam, seu positivæ formæ carentiam, quæ instar positivi cujusdam concipitur; talis est forma expressa per terminos *cæcitas* et *cæcus*.

(2) *Considerandum est, quod circa quodcumque abstracte consideratum, hoc habet veritatem, quod non habet in se aliquid extraneum, quod scilicet sit præter essentiam suam, sicut humanitas et albedo, et quæcumque hoc modo dicuntur. Cujus ratio est, quia humanitas significatur ut id, quo aliquid est homo, et albedo, quo aliquid est album. Non est autem aliquid homo, formaliter loquendo, nisi per id quod ad rationem hominis pertinet; et similiter non est aliquid album formaliter, nisi per id quod pertinet ad rationem albi: et ideo hujusmodi abstracta nihil alienum in se habere possunt. Aliter autem se habet in his, quæ significantur in concreto. Nam homo significatur ut qui habet humanitatem, et album ut quod habet albedinem. Ex hoc autem quod homo habet humanitatem, vel albedinem, non prohibetur aliquid aliud habere quam humanitatem vel albedinem. Et hæc est ratio, quare albedo vel humanitas significatur per modum partis, et non prædicantur de concretis, sicut nec sua pars de suo toto.* S. Thomas, Opusc. *super Böetium de Hebdomadibus* cap. 2.um

accidentis et adjective significatur, ut *album*, *animatum* (1). Inter hæc duplex est discrimen: α) quod substantialia important tum subjectum tum formam *in recto*, quemadmodum loquuntur, seu *ut quod;* accidentalia vero subjectum important *ut quod*, seu in recto, et formam *in obliquo* seu *ut quo*.

Discrimen utriusque: 1.um

Quid porro sibi velint hæ formulæ, dilucide explicat Lossada (2) «Dum sermo est de concretis, importari *in recto* vel importari *ut quod*, apud Logicos idem sonat, ac esse id quod suscipit prædicata seu denominationes concreti proprias; importari autem *in obliquo*, non est in genitivo poni, velut terminum extrinsecum habitudinis, sicut ponitur Deus in hac dictione: *Creatura Dei*, sed idem valet ac esse id quod tales denominationes non suscipit, ne partialiter quidem, tametsi constituat intrinsece concretum. Si tamen sit ratio suscipiendi, tum dicitur importari *ut quo*, quia est id quo, seu ratione cujus tribuuntur subjecto denominationes, v. g. cum dicitur: *Justus est filius Dei et hæres cæli*, nomine *justus* importatur *in recto* solum subjectum, nempe *homo* vel *angelus*, sui soli tribuuntur denominationes filii et hæredis; forma vero, nempe *justitia*, seu *gratia santificans*, in *obliquo* importatur, quia non eas suscipit denominationes, simulque importatur *ut quo*, quia ipsa est ratio subjectum habilitans ad suscipiendum.» Cum vero sermo non est de concretis, sæpe importari in obliquo idem valet ac poni in casu obliquo. Sic in definitionibus quarumdam formarum ingreditur subjectum earum in obliquo, ut cum similitas definitur *curvitas nasi*, et accidens ens *alteri* inhærens tamquam *subjecto*.»

Quid sit significari vel importari *in recto* vel *ut quod*, et *in obliquo* vel *ut quo*.

β) Exinde sequitur alterum discrimen inter concretum substantiale et accidentale, nimirum concreta substantialia non possunt pluraliter dici, quin multiplicetur forma. Cum enim in his forma ipsa veniat in recto, in tantum concreta multiplicantur, in quantum et subjectum et forma, ex quibus illa conflantur, multiplicentur. Ita si eadem anima rationalis

2.um discrimen

(1) Sunt qui concreta substantialia dividant in *substantiva* et *adjectiva*, prout *substantive* aut *adjective*, id est nomine substantivo vel adjectivo significentur. Exemplum concretorum substantialium substantivorum est *homo*, *leo*, *lapis*, adjectivorum autem *animatum*, *rationale* etc. Vide Ant. Mayr. loc. infr. citando.

(2) *Institutiones Dialect.* disp. 3, cap. 3, n. 43.

esset in tribus corporibus, non forent tres homines, essent tamen tria animata. E converso cum accidentalia concreta *in recto* tantum significent subjectum, non vero formam, multiplicatis subjectis, etiamsi una eademque foret forma, possent pluraliter concreta dici. Ita si eadem albedo esset in tribus subjectis, forent tria alba.

Concretum metaphysicum, physicum et logicum.

Deinde concretum dividitur in *metaphysicum*, *physicum* et *logicum*. Metaphysicum illud est, in quo forma non differt realiter a subjecto, quale est *homo*, *lapis*; *humanitas* enim et *lapideitas* (sit venia verbo) non sunt aliquid realiter distinctum ab homine ac lapide. Concretum physicum est id, cujus forma realiter differt a subjecto, ut *album*, *dulce* (1). Logicum est illud, in quo forma nihil reale atque intrinsecum ponit in subjecto, sed pure extrinsecam denominationem ipsi tribuit, ejusmodi sunt concreta denominata ab aliquo actu intentionali sive cognitionis sive appetitionis, qui circa rem quamlibet exerceatur, ut *cognitum*, *amatum*, *speratum* etc.

Super prædicatione ac multiplicatione concretorum non parvæ sunt apud Philosophos difficultates ac dissensiones, quæ omittendæ nobis hic sunt, ne confusione obruatur incipientium animus. Videri tamen possunt inter alios auctores Arriaga (2) Izquierdo (3) Rhodes (4) et Casilius (5).

Positivus, negativus et privativus.

31. Septimo dividitur terminus, in *positivum*, *negativum* et *privativum*. Positivus est qui veram entitatem seu realitatem importat, ut *lapis*. Privativus est, qui significat carentiam formæ vel perfectionis in subjecto apto ad illam. v. g. *cæcus* respectu hominis, nam respectu lapidis aut arboris cæcitas non est privatio, sed mera negatio, cum non habeant aptitudinem ad videndum. Negativus est, qui carentiam formæ

---

(1) Physicorum concretorum duæ sunt classes, altera positivorum, altera privativorum. Positiva sunt ea, quorum forma positiva est ac realis, velut *album*: privativa, quorum forma non est quidpiam positivum, sed privatio realis formæ subjecto debitæ, ut *cæcum*, *tenebrosum*.

(2) *Cursus Philos.*, *Summul.* disp. 1, sect. 9, 10.

(3) *Pharus scientiar.*, disp. 2, quæst. 4 a n. 230.

(4) *Logica*, disp. 3, q. 1, sect. 2.

(5) *Introductio in Aristot. Logic.*, lib. 1, cap. 3. Cfr. P. Antonius Mayr., *Philos. Peripat.* Pars. 1, disp. 4., q. 1, art. 2.

significat, sed præscindendo a capacitate atque aptitudine subjecti, velut *non videns, visu carens*.

32. Octavo dividitur terminus in terminum *primæ intentionis* et *secundæ intentionis*. Terminus primæ intentionis est, qui rem exprimit, prout est in se, et independenter a prævia mentis operatione, ut *Petrus*, *lapis*, *vivens*. Terminus secundæ intentionis est, qui rem significat prout certo modo cognitam et secundum aliquam denominationem provenientem a prævia intellectus operatione, ut *cognitum*, *species* (1). Terminus primæ et secundæ intentionis.

Intentionis namque nomine a Philosophis significatur intellectio, quasi actus mentis in objectum tendentis. Prima ergo intentio est illa cognitio, quæ pro objecto habet eas rationes, quæ rebus insunt antecedenter atque independenter a qualibet mentis operatione. Secunda vero intentio est illa, quæ pro objecto habet rationes rerum, non mere prout in seipsis sunt in sua physica realitate, sed secundum aliquod esse, vel affectionem aut statum illis provenientem ex prævia aliqua cogitatione. Sic si cogito *hominem*, exerceo primam intentionem, quia non aliud apprehendo per talem actum, nisi humanitatem, quæ realis certe est, eamque apprehendo secundum realitatem, quam homo in se habet, etiamsi nullus unquam de ea cogitaret. Si vero cogito *hominem*, *ut nomeu quoddam*, *ut terminum*, *ut definitum*, *ut præcisum a notis individuantibus*, *ut speciem*, *ut subjectum aut prædicatum* etc. exerceo intentionem, quæ secunda appellatur. Non enim possum cogitare hominem *ut nomen* vel *terminum*, nisi rationi objectivæ *humanitatis* adjiciam definitionem et cognitionem *nominis* vel *termini:* nec ut *speciem*, nisi hominem concipiam velut certo modo cognitum aut cognoscibilem, per actum nempe qui Ratio hujus appellationis.

(1) Cfr. S. Th. *De Potent.* q. 7, art. 9; et de *Natura generis*, c. 12. Alii vero aliter rem hanc declarant cum Böetio apud Fonseca (*Inst. Dialect.* lib. 1, cap. 32) sic scribentem: «quidam ita loquuntur, ut nomina rerum dicant *primæ intentionis*, *quasi primi propositi* et *instituti* eorum, qui nomina imposuerunt; nomina vero nominum appellant *secundæ intentionis propositive*. Prius enim imponenda erant rebus nomina, ut alia vocaretur *homo*, alia *equus*, alia *planta*, et alia aliis nominibus: deinde ipsis rerum vocabulis, ut nimirum aliud appellaretur *nomen*, aliud *verbum*, aliud *participium*, et alia aliis nominibus.....»

naturam humanam apprehendat præcisam a notis individuantibus, sine quibus in realitate physica nequit existere: nec denique *ut subjectum aut prædicatum*, nisi quatenus concipiam hominem velut substantem actui judicii, in quo vel sit id, de quo aliud affirmetur aut negetur, vel id quod de alio affirmetur aut negetur. In prima ergo intentione rerum rationes attinguntur, prout in seipsis sunt, nulla forma seu affectione illis supperaddita, quam non habeant in sua realitate. In secunda vero intentione concipiuntur, prout convestita forma vel affectione aliqua, quæ ipsis realiter minime inhæret, sed est denominatio resultans ex prævio actu cognitionis circa ipsas exercito: verbo, concipiuntur instar concretorum logicorum (1).

Collectivus et divisivus.

33. Nono dispesci terminus potest in *collectivum* et *distributivum*, vel *divisivum*, Collectivus est, qui plura significat collectim et simul sumpta v. g. *civitas, exercitus*: distributivus vel divisivus est, qui non significat copulatim, v. g. *homo, planta, Petrus:* Nam *civitas* et *exercitus* significant congregationem plurium civium ac militum; secus vero *homo, planta, Petrus*. Unde divisivus potest esse vel universalis vel singularis. Cave autem ne collectivum confundas cum universali; collectivus enim nequit de singulis illis, quæ significat, seorsim prædicari, neque enim singuli cives sunt civitas, at universalis de singulis seorsim prædicatur; singuli enim homines v. g. sunt homo. Et ratio est, quia collectivus ita plura exprimit, ut illa singillatim spectata non sint nisi partes objecti totalis expressi per terminum; universalis autem ita plura denotat, ut singula contineant integram rationem per illum terminum expressam. Sed nota, posse terminos collectivos sub alio respectu converti in distributivos. Nam *civitas,* quæ respectu *civium*, et *exercitus,* qui respectu *militum* est terminus collectivus; quatenus significare potest plures ejusdem rationis

Differentia utriusque.

(1) Totam hanc doctrinam sic paucis comprehendit Angelicus: *Prima intellecta sunt res extra animam, in quæ prima intellectus intelligendo fertur. Secundo autem intellecta dicuntur intentiones consequentes modum intelligendi: hoc enim secundo intellectus intelligit, in quantum reflectitur supra seipsum, intelligens se intelligere et modum, quo intelligit.* Quæst. disputatæ, *de Potentia,* quæst. 7, art. 9 in corp.

civitates atque *exercitus*, est vere terminus distributivus, quippe qui de singulis illis potest seorsim prædicari.

Communis et singularis.

34. Decimo terminus dividitur in *communem* seu *universalem* et *singularem*. Communis est, qui plura divisim significat, ut *arbor* (1): singularis seu discretus ille, qui unum tantum individuum determinate designat, velut *Petrus*, *Roma*. Communis potest accipi secundum partem tantum suæ extensionis indeterminate, et tunc vocatur *particularis* (2) v. g. *aliquis homo*, qui exprimit individuum vagum seu indeterminatum saltem in modo loquendi. Singularis autem exprimitur vel per nomina propria individuorum, quemadmodum in allatis exemplis, vel etiam per demonstrativum pronomen, ut *hic homo*, vel aliis demum accidentibus grammaticalibus, quæ communi termino præfixa, illum contrahunt ac determinant, ut *filius Caroli*, *calamus*, *quo nunc scribo* (3).

Particularis

Quot modis exprimitur singularis.

Transcendens et non transcendens ac supertranscendens.

Terminus communis subdividitur in *transcendentem* et *non transcendentem*, ac *supertranscendentem*. Transcendens convenit omnibus omnino rebus, quæ non sunt nihilum: et sex numerantur, nimirum *res*, *ens*, *unum*, *bonum*, *aliquid*, *verum*, quorum initiales literæ in hac voce barbara nihilque significante continentur: *Reubav*. (4) Terminus supertranscendens (5) qui omnibus omnino rebus, etiam *imaginariis* et

---

(1) Hæc definitio, prout jacet, etiam rationibus analogis et transcendentalibus convenire posset: ex communi tamen intelligentia, neque analoga neque transcendentia dicuntur universalia.

(2) Quandoque tamen a S. Thoma *particulare* sumitur generatim pro *individuo*. Vide v. g. *De Potentia*, quæst. 9, art. 1.

(3) Posset hic aliquis curiosius quærere utrum nomen *Deus*, prout significat divinam naturam, præscindendo a Trinitate Personarum, sit terminus communis an singularis. Cui quæstioni sic respondet S. Thomas: «*Hoc nomen* **Deus**, *licet conveniat cum terminis singularibus in hoc, quod forma significata non multiplicatur, convenit tamen cum terminis communibus in hoc, quod forma significata invenitur in pluribus suppositis. Unde non oportet, quod semper supponat pro essentia, quam significat*» 1 p. q. 39, art. 4. ad 1.um Sed hæc ad Theologos spectant.

(4) S. Th. *De Veritate*, quæst. 1, a. 1, et Opusc. de *Natura generis*, cap. 2.

(5) Cfr. Fonseca, Op. cit. lib. 1, cap. 27; Mauri, cap. 10; Lossada, loc. cit. disp. 4, cap. 4, n. 12.

chimæricis atque impossibilibus convenire potest v. g. *cogitabile*, *opinabile*, *apprehensibile*, *significabile*. Reliqui termini sunt non transcendentes, nimirum illi, qui de rebus certi dumtaxat generis prædicantur, et vocantur simpliciter universales.

ARTICULUS VII.

De quibusdam terminorumdivisionibus, prout respectu aliorum considerantur.

Divisio terminorum in pertinentes atque impertinentes.

35. Hactenus terminos divisimus secundum se ac solitarie spectatos. Si vero alii cum aliis comparentur, partiri possunt termini in *pertinentes* atque *impertinentes*. Impertinentes sunt illi, qui nec se inferunt, neque excludunt, ut *albus et doctus*, *musicus et philosophus*. Albedo enim et doctrina, ars musica et Philosophia possunt simul esse in eodem subjecto, et possunt etiam abesse, et altera esse absque altera. Pertinentes sunt illi qui se inferunt aut excludunt, quemadmodum *homo et animal;* et *homo et asinus*. Valet namque hæc consequentia: *Est homo; ergo non est asinus* (1). Qui se inferunt, vocantur *pertinentes sequela*, seu *consequentes:* qui autem se excludunt, *pertinentes repugnantia*, seu *oppositi*.

Pertinentes sequela subdividuntur in *æquales* et *inæquales*. Æquales seu *convertibiles* sunt, qui *mutuo* se inferunt, ut *risibile* et *flebile; rationabile* et *risibile*. Inæquales seu *non convertibiles* sunt qui non se mutuo inferunt, ut animal et homo. Ex inæqualibus ille, qui infertur et non infert, appellatur terminus superior, et latius patet, ut *animal et vivens* respectu *hominis:* qui autem infert et non infertur, vocatur terminus inferior, et minus late patet, ut *homo* respectu *animalis et viventis*. Itaque terminus inferior et superior ita invicem comparantur, ut ille quidem hunc sub sua comprehensione complectatur, et propterea illum necessario infert;

(1) Pertinentes appellantur a nonnullis recentioribus *connexi*, et impertinentes *disparati*. Vide cl. P. Liberatore. *Institut. Philos., Logicæ* par. 1.ª, n. 17, IX (edit. 1881 Prati).

superior vero inferiorem contineat sub sua extensione, ideoque non infert illum, sed ab eo infertur (1).

Termini repugnantes nuncupari generatim possunt *oppositi*, tales enim formas significant quæ in eadem re singulari, simul et secundum eamdem partem ac respectum, esse nequeunt. Oppositio enim definitur *relatio inter duo extrema simplicia, quæ in eadem re singulari simul et secundum eamdem partem et respectu ejusdem esse non possunt* (2). Termini oppositi. Quid oppositio et opposita.

Dicitur inter duo *extrema simplicia*, quia sermo hic est de oppositione terminorum, non de oppositione propositionum. Dicitur *in re singulari*, quia in eadem natura universali, ratione plurium individuorum, possunt opposita prædicata reperiri. Dicitur *simul* et *secundum eamdem partem*, successive enim ac in diversis partibus, nihil mirum si opposita eidem subjecto conveniant. Dicitur tandem *respectu ejusdem*, quia sunt nonnulla attributa, quæ licet oppositionem quamdam important, facile tamen competere possunt eidem respectu diversorum extremorum, quemadmodum idem potest esse simul *pater* et *filius*, *similis ac dissimilis* respectu diversorum.

36. Duplex est genus oppositionis: altera nempe est *propria*, altera *impropria*. Oppositio impropria est quæcumque diversitas et distinctio; quæque improprie opposita sunt, dicuntur *disparata* (3). Oppositio propria, quæ simpliciter oppositionis sortita est nomen, est repugnantia inter certa ac definita extrema, quæ peculiari habitudine invicem referuntur. Proprie atque, improprie opposita seu disparata in hoc conveniunt, quod diversitatem atque in eodem subjecto incomposibilitatem præ se ferant. Differunt autem, quia prima determi- Oppositio alia propria, alia impropria.

(1) Cfr. inferius leges consequentiarum inter propositiones subalternas.

(2) Ita Conimbricenses, Op. cit. *In Prædicamenta Aristot.*, cap. 10 quæst. unic., art. 1.

(3) Tota hæc series divisionum ac subdivisionum terminorum pertinentium atque impertinentium, aliis vocibus brevius exponitur a recentioribus, qui terminos invicem comparatos generatim dividunt in *sociabiles* et *insociabiles* seu *repugnantes*. Sociabiles sunt, qui exprimunt rationes, quæ simul convenire possunt in eodem subjecto: unde ad hanc terminorum classem revocantur termini pertinentes sequela et impertinentes antiquorum. Repugnantes sunt, quæ exprimunt rationes incomposibiles in eodem subjecto.

natam et specialem habitudinem repugnantiæ habent cum uno tantum termino, ita ut eo speciali modo cum nullo alio possint pugnare; disparata vero implicant quamlibet diversitatem absque certa et determinata lege, unde cum multis terminis seu extremis æque dissidere possunt. Ita *homo* et *lapis* sunt disparata, quia non certa quadam lege sese excludunt, sed eo modo quo etiam pugnant cum *aqua*, *sole* aliisque sexcentis rebus. *Album autem* et *nigrum*, *homo* et *non homo*, *videns* et *cæcus*, *pater* et *filius* ea inter se lege ac ratione reluctantur, quæ nequeunt cum ullo alio extremo præterea dissidere (1).

Oppositio propria quadruplex.

37. Quatuor numerantur proprie opposita: *relativa*, *contraria*, *privativa* et *contradictoria* (2).

Quid relativa.

Relative opposita sunt, *quorum alterum per respectum* ad *alterum denominatur:* talia sunt *pater et filius*, *causa et effectus*, *majus et minus*.

Quid contraria.

Contraria definiuntur ex Philosophi doctrina (3) *quæ sub eodem genere maxime distant, et eidem subjecto vicissim insunt, a quo mutuo se expellunt, nisi alterum eorum insit a natura.* Exempla sunto *virtus* et *vitium*, *scientia* et *error*, *candor ac nigredo*.

Dicitur sub *eodem genere*, ubi nomine generis intelligitur *proximum* vel *remotum*, quia nimirum contraria esse debent

---

(1) Vid. Suarez, *Disp. Met.* 45, sect. 1, n. 1; Conimbric. loc. cit.

(2) Ratio divisionis hæc reddi potest. Nam oppositio versari nequit nisi vel inter extrema positiva, vel inter unum extremum positivum et alterum negativum. Etenim duo extrema negativa opponi proprie non possunt, cum una negatio per se seu ratione sui non repugnet alteri: cum enim proprium negationis sit auferre positivam entitatem, ablato omni positivo, nihil remanebit, per quod duo negativa possint inter se reluctari. Jam si utrumque extremum positivum sit, vel utrumque pariter est absolutum, et habebitur oppositio contraria qualis est v. g. inter *album* et *nigrum*; vel utrumque relativum, et aderit oppositio relativa, ut inter *dominum* ac *servum*. Si vero extremorum sit alterum positivum, et alterum ejusdem negativum: alterutrum continget, ut vel illa negatio supponat aut connotet subjectum ad formam oppositam aptum, et existet oppositio *privativa;* vel pure ac simpliciter removaet oppositum, quin ullum subjectum connotet, et exsurget oppositio *contradictoria*. Vide Suar., *Disp. Metaph.* 45, set. 1, n. 2–10; Conimbr. loc. nup. cit. art. 2. Aliam rationem habes apud S. Thomam in lib. 5 *Metaphysic.* lect. 12.

(3) De *Prædicam.* cap. 10, et *Metaphysicor.* lib. 10, cap. 6.

duo extrema positiva, quæ quamvis inter se dissideant, conveniunt tamen non solum in suprema entis ratione, sed etiam in alia magis contracta, ut *scientia* et *error* conveniunt in genere *habitus intellectualis*, *virtus* et *vitium* in genere *moralis habitus*, et *candor* ac *nigredo* in genere *qualitatis sensibilis visualis* (1).

Dicuntur contraria *maxime distare*, distantia non locali, sed diversitatis essentiæ ac naturæ, neque absolute, sed solum intra certum ordinem, quatenus sub genere illo, ad quod pertinent, nihil sit magis diversum natura seu essentia, quemadmodum sub genere colorum nihil distat magis quam *albedo* et *nigredo* (2).

Dicuntur contraria, *quæ vicissim insunt eidem subjecto* a *quo mutuo expelluntur;* quia oppositio contraria proprie inest in formis, quæ insident subjecto illarum recipiendarum capaci; cum vero formæ inter se reluctentur, mutuo se ipsas expellere a subjecto necesse est, illudque proin informare simul non poterunt, sed successive seu vicissim.

Sunt nihilominus nonnulla subjecta, quæ unam e formis contrariis naturaliter habeant, quemadmodum corvus nigredinem, ac dulcedinem saccharum; quod ubi contingit, nequit dari naturaliter ea formarum contrariarum sibi succedentium vicissitudo atque expulsio. Quapropter addita sunt in definitione illa verba: *nisi alterum eorum insit a natura* (3).

Contraria mediata atque immediata.

Contraria dividi solent in *mediata* atque *immediata*. Mediata sunt, quæ medium habent, quorum proinde neutrum necesse est *proprio subjecto* inhærere, nisi alterum eorum insit a natura, velut *albedo* et *nigredo* respectu corporis; sunt enim corpora utriusque capacia, et nihilominus utriusque expertia.

Contraria immediata sunt, «quorum alterum necesse est inesse *proprio subjecto*, aut de eodem prædicari, ut *sanitas* et *morbus* respectu animalis,» et *par* et *impar* respectu numeri, *honestas* vel *inhonestas* respectu actus liberi. «Dictum est in

(1) Vide Suarez *Metaphys.* disp. 45, sect. 2, n. 3-9; Conimbric. loc. cit. art. 4.

(2) Conimbric. ib., et Suar. ib. n. 9-13, ubi omnia egregie declarantur.

(3) Suar. ib. n. 13-16, et Conimbr. loc. cit.

utraque definitione *proprio subjecto*, id est, contrarium capaci, quia respectu subjecti ad suscipienda contraria minime idonei, omne contrarium habet medium, lapis namque et sanitatis et ægritudinis est expers» (1).

Porro media, quæ inter ejusmodi contraria intercedunt, partim peculiare nomen habent, et dicuntur *nominata*, ut colores medii inter *album et nigrum*: alia nomen certum non habent et dicuntur *innominata*, quale est medium inter *justum atque injustum*. Medium innominatum habent quoque corpora, quæ eamdem cum nostro habent temperiem, ideoque nec frigida nec calida vocantur.

Quod sit medium ubi sermo est de oppositione.

Verum ut tota hæc doctrina de contrariis mediatis atque immediatis rite percipiatur, oportet declarare, quid sit *medium* inter opposita. Medium generatim est id, quod interjacet inter bina extrema. Hoc autem licet strictissime sumatur de his, quæ in eadem linea versantur cum extremis; tamen in hac quæstione logica medium sumitur etiam pro omni eo, in quo conveniunt extrema, vel quod per ea non excluditur. Atque ita variæ possunt excogitari classes medii (2). Aliud enim est medium ejusdem *generis*, seu *naturæ* cum extremis, illud nimirum, quod est in eadem velut linea et specie rerum, quemadmodum sunt colores medii albedinem inter et nigredinem, et quælibet aliæ formæ, quæ sub eodem genere cum extremis reperiuntur. Aliud est medium *subjecti*, ipsum videlicet subjectum formis contrariis vicissim recipiendis idoneum, illud namque commune habent oppositæ illæ formæ. Aliud demum distingui potest medium ab his duobus diversum quod *privativum* vocari posset seu *negativum*, quia consistit in mera extremorum contrariorum negatione, et reperitur in

(1) Conimbric. in *expositione textus Aristot.* de *Prædic.* c. 10; Cfr. Tolet, in Comment super eodem loco, et Sylvest. Mauri *Aristotelis opera omnia*..... tom. 1. tract. 3 de *Postprædicamentis* cap. 1 vel 12 de *Oppositis* n. 3, 4.

(2) Ita S. Thomas 4.° *Metaph.*, lect. 16, parag. *b*, cum Arist. text. 27: *Medium inter duo aliqua accipit potest uno modo per participationem utriusque extremi, quod est medium in eodem genere, sicut viride vel pallidum inter album et nigrum. Alio modo per abnegationem, quod etiam est diversum in genere, sicut inter hominem et equum, quod nec est homo nec est equus, ut lapis.*

iis, quibus neutra forma etiam ex immediate oppositis in se convenit, quia nimirum non sunt apta subjecta illis recipiendis. Ejusmodi medium adest inter *sanitatem* et *ægritudinem* respectu *lapidis*, quia lapis, utpote formarum ejusmodi incapax, nec sanus nec æger sit, oportet. Ita etiam respectu *angeli albedo* et *nigredo* habent ejusmodi medium, cum non sit angelus harum formarum proprium subjectum.

Jam quando contraria nuper divisa sunt in mediata et immediata, sermo est de medio primi ordinis, nimirum de medio ejusdem generis seu naturæ; non vero de medio subjecti, seu materiæ, nec de medio privativo. Omnia enim contraria mediata necessario sunt ratione communis subjecti, scilicet habent medium subjecti: itemque mediata sunt *negative*, quia reperitur aliquod subjectum, de quo nulla ex contrariis formis possit prædicari (1).

Quid privativa.

38. *Privative* opposita ex mente Aristotelis (2) sunt *habitus et carentia ejusdem in subjecto capaci et in tempore a natura constituto;* sicut *visio* et *cæcitas* in homine.

Nomine *habitus* intelligitur quælibet forma vel quasi forma, nimirum quidquid aliquo modo rei adhæret (3). Dicitur in *subjecto apto*, quia hoc differt privatio a pura *negatione*, quod hæc non connotat, neque determinat ullum subjectum, quippe quæ in quolibet subjecto esse potest, ac de quolibet prædicari, ut magis declarabitur explicando contradictoriam oppositionem; privatio autem essentialiter connotat ac respicit subjectum idoneum ad formam habendam. Quare tum privatio tum negatio pura idem important *in recto* et directe atque immediate, nimirum carentiam formæ alicujus, v. g. non *videns* et *cæcus* important carentiam visivæ potentiæ. At vero differunt in eo quod privatio exprimit *in obliquo* subjectum aliquod aptum, quod per meram privationem minime exprimitur.

---

(1) Vid. de his S. Th. Opusc. *de Quatuor oppositis*, cap. 1, 2. Cfr. Comment. in lib. 5. *Metaph.*, lect. 12; et lib. 10, lect. 9; Suar. disp. 45 *Metaphys.*, sect. 2, n. 19; Conimbr. loc. cit.; Fonseca *Comment. in Metaph.* lib. 10, c. 7, 10; Tolet. *Comment.* in cap. 10 *de Prædicam.*

(2) *De Prædicam.* c. 10.

(3) Conimbric. loc. cit. in expositione text. Arist.; Fonseca, *Instit. dial.*, lib. 2, c. 17.

Quare lapis non potest dici *cæcus*, potest autem dici *non videns* (1).

Hinc vides inter opposita privative non dari quidem medium generis, seu naturæ; dari vero medium subjecti, cum possit forma ejusdemque privatio eadem successive subjecto insidere; et dari quoque medium negativum, quia possunt dari subjecta, quibus nec forma aliqua neque ejusdem privatio competat. Quamobrem fieri bene potest, ut nonnullæ prædicationes negationem formæ alicujus exprimentes, veræ sint vel falsæ, prout pure negative vel privative sumantur. Ut si dicas angelum *implumem* esse, verum est, si id pure negative intelligas, falsum si privative.

Addita sunt in definitione privativorum verba illa: in *tempore* a *natura constituto*, ad magis declarandam præcedentem conditionem. Sunt enim subjecta quædam capacia certarum formarum, sed non in *omni tempore:* itaque absentia formarum illarum extra tempus a natura constitutum non erit vera privatio. Ita infans paucorum dierum nequit dici privative *imberbis* aut *edentulus*.

Quid contradictoria.

39. Tandem contradictoria opposita sunt ea, *quorum alterum importat formam, alterum ejusdem negationem;* ut *homo* et *non homo*, *lapis* et *non lapis*. Itaque contradictoria ita se habent, ut unum formam quamlibet exprimat, et alterum eamdem ipsam neget, simul tamen includendo indeterminate aliquid ex omnibus rebus, sive veris sive fictis, quæ præter illam esse aut cogitari possunt. Unde unum ex contradictoriis sub sua extensione complectitur omnia illa quæ alterum non sunt, sive possibilia sive impossibilia, positiva vel negativa, realia vel chimærica. Et sic simili modo inter sese comparantur duo contradictoria sicut terminus finitus et infinitus. Exinde procedit absoluta impossibilitas medii *cujuscumque* inter contradictoria, et absoluta necessitas, ut alterum eorum de quacumque re ac subjecto, sive reali sive ficto, vere, et alterum falso prædicetur. Nam *Deus*, *angelus*, *corpus*, *substantia*, *accidens*, *chimæra*, procul dubio aut est *homo* aut *non homo*, *lapis* aut *non lapis*. Præter enim hominem et *non hominem*, lapidem ac *non lapidem*, nihil esse nec fingi potest. Cum ergo

(1) Vid. Suar. disp. 54. *Metaph.*, sect. 5., n. 7.

unum contradictoriorum importet quidquid alterum non est, et nihil quod alterum est; nulla omnino communitas, nulla convenientia nec medium inter illa potest intercedere. Ideoque dici solet, contradictoria invicem opponi, sicut *ens* et *non ens*.

Contradictoria opponuntur ut ens et non ens.

40. COROLLARIUM 1.um Oppositio contradictoria est omnium maxima. Nam eo major est oppositio, quo minus est medium et minor convenientia inter opposita. Atqui inter opposita contradictorie, secus atque in reliquis, nullum est medium, nulla possibilis convenientia. Ergo.

Oppositio contradictoria omnium maxima.

Major propositio manifesta est; et minor quoque patet ex dictis. Nam in contradictoriis neque est medium naturæ nec generis, neque subjecti communis, neque etiam medium privativum seu negativum (1); de quibus supra fuimus locuti. E converso contrariorum plura habent medium naturæ; omnia vero habent medium generis ac subjecti, cum formæ contrariæ sub eodem sint genere, et in eodem subjecto vicissim reperiantur. Habent etiam contraria medium privativum; sunt enim multa subjecta, quibus neutra ex formis competat, eo quod non sint illarum capacia: Sic *angelus* neque est *albus* neque *niger*, et *lapis* neque *bonus* neque *malus* moraliter.

Privativa non habent quidem medium generis nec naturæ, sed carere non possunt medio subjecti et negativo propter rationem modo explicatam.

Denique relativa certe non conveniunt in subjecto, *idem enim non est parte et filius, secundum quod pater refertur ad filium. Nec conveniunt in medio sui generis* (2), *cum non sit in relativis magis et minus; habent tamen quemdam specialem*

---

(1) Proferri possent in contrarium exempla quædam terminorum *in speciem* contradictoriorum, sed qui non sunt pure contradictorii v. g. *homo albus* et *homo non albus*. Hi ergo ex eo quod admixtam habent aliquam contrarietatem, habent quoque non modo medium subjecti, sed etiam negativum per abnegationem utriusque: *angelus* enim, *arbor*, *lapis* etc. neque est *homo albus*, neque *homo non albus*. Vid. S. Th. Opusc. de *Quatuor oppositis*, c. 2.

(2) Id intellige de *puris* relativis: non enim desunt relativa quæ admixtam habent contrarietatem, ideoque medium generis habere possunt, quatenus contraria sunt. Sic inter *majus* et *minus* datur medium ejusdem generis unicum, *æquale*. Vid. P. Fonseca (*Metaphys.* lib. 10, cap. 10.) Cfr. S. Thom. In lib. 10 *Metaph.*, lect. 9.

modum conveniendi, quia unum illorum, secundum illud quo est, dependet ab altero. Ralativa enim se mutuo includunt, et ponunt et perimunt, secundum Philosophum» (1). Adde, quod relatio *non requirit extrema realiter diversa. Sunt enim quædam relationes, quæ sequuntur actionem intellectus, sicut est de relatione identitatis et de genere et de specie, et hujusmodi, in quibus nulla est diversitas, nisi quam facit intellectus* (2). Nec dubium est præterea, quin relativa medium admittant privativum seu negativum (3).

Reliquæ oppositiones participant de contradictione.

COROLLARIUM 2.um Reliquæ oppositiones participant de contradictione, eoque sunt majores aut minores, quo magis aut minus de illa participant.

Primum patet, quia unum extremum in omni opposito est negotio alterius, eatenus enim duo se excludunt atque inter se reluctantur, quatenus unum non est aliud (4).

Sed et alterum patet, quo enim magis participant de contradictione, eo magis contradictoriis similes erunt. Totum id sic breviter complexus est Aquinas: *Aliæ... oppositiones medium habent, quædam tamen plus, quædam minus*, et *secundum hoc magis et minus participant de ratione oppositionis contradictoriæ, et consequenter magis* et *minus opponuntur. Primum enim in quolibet genere est causa omnium, quæ sunt in illo genere, ut patet 10* **Metaphys.** *Et ideo quanto magis aliquæ participant de ratione primi in genere oppositionum, tanto minus conveniunt in medio* (5).

Post contradictionem privatio est maxima

COROLLARIUM 3.um Post contradictoriam maxima omnium oppositio est privativa, succedit deinceps contraria, et minime tamdem sequitur relativa.

---

(1) S. Thom. Opusc. *de Quatuor Oppositis*, c. 1.

(2) S. Th. ib. c. 3.

(3) Alias differentias relativorum a reliquis oppositis vide apud S. Th. *de Potent.*, quæst. 7, a. 8 ad 4.um

(4) Apposite Aquinas: *Contradictio in contrariis et privativis includitur. Sequitur enim, si est album et nigrum, quod sit album et non album; et si est videns et cæcum, quod sit videns et non videns. 2.° Contra Gent.*, cap. 25 *Adhuc Contradictio.*

(5) S. Thom. Opusc. *de Quatuor oppositis*, Cap. 1.

oppositio; et minima est relativa.

Ratio primi est, quia privativa maxime imitatur contradictionem, a qua non differt, nisi quia connotat subjectum proprium. Quapropter privatio medium locum tenet inter contrarietatem et contradictionem: hanc tamen ideo non assequitur, quia cum privatio determinet certum subjectum, oppositionem ipsam restringit ad genus et ordinem illius subjecti, dum e converso contradictio oppositionem ad certum genus minime coarctat, sed omnia genera transcendit, totamque entis ac non entis extensionem pervagatur. Et ob hanc rationem, ut modo notabamus, dicunt etiam Logici contradictoria opponi sicut ens et non ens. Sic *videns* et *non videns* oppositionem præ se ferunt maximam, cujus alterutrum extremum necessario convenit cuilibet enti quomodolibet excogitabili, nimirum sive reali sive chimærico: verum *videns* et *cæcum* est dumtaxat casus particularis præcedentis oppositionis, quia *non videns* multo latius patet quam *cæcum*, et ideo *videns* et *cæcum* sunt extrema, quorum alterutrum necessario verificatur, non in *omni re excogitabili*, sed *solum in genere entium aptorum ad videndum* (1).

Succedit deinde contraria oppositio; patet enim ex dictis relativam minimum habere de contradictione.

Differentia inter varias oppositiones.

COROLLARIUM 4.um Hinc facile vides differentiam inter hæc omnia opposita. Nam contraria et relativa oppositio discriminatur ab aliis, quia continet utrumque extremum positivum, aliæ vero duæ alterum extremum habent positivum, alterum negativum. Differunt autem contraria a relativis, primo «quod relatorum utrumque dicitur esse alterius, at contrariorum neutrum alterius esse dicitur. Falsum quippe est *album esse nigri album*, vel *nigrum esse albi nigrum:* dicitur nihilominus utrumque contrarium alteri, quod idcirco notat (Aristoteles), quia reliqua duo opposita non dicuntur mutuo eodem nomine; verbi causa, *cæcitas* dicitur *carentia visus*, et *visus* non dicitur *carentia cæcitatis*, item *non sessio* dicitur *negatio sessionis*, et *non e contrario*» (2).

---

(1) S. Th. Op. cit. cap. 2.; Arist. *Metaphys.*, lib. 10, cap. 7; Fonseca in lib. 10 *Metaphys.*, c. 7, paragr. *Privatio vero.*

(2) Conimbric., in Exposit. text. Arist. *de Prædicam.* c. 10.

Secundo in relativis alterum infert existentiam alterius, non vero in contrariis. Quam differentiam habent quoque relativa cum contradictorie ac privative oppositis (1).

Privativa jam supra diximus, quomodo distinguuntur a contrariis. Qui vero plura cupiat, Suarezium consulat (2).

Contradictoria quoque vidimus quo discrimine separentur a reliquis.

Contraria vero et privativa in eo discriminantur, quod privativa nequeant habere medium generis ac naturæ, quod in privativis a privatione non fiat regressus ad habitum, secus in contrariis, quamquam quæstio hæc controvertitur apud auctores, quos videre potes, si vacat (3).

CAPUT III.

DE PRÆDICAMENTIS ET PRÆDICABILIBUS.

41. Quamquam proprium Logici non sit res ipsas, quas tractant scientiæ, enucleare, sed modum tantum sciendi docere; minime tamen ejus limites transgreditur enumeratio atque in certas clases et suprema capita distributio rerum omnium, quæ per terminos significantur et per simplicem apprehensionem intelliguntur, quæque venire proinde in materiam disputationis in qualibet disciplina possunt. Propterea solemne Logicis semper fuit de *Prædicamentis* disserere. *Quilibet terminus, qui sine complexione dicitur, significat substantiam aut quantitatem, aut qualitatem, aut aliquid aliorum prædicamentorum; et ideo antequam de enuntiatione tractetur, oportet determinare de prædicamentis. Et quia prædicamentum, ut hic sumitur, nihil aliud est, quam ordinatio prædicabilium in ordine*

(1) Vide S. Thom., quæst. 7 *de Potent.*, art. 8 ad 4.um

(2) Disp. *Metaph.* 54, sect. 5, n. 7. seqq.

(3) Vide inter alios Suar., disp. *Met.* 45, sect. 2, n. ult. et Conimbric. De *Prædicam.* c. 10, quæst. unic., art. 5.

Plura de his videri possunt apud laudatos auctores.

prædicamentali; ideo ad cognoscenda prædicamenta oportet præcognoscere prædicabilia (1).

Atque ita Logicam Aristoteles a Prædicamen is exorsus est, cui tractatui deinceps Porphyrius suam *Isagogen* præmisit de *Quinque Prædicabilibus* (2), seu *primam institutionem* a doctrina Platonis atque Aristotelis expressam, quæ discentium animos ad facilius percipiendam disciplinam de prædicamentis præpararet. Et quoniam *Prædicabile* idem tandem est ac *Universale* quod *logicum* vocant, posteriores Logici non prius ipsam Prædicabilium tractationem aggrediebantur, quam controversiam de *Universalibus* in genere agitassent. Nos vero, qui de his omnibus plene in præsentiarum disputare non possumus, sed quantum sufficit ad eorum, quæ sequuntur, intelligentiam; declarata breviter *Prædicabilis* ratione, ipsa deinceps Prædicabilia singillatim, ac demum Prædicamenta leviter delibabimus, uberiorem de his rebus disputationem in propriam opportunioremque sedem remittentes. Verum prius ante omnia explicare oportet quid sit *prædicatio*.

ARTICULUS I.

Quid sit prædicatio.

Definitio prædicationis logicæ.

42. Prædicatio est *affirmatio aut negatio alicujus de aliquo:* quare peragitur ope judicii, ajente Angelico Doctore: *Prædicatio est quoddam, quod completur per actionem intellectus componentis et dividentis, habens tamen fundamentum in re ipsam unitatem eorum, quorum unum de altero dicitur* (3).

Duplex est: ordinata naturalis et inordinata.

Duplex est prædicatio: *ordinata* atque *inordinata*. Ordinata seu etiam *naturalis* est, quæ rei naturæ congruit. Inordinata

(1) S. Thom., vel quicumque sit Auctor *De Totius Logicæ Aristotelis Summa*, in Procemio.

(2) Notat Porphyrius in sua præfatione ad Isagogen, tractationem hanc de Prædicabilibus tum ad doctrinam Aristotelis de Prædicamentis necessariam esse, tum utilem *ad definitiones assignandas, ac omnino ad divisiones demonstrationesque conficiendas*. Vide quæ in hanc rem scribit Toletus. Cfr. Conimbric. ac P. Anton. Rubio in eumdem locum.

(3) Opusc. de *Ente* et *Essent.*, cap. 4 fin.

seu non naturalis est, quæ aliter se habet. Porro congruit in primis rei naturæ, ut quælibet res de seipsa dicatur, sicut enim unumquodque maxime secum est unum seu identicum, ita naturæ maxime consentaneum est, ut de seipso enuntietur. Secundo convenit naturæ, ut id quod est quasi forma dicatur de eo, quod illi velut materia subjiciatur. Quo fit, ut duo sint naturalium prædicationum genera, prædicatio *identica* et *directa*. Identica est, in qua enuntiatur omnino idem de eodem, ut *Plato* est *Plato*, *gladius* est *ensis* (1). Directa est, in qua id quod est quasi forma, prædicatur de eo, quod se habet illius comparatione ut materia, ut cum *animal* enuntiatur de *homine*, *album* de *nive etc.* (2)

Identica et directa,

Prædicatio non naturalis seu inordinata est, quæ rei naturæ minime convenit. Ea vero duplex habetur, una *contra naturam*, sive *indirecta*, in qua subjectum exprimit id, quod est forma vel quasi forma prædicati, ut si dicas: *Animal est homo, album* est *nix*. Altera est *præter naturam* sive per *accidens*, cum videlicet nec id, quod prædicatur est forma ejus, quod subjicitur, neque e contra, sed ambo sunt quasi formæ unius tertii, ut si dicamus: *album* est *dulce*, vel *dulce* est *album;* ubi neque *dulce* est forma nec materia *albi*, sed utrumque est forma ejusdem lactis (3).

43. Prædicatio naturalis subdividitur in *essentialem* et *accidentalem*. Potest enim unum de alio prædicari *essentialiter* et *accidentaliter*, et quemadmodum loquuntur Logici, in *quid* et in *quale*. Essentialiter prædicatur id, quod ad essentiam pertinet subjecti, ut de homine *animal* et *rationale*. Accidentaliter prædicatur id, quod non pertinet ad essentiam subjecti, ut de

essentialis et accidentalis.

(1) Hanc tamen prædicationem identicam Cardinalis Toletus (loc. cit.) vocat inordinatam *præter ordinem;* duplicem enim distinguit prædicationem inordinatam, aliam *contra*, aliam *præter ordinem*. Cfr. quæ idem Toletus ibid. quæst. 1.ª de *prædicatione identica* scribit, et Cfr. Suar. disp. 34, *Metaph.*, sect. 1 n. 7.

(2) Itaque prædicationes directæ sunt prædicationes notionum *superiorum* de *inferioribus*, *connotativorum* de *absolutis*, *accidentium* de *subjectis* et *differentiarum* de *speciebus propriis:* hæc enim omnia invicem comparantur instar formæ ad materiam.

(3) Ita fere ad verbum Conimbric, quæst 1.ª in *Præfation. Porphyrii*, art. 4. Cfr. Fonseca, *Instit. dial.*, lib. 2, cap. 1; et Tolet. in cap. *de Genere*, paragr. *De individuo*, quæst. 2.

eodem homine *album* vel *doctum*. Ea vero dicuntur prædicari in *quid*, quæ apte redduntur, cum *quidnam* res aliqua sit, quæritur, ut *virtus* de *justitia*. Ea autem in *quale*, quæ apte redduntur, cum quale aliquid sit, quæritur, ut v. g. *album* de *lilio*, *nive*, *cycno*, *rationale* de *homine*.

Hæ duæ divisiones, licet prima fronte videantur identicæ, nihilominus, ex communi veterum Logicorum usu, diversæ sunt. Nam quamquam omnis prædicatio in *quid* sit essentialis, ut patet, non tamen omnis prædicatio in *quale* est accidentalis, sed sunt prædicationes in *quale* omnino essentiales. Et ratio est, quia sæpe quærenti, qualis res aliqua sit apte respondetur per aliquid, quod ad ejus essentiam pertinet: quemadmodum, si quis sciscitetur, *qualenam animal sit homo*, recte repones, esse *rationale*. Unde ad distinguendam prædicationem essentialem in *quale* ab accidentali, primam vocabant veteres in *quale quid*. Est ergo prædicatio in *quale quid*, illa, in qua res ipsa significata est essentialis illi de quo prædicatur, modus tamen prædicandi est instar *accidentis* et *connotativi*. Talis est generatim prædicatio differentiæ specificæ de ipsa specie. Et sic differt a prædicatione in *quid* et in *quale*, tamquam medium quiddam inter utramque. In illa enim et ratio essentialis est subjecto et modus significandi est substantivus, in hac autem et ratio significata accidentalis est, et modus quoque significandi instar accidentis respectu subjecti (1).

Prædicatio in *quale quid*.

Prædicatio accidentalis dividitur in *necessariam* et *contingentem*. Ea porro prædicantur necessario, quæ licet non pertinent ad essentiam subjecti, ab ea tamen naturaliter fluunt, et abesse nequeunt, ut quod homo sit *risibilis*, capax *disciplinæ*. Ea vero prædicantur contingenter, quæ ita subjecto competunt, ut possent etiam non competere, ut quod hæc charta *sit alba*, quod homo sit *armis indutus* etc. Hæc enim et similia negare atque auferri possent de subjecto, quin idcirco in suis essentialibus naturæque consentaneis notis corrumperetur (2).

---

(1) Vide inter opera S. Thomæ Opusc. de *Summ. totius Logicæ Aristot.*, tract. 1, cap. 2, de *Genere*, in fine.; Conimbric. loc. cit. q. 1.

(2) Cfr. Auct. Opusc. *Summ. totius Logicæ Arist.*, tract. 4, cap. 8.; Fonseca, *Inst. dialect.*, lib. 2, cap. 2.

Prædicatio per se et per accidens.

Prædicatio dividitur etiam in *per se* et *per accidens;* verum de prædicatione *per se* commodius agetur in Logica Majori (1).

ARTICULUS II.

Quid et quotuplex Prædicabile.

Quid Prædicabile,

44. Nuper innuimus *Prædicabile* idem sonare ac *Universale logicum.* Est autem Universale logicum *quod de pluribus aptum est prædicari* (2). In qua definitione tria veniunt declaranda: α) Universale esse *unum quiddam*: β) *aptum prædicari:* γ) *de multis.*

α) Universale seu prædicabile est *unum quiddam* et nomine et ratione, id est *univocum.* Ad universale enim non sufficit unitas vocis, qua plura quomodolibet designentur, ut usu venit in æquivocis, sed requiritur identitas rationis significatæ. Unde removentur a ratione universalis termini complexi et æquivoci, non modo a casu, sed etiam a consilio seu analogi, saltem ex communiori sententia (3).

β) Ad universale requiritur *aptitudo* ut de pluribus prædicetur. Neque enim opus est, ut actu *prædicetur*, sed ut *possit* prædicari de multis et quidem prædicatione naturali et directa, vera et affirmativa. «Est enim universale quoddam totum respectu partium sibi subjectarum: totum vero, auctore Philosopho, est veluti partium forma; quare de illis affirmative et vere dicatur, oportet. Quod namque in subjecto est, vere de illo affirmatur. Atque ita per hanc partem excluduntur omnia, quæ negative aut falso aut non naturaliter prædicantur; sive contra sive præter naturam» (4).

γ) Universale demum prædicabile est *de pluribus*, quod intellige divisim et singillatim, ita ut in singulis insit multiplicata physice ratio illa una et identica, vocabulo communi significata. Ex hujus defectu conditionis *Deus* nequit esse prædicabile seu universale logicum, quia licet prædicetur de

(1) Cum sermo erit de Demonstratione.

(2) Arist. *Periherm.* seu *de Interpret.*, c. 5. (al. c. 7.)

(3) Vide Conimbric. in *Isagog. Porphyr.* quæst. 1, a. 4; Tolet. ibid. quæst. 1; Suarez disp. *Met.* 6., sect. 8, n. 11, 12.

(4) Conimbric. loc. cit.

tribus Personis, tamen non significat in illis naturam multiplicem, sed eamdem physice ac numerice. Ex communissima etiam ratione loquendi termini transcendentales non sunt universalia seu prædicabilia. Ut vides, prædicabile seu universale logicum idem est ac terminus universalis, de quo superius.

45. Jam quinque sunt prædicabilia, *genus*, *species*, *differentia*, *proprium* et *accidens*, ex quibus tria priora exprimunt prædicationes rei essentiales, reliqua duo accidentales. Ut vero ratio singulorum ac natura facilius intelligatur, animadvertendum est in primis, quod attinet tria priora, cum auctore Opusculi de *Summa totius Logicæ Aristotelis*, *quod una et eadem res per suam essentiam cum essentia alterius rei habet aliquam conformitatem seu convenientiam*, et *aliquam differmitatem realem*, *quæ conformitas vel differmitas potest esse major vel minor per comparationem ad diversas res. Verbi gratia, Socrates per essentiam suam, quæ est ex hac anima et hoc corpore, conformatur Platoni et huic equo et huic plantæ. Socrates enim per suam essentiam est rationalis, sensibilis et vivus. In omnibus his tribus est conformis Platoni: huic autem equo est conformis in duobus, scilicet in sensibili et vivo, et in uno est differmis, quia in eo est realiter rationale, quod non est in hoc equo; huic vero plantæ conformis est in uno, scilicet in vivo* (1). quotuplex.

Jam quamquam hæ omnes rationes, quibus aliæ et aliæ res vicissim et conveniunt et discriminantur, realiter in essentia uniuscujusque unum sint atque idem, intellectus tamen distinctis actibus intelligere potest, ac porro solet, ope virtutis abstractivæ, qua gaudet. Ex quo intelligendi modo fit, ut plenæ rerum essentiæ considerari possint velut coalescentes ex diversis partibus, non quidem realiter, sed mente tantum distinctis; inter quas aliæ sunt unicuique rei propriæ, aliæ vero pluribus communes. Et propriæ quidem essentiam constituunt, contrahendo illam ac determinando et perfectionem rebus peculiarem et characteristicam imprimendo: unde res quæ per alias notas communes similis illis erat, jam ab illis per ejusmodi notas proprias secernatur. Quamobrem si

(1) De *Totius Logicæ Arist. Summ.* tract. 1, cap. 2.

notas has cujuslibet rei, tum communes tum proprias ac peculiares, inter se comparemus, videbimus profecto proprias concipi posse instar actus ac formæ determinantis ac perficientis, communes autem instar materiæ, subjecti vel potentiæ determinabilis ulterius ac perfectibilis.

Itaque notæ illæ vel rationes propriissimæ per quas discriminantur res *solo numero* diversæ, vocantur *differentiæ individuantes*. His vero neglectis, notæ illæ, quæ constituunt integram essentiam communem pluribus rebus solo numero discrepantibus, dicitur *species* illarum omnium. Hæ porro species constituuntur in proprio gradu per aliquam rationem seu notam solis illis propriam, quæ vocatur *differentia specifica*, et per aliam rebus etiam aliarum specierum communem, quæ nomen accepit *generis*. Exemplo rem illustremus. Si aciem mentis convertamus in homines per comparationem ad reliqua, quæ ipsum circumstant, in primis occurrent ipsa individua humana, quæ differunt inter se lineamentis quibusdam specialibus. Atque hæ vocantur *differentiæ individuales*, quæ modo ad nostram considerationem non pertinent. His ergo præcisis ¿quid remanet illis omnibus individuis commune, ac de illis prædicabile tamquam integra singulorum essentia? *humanitas:* en *speciem* humanam. Natura porro integra hominis conflatur ex *animalitate* ac *rationalitate*. Et *animalitas* quidem homini cum multis aliis rebus ab eo diversis communis est, *rationalitas* vero propria sibi et peculiaris: illa ergo *generis*, hæc rationem habet *specificæ differentiæ*.

Quid genus,

Quæ cum ita sint, facile jam capies definitiones generis, speciei ac differentiæ specificæ, quas subjicimus. Genus est *ratio, quæ de pluribus prædicari potest, tamquam pars eorum essentiæ determinabilis per aliam* (1): v. g. animal quod prædicatur tamquam aliquid essentiale de homine, actuandum tamen et determinandum per aliud ad esse proprium hominis.

---

(1) Itaque analogiam habet cum hac acceptione philosophica vulgaris illa notio, qua *genus* designat communem aliquam stirpem, unde plures originem ducunt, ut *genus* Heraclidarum (Cfr. Porphyr. *Isagog.* cap. 1).

differentia, species.

Differentia est *ratio, quæ de pluribus prædicari potest tamquam pars essentialis determinativa.* Species demum est *ratio quæ de pluribus prædicari potest tamquam integra eorum essentia* (1).

Differunt ergo hæc tria inter se, quia genus et species prædicantur essentialiter et *in quid*, nimirum instar formæ absolutæ ac substantive, differentia vero prædicatur quidem essentialiter sed *in quale*, seu instar formæ adjacentis alteri. Et genus prædicatur *in quid* incomplete, id est instar partis, species autem complete ac instar totius essentiæ (2).

Tum autem genus, tum species ac differentia dividuntur in *suprema*, *media* et *infima*.

Genus supremum, medium seu subalternum et infimum.

Genus supremum est, quod supra se nullum aliud genus habet latius patens, v. g. *substantia*, *quantitas;* genus infimum e converso est, quod infra se non habet aliud genus, sed tantum species, ut *animal* respectu *hominis*, et *virtus theologica* respectu *fidei*, *spei* et *charitatis*. Medium denique genus est, quod tum supra, tum infra se habet alia genera; sicut *corpus* quod latius patet quam *animal* et minus quam *substantia;* itemque *virtus*, quæ media est inter supremum genus *qualitatis* et varia genera virtutum. Medium atque infimum genus vocantur quoque *subalterna*.

Genus dividitur præterea in *proximum* et *remotum*. Proximum est illud, sub quo species immediate ac proxime continetur, ut *animal* respectu hominis: remotum, sub quo species aliqua mediate ac remote continetur, ut *substantia* vel *vivens* respectu ejusdem hominis.

Species suprema, medie et infima seu specialisima.

Species suprema est, quæ non habet supra se aliam speciem, sed solum genus; velut *corpus*, *spiritus*. Infima, quæ vocatur etiam *specialissima* est ea, quæ dividi in alias species inferiores nequit, sed tantum habet infra se individua; v. g. *species humana*. Media est, quæ supra et infra se habet alias species, quæ proinde respectu superiorum est species, et respectu inferiorum genus: talis est species *viventis*, *animalis* etc.

(1) Vide Sylvest. Mauri, *Quæst. philos.*, t. 1. quæst. 37; Cfr. PP. Georg. Rhodes et Andreas Semery in propriis locis, de hac materia.

(2) Relationes inter genus, speciem ac differentiam explicat ex Arist. S. Thom. 3.° *Metaph.*, lect. 8.

Differentia, suprema, media et infima.

Demum differentia specifica est *suprema*, *media* vel *infima*, quatenus adjuncta generibus conflet speciem supremam, mediam et infimam.

Tria hæc prædicabilia aliter ex Porphyrio definiuntur.

46. Paulo aliter definit genus, speciem ac differentiam Porphyrius (1). Genus nempe est *id, quod de pluribus specie differentibus prædicatur in quid*, ut *animal* respectu hominis et equi, *vivens* respectu eorumdem et plantæ (2).

Species dupliciter describi potest ex Porphyrio, vel quatenus in propositione *subjicibilis* est, seu per ordinem ad genus, quod de ipsa prædicatur; vel quatenus *prædicabilis* est, seu per ordinem ad individua de quibus species prædicatur. Quatenus ergo subjicibilis est, species definitur id *quod subjicitur generi, et de quo genus prædicatur* **in quid** (3). In qua declaratione omnia plana sunt. Et quamquam videas speciem describi per genus, cum nuper genus ipsum per speciem explicatum fuerit, id hic vitium esse minime reputatur; propterea quod genus et species relativa sint; relativa autem, quemadmodum esse alterum sine altero nequeunt, sic nec cognosci nec definiri prout talia (4). Rem tamen ipsam facile intelliges, si advertas, quando duæ rationes universales ita se mutuo respiciunt, ut una latius pateat altera, deque ea possit prædicari *in quid*, primam esse genus et alteram ejusdem speciem.

Secundo species, prout prædicabilis est, definitur *id quod de pluribus numero differentibus, seu individuis, prædicatur in quid* (5). Quæ definitio, ut notat ipsemet Porphyrius, infimæ dumtaxat speciei proprie convenit; hæc enim sola de solis individuis prædicari potest in quid.

---

(1) *Isagog.* cap. 1.um

(2) Egregie definitionem hanc exponunt ac tuentur Conimbric., tum in *Commento textus Porphyr.*, tum in adjecta *quæstione* prima.

(3) Bina membra hujus definitionis velut totidem diversas definitiones accipiunt Ammonius, Albertus M., Cajetanus aliique apud Conimbric. (in *Commentar. hujus textus Porphyr.*) Hi tamen DD. et Rubius, Maurus (*Quæst. philos.* tom., quæst. 37) et alii unam tantum integram definitionem omnibus illis verbis existimant contineri: idque valde probabile videtur Toleto.

(4) Vid. Conimbric. loc. cit., q. 1, a. 1., ubi hæ aliæque difficultates egregie dissolvuntur.

(5) Conimbric. ib.

Denique differentia generatim est id, quo res aut a se ipsa in alio et alio tempore, aut ab alia re differt. Triplex esse potest, *communis*, *propria* et *maxime propria*. Communis est, quæ nec ad rei essentiam pertinet, nec inseparabile ab ea est, v. g. *stare*, vel *sedere*, *album* vel *doctum* vel *simum* esse respectu hominis. Propria est, quæ inseparabilis quidem est a re, ad essentiam tamen ipsius minime spectat; ut *risibilitas* respectu *hominis*, *latrabilitas* respectu *canis*. Maxime propria, quæ et *specifica* dicitur, est quæ non modo inseparabilis est, sed ad essentiam quoque rei pertinet, v. g. *rationalitas* respectu hominis (1). Præter has datur alia differentia, quæ *individualis* vocatur, per quam nimirum duo individua ejusdem speciei inter sese distinguuntur. Cæteris ergo prætermissis, agimus nos nunc de differentia *specifica* dumtaxat.

Triplex munus differentiæ.

Tripliciter autem describitur a Porphyrio differentia, pro triplici ejusdem munere. Differentia enim *constituit* speciem, *dividit* genus, et *prædicatur* de specie certo quodam modo. Itaque primo ex officio constituendi speciem differentia est: *id quo species suum genus excedit*, intellige excessu essentiali, ut distinguatur a differentiis non specificis, per quas species excedunt excessu accidentali, dumtaxat. «Dicitur vero species per differentiam excedere genus secundum essentiam, quia species coalescit ex genere et differentia, quemadmodum ens naturale ex materia et forma... ita ut genus se habeat instar materiæ, et differentia instar formæ. Ut ergo totum ens naturale plus includit in essentia, quam sola materia, ita species amplius habet, quam genus, differentiam nimirum specificam» (2).

Secundo ex munere ac modo prædicationis differentia describitur a Porphyrio: id *quod de pluribus specie differentibus prædicatur in quale quid*. Verum hæc definitio, ut recte observat Fonseca (3), non complectitur eas differentias, quæ

(1) Duæ priores differentiæ, derivantur ex aliquo accidenti; prima quidem ex accidenti communi, quod quintum prædicabile constituit; altera vero ex accidenti proprio seu quarto prædicabili, de quo mox est dicendum.

(2) Conimbr. in *Comment. text. Porphyr.* paragr. *Has itaque definientes*.

(3) *Instit. Dialect.* lib. 2, c. 5.

proxime species infimas constituunt (nimirum differentias infimas), ut *rationale*. Omnes tamen complectetur, si expunxeris illud: *differentibus specie* (1).

Tertio demum ex munere dividendi genera in species subjectas definitur differentia, *id quod suapte natura, ea quæ sunt sub eodem genere, separat*, hoc est, facit essentialiter inter se discriminari.

Hinc vides, cur differentia vocetur constitutiva speciei et divisiva generis, et quomodo se habet respectu utriusque.

His puto satis intelligi posse naturam trium prædicabilium essentialium; cætera enim quæ de his disputantur ad Majorem Logicam esse reservanda censemus.

Quid proprium; quadrupliciter sumi potest.

47. Verum jam gradum ad reliqua duo prædicabilia faciamus. Atque in primis *Proprium* in hac materia non sumitur per oppositionem ad *metaphoricum*, sed prout distinguitur a *communi*. Et quadrifariam accipi ex Porphyrio potest: α) pro eo quod *soli* alicui speciei convenit, non tamen *toti;* ut *esse mathematicum* aut *astronomum* proprie accidit homini *soli*, sed non *omni:* β) pro eo quod *toti* speciei convenit; sed non *soli;* ut *bipedem esse* convenit *omni* homini, sed non *soli:* γ) pro eo quod convenit *soli* et *toti* alicui speciei, sed non semper; sic homini competit loquela uti, sed non semper: δ) pro eo quod convenit *soli* et *toti* speciei ac semper, ut eidem homini competit *risibilem* esse. Proprium hoc ultimo sensu dicitur *converti* cum specie (2), quia æque patet ac species. Unde si propositio aliqua conficiatur in hac quarta acceptione, quoniam tantum ambit prædicatum, quantum subjectum, potest converti propositio illa ita, ut prædicatum transeat in locum subjecti et subjectum in locum prædicati cum eadem extensione: v. g. *omnis homo est risibilis*, convertitur in hanc: *Omne risibile est homo* (3).

Proprium itaque in quarta hac sumptione est strictissime quartum prædicabile. Nam proprium prout est quartum præ-

(1) Eadem est sententia Card. Francisci Toleti. (In Comment. de *Differentia*, parag. *Quæstiones* seu *dubia quædam.)* P. Ant. Rubii *(Logic. Mexic., De different.*, quæst. 7), et Conimbric. *(De Differentia*, q. 2. a. 1), qui eam communem appellant.

(2) Cfr. Arist. 1. *Topicor.* c. 4.

(3) Vide Auctorem Opusc. *Totius Logic. Arist. Summ.* tract. 1, c. 7.

dicabile debet esse distinctum a reliquis omnibus prædicabilibus. Et a primis quidem tribus prædicabilibus differt in eo, quod non prædicetur *essentialiter* de subjecto; et in hoc convenit cum quinto prædicabili. Differt autem ab hoc, quia proprium est aliquid quod *necessario* inest, et prædicatur de pluribus. Et nihil de pluribus necessario prædicari potest, si non pertineat ad eorum essentiam, nisi sit aliquid fluens a principiis essentialibus seu specificis illorum (1). Hinc factum est, ut etiam vulgus nomine proprii aut proprietatis intelligat aliquid, quod se habeat instar characteris peculiaris et distinctivi cujuslibet rei, qui proinde *omni soli* et *semper* conveniat, necesse est.

Definitio proprii in stricta acceptione.

Definiri ergo *proprium* potest id, quod convenit *omni*, *soli* et *semper* et *conversim* de re prædicatur. Debet convenire *omni* et *semper*, quia cum proprium fluat ex principiis essentialibus ac specificis cum quibus necessaria ligatur connexione, semper et in omnibus individuis alicujus speciei debet inesse.

Dicitur proprium convenire *soli* alicui speciei, quia Proprium consequitur essentialia principia cujuslibet rei; propria vero cujuslibet rei essentialia principia sunt illa, quæ speciem illius constituunt. Cum autem singulæ rerum diversarum species suos distinctos gradus habeant essentialium pefectionum, debent quoque singulæ suas distinctas habere proprietates. Itaque Proprium *soli* alicui speciei competat, necesse est (2) *Sciendum est autem, quod licet Proprium* **stricto modo** *sumptum, solum conveniat uni speciei specialissimæ, tamen* **largo modo** *nihil prohibet proprium etiam convenire speciei subalternæ, quæ videlicet potest esse genus* (3).

Atque ex his patet etiam, cur Proprium *conversim* dicatur de re, quia cum exprimat prædicatum conveniens *omni* et *soli* subjecto ac *semper*, tam late patet ac ipsum subjectum.

Definiri quoque solet proprium *id quod* de *pluribus prædicatur in quale accidentaliter ac necessario:* aut etiam, *quod* de *pluribus prædicatur tamquam quiddam necessario fluens ab eorum essentia.*

(1) Id. Ibid. c. 6.
(2) Vid. Auctor. Opusc. nuper. cit., ibid. c. 7.
(3) Id. ibid.

Ex his duo facile colliges α): Proprium seu proprietatem esse indicium prodens et quodammodo manifestans latentem rei essentiam, est enim quasi surculus ab illa pullulans. Et quoniam singulæ essentiæ, pro diversis suis gradibus ac differentiis, diversis quoque ornantur proprietatibus, ideo definitio et argumentum ex proprietatibus depromptum, quando rei essentia in se videri nequit, aptissimum est præsidium, quod ad eam cognoscendam imbecillitati nostræ suppetit in hac vita.

β) Colliges etiam cur proprium dicatur prius convenire speciei, et posterius individuis. Nam de his quidem prædicatur proprium necessario, verum non præcise quia sunt *talia individua*, sed quia *tali* gaudent *essentia*. Sic *risibilitas* prædicatur de specie humana et de individuis: hæc vero non dicuntur risibilia, quia sunt *Petrus* et *Paulus* etc., sed quia sunt *homo*; nimirum non ratione individuationis, sed ratione speciei ad quam pertinent (1).

Quid Accidens.

48. Tandem *accidens* sumi potest vel in sensu metaphysico vel in sensu logico. In sensu metaphysico est totum id, quod in sua entitate non est substantia: Metaphysici enim dividunt ens generatim in duas classes, in ens *per se stans*, seu non indigens alio tamquam subjecto, cui debeat inhærere ad existendum, idque vocant *substantiam;* et in ens *existens in alio* tamquam *subjecto*, et id appellant *accidens*. Hæc ergo denominatio accidentis metaphysici desumitur ex modo quo res in sua physica realitate existit in rerum natura. Et de hoc accidenti sermo erit in Ontologia.

Accidens vero quod quintum prædicabile constituit, vocatur *logicum*, ac describi potest, *id quod de pluribus prædicatur in quale, non necessario sed contingenter:* seu *id quod de pluribus prædicatur tamquam aliquid contingenter superveniens eorum essentiæ:* ut si de *homine* prædices, quod sit *albus*. Quare percipies denominationem *accidentis logici* desumi, non ex eo quod aliquid est in sua physica entitate; sed ex eo quod non est de essentia eorum de quibus prædicatur (2), sed contingenter ipsis inhærens. Unde dantur acci-

(1) Vide Opusc. De *totius Logicæ Aristot Summa*, loc. nup. cit. cap. 7.

(2) Vide Opusc. cit. ib. cap. 6.

dentia metaphysica quæ logice sunt genus vel species vel proprium, quia licet in sua natura sint aliquid accidentale seu non substantiale, respectu tamen subjecti, de quo prædicantur; sunt aliquid ad ejus essentiam spectans vel fluens ab illa. Sic *color* v. g. est accidens quoddam metaphysicum, sed respectu *albedinis*, ratio coloris *genus* est: itemque *risibilitas* et *quantitas* in se quidem accidentia sunt, at vero prima respectu *hominis*, et altera respectu *corporis*, proprietates sunt, non vero pura accidentia logica. Et e converso fieri bene potest, ut id quod est substantia metaphysice, sit accidens logicum; quemadmodum sunt logice accidentales istæ prædicationes, *homo vestitus* et *altare deauratum*. Quamquam enim *vestis* in se sit substantia, est tamen accidens logicum homini, qui ea induitur; et *aurum* licet sit et ipsum substantia quædam, nihilominus est accidens logicum altari, quod ab eo denominatur deauratum.

Conveniunt ergo proprium et accidens logicum in eo, quod utrumque sit aliquid extra essentiam aut substantiam subjecti, de quo prædicatur, positum. Differunt tamen in multis: α) quia proprium, secus atque accidens commune seu logicum, *omni* alicui speciei et *semper* et convertibiliter inest, modo jam declarato. β) Proprium abesse nequit absque subjecti corruptione, potest vero accidens, quod propterea etiam definitur a Porphyrio id *quod contingit eidem inesse et non inesse præter subjecti corruptionem* (1). Quamquam enim negatio proprietatis *formaliter* non est negatio essentiæ quippe quæ distincta supponitur ab illa; tamen *indirecte* et ex consequenti, negatio vel absentia proprietatis importat negationem essentiæ. Cum enim proprietas convenit *semper omni* habenti essentiam, ubi deest proprietas aliqua, ibi jure negatur adesse essentia, unde talis proprietas naturaliter pullulat. Atque hæc est causa, ut nunc obiter dicamus, cur

Discrimen proprii ab accidente.

(1) Notat autem Porphyrius ejusque commentatores, cum dicitur, *accidens abesse a subjecto posse absque ejusdem corruptione*, intelligendum id esse de separatione mentali, non autem de reali. Sunt enim accidentia quædam, quæ subjectum semper naturaliter afficiunt, sicut nigredo corvum et cycnum albedo. Tamen per mentis præcisionem aut etiam negationem omne accidens absque subjecti destructione separari potest. Id quod de proprio dici nequit.

philosophi ex certis proprietatibus ad certas assignandas essentias firmissimo argumento assurgant. γ) Additur et alia differentia, *quod proprium prius convenit speciei*, et *posterius individuis... oppositum autem est de accidente communi. Si enim proprium respicit individua in quantum participant formam specificam, per prius ergo verificatur de specie, quam primo respicit, quam de individuis, et per consequens individuis convenit, quia convenit speciebus. Accidens autem cum non respiciat subjectum, nisi ratione inhærentiæ, et per prius convenit substare individuis, quam secundis substantis* (i. e. essentiæ specificæ). *Accidens ergo convenit speciei ratione individui* (1).

Cur quinque int omnino prædicabilia.

Nunc intelligere poteris, cur quinque sint prædicabilia, nec plura nec pauciora. Nam quælibet ratio universalis prædicatur de subjecto aut in quæstione *quid est*, aut in quæstione *quale est*. Si primum, vel importat integram naturam eorum, de quibus prædicari potest, et tunc habetur *species*, vel partem tantum naturæ et vocatur *genus*. Si vero prædicatur in quæstione *quale*, aut exhibet aliquid subjecto essentiale, et est *differentia specifica;* vel accidentale; et tunc vel prædicatur tamquam aliquid necessario conveniens subjecto, vel solum contingenter et habentur reliqua duo prædicabilia, *proprium* et *accidens*.

Paulo aliter eamdem rem sic probabis. Quidquid de alio prædicatur, vel est ei essentiale, vel non. Si essentiale, vel ideo quia exprimit totam ejus essentiam, vel quia partem tantum, sive determinabilem et magis generalem ac rebus quoque aliarum naturarum communem, sive determinantem ac propriam. Si primum contingat, habetur *species;* si secundum, *genus;* sin tertium, *differentia specifica*. Si vero id quod de pluribus prædicatur, non sit ipsis essentiale, vel fluit ab eorum essentia necessario et convertibiliter, ac vocatur *proprium;* vel contingenter dumtaxat illis advenit, et nomen habet *accidentis* (2).

---

(1) Vide Auct. Opusc. cit. cap. 7.—Porphyr. c. 6. *Isagog.* ejusque Interpretes.

(2) V. Albertum M. De *Prædicabilibus*, tract. 2, cap. 1: Suar. disp. *Met.* 6, sect. 8, n. VII.—Plura dabunt Porphyrius ejusque Commentatores.

ARTICULUS III.

De Prædicamentis.

Quid prædicamentum secundum vocem.

49. Quod græci Philosophi κατεγορίαν, latini dixere *Prædicamentum*; cujus vocabuli auctor inter latinos, si fidem adhibeamus Conimbricensibus (1), fuisse videtur Böetius. *Categoria* vero quamquam spectata nominis forma, significare possit actionem prædicandi, seu prædicationem (2); apud Philosophos tamen pro re ipsa quæ prædicatur, accipi consuevit (3).

«Prædicamentum igitur spectata nominis etymologia illud est, quod de aliquo prædicatur; et quia decem summa genera primo et quasi per antonomasiam prædicantur de primis substantiis (individuis), quæ habent præcipua prædicamentorum fundamenta, decem prædicata seu prædicamenta dicuntur, ut voluit D. Damascenus (4). Verum quia non sola prima genera, sed quæcumque sub illis continentur aliqua ratione, de primis substantiis enuntiantur, extensum est vocabulum ad totam seriem ex summo genere, intermediis speciebus ac individuis, significandam. In qua significatione usurpavit hoc

(1) Commentar. in lib. *Categor. Arist.*, *Proœm.*, Paragr. *De hujus libri auctore* et *inscriptione*.

(2) Nemo ignorat κατεγορίαν primo et proprie sonare *accusationem*, sed deinde accepit quoque significationem *prædicationis*. Hinc «Demonax in Herminium Peripateticum ex ambiguitate vocis, quod *categoria* vel prædicamentum vel accusationem significet, ita lusit. *Equidem arbitror*, *Hermini*, *te non indignum decem categoriis*, id est, *decem accusationibus*.» Rosselli *Summa Philosophica*, t. 1, quæst. 12, n. 624 in nota.

(3) «Hac ratione, inquit Fonseca (in lib. 5 *Metaph.* c. 7, quæst. 1, sect, 2), vocat Augustinus, vel quisquis sit auctor libri de *Decem Categoriis* (cap. 1) *animal categoriam substantiæ*, et *disciplinam*, *categoriam qualitatis*. Damascenus (in lib. de *Dialectica* cap. 20) *categorias* inde nuncupatas affirmat, quod de aliquo dicantur, quo pacto idem est κατεγορία atque κατεγόρημα, quod Cicero (lib. 4, *Tuscul. quæst.*) definit esse *id quod* de *aliquo* aut *aliquibus dicitur*. Lege etiam Isidorum (lib. *Etymologiar.* c. 27). Atque in hac significatione sumitur apud nos *Prædicamenti* nomen.»

(4) De *Dialectica* cap. 20.

nomen Porphyrius cap. de *Specie*, cum dixit in singulis prædicamentis esse singula prima genera, alia intermedia, species infimas et individua» (1). Eamdem duplicem prædicamenti acceptionem testantur etiam Fonseca (2), Toletus (3) aliique (4).

Definitio realis.

Itaque ut utramque hanc acceptionem in unam colligamus, describi prædicamentum potest cum Fonseca et Conimbricensibus: *generis alicujus summi et eorum, quæ sub ipso sunt, naturalis dispositio, seu series*. Nimirum omnia quæcumque sunt, aut esse possunt, habent rationem entis, in qua omnia conveniunt, licet infinita propemodum inter sese varietate separentur. Si quis tamen attente consideret universitatem entium, deprehendet profecto illorum nullum esse, quod cum multis aliis cognationem et convenientiam, sive in entis ratione, sive in quibusdam aliis præterea notis, pluribus aut paucioribus, non habeat. Itaque dignum Philosopho erit opus, res omnes eo modo cognatas in distinctos ordines seu classes concludere, atque ita distribuere, ut sub supremo singularum harum classium genere, naturali atque ordinata serie collocentur per gradus suos reliqua genera et species subalternæ usque ad infimam, atque adeo usque ad ipsa individua. Hoc modo rerum omnium quasi genealogica schemata confici possunt, in quibus singulis individuis diversorum entium propria familia secundum cognationes suas assignetur sub uno omnium communi stipite seu capite supremo. Series igitur ejusmodi rationum realium (5), vel a supremo genere gradatim descendens ad individua, vel ab individuis ascendens ad suprema genera, nomen habet *Prædicamenti* (6).

---

(1) Conimbric., loc .nuper cit. in cap. 4, quæst. 2 art. 1.

(2) *Institut. Dialect.* lib. 2, cap. 8, Cf. in lib. 5 *Metaph.* c. 7, q. 1, sect. 2.

(3) In Aristotelis *Categor.* sub fin. expositionis *Procemii.*

(4) Ita etiam fortase auctor Opusc. *De totius Logicæ Arist. Summa* in procemio collat. cum tract. 2, cap. 1.

(5) Entium enim fictorum et chimæricorum non sunt prædicamenta.

(6) Exemplo rem vivide illustrat Seneca (epist. 59): *Homo species est, equus species est, canis species. Ergo commune aliquod quærendum est his omnibus vinculum, quod illa complectatur, et sub se habeat. Hoc quid est? Animal. Ergo genus esse cæpit omnium horum, quæ modo retuli, hominis, equi, canis, animal. Sed sunt quædam*

Hinc nemo non videt prædicamentorum utilitatem tum ad definitiones ac divisiones, tum ad demonstrationes conficiendas, cum sint velut totidem scrinia, in quibus rerum omnium rationes ordinate dispositæ asservantur. Ideo Quintilianus (1) prædicamenta vocavit *elementa, circa quæ versari videatur omnis quæstio.* Et Boetius Aristotelis categorias commendans: *Rerum diversarum*, inquit, *interminatam infinitamque multitudinem decem prædicamentorum paucissima numerositate conclusit* (Aristoteles); *ut quæ infinita sub scientiam cadere non potuerant, decem generibus propriis definita scientiæ comprehensione claudantur* (2).

Quamobrem solemne fuit Philosophis prædicamentorum series disponere, quemadmodum Aristoteles, Pythagorei, Platonici et Epicurei inter veteres Philosophos fecerunt (3), et Kantius aliique inter recentiores (4).

Nobis placet hic Aristotelicam (5) prædicamentorum divisionem exponere, non quia nulla alia satis apta possit fieri, sed quia et bona est, et auctoritate SS. Clementis Alexandrini (6), Augustini (7), Isidori Hispalensis (8), Joannis Damasceni (9), Alberti Magni (10), Thomæ ac Bonaventuræ (11),

---

quæ animam habent, nec sunt animalia. Placet enim satis et arbustis animam inesse: itaque et vivere illa et mori dicimus. Ergo animantia superiorem tenebunt locum, quia et animalia in hac forma sunt et sata. Quædam anima carent, ut saxa. Itaque aliquid erit animantibus antiquius, scilicet corpus. Hoc si dividam, ut dicam corpora omnia aut animata esse aut inanimata, etiamnum est aliquid superius, quam corpus. Dicimus enim quædam corporalia esse, quædam incorporalia. Quid ergo erit, ex quo hæc deducantur?

(1) Lib. 3 *Instit. Rhetor.*

(2) Præfat in *Prædicamenta Arist.*

(3) Vide de his Conimbric., de *Prædic.* c. 4, quæst, 2. a 3.

(4) De quibus consule P. Salvatorem Roselli, loc. cit. art. 1, et P. Bertoldum Hauser, *Philos. Ration.* t. 1, *Log.*, q. 4, a. 5.

(5) Sunt qui censent Aristotelem suam illam divisionem ab *Archita* Tarentino desumpsisse.

(6) *Stromat.* 8.

(7) *De Trinit.* lib. 5, cap. 7; et in lib. de *Decem Categoriis.*

(8) *Etymologiar.* lib. 2, cap. 26.

(9) *In sua Dialectica.*

(10) *De prædicamentis.*

(11) S. Bonaventur., in *Breviloq.*, p. 1, q. 4.

Casiodori (1) et Severini Boetii, universæque Scholæ consensu comprobatur (2).

Docem Prædicamenta.

50. Secundum hanc ergo divisionem decem omnino numerantur prædicamenta, nempe *Substantia*, *Quantitas*, *Qualitas*, *Relatio*, *Actio*, *Passio*, *Quando*, *Ubi*, *Situs* et *Habitus:* quæ omnia Scholastici, memoriæ juvandæ causa, versiculis hisce concluserunt:

Arbor sex servos, ardore refrigerat ustos:
cras ruri stabo, sed tunicatus ero.

Arbor significat Substantiam; *Sex* Quantitatem; *servos* Relationem; *ardore* Qualitatem; *refrigerat* Actionem; *ustos* Passionem; *cras* Quando; *ruri* Ubi; *stabo* Situm; Habitum denique *tunicatus*.

Jam licet ad Metaphysicam spectet Prædicamentorum accurata pertractatio, debet nihilominus aliquid de ipsis etiam Logica delibare. Ad ipsam enim spectat tum varias prædicationes considerare, tum modum docere recte definiendi, dividendi, argumentandi. Ad totam autem hanc doctrinam opportunissima accidit aliqua, saltem rudior, de rebus omnibus, quæ in disputationem venire possunt, notitia (3). Quamobrem Aristoteles, S. Thomas, aliique prisci Philosophi communissime aliquam de Prædicamentis tractationem in Logica instituebant.

(1) Lib. de *Art., et discipl. liberal.* cap. 3.

(2) Non defuere tamen, qui hanc tot nominibus venerandam categoriarum divisionem aut respuerent aut etiam irriderent, potissimum ex quo Cartesianæ doctrinæ placita regnare in scholis cæperunt. Inter hos novatores auctor *Artis cogitandi (Logic.* pars, 1, cap. 3) eo temeritatis progressus est, ut hanc categoriarum Aristotelicarum seriem reprehendat tamquam *arbitrariam*, utpote e *viri cujusdam imaginatione* profectam, *penes quem jus nullum ad leges aliis scribendas*, et tamquam *perniciosam*, cum *homines inducat ad inanes verborum cortices pro sincero fructu acceptandos, credendumque se omnia scire; modo dinumerare valeat quædam nomina significationis arbitrariæ quæ nullam claram distinctamque ideam imprimunt.* Ita doctrinam, quam tot viri doctissimi retro actorum sæculorum reveriti fuerant, audacissimus scriptor iniquissime profligare contendit.

(3) Vide, si lubet, de his Suarez, *disp. Metaph.* 39, n. 1; Fonsec. lib. 5 *Metaph.* loc. cit.; Conimbric. et Tolet. in *Aristot. Prædicamenta.*

51. *Substantia* ergo trifariam potissimum accipi potest: α) pro *essentia* cujusque rei (1): β) pro *realitate ab accidenti distincta:* γ) pro *ente primo completo ac totali.* Prima acceptio omnibus omnino rebus convenire potest, nulla quippe est, quæ suam non habeat essentiam. Substantia vero in secundo sensu, est quidquid accidens non est, et vocatur *substantia metaphysica.* Tertia acceptio est propria substantiæ prædicamentalis. Quid substantia.

Est igitur substantia prædicamentalis *ens completum per se stans,* seu *non indigens alio,* cui *tamquam subjecto inhæreat. Ens,* inquam, *completum,* quia entitates substantiales incompletæ non pertinent ad substantiæ prædicamentum *directe,* sed solum *indirecte* vel *reductive,* ut mox dicetur.

Dividitur hæc substantia in *primam* et *secundam.* Prima, seu singularis atque individua, est, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur, ut *Petrus, hæc arbor.* Vocatur etiam *individuum* (2), et *suppositum* (3), et, si sit rationalis, *hypostasis* (4), ac *persona.* Substantia secunda est, quæ in subjecto non est, sed de subjecto dicitur, ut *homo, arbor, animal,* et generatim omnes substantiæ universales. Quotuplex substantia: prima et secunda.

Ratio porro, cur substantia singularis nomen acceperit *primæ,* est quia ipsa *proprie, principaliter* et *maxime substat,* ut loquitur Auctor Opusc. *de totius Logicæ Aristotelis Summa* (5). Etenim substare aliquid, seu subjectum esse alteri potest, vel *physice* et in essendo, vel *logice* et in prædicando, nimirum vel quatenus sit subjectum recipiens accidentia, vel quatenus recipit in propositione prædicationes. Et ratione prædicationis individuum certe maxime substat, quia ipsum potest esse subjectum de quo prædicetur non modo accidens, sed etiam rationes substantiales genericæ et specificæ, recte quippe prædicatur de *Petro,* quod sit *albus,* et *homo* et *animal,* Cur substantia singularis dicatur *prima.*

(1) Vide, S. August. *De Civit. Dei,* lib. 12, cap. 2; S. Thom. Opusc. de *Ente et essentia,* cap. 1.

(2) S. Th. 1. p. q. 29, a. 1.

(3) Ideo quia subjicitur omnibus prædicatis superioribus, ut habet S. Th. in 3.° dist. 10, q. 1. art. 2, quæstion. 3.

(4) 1. p. q. 29. a. 2.

(5) *Totius Logic. Arist. Summa.* tract. 2, de *Prædicamentis,* cap. 3.

et *vivens* etc.; individuum autem non potest prædicari de alio, saltem in prædicatione naturali. In essendo vero, quamquam et substantia universalis substet accidentibus, sed *primo* et *principalius* individuum. Quia accidentia, saltem quæ propria non sunt, sunt in specie ratione individui. Homo enim est *albus*, *sanus*, *doctus*, non ratione humanitatis specificæ, sed ratione individuæ (1).

Conveniunt nihilominus substantia prima et secunda in eo, quod neutra postulet subjectum, cui inhærere debeat ad hoc, ut possit existere.

Proprietates substantiæ.

Proprietates substantiæ variæ recensentur sed præcipue sunt hæ, quarum expositionem ad Metaphysicam reservamus: α) *substantia non est in subjecto:* β) *substantia nihil habet contrarium;* ideoque duæ substantiæ sibi invicem contrariari non possunt inmediate et per se; sed mediate tantum et ratione qualitatum quas sustentant: γ) *substantia non suscipit magis et minus*, intellige secundum intensionem; sed quidquid substantiæ alicui addatur secundum perfectionem intensivam, mutat illam in aliam substantiæ speciem: δ) denique *substantia est susceptiva contrariorum*, quatenus potest esse subjectum qualitatum contrariarum (2).

Quid quantitas:

52. Quantitas est *accidens extensivum substantiæ*, seu id per quod substantia habet partes extra partes. Unde ratione quantitatis dicitur substantia *magna* esse vel *parva*, *divisibilis* in *partes*, et *certæ cujusdam mensuræ*. Non est facile definire in quo stet essentia quantitatis; sed hujus controversiæ tractatio ad altiorem disciplinam spectat.

continua et discreta

Quantitas dividi solet in *continuam* et *discretam*. Continua est illa, cujus partes communi vinculo clauduntur uniunturque, et subdivitur in *lineam*, *superficiem* et *solidum*: itemque in *permanens* et *successivam*, prout ejus partes simul sint, vel nonnisi una post aliam.

Discreta quantitas est numerus.

Quantitatis proprietates.

Hæ sunt præcipuæ proprietates quantitatis α): *non habere contrarium* β): *non suscipere magis et minus* γ): *esse rationem, cur duo æqualia vel inæqualia dicantur.*

---

(1) Vide dicta superius n. 47 et 48.

(2) Vide auctor. *Totius Log. Aristot. Summ.*, tract. 2 *de Prædicam.*

Qualitas est *accidens, per quod res dicuntur quales*, vel *accidens perfectivum substantiæ, tam in essendo, quam in operando*, ut *albedo*, justitia etc. (1). Quid qualitas:

Dividitur communiter cum Aristotele in quatuor species. Prima est *habitus* et *dispositio*. Habitus, relictis aliis diversis acceptionibus, prout nunc sumitur, est qualitas bene vel male afficiens subjectum, quæ difficulter abjici potest, ut *scientia virtus*. Dispositio autem est qualitas bene vel male afficiens, quæ tamen facile removeri potest: v. g. *Sanitas*, *ægritudo*. quotuplex. Prima species qualitatis,

Altera species qualitatis est *potentia* et *impotentia naturalis*. Potentia naturalis est aptitudo seu vis insita a natura, qua facile quæque res agit, et contrariis resistit, ut *facultas intellectiva*, vis *comburendi* in igne. Impotentia naturalis est qualitas, qua ægre res aliqua agit, vel contrariis resistit, ut *imbecillitas naturalis*, aut *hebetudo*, *mollities* in butyro. Hæ duæ qualitates, ut patet, non differunt essentialiter, sed tantum accidentaliter, et secundum magis et minus intra eamdem speciem. Utraque enim importat vim operativam naturalem, quæ, quando imbecillior justo est, nuncupatur impotentia (2). altera,

Differt porro hæc altera species qualitatum a præcedenti, quia potentia atque impotentia qualitates naturales sunt, habitus autem et dispositio non (3).

Tertia species juxta Aristotelem est *patibilis qualitas* et *passio*. Patibilis qualitas est diu permanens qualitas, quæ sensum afficit, aut oritur ex motu, id est, advenit rei ex receptione alicujus formæ, sive nocivæ sive convenientis, ut v. g. *color nativus* cujusque, *amarities* in aceto (4) *Passio* est *brevi* transiens qualitas, quæ aut sensum movet, aut ex motu oritur, ut *rubor* ex verecundia, *pallor* ex timore existens in facie. Quare hæ quoque duæ qualitates accidentaliter tantum differunt, ratione nimirum durationis ac permanentiæ. tertia,

(1) Vide Conimbric. In cap. 8 *de Qualit.* quæst. 1, a. 1. Cfr. S. Th. 1. 2. quæst 49, art. 2; unde qualitas est *id secundum quod determinatur potentia subjecti secundum esse accidentale.*

(2) Conimbric. loc., nup. cit., quæst. 3, a. 2.

(3) Tolet. in exposition. textus Arist.; Conimbric. pariter in Commento text. Arist.

(4) Conimbric. in Comment. text. Arist.

quarta. Quarta species qualitatis est *forma* et *figura*. Forma est qualitas, quæ resultat ex terminatione quantitatis in re *aliqua naturali* spectatæ, ut *forma hominis*, *leonis*, quæ ex lineamentis corporis nascitur; unde ex forma dicitur aliquid *pulcrum* vel *turpe*. Figura est qualitas resultans ex terminatione quantitatis secundum se spectatæ, id est non habita ratione subjecti, in quo est, ut *triangulus*, *circulus*, et aliæ quæ a Mathematicis tractantur.

Proprietates qualitatis. Attributa seu proprietates qualitatis sunt: α) *habere contrarium:* β) *suscipere magis et minus:* γ) *esse fundamentum similitudinis* (1).

Quid relatio: *Relatio* est habitudo seu respectus unius ad aliud, ut *servitus*, *dominatio*, *paternitas*, *filiatio* etc. Res quæ refertur, dicitur *fundamentum*, res ad quam alia refertur, *terminus*, et id, per quod unum respicit aliud, ratio *fundandi:* ipsa demum extrema, seu fundamentum et terminus, vocatur *relativa* vel *relata*.

quotuplex. Dividitur relatio in *realem* et *rationis*. Realis est respectus unius ad aliud, independens ab opere rationis, ut *relatio*

prima divisio, *effectus ad causam*, quæ certe non pendet a consideratione intellectus, sed ipsam antecedit. Relatio rationis est, quæ pendet a ratione, seu qua duo dicuntur ad invicem per opus rationis, ut relatio *identitatis*, *Dei ad creaturas*, etc.

altera. Altera divisio relationis est in *mutuam* et *non mutuam:* quæ satis patent. Alias vero difficiliores in Metaphysicam relegamus.

Proprietates relationis. Attributa relationis varia distinguuntur: α) *Relativa dicuntur ad convertentiam:* quod non significat relativa ita *converti*, ut unum de alio vicissim possint prædicari, sed tantum significat relativa explicari mutuo solere, alterum per alterius respectum, licet non semper in eodem casu grammaticali. Hoc modo *servus* dicitur *domini* servus, et *dominus*, *servi* dominus; *duplum*, *dimidii* duplum; et *dimidium*, *dupli* dimidium.

β) *Relativa dicuntur esse simul natura* et *cognitione*. Quæ proprietas vera est, si relativa spectentur et sumantur *forma-*

(1) De toto hoc prædicamento videri potest auctor *Totius Logicæ Arist. Summa*, de *Prædic. qualitatis*.

liter nimirum *qualenus relativa sunt*, vel habent formam relationis, et si prout relativa cognoscantur. *Si enim esse relativi est ad aliud se habere... posito uno relativo, statim ponitur correlativum, et ideo posita se ponunt, et perempta se perimunt. Proprium autem relativorum est, ut qui diffinite novit unum, diffinite noscat et reliqua, Si enim diffinitio est oratio* QUID EST ESSE *rei significans, ad esse autem relativi requiritur necessario correlativum: qui ergo cognoscit esse unius relativi, oportet, quod cognoscat esse sui correlativi* (1).

Si autem relativa sumantur *materialiter*, seu secundum *esse proprium et absolutum* eorum, præscindendo ab ipsa forma relationis, qua afficiuntur, non est universaliter vera illa proprietas. Sic pater, *qua pater*, nec est, nec intelligi potest sine filio, sed qua *homo*, et est multo prius quam filius, et intelligitur sine eo.

γ) *Relativa dicuntur suscipere magis et minus et habere contrarium.* Id autem verum non est de omnibus, sed de nonnullis: *Relativa* inquit, auctor opusculi de *Totius Logicæ Aristotelis Summa, quorum fundamentum et terminus suscipiunt magis et minus, et contrarietatem, ipsam etiam suscipiunt magis et minus et contrarietatem: quorum vero fundamentum et termini non suscipiunt magis et minus nec contrarietatem, nec et ipsa suscipiunt* (2).

Quid actio et quotuplex:

Actio est ratio *formalis, per quam aliquid dicitur agere.* Et dividitur in *immanentem* ac *transeuntem.* Immanens est, cujus terminus recipitur in ipso agente et in ipsa potentia, a qua elicitur, ut *intelligere.* Transiens est, cujus terminus est extra agens, vel extra potentiam, a qua producitur, ut *calefacere.*

quid passio:

Passio est *ratio formalis per quam aliquid patitur, aut formam aliquam recipit;* ut *calefieri.* Dividitur quoque in *immanentem* ac *transeuntem,* prout respondet actioni immanenti ac transeunti.

proprietates earumdem.

Attributa actionis et passionis sunt, *suscipere magis et minus* atque *etiam contrarietatem.* Nam *calefacere* et *frigefacere*, *calefieri* et *frigefieri* contraria sunt, et diversos habere possunt gradus.

(1) Vid. auctor. *Totius Log. Arist. Summ.* loc. cit. c. 5.
(2) Id. ibid.

Quid *ubi*,

Ubi est *ratio formalis essendi hic* vel *alibi;* ut *esse in templo*, in *cælo*.

Situs,

Situs est *certa positio partium in ordine ad locum;* ut *sedere*.

Quando,

Quando est *formalis ratio, per quam aliquid dicitur esse in hac vel illa duratione*.

Habitus.

Habitus est *adjacentia vestimenti*, sive proprie sive latius sumpti pro quolibet operimento corporis. Ita *pallium*, *arma*, aliaque similia sunt habitus.

Ratio divisionis decem prædicamentorum,

52. Nunc aliqua reddi potest ratio hujus divisionis in decem prædicamenta. Nam quidquid est in individuo et de illo prædicari potest, vel pertinet ad ejus essentiam, vel non. Si primum, habetur *Substantia*. Si est extra essentiam, aut illi intrinsecus inhæret, aut non. Si primum, vel convenit illi *absolute* vel *respective:* si respective, habemus *Relationem;* si absolute, *Quantitatem* et *Qualitatem*, prout consequatur materiam aut formam. Si id, quod prædicatur de substantia individua, afficit illam extrinsecus; aut afficit illam in ordine ad potentiam activam, aut ad passivam, aut ad neutram. Si ad activam est *Actio;* si ad passivam, *Passio*. Si ad neutram; vel convenit per modum mensuræ vel non. Si non, existit *Habitus*. Si per modum mensuræ; aut temporis, aut loci, aut positionis partium in se, exurgunt prædicamenta *Quando, Ubi* et *Situs* (1).

Jam ut videas, quomodo possint ordinari prædicamenta in serie prædicamentali a supremo genere usque ad individua, accipe exemplum in *substantia*.

---

(1) Hæc est ratio divisionis, quam amplectitur S. Thomas, 5.º *Metaphys.* lect. 9, et 3.º *Physicor.* lect. 5. Cfr. Conimbric., qui aliam quoque rationem proponunt (De *Prædicam.* quæst. 2, art. 3); non enim est nostrum accuratius hæc examinare.


ARBOR PORPHYRII
GENUS
SUBSTANTIA
GENERALISSIMUM
DIVISIVA
CONSTITUTIVA
DIFFERENTIA
CORPOREA
INCORPOREA
DIFFERENTIA
GENUS SUBALTERNUM
CORPUS
SPECIES SUBALTERNA
ANIMATUM
INANIMATUM
VIVENS
SENSIBILE
INSENSIBILE
ANIMAL
RATIONALE
RATIONALE
SPECIES
HOMO
ASINUS
LEO
Individua
Aliquis homo
Aliquis asinus
Supposita
Soc. Plato
Brunellus
Singularia
Iste homo
Iste asinus

Quotuplici modo possit aliquid reponi in prædicamento:

53. Ut porro noscas, quomodo possint omnes rationes positivæ collocari aliquo modo in categoriis, adverte duplicem considerari lineam seu seriem categoricam, alteram *rectam*, *transversam* alteram seu *lateralem*. Recta linea est series rationum essentialium cujuslibet prædicamenti, a summo genere per genera et species subalternas descendens usque ad individua. Sic in prædicamento substantiæ lineam rectam afficiunt *substantia*, *corpus*, *vivens*, *animal*, *homo*, *Petrus:* et rationes ad lineam rectam pertinentes *integræ* quodammodo et *completæ* sunt (1).

Linea transversalis vel lateralis constituitur ex differentiis oppositis, per quas genera superiora contrahuntur ac dividuntur in species. Itaque in prædicamento substantiæ lineam lateralem efficiunt differentiæ *corporei* et *incorporei*, *animati* et *non animati*, *sensibilis* et *insensibilis*, *rationalis* et *irrationalis*.

directe, indirecte et reductive.

Hinc tripliciter aliquid collocari potest in prædicamento; *directe*, *indirecte* et *reductive*. Directe ponuntur eæ rationes, quæ per se et in linea recta pertinent ad prædicamentum nimirum individuum, quod est veluti basis prædicamenti, et ea quæ de ipso prædicantur *in quid*, nimirum species et genera, usque ad supremum. Indirecte ponuntur ea quæ pertinent ad lineam lateralem, et ponuntur in prædicamento ratione alterius, de cujus essentia sunt: nimirun differentiæ specificæ, seu ea, quæ prædicantur de individuo in *quale quid*. Tandem reductive ponuntur partes physicæ constituentes *individuum*, seu quæ ad ejus complendam physice substantiam concurrunt. Atque hoc modo materiam et formam, unionem substantialem, partes integrantes, et rationem positivam suppositi seu personæ, docent peripatetici, saltem plurimi, pertinere ad prædicamentum substantiæ reductive (1). *Sunt quædam* inquit S. Bonaventura, *quæ sunt in genere* **per se**: *aliqua* **per reductionem** *ad idem genus. Illa per se sunt in genere, quæ participant essentiam completam illius generis, ut* **species**

(1) Vid. apud. Suar. (disp. *Met.* 33, sect. 1, a n. 15), quomodo genus et species exhibeant aliquid metaphysice completum, ut possint directe poni in prædicamento.

(2) Vide P. Georgium Rhodes, *Philos. Peripat.*, lib. 4., disp. 4, quæst. 3, sect. 1.; Joann. a. S. Thom., *Logica*, quæst. 14, a. 1.

et individua. *Illa vero per reductionem, quæ non dicunt completam essentiam: et hæc sub quinque membris continentur; quædam reducuntur sicut* principia, *et quædam sicut* complementa, *quædam* sicut viæ, *quædam sicut* similitudines, *quædam sicut* privationes. *Sicut* principia *dupliciter: aut* essentiantia, *aut* integrantia; *ut principia* essentiantia, *sicut sunt* materia *et* forma *in genere substantiæ: ut principia* integrantia, *sicut* partes substantiæ *sunt in genere substantiæ per reductionem. Si reducuntur ut complementa, hoc potest esse dupliciter: Aut enim est complementum per modum actus; et sic est* actus primus, *qui reducitur ad idem genus cum substantia, cujus est actus; ut* vivere *et* esse substantiæ, *ad genus substantiæ; aut permodum* aptitudinis, *et sic* differentiæ completivæ, *ad genus reducuntur cum specie. Si autem reducuntur sicut* viæ, *hoc potest esse dupliciter: Aut sicut viæ ad res, et sic* motus *et* mutationes, *ut* generatio, *reducuntur ad substantiam, aut sicut viæ a rebus: et sic habent reduci* potentiæ *ad genus substantiæ. Prima enim agendi potentia, quæ egressum dicitur habere ab ipsa substantia, ad idem genus reducitur quæ non adeo elongatur ab ipsa substantia, ut dicat aliam essentiam completam. Si autem sunt* similitudines, *sic sunt in genere per reductionem, et reducuntur ad idem genus, sub quo continentur illa, quorum sunt similitudines: ut patet in* similitudine albedinis *et* coloris, *quæ quidem non est albedo, sed ut albedo: non est color, sed ut color. Postremo, quia privationes non habent essentiam aliquam nisi per habitum, in eodem genere esse habent, in quo et habitus per reductionem* (1). Sed fusius hæc persequi nostrum non est.

Ad extremum, si quis quærat quomodo prædicamenta et prædicabilia distinguantur inter se, responsio hæc est. Prædicabilia exprimunt modum seu habitudinem, secundum quam aliqua ratio prædicari potest de multis; prædicamenta vero exhibent ipsas rationes, quæ prædicari possunt, prout in seipsis et materialiter considerantur (2).

---

(1) S. Bonaventura 2.° dist. 24, a. 2. q. 1 fin.

(2) Vide Conimbric. *Dialect. In Præfation. Porphyrii*, quæst. 7, art. 1, solut. argum. primi. Cfr. Auctor opusculi de *Totius Logic. Arist. Summa*, tract. 1, cap. 1.

CAPUT IV.

DE TERMINORUM PROPRIETATIBUS.

Sex præsertim recensentur: *Suppositio*, *Appellatio*, *Alienatio*, *Ampliatio*, *Restrictio*, *Diminutio:* de quibus ex ordine agendum.

ARTICULUS I.

De Suppositione.

Suppositio quid ex vocis etymologia.

54. Suppositio proprietas est termini potissimum oralis; idemque valet, si vocis etymon spectes, ac *substitutio*. Ideo enim voces usurpantur in propositione, saltem plerumque, ut rerum habeant locum; quia, cum res ipsas, quemadmodum observat Philosophus (1), in disputationem nequeamus adducere, mediis vocibus, de rebus per eas significatis disputamus. Sic cum dico: *Homo* est *animal*, non vocem *animal* de voce *homo* prædico, sed rem de re. Substituuntur ergo voces rebus in disputatione tamquam signa rerum suppositiva, ut jam supra notaveramus. Atque hic usus vocabulorum appellatur a Logicis *suppositio formalis*.

Sed nonnunquam etiam adhibentur voces non ad res ipsas significandas, verum ad aliquid de vocibus ipsis enuntiandum: ut si dicas: *Homo* est *vox dysyllaba:* ubi terminus *homo* non exercet munus signi ad quidquam significandum, homo namque non *significat*, sed *est* vox duarum syllabarum. Atque hujusmodi usus vocabuli in propositione appellatur *suppositio materialis*.

Definitio suppositionis.

Itaque ut duplex hæc suppositio generali descriptione comprehendatur, definiri a multis solet suppositio cum Toleto (2): *usus termini pro se vel pro suo significato*. Possetque haud inepte definiri: *usus seu acceptio termini ad aliquid determinate enuntiandum*.

---

(1) Libr. 1 *Elenchor.*, c. 1.

(2) *Introductio in Dialect.* lib. 2, cap. 1.

Differt suppositio ac significatione.

Ex hac definitione jam statim colliges: α) non idem esse suppositionem ac significationem. Accipi enim in primis seu supponi vox potest in propositione non ad significandam rem aliquam, sed ad aliquid de se ipsa enuntiandum, ut contingit in suppositione materiali. Præterea in ipsa suppositione formali, suppositio est determinatio et restrictio termini ad unam ex variis significationibus, quas potest habere.

β) Nulla est vox, quæ in propositione non habeat aliquam suppositionem. Ipsi enim termini non significantes et syncategorematici usurpari possunt ad aliquid enuntiandum perfectamque conficiendam propositionem. Ita recte dices: *Blictri* est vox quædam, *Etiam* est conjunctio (1).

γ) Extra propositionem aut orationem nulli termino convenit suppositio. Neque enim extra orationem possunt aliquid vocabula determinate enuntiare, cum apparere satis non possit ex sola eorum prolatione, quem in finem usurpentur. In propositione autem ex subjecta materia manifestum fit, quid loquens sibi velit, notitiamne de rebus ingerere, an de vocibus ipsis aliquid definire.

Suppositio materialis et formalis

55. Dividitur suppositio in *materialem* et formalem. Materialis est, ut diximus, usus termini pro se, nimirum usus termini non ad exprimendum id, quod ex hominum placito *significat* tamquam signum rerum et conceptuum, sed ad enuntiandum id quod *est* in seipso secundum suam physicam entitatem: ut si dicatur: *charta* est vox. Hujus tantum suppositionis sunt capaces termini non significativi. Suppositio formalis est usus vel acceptio termini pro aliquo significato: talem habent termini hujus propositionis: *Homo* est *albus:*

(1) Ideo P. Petrus Hurtadus (*Summul.* disp. 2, sect. 1.) cum Fonseca (*Instit. Dialect.* lib. 8. c. 1.) acriter invehitur in antiquiores quosdam Summulistas, qui propositiones falsas de subjecto non verificabili *vocarunt* de *subjecto non supponnente*, quasi subjectum ejusmodi nullam haberet suppositionem: neque enim absurdæ ac falsæ forent illæ propositiones, nisi subjectum aliquam suppositionem haberet. Cæterum propositiones de *subjecto non supponente* admittuntur communiter a Philosophis, si eas tali nomine intelligas, quorum subjectum subaudit aliquid absurdum, quod verificari nullo modo potest: ut si quis diceret: *Equus rationalis esset utilissimus domino:* vel *Asina Balaam pascitur in prato.* Quando autem aliqua hujusmodi propositio in disputatione profertur, negari solet *suppositum.*

ubi nihil de vocibus ipsis ennuntiatur, sed de rebus per voces expressis (1).

Nullius porro negotii est suppositionem materialem a formali dignoscere ex materia subjecta et natura prædicati. Sunt autem nonnullæ voces, in quibus utraque suppositio confundi potest, eæ nimirum quæ *significant* idipsum quod *sunt* in se, ut *vox*, *terminus* et his similes. *Vox* enim et *est* vox quædam et *significat* vocem, et similiter *terminus*.

Materialis duplex: naturalis atque artificialis.

Suppositio materialis subdividitur in *naturalem* et *artificialem*. Naturalis est usus termini pro se ipso, secundum id quod habet a natura, ut cum dico: *Homo* est *vox*: Artificialis est usus termini pro se ipso, secundum id quod habet ab arte hominumque institutione: talis est suppositio termini *homo* in hac propositione: *Homo est nomem tertiæ declinationis*.

Formalis item duplex: propria et impropria.

56. Suppositio formalis dividitur in *propriam* et *impropriam* seu *metaphoricam*. Propria est acceptio termini pro re quam proprie, et impropria, acceptio termini pro re quam improprie significat. Exemplum primi est in voce *leo* in hac: LEO *est belluarum fortissimus;* secundi in hac: *Victi* LEO *de tribu Juda*.

Suppositio realis et logica:

Suppositio formalis subdividitur in *realem* et *logicam*. Suppositio realis est usus termini pro sua significatione reali seu ad enuntiandum aliquid, quod rei significatæ convenit secundum suam entitatem independenter a mentis consideratione; ut si dicas. *Nix est alba*. Vocari etiam posset hæc suppositio *primo intentionalis* et *directa*. Suppositio logica, quæ appellari quoque posset *secundo intentionalis* (2), est usus termini pro

(1) Ideo dicebant antiqui terminum in suppositione materiali verificari *de termino*, verum non *pro termino*.—Ut porro rationem perspicias, cur hæ suppositiones sic appellentur, recordari debes terminos esse in se sonos quosdam ac flatus vocis, adhiberi autem tamquam signa ad aliud exprimendum. Spectari ergo possunt termini tamquam concretum quoddam, cujus subjectum vel materia est ipsa physica realitas termini, et forma significatio. Atque exinde fit, ut usus vocabuli ad enuntiandum aliquid de ipsa *materia* termini, ut sic loquar, appelletur *materialis*, *formalis* vero acceptio termini pro *forma* ejusdem.

(2) Suppositionem hanc vocat Lossada (*Dialect.* vulgo *Summulæ* disp. 5, cap. 2, n. 5.), aliique *simplicem;* quamvis *simplex* suppositio aliter a Fonseca (*Instit. dialect.* lib. 8, cap. 24); Toleto, *Introductio-*

sua significatione logica seu ad enuntiandum aliquid, quod rei significatæ convenit, prout substat secundæ mentis intentioni, vel per denominationem ab aliqua mentis operatione; qualem habet vox *homo* in hac propositione: *Homo est species*. Itaque ad discernendam realem a logica suppositione, hæc simplicissima regula est: si id quod de subjecto enuntiatur, verificatur de eodem, præcisione facta a modo, quo prius conceptum fuerit, suppositio realis est; si autem verificatur de subjecto, non prout est a parte rei, sed prout certo modo prius fuerit conceptum, suppositio logica est. Unde si quis dicat: *Homo* est *cognitus*, suppositio realis est, quia ratio *cogniti*, quando reapse cognoscitur, est prædicatum reale: secus vero si dicas: *Homo* est *terminus universalis*.

absoluta et personalis:

57. Suppositio realis dividitur in *absolutam* et *personalem*. Absoluta est acceptio termini, prout designat naturam rei secundum se consideratam, ut si dicatur: *Homo est risibilis* vel *animal nobilissimum*, hæc enim prædicata conveniunt humanæ naturæ absolute et in se spectatæ. Personalis est usus termini ad significandam naturam secundum esse, quod habet in suis individuis: qualis reperitur in his enuntiationibus: *Petrus currit; Homo est albus, Homo vincit*. Nam hæc prædicata non conveniunt naturæ ratione sui, sed ratione individuorum. Prædicatorum ergo, quæ accipiuntur in suppositione absoluta et personali hæc est differentia, quod prima conveniunt inindividuis ratione naturæ, non vero ratione individuationis: sic risibilitas prædicatur de Petro non quia *Petrus* est, sed quia *homo:* alia vero e contrario conveniunt naturæ non ratione sui, sed ratione individuorum, ut si dicas: Hic *homo ridet*, risus actualis verificatur de hoc homine, non quia homo est, sed quia tale individuum est.

communis et discreta seu singularis.

Suppositio personalis dividitur in *communem et discretam* seu *singularem*. Communis est usus termini communis seu universalis pro suo significato retinente suam communitatem: talem habet subjectum hujus propositionis: *Homo est rationalis*. Discreta vel singularis est acceptio termini ad exprimendam

---

nis in *Dialecticam* lib. 2, cap. 1) et aliis definiatur, nempe usus pro suo tantum immediato significato, quam definitionem rejicit Lossada loc. cit.

rem singularem et individuam, ut si dicas: *Petrus est doctus: Hic liber est meus* (1).

Communis quadruplex: distributiva, collectiva, disjunctiva et disjuncta.

58. Communis partitur in *distributivam* seu *copulativam*, seu *copulatam*, *disjunctivam* et *confusam* seu *disjunctam*. Distributiva est usus termini communis pro omnibus suis inferioribus seorsim sumptis. Sic usurpatur terminus *planta*, cum dico: *Omnis planta est corpus vivens*. Dignoscitur hæc suppositio ex syncategoremate *omnis*, *nullus*, *quicumque*, et aliis similibus. Subdividitur in *completam* atque *incompletam*. Completa seu *absoluta* locum habet, cum terminus communis accipitur pro omnibus suis inferioribus absque ulla exceptione: ut si dicas: *Omnis homo est animal rationale; Animal omne est sensitivum*. Incompleta seu etiam *exceptiva* e converso locum habet, cum terminus communis sic usurpatur, ut aliquam patiatur exceptionem v. g. si dicitur: *Omnes homines peccaverunt in Adam;* exceptio fieri debet de B. Virgine sine labe concepta (2). Suppositio incompleta dicitur etiam esse suppositio pro *generibus singulorum*, et completa pro *singulis generum*.

Suppositio collectiva est usus termini communis pro suis inferioribus *collectim* ac *simul sumptis*. Hujus generis est subjectum in hoc exemplo: *Omnes Apostoli sunt duodecim*. Hanc distingues potissimum ex subjecta materia, ex natura nimirum prædicati, quod solum sit verificabile de pluribus simul sumptis: solet etiam habere syncategorema *omnes* in plurali numero.

Suppositio disjunctiva.

Suppositio disjunctiva, quæ etiam *determinata* et *particularis* vocari solet, est usus termini communis pro aliquo ex suis inferioribus seorsim ab aliis, quod tamen ipso modo significandi non determinatur, ut si dixeris: *Aliquis homo est albus: Quidam homo currit*. In his enim propositionibus *albedo* et *cursus* verificari debet de aliquo individuo, quod in se certum ac determinatum est, licet illud voce non

---

(1) Vide Card. Toletum. *Introduct. in Dialect. lib. 2. cap. 1.*

(2) *Isto locutionis modo et Dominus usus et in Evangelio, ubi ait Pharisæis:* **Decimatis mentham et rutam et omne olus.** *Neque enim Pharisæi et quæcumque aliena, et omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant.* S. August. *Enchirid.* c. 103.

determinetur, sed vage tantum exprimatur. *Confusa* quæ appellatur etiam *disjuncta*, *vaga* et *indeterminata* est acceptio termini communis pro aliquo ex suis inferioribus disjunctim cum aliis, seu quod non solum in modo significandi, sed in seipso quoque indeterminatum est. Ita si dicas: *Aliqua navis requiritur ad navigandum;* non modo nulla *designatur* determinate in ratione ipsa loquendi, verum neque in reipsa *est* aliqua navis in individuo certa et determinata, quæ ad navigandum requiratur, sed hæc vel illa disjunctim. Suppositio disjuncta.

Hinc vides quantum differant particulares hæ duæ suppositiones, disjunctiva nimirum et disjuncta: itemque quomodo se habeant respectu suppositionis singularis. Etenim singularis et rem in se certam ac determinatam exprimit, et modum quoque significandi certum ac determinatum importat. Disjunctiva vero rem in se certam ac determinatam, confuse atque indeterminate proponit: ac demun disjuncta et rem in se in individuo minime determinatam importat, et modum ipsum rem significandi continet confusum et indeterminatum. Id quod patet exemplis adductis, aliisque similibus. Cum enim dicitur: *Aliquis homo currit, videt* etc., *cursus* et *visio* sunt factum quoddam, cujus existentia affirmatur, ideoque verificari necessario debet in aliquo seorsim ab aliis: quidquid enim existit actu, determinatum in se ac certum sit, oportet. At vero cum dicitur: *Aliquis oculus requiritur ad videndum aliquis equus ad equitandum* non affirmatur factum aliquod existens, sed exigentia et necessitas, quæ verificari bene potest, sive in uno sive in altero indeterminate (1). Discrimen utriusque.

Suppositio disjuncta cognoscenda est ex syncategoremate *aliquis* aut alio simili, et ex verbo significante *necessitatem, debitum, jus* aut *exigentiam;* suppositio vero disjunctiva ex eodem syncategoremate et verbo significante *existentiam, actionem* aut *passionem* (2).

---

(1) Vide Mauri, *Summul.* c. 25.

(2) Sunt nonnulla syncategoremata media inter universalia et particularia, ut sunt *numeri* omnes et voces *neuter, uterque:* quamquam possint quandoque ex subjecta materia universalitatem præ se ferre.

Regula ad dignoscendam suppositionem prædicati.

59. Ad dignoscendam autem suppositionem prædicati, hæc certa et communis traditur regula: *Prædicatum in omni propositione affirmativa, quæcumque sit extensio subjecti, habet suppositionem particularem: e converso prædicatum in omni propositione negativa universalem obtinet suppositionem.*

ARTICULUS II.

De resolutione communis suppositionis.

Quid resolutio suppositionis:

60. Resolutio suppositionis communis est explicatio ejusdem assignando membra varia, quibus æquivalet. Unde fit, ut propositiones de subjecto communi per hanc suppositionis resolutionem locum præbere possint multis aliis propositionibus, quæ necessario ex ipsa colliguntur, utpote quæ prius in ea implicite ac virtualiter continebantur. Itaque ad enucleandam et penitus comprehendendam vim propositionum, utilissimum est, doctrinam de communis suppositionis resolutione callere.

Quotuplex resolutio: per ascensum,

per descensum.

Duplici modo resolvi potest suppositio: per *ascensum* et per *descensum*. Ascensus est progressus ab inferioribus sufficienter enumeratis ad terminum superiorem, illa sub sua extensione continentem, per legitimam consequentiam. Et descendens est progressus a termino communi et superiori ad inferiora sub illius extensione contenta, per legitimam consequentiam. Quadruplex est tum ascensus tum descensus, quadruplici suppositioni communi nuper expositæ correspondens.

Resolutio distributivæ per descensum:

Propositio distributiva resolvitur per descensum, enumerando singula inferiora, et de illis seorsim enuntiando idem prædicatum: id quod fieri potest vel per plures propositiones, aut per unam virtualiter multiplicem, cujus subjectum sint singularia, per copulativam conjunctionem colligata. Sic hanc propositionem: *Omnis homo est mendax*, ita resolves: *Hic homo est mendax, et ille mendax est, et ille alius est mendax* etc., vel: *Hic, et ille, et ille alius* etc. *est mendax*. Hanc vero aliam: *Nullum animal est spiritus*, ita: *Hoc animal non est spiritus; illud animal non est spiritus* etc., vel: *Nec hoc, nec illud* etc. *animal est spiritus*. Quod si velis resolvere suppositionem com-

munem prædicati, inverso modo procedes, conficiendo plures propositiones, quarum idem sit subjectum, et enuntiando de hoc inferiora prædicati communis. Secundum quam regulam, propositionem istam: *Homo non est lapis;* resolves hoc modo: *Homo non est hic* lapis, *non est ille lapis* etc. (1)

Quæ cum ita sint, propositiones omnes suppositionem habentes distributivam, falsæ erunt, si una sola de illis, in quas resolvenda foret, laboret falsitate.

61. Resolutio propositionis distributivæ per ascensum fit colligendo ex variis propositionibus, in quibus aliquid de singulis enuntiatur, aliam propositionem, in qua idem enuntietur de subjecto communi, singula illa sub se complectente: v. g. ex eo quod *hic homo sit risibilis et ille homo sit risibilis* etc., inferes *omnem hominem esse risibilem.* Tum porro maxime utimur ascensu «quando veritatem alicujus universalis propositionis probare et manifestare volumus: propterea oportet, ut omnia singularia, quoad fieri potest, enumeremus (2). Descensu autem utimur ad universalis alicujus falsitatem ostendendam: propterea non semper oportet ad omnia singularia descendere sub universali distributo, cum falsitas ex unius singularis defectu, veritas autem ipsius universalis ex omnium singularium positione proveniat» (3). per ascensum.

Propositio collectiva resolvi nequit nisi per unicam omnino propositionem, in qua enumerentur inferiora omnia communis termini, ac de illis, non seorsim sumptis sed simul copulatis enuntietur prædicatum. Sic hæc propositio: *Omnes Apostoli sunt duodecim:* resolvi hoc modo debet: Ergo *Petrus et Andreas, Joannes et Jacobus* etc. *sunt duodecim.* Hanc vero aliam: *Europa, Asia, Africa, America et Oceania sunt quinque;* sic per ascensum resolvas: ergo *omnes partes mundi sunt quinque.* Resolutio collectivæ.

62. Propositio *disjunctiva* resolvitur per descensum, enumerando inferiora omnia communis termini sub disjunctione, Resolutio disjunctivæ.

(1) Simili modo possent explicari ac resolvi propositiones affectæ syncategoremate universali sive temporis sive loci, *semper, nunquam, quotiescumque, ubique, ubilibet, ubivis, nuspiam, nullibi.* Res est manifesta.

(2) De hoc fusius, ubi *Inductionem* explicabimus.

(3) Tolet. *Introduct. in Dialect.* lib. 2, cap. 4.

et de illis seorsim enuntiando idem prædicatum, si sermo sit de subjecti suppositione. Ita propositionem hanc: *Aliquis homo peccat*, explicabis sic: *Ergo vel hic homo peccat*, vel *ille homo peccat*, et ita porro, divagando per omnes omnino homines: si quis enim omitteretur, forte ille ipse foret, de quo verificatur propositio, cæteris non peccantibus. Si vero agitur de suppositione disjunctiva prædicati, oportet de uno eodemque subjecto prædicare singillatim inferiora termini communis disjunctive recensita. v. g. *Petrus est homo*, resolvetur: *Petrus est* vel *hic homo* vel *est ille homo* etc.

Exinde vero patet, quomodo facienda sit resolutio ejusdem suppositionis disjunctivæ per ascensum. Quamquam est hæc differentia inter modum ascensus ac descensus, quod in ascensu non oportet enumerare omnia inferiora, ut colligatur communis suppositio disjunctiva. Ad hoc enim, ut possim affirmare aliquem hominem esse album, sufficit ut in Petro deprehendam albedinem, nec oportet alia præterea examinare atque assumere individua.

Resolutio suppositionis disjunctæ vel confusæ.

Jam suppositio confusa seu disjuncta resolvitur per descensum enumerando inferiora omnia, et de his, non singillatim, sed disjunctim sumptis, enuntiando prædicatum. Hoc modo resolves hanc: *Aliqua penna requiritur ad scribendum*, sic: *Hæc* vel *illa*, vel *alia* etc., requiritur ad scribendum. Et ratio est, quia de nulla penna verificatur in particulari ac definite, quod sit ad scribendum necessaria, sed de hac vel illa indeterminate et in confuso. Solumque potest hæc suppositio verificari determinate in uno ex inferioribus in hypothesi, quod reliqua deficerent. Neque enim equus A requiritur definite ad equitandum, nisi cæteris deficientibus.

Suppositio *simplex* seu *logica* non patitur ejusmodi resolutiones. Ideo vocatur *immobilis*, i, e. incapax resolutionis ac descensus. Atque idem puta de suppositione singulari ac materiali (1).

(1) Plura de his dabunt Card. Tolet., loc. cit., et P. Joann. Ulloa (*Logic. Minor.*, disp. 2. c. 4), aliique prisci Summulistæ.

ARTICULUS III.

De reliquis proprietatibus termini.

§ I.—APPELLATIO.

Quid Appellatio:

63. *Appellatio* est applicatio significati unius termini ad significatum alterius: ut si dicam: *Homo bonus*, significatio termini *bonus* applicatur rei significatæ per alium terminum *homo*. Terminus, cujus significatio alteri applicatur, dicitur *appellans*, alter vero *appellatus*.

formalis et materialis.

Dividitur in *formalem* ac *materialem*. Formalis est applicatio significati unius termini ad formale significatum alterius. Materialis autem est applicatio significati unius termini ad materiale significatum alterius. Porro formale significatum est forma vel quasi forma rei significatæ, quam terminus exprimit; e converso significatum materiale est subjectum talis formæ. Quare in hac propositione: *Album est coloratum*, appellatio est formalis, quia forma significata per terminum *album* est albedo, eademque est ratio denominationis *colorati;* at vero in hac alia propositione: *Album est dulce*, locum habet appellatio materialis, quia *dulce* prædicatur de termino concreto *album*, non ratione formæ albedinis, sed ratione subjecti seu materiæ.

Sunt autem, qui appellationem, quam materialem diximus, non agnoscant, atque adeo carere prorsus appellatione arbitrentur terminos, qui formaliter non appellant. Verum lis hac in re non potest esse nisi de voce (1).

Regulæ ad dignoscendam appellationem:

Regulæ plures passim prostant apud Logicos ad terminorum appellationem dignoscendam, inter quas sunt nonnullæ aut arbitrariæ aut minus veræ, quibus omissis præcipuæ sunt hæ.

1.ª

Regula 1.ª Ad judicandum de appellatione attendendus est usus terminorum communis, circumstantiæ atque indoles rerum significatarum. Ut si dicatur: *Bonus latro Paradisum in cruce meruit*, planum est terminum *bonus* appellare terminum *latro* materialiter. Et similiter cum in Evangelio

(1) Lossada, *Summul.* disp. 5, cap. 5, n. 3.

turbæ dicuntur *videre mutos loquentes* (1), vox *videre* appellat quidem formaliter; sed terminus *loquentes* materialiter dumtaxat appellat *mutos*.

2.ª **Regula 2.ª** Quando bini termini concurrunt, formas oppositas significantes, generatim appellatio est materialis, si propositio veritatem habeat.

3.ª **Regula 3.ª** Quando ex parte subjecti propositionis reperitur reduplicatio his aut similibus particulis expressa: *ut, prout, in quantum, quatenus, secundum quod;* prædicatum appellat formaliter subjectum: quemadmodum communissime docent auctores. Talis est hæc appellatio: *Petrus, quatenus musicus, est bonus;* nimirum si revera calleat musicam.

Verum est, quod Angelicus Doctor (2) «ambiguum sensum agnoscit in his enuntiatis: *Christus, secundum quod homo est creatura: Christus, secundum quod homo, est Deus*, eo quod terminus *homo*, etsi reduplicatus, potest accipi vel pro supposito vel pro natura; seu quod eodem recidit vel pro materiali vel pro formali significato. Cæterum ipse D. Thomas simul docet terminum *homo* vi reduplicationis accipi *magis proprie* pro natura; ideoque ex iis enuntiatis primum magis concedendum esse, quam negandum; secundum vero magis negandum quam concedendum» (3).

4.ª **Regula 4.ª** «Quando duo termini capaces apellationis formalis ponuntur ex parte ejusdem extremi, alter alterum afficit formaliter; ex. gr. *Petrus est bonus musicus: Miles veterarius pugnat.* Sed adverte sæpe adjectivum, grammatice locatum ex parte subjecti, rationis ordine pertinere ad prædicatum v. g. *miles quidem hic bonus est musicus, at non bonus est pugnator.*»

5.ª **Reg. 5.ª** «Substantivum vel adjectivum ex parte subjecti positum, cujus formale significatum est ratio, fundamentum aut radix prædicati, formaliter afficitur a prædicato, v. g. *homo justus est hæres cœli: bos cornupeta est vitandus.* Contra, si dicatur: bos *cornupeta est pinguis*, prædicatum non afficit formaliter terminum *cornupeta*, ob rationem con-

(1) Matt., c. 15. v. 31.
(2) 3 p. q. 16, art. 10 et 11.
(3) Lossada loc. cit. n. 11.

trariam. Quod si prædicatum indifferens sit, ut conveniat subjecto ratione formæ vel aliunde, dubia est appellatio, debetque prævia distinctione determinari.»

«Notandum hic ex D. Thoma (1) quod nomina numeralia primæ speciei, ut *duo*, *tria* etc. adjectivis addita, numerant seu multiplicant sola subjecta, et quasi materialiter appellant: v. g. *Existunt tres albi:* quæ propositio vera esset, quamvis eadem numero albedo in tribus hominibus existeret. Addita vero substantivis, appellant quasi formaliter, quia principaliter multiplicant seu numerant formas. Idcirco in divina Trinitate non sunt *tres* Dii, quia deitas est unica, licet sint tria supposita seu tres personæ» (2).

§ II.—DE STATU.

64. Status est acceptio termini pro tempore significato per verbum propositionis. V. g. *Petrus peccat* accipitur in *statu*, si nunc peccat. Status quid.

Vocatur autem hæc proprietas *status*, quia si terminus accipitur pro tempore importato per verbum, significatum vocis bene in reipsa *stat* seu cohæret cum tempore per verbum expresso.

§ III.—DE AMPLIATIONE AC RESTRICTIONE.

65. *Ampliatio*, quam alii etiam vocant *distractionem*, proprietas est statui opposita, ac describitur acceptio termini pro tempore diverso ab importato per verbum. Sic si quis dicat: *Justus peccat mortaliter*, terminus *justus*, ut vera sit propositio, intelligendus est per *ampliationem* pro tempore præterito, ut sensus sit: *ille qui justus erat, peccat mortaliter*. Neque enim justitia stare simul potest cum peccato. Sic per ampliationem loquitur Evangelista cum scribit: *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt.* (3). Quid Ampliatio,

Est etiam alia ampliatio restrictioni opposita, quam jam declaramus.

(1) I p. q. 39, a. 3 corp.; 3 p. q. 3, a 7. ad 2.um

(2) Lossada loc. cit., n. 11 seqq. Cfr. superius dicta de concretis terminis n. 30.

(3) Matt. cap. 11. v. 5.

Restrictio.

66. *Restrictio* enim est contractio termini a latiori ad angustiorem acceptionem. V. g. *homo justus est filius Dei atque hæres cæli*: quo in exemplo terminus *homo* non sumitur in tota sua extensione, sed ad justos tantummodo coercetur.

quot modis fieri possit.

Quatuor modis fieri restrictio potest: α) per adjectam orationem relativi, ut *homo quem heri vidisti....*: β) per appositum adjectivum nomen, ut *homo fortis non pavet ad hostium incursus*: γ) per casum obliquum: v. g. *Filius Philippi*, maximam terræ partem imperio suo subjugavit: δ) per appositionem alterius substantivi nominis, ut *Apostolus Paulus* Romam venit.

Modi recte argumentandi a restrictione satis cuique patent, viderique possunt apud Lossada (1) et alios.

Ampliatio ergo quæ restrictioni opponitur, est acceptio termini in largiori significatione; velut si Deum appelles *rationalem*. Cum enim *rationale* in sensu vocis proprio et restricto idem sonet ac *discursivum*, de Deo prædicari nequit nisi per ampliationem vox illa capiatur ad exprimendam generatim intellectionem (2).

§ IV.—De alienatione, Diminutione ac Remotione.

Quid Alienatio,

67. *Alienatio* est distractio termini a propria in alienam significationem. V. g. *Equus* MARMOREUS *venditur a Petro Vidi hominem* PICTUM.

diminutio,

68. *Diminutio* est usus termini ad significandam rem non absolute, sed secundum quid, id est ad significandam rem secundum partem dumtaxat: ut si dicatur: *Æthiops est albus quoad dentes*.

Reduci potest facile ad restrictionem, quemadmodum notat P. Dominicus Sotus (3); non enim differre aliter videtur, nisi quod restrictio est contractio termini secundum extensionem, diminutio autem potius secundum comprehensionem (4),

69. *Remotio* demum est avocatio termini a significatione realis entis ad significationem entis impossibilis et chimærici,

---

(1) Loc. cit. n. 9.

(2) Vide P. Sylv. Mauri, *Summulæ*, cap. 28.

(3) Lib. 2. *Summul.* cap. 13, lect. 3, *Notab.* 8.

(4) Fuse de his P. Fonseca, lib. 8. *Instit. dialecticar.*, et Lossada *Summul.* disp. 5, cap. 4.

v. g. *homo irrationalis scientias addiscit.* Cum porro subjecto apponitur terminus ejusmodi, ut nihil reale jam significare possit, conficitur propositio de subjecto non supponente (1).

Cavendum est ergo in disputatione ne termini iidem in eadem argumentatione secundum diversam proprietatem accipiantur. Leges bonæ consequentiæ in singulis hisce proprietatibus videri possunt apud auctores antiquos.

CAPUT V.

DE MEDIIS, QUIBUS DIALECTICA

primam mentis operationem dirigit.

Modus sciendi quid.

70. Quamquam diximus initio, Logicam vocari quoque *Modum sciendi* pressiori tamen magisque propria acceptione *Modus sciendi* est oratio, quæ ignotum ex notis manifestat: ac dividitur in *Definitionem*, *Divisionem* atque *Argumentationem*. Nam definitio rei naturam ostendit, divisio partes, argumentatio attributa proprietatesque; atque horum omnium notitia demum scientiam constituit. Logica ergo de his præsertim agere pro fine suo debet, ac propterea etiam ab hoc præcipuo tractationis suæ objecto vocata est *Modus sciendi*. Et definitionis quidem ac divisionis hic locus proprius est, utpote quæ ad primam mentis operationem spectant, suntque totidem media præstantissima, quibus homo in veritatis assecutione promovetur, ut inter errorum hinc inde latentium præcipitia, tutum ad optatam metam dirigat cursum. Etenim errores, quantum pertinent ad primam mentis operationem, non aliter dissipantur, quam luce idearum clararum rebusque ad amusim respondentium. Et ad ideas quidem claras exactasque comparandas, valet multum attentio et reflexio, aliaque præsidia, quæ recta ratio dictat, et in multis libris recentiorum

(1) Cfr. P. Sylv. Mauri, cap. 29 *Summul.* Cfr. superius dicta, n. 54 fin. in nota.

potissimum Philosophorum reperiuntur. Sed nihil tantopere ad eum finem juvat, quam rectus usus definitionum divisionumque. Quamobrem, harum disciplinam, omissis cæteris, accurate tradere contendam.

ARTICULUS I.

De Definitione.

Quid definitio generatim.

71. Definitio ex Cicerone est: *oratio, quæ quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime* (1): vocataque sic est a finibus agrorum. *Nam ut agrorum fines agros definiunt et claudunt, aliosque ab aliis secernunt; sic Definitiones, quibus rerum naturæ declarantur, essentias earum circunscribunt, aliasque ab aliis distinguunt* (2). Ipsa res definita nominatur *definitum*. Appellabatur etiam ab antiquis Philosophis *definitio terminus* (3), ideo *quia includit totaliter rem, ita scilicet quod nihil rei est extra definitionem, cui scilicet definitio non conveniat, nec aliquid aliud est infra definitionem, cui scilicet definitio conveniat* (4).

Exinde patet definitionis in omni tractatione verique investigatione utilitas, quin et necessitas: quam procul dubio pervidit Romanus Orator, cum hæc scripsit: *Omnis, quæ ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit, id, de quo disputatur* (5).

Ut ergo rem accurate tractemus, agendum nobis primum est de ipsa definitione, tum de definito.

§ 1.

Definitio nominalis;

72. Duplex est definitio, altera nominis, altera rei (6). Nominalis, quæ vocari quoque posset *interpretatio*, explicat nominis significationem, ut si Philosophiam definias *amorem sapien-*

(1) *De Orator.*, c. 33, n. 118. Vel secundum eumdem Tullium definitio est: *oratio quæ id quod definitur, explicat, quid sit. (De Orator.* n. 116): Cfr. id., *Topicor.* c. 2. n. 221.

(2) Quintilian. lib. 7, c. 4.

(3) Vide Arist. 1., *Topicor.* c. 4; S. Thom. *Periherm.*, lect. 4 initio.

(4) S. Th. lib. 1 *Periherm.* lect. 4.

(5) Lib. 1 *de Officiis*, c. 2.

(6) Cfr. Arist. 2.° *Poster.* cap. 10.

tiæ. Et variis modis fieri potest: α) *per vocis etymologiam*. Sic quot modis fiat
Eva vocata fuit *virago*, quia *de viro sumpta* (1): sic *consul* est qui patriæ *consulit*, et *intelligere* interpretatur Angelicus quasi *intus legere* (2): β) *per vocis interpretationem* et *conversionem ab una in aliam linguam*. Exemplum habes in illis S. Pauli verbis: *In quo clamamus* **Abba, Pater**. (3). Ita etiam Logica definitur *disciplina rationalis*.

γ) *Per voces alias ejusdem linguæ clariores et communiores:* ut si *frameam* definias telum quoddam, et *ensem* gladium.

Usus definitionis nominalis frequens est, neque ineptus initio disputationis ad viam sternendam reali difinitioni. Nam *antequam sciatur de aliquo*, AN SIT *non potest sciri de eo proprie*, QUID SIT. *Non entium enim non sunt definitiones. Sed non potest ostendi de aliquo*, AN SIT, *nisi prius intelligatur, quid significatur per nomen* (4). Idque tunc potissimum fieri debet, cum diversa existit inter sapientes vocis alicujus intelligentia. Tunc enim ante omnia debet quisque accurate ac sincere declarare, quid per nomem aliquod intelligat, ne tota vertatur controversia circa vocem: quo nihil est sapiente minus dignum (5).

Quod si vocis ipsius acceptione non unum sit hominum judicium, *significatio nominis accipienda est ab eo, quod communiter intendunt homines*. Libertas enim mutandi pro libitu vocum significationes ipsum humanum commercium penitus everteret.

73. Definitio realis est oratio, quid res sit, explicans (6). Definitio realis.
Dicitur *oratio*, seu *terminorum complexio;* cum enim definitio

---

(1) *Genes.* c. 2., v. 23.

(2) Quæst. 1 *de Verit.* art. 12. Ejusmodi definitio, quando nomen rei conservat significationem vocis, a qua derivatur, novato vocabulo appellatur a Cicerone *notatio* apud Fonseca. (*Inst. dialect.* lib. 5. c. 1.)

(3) Rom. cap. 8, v. 15.

(4) S. Th. in 1.° *Posterior.*, lect. 2. Cfr. Cicer. 2. *de Finibus*. Præceptumque hoc S. Doctor exemplo suo confirmavit. tum 1 p. q. 75 in corp., tum alibi sæpe.

(5) Nam *sapientis est non curare de nominibus*, inquit Angelicus (2 dist. 3, q. 1 a. 1.). Cfr. S. August. lib. *de Orig. Anim.* c. 21.

(6) Hinc vides discrimen inter nominalem ac realem definitionem. Nominalis enim solam vocem declarat, de re vero ipsa nihil per se

debeat distincte prædicata rei declarare, quæ nonnisi confuse menti repræsentantur per nomen rei, oratione aliqua contineatur, oportet, quæ *quasi involutum evolvat id de quo quæritur*, quemadmodum loquitur Tullius (1). Atque hæc est expressa doctrina S. Thomæ (2). Et prout oratio ejusmodi mentalis sit vel oralis, definitio quoque mentalis erit aut oralis. Itemque complexio ipsa terminorum sive mentalium sive oralium, prout in se ipsa est, vocatur *Definitio formalis;* objectivæ autem rationes expressæ per talem complexionem seu orationem nominatur *Definitio objectiva*. Id quod, ut vides, respondet divisioni, qua terminus, sive mentalis sive oralis, partitur in *formalem* et *objectivum*. Sed haerebis fortasse, hanc audiens definitionem, quæresque, qui fieri possit, ut definitio sit *oratio*, et tamen ad primam mentis operationem spectet, quemadmodum supra innuimus: hæc enim pugnantia videntur esse. Sed respondeo primum, hanc esse communissimam sententiam Philosophorum, cum S. Thoma (3) docentium, definitionem ad primam intellectus operationem pertinere. Quod si cum definitiones conficimus, propositiones veras enuntiamus, ut cum dicimus: *Homo est animal rationale*, animadverte *definitionem* solo prædicato hujus propositionis contineri, subjectum vero exprimere rem ipsam *definitam:* quare propositio illa non solam implicat definitionem, sed identitatem definitionis cum definito (4).

Definitio spectat ad primam mentis operationem.

Quod vero definitio vocetur et sit oratio quædam, nihil est; ut enim mox videbimus, ad orationem logicam imperfectam constituendam non requiritur verbum nec propositio aliqua, sed sufficit quicumque *terminus complexus*, atque adeo potest bene spectare ad primam mentis operationem.

---

enuntiat, ut si quis aliunde rem non cognoscat, per solam nominis definitionem, vix quidquam intelligat. Realis vero rem ipsam attingit.

(1) *Topicor.* c. 2. n. 221.

(2) In 7.º *Metaph.* lect. 9.

(3) Vide inter alia plurima loca 1. p. q. 17. a. 3; *Quodlib.* 5. a. 9; 2.º *Poster.*, lect. 2, et lect. 5.

(4) Sunt tamen qui contra sentiant, ut videre est apud P. Lossada (*Logica*, tract. 5, disp. 1, cap. 2, n. 1); nam quidam opinantur definitionem perfectam in secunda mentis operatione reperiri, alii vero illam sive ad primam sive ad secundam pertinere posse opinantur.

74. Duplex est definitio realis, altera *descriptiva*, altera *essentialis*. Essentialis est oratio, quæ rei naturam seu essentiam explicat. Essentia porro seu natura vel quidditas (hæc enim nomina idem sonant) (1) est id, quo res constituitur id quod est. Ita hominis essentia constituitur *animalitate ac rationalitate:* poteris enim ab homine detrahere sapientiam aut albedinem, salva ejus manente natura; verum si aut animalitatem aut rationalitatem detraxeris, hominem peremisti. Quotuplex definitio realis.

Essentialis bifariam dividitur, in *physicam* et *metaphysicam*. Physica fit, afferendo partes seu principia essentiæ realiter inter se distincta et separabilia; ut si definias hominem *compositum ex corpore organico et anima rationali*. Ad hanc revocari possunt definitiones artefactorum, v. g. *domus*, quæ fiunt exprimendo materiam et figuram, qua constare solent. Metaphysica fit, afferendo partes seu constitutiva metaphysica essentiæ, qualia sunt genus et differentia; ut si definias eumdem hominem *animal rationale*. Quotuplex definitio essentialis.

75. Definitio descriptiva est, quæ rem declarat, non per prædicata essentialia, sed per indicia quædam latentis essentiæ, quæ illam aliquo modo demonstrent, atque a cæteris omnibus secernant. Et ideo vocatur *descriptiva*, quia est descriptio quædam, non penitus naturam enucleans rei, sed primis quasi lineamentis adumbrans.

Trifariam fieri potest descriptiva definitio: α) per genus et accidentia *propria* seu proprietates: et hæc præcipue dicitur *descriptio*. Exemplum habes in definitione, qua homo dicitur *animal risibile, aut disciblinæ capax, aut juxta Ciceronem, animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor plenum rationis et consilii* (2). Quotuplex descriptiva

Huc etiam revoca descriptiones factas per ea accidentia, quæ licet singillatim accepta multis sint communia, collective tamen uni certæ rerum speciei competunt. Quemadmodum si hominem definias *animal bipes, implume*. Ejusmodi est descriptio cyconiæ in illo Virgilii Maronis versu contenta:

Candida venit avis longis invisa colubris.

Huc denique revoca definitionem per effectus.

(1) Vide S. August. lib. 12 de *Civit. Dei.* c. 2; et de *Moribus Manichæor.* lib. 2, c. 2; S. Th. Opusc. de *Ente et essentia* c. 1.

(2) Lib. 1. *de Legibus*, cap. 7.

β) Descriptio fit secundo per causas extrinsecas rei (1), et vocatur *causalis definitio*. Causæ porro extrinsecæ sunt, *efficiens, exemplaris et finalis*. Per causam efficientem definitur vox: *sonus, animalis ore prolatus;* per causam finalem horologium: *machina ad indicandas horas constructa;* per exemplarem imago picta B. Virginis dicitur: *tabula ad similitudinem B. Virginis expressa:* et per omnes tres hasce causas anima humana definitur: *forma a Deo creata ad imaginem ac similitudinem suam, et ad æternam beatitudinem destinata.*

γ) Tertia denique fit descriptio exponendo *genesin* seu modum, quo res fit, ideoque vocatur *genetica*. Sic eclypsis lunæ dicitur esse *defectus lucis ex interpositione telluris inter illam et solem;* et circulus, *figura plana exurgens ex motu lineæ rectæ sese circa fixam sui extremitatem vertentis*. Hac non raro utuntur Mathematici.

Definitio per additamentum.

Ad descriptionem quoque revocari potest definitio, quam vocant *per additamentum*. *Dicitur definitio* PER ADDITIONEM *quando in definitione ponitur aliquid, quod est extra essentiam definiti, sicut* NASUS *ponitur in definitione* SIMI. (2) Nimirum sunt quædam rationes, quæ aut ex mentis nostræ imbecillitate, aut ex propria etiam ipsarum conditione, quia videlicet habent essentialem ordinem atque habitudinem ad aliud, definiuntur, explicanturque per respectum ad aliquid aliud, quod est extra ipsarum essentiam et entitatem. Atque hæ vocantur definitiones *per additamentum*. Sic *simitas* definitur *curvitas nasi:* quamquam enim nasus sit extra essentiam simitatis, hæc tamen relationem involvit ad illum, quia *simus* non dicitur nisi de naso curvo, ideoque declaratur per ordinem ad illum. Hoc modo etiam potentiæ vitales, habitus

---

(1) Per causas, inquam, *extrinsecas*. Causæ enim intrinsecus rem constituentia definitionem essentialem physicam efficiunt. Quod si ad causas intrinsecas rei velis etiam revocare accidentia et proprietates physicas, definitio quæ ex illis peteretur esset descriptiva præcedentis generis. Itaque causalis definitio sola illa dicitur, quæ per causas extrinsecas efficitur.

(2) S. Thom. *Quodlib.* 9, art. 5, ad 1.um Cfr. lib. 7, *Metaphysicor.* lect. 4.

operativi, artes, aliaque bene multa, per suos terminos aut objecta definiuntur (1).

Jam ex his definitionibus patet præstantissimam esse essentialem; quam proxime sequitur illa, quæ fit per proprietates.

§ II.—LEGES RECTÆ DEFINITIONIS VARIÆ RECENSENTUR.

76. **Prima.** *Definitio sii clarior definito* seu *fiat ex notioribus*. Et ratio manifesta petitur ex fine, definitio enim usurpatur ad rem declarandam. Planum autem est majorem hanc claritatem definitionis intelligendam esse non absolute, sed *respective*, nimirum respectu illorum, qui vim percipiant et cognitionem habeant terminorum ac notarum, per quas fit definitio. Etenim relate ad imperitos fieri bene potest, ut definitio in se perspicua, minus clara videatur. Sic quot reperies rudes, qui melius intelligunt *hominem*, quam *animal rationale?* (2) Peccatur contra hoc præceptum: α) si adhibeantur in definitione metaphoræ (3) potissimum difficiliores ac longius petitæ, ut si definias, hominem *arborem inversam*, aut somnum *fratrem mortis*: β) si voces adhibeantur vagæ, ambiguæ, equivocæ, minusque usitatæ, ut si definias hominem *corpus vivens*, vel *animal quoddam:* et cochleam, *terrigenam*, *herbigradam*, *domiportam*, *sanguine cassam* (4): γ) si fiat per negationes, ut si dicas: *Homo est quod non est leo.* Tamen existimo, in contrariis medium non habentibus et in privativis, haud inepte fieri definitiones per negationem oppositi. Sic tenebræ dicuntur *carentia lucis*, et cæcitas *privatio visus*, et simplex *quod caret partibus*. Leges rectæ definitionis: 1.a

Secunda regula. *Definitum ne ingrediatur definitionem*, seu *non definiatur idem per idem*. Ratio patet ex præcedenti regula, quia clara esse nequit definitio, quæ idem explicet per 2.a

(1) Vide Aristot. *Metaphysicor.* lib. 7, cap. 5, text. Comm. 17, 18, et ibid. Commentatores.

(2) Cfr. S. August. lib. II *Confess.* c. 14.

(3) «*Metaphora* inquit. S. Thom., *accipitur secundum aliquid simile; non oportet autem, ut id quod est simile secundum unum, sit simile quantum ad omnia.*» In lib. 2.um *Posterior.* lect. 16.

(4) Apud Ciceronem. lib. 2. de *Divination.*

idem: ut si dicas: *Logica est ars* quæ *tradit regulas logicas*, aut: *Homo est animal habens humanam naturam*. Bifariam peccari potest: aperte, ut in allatis exemplis, et occulte seu per *vitiosum*, quem vocant, *circulum*, quando nimirum aliquid definitur per aliud, quod vicissim explicatur per primum, ut si diem definias *durationem viginti quatuor horarum, et* horam, *vigesimam quartam partem diei*. Nihilominus in relativis non reputatur vitium, si unum per aliud invicem definiatur, quia talis sunt naturæ, ut mutuo dependeant quoad sui cognitionem.

3.ª **Regula tertia.** *Definitio sit brevis;* quia brevitas confert ad claritatem ac faciliorem rei intelligentiam. Ideo enim definimus rem, ut quasi formulam quamdam conficiamus, quæ rei naturam atque attributa summatim exhibeat.

4.ª **Regula quarta.** *Definitio conveniat omni et soli definito*, vel ut ab aliis enuntiatur: *Definitio talis esse debet, ut possit converti cum definito*. Ratio, quia definitio ita rem declarare debet, ut eam ab aliis aliarum specierum secernat.

5.ª **Regula quinta.** *Definitio non sit redundans, neque diminuta*. Si enim quid redundat, vel desideratur, eo ipso naturam rei non explicat, cum illi tribuat aliquid, quod non habet, vel eripiat aliquid quod habet (1).

6.ª **Regula sexta.** *Definitio fieri debet per genus proximum* et *ultimam differentiam*. Quæ lex potissimum habet locum in essentiali definitione; verum servatur etiam cum quadam proportione in accidentali quoque ac descriptiva, quando natura rei explicatur per aliquid, quod illi commune est cum aliis, et per aliquid proprium ipsi.

Ratio vero, cur in omni recta definitione ponenda est differentia ultima est, quia secus non poterit res discerni a cæteris omnibus seu ab *omni non ipsa*. Genus quoque proximum afferre oportet, ut ita cognoscatur integra rei essentia seu species, quæ ex genere proximo ac differentia coalescit: quod si genus proximum exprimatur, eo ipso implicite comprehenduntur cæteræ omnes notæ essentiales (2).

---

(1) Vide S. August., lib. 2 de *Doctrina christ.*, c. 35, et *De Quantitate Animæ*, c. 25.

(2) Cfr. Arist., lib. 6 *Topicor.*, cap. 5.

Fieri autem quandoque potest, ut differentia ultima cum genere etiam remoto satis perspicue rem totam declaret: atque ita passim approbantur communi calculo non paucæ definitiones ejusmodi (1) ut illa, qua virtus dicitur esse *bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur* (2). Ita etiam Syllogismus solet definiri cum Aristotele: *oratio in qua quibusdam positis aliud quiddam ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt* (3).

Quæ cum ita sint, patet, cur definitio laudetur vel reprehendatur non tam quia *vera* vel *falsa* sit, sed quia *recte* facta vel *vitiose;* non quod non quærenda sit in ea veritas, hæc enim semper supponitur, sed quia potest vera esse, quin apta sit ad finem ususque, ad quos adhibenda in scientiis est. Quamobrem Logica rectas docet conficere definitiones, cum præsertim non spectet ad ejus provinciam, veritatem rerum investigare, sed aptos modos ad eam perscrutandam commonstrare.

§ III.—QUALIS DEBEAT ESSE RES DEFINIENDA.

77. Complementum materiæ postulat, ut pauca quædam addantur de re definita. Definitum duplex distingui solet, *primum* vel *propinquum* vel *immediatum* alterum, alterum *remotum*. Propinquum est, quod proxime explicatur definitione, ut *homo* definitur per animal rationale. Remotum vel secundum vel mediatum est, quod remote definitur, quatenus in propinquo contentum (4): quo pacto cum definitur species *homo*, eo ipso definita manent remote individua speciei humanæ, ac definito genere quovis, definiuntur quoque remote

Quotuplex definitum.

(1) Vid. Card. Tolet. *In Universam Aristot. Logicam*, lib. 1.° *Periherm.*, cap. 4, *de Oration.* etc., quæst. 1.ª; Conimbricens. *Dialect.* in cap. 4.um *de Interpret.*, quæst. 3, art. 2.

(2) V. S. Thom. 1. 2. q. 55. a. 4.

(3) Aristot. *Prior. analyticor.*, lib. 1, cap. 1.

(4) Sunt autem qui aliter hæc explanant. Scilicet definitum *propinquum* volunt esse ipsum *nomen* vel *terminum*, quo res quæpiam significatur; *remotum* autem, rem ipsam termino significatam. Non est disputandum de voce.

species ejus ac remotius individua. Quamobrem definitum remotum nequit converti cum definitione, atque adeo non est appellandum simpliciter definitum, sed nomine definiti venit simpliciter definitum propinquum. At qualenam esse debet definitum, seu res definienda.

Quale definitum.

1.° Definitum debet esse *unum;* si enim plura sunt definienda, sua quodque diversa eget definitione, sicut propria quoque gaudent natura. Debet porro esse non quomodocumque unum, sed *unum per se* (1): quare concretum ex substantia et accidente, v. g. *homo albus*, cum sit unum per accidens, nequit unica definitione declarari quoad utramque partem, sed duplici eget, qua singulæ partes explicentur; quamquam nihil vetat utramque definitionem ejusmodi, uno contextu orationis exprimere; ut si *hominem doctum* dicas esse animal rationale scientiarum cognitione præditum.

2.° Non modo unum, sed debet præterea definitum esse *universale*, et non singulare, quemadmodum præcipiunt cum Philosopho (2) frequentissime Logici. Hoc autem præceptum intelligitur, de definitionibus essentialibus ac scientificis. Et ratio plana est, quia nec scientiæ contemplari possunt per se singularia, quæ variant in infinitum; nec proprias singularium differentias penetrare nobis licet secundum intimam essentiam, sed solum aliqualiter cognoscere per externa quædam accidentia.

3.° Definitum non debet esse notio aliqua simplicissima, sed aliquam notarum complexionem habeat necesse est. Si enim notio simplicissima sit, non habet, unde possit declarari, nisi vel per extrinseca connotata, vel per diversas voces, quæ naturam eamdem eumdemque objectivum conceptum manifestent.

Non omnia definienda.

78. **Colliges** hinc 1.° Non omnia definitione veri nominis definiri posse, nec debere. Non debent definiri, quæ perspicua sunt; non possunt autem definiri ea, quæ simplicia sunt simplicitate metaphysica, quæ nempe non coalescunt ex pluribus notis intelligibilibus, tamquam ex genere et differentia. Quod si omnia definienda essent, nunquam fieret

(1) Aristot. lib. 7.° *Metaph.* c. 12, text. Comm. 42.
(2) Aristot. lib. 6.° *Metaphys.* lib. 7.°. text. Comm. 36.

finis definiendi, nec posset proinde quidpiam perfecte sciri. Possunt nihilominus omnia declarari aliquo modo saltem descriptione vel nominali definitione.

Quænam nequeant definiri.

2.° Definitum debere esse univocum quiddam. Ideo æquivoca, prout talia sunt, prius dividuntur, enumeratis singulis membris, de quibus idem terminus prædicatur, ac dein per partes singula propriis definitionibus definiuntur; quia nimirum non conveniunt æquivoca in una communi ratione, sed habent nomen dumtaxat commune. Analoga tamen solent quandoque communiter definiri, si videlicet habeant unum aliquem conceptum, quo utcumque possint omnia convenire et comprehendi, postmodum autem debet in singulis analogatis ratio cujusque propria definiri peculiari definitione.

3.° Incapacia sunt etiam propriæ definitionis notiones transcendentales, ut sunt ratio *entis*, *boni* etc., quia simplicissimæ sunt, nec genere constare possunt ac differentia.

Itemque singularia, ut jam monuimus. «Describi tamen consueverunt ex multorum accidentium collectione, ut si Platonem definias hominem quemdam, Aristonis et Perictionia filium, veteris Academiæ principem, aut alia hujusmodi oratione, quisnam fuerit explices.» Hæc accidentia, quibus individua solent describi, hoc versiculo continentur:

Forma, figura, locus, stirps, patria, nomen.

4.° *Notandum, quod, ut habetur* 2.° **Metaphysicor.** *hæc est differentia inter definitionem suppositorum, et definitionem formarum sive substantialium sive accidentalium. Nam in definitione suppositi nihil ponitur, quod sit extra essentiam definiti, sed omnes particulæ definitionis sunt de essentia definiti. Formæ vero quia non possunt per se esse, sed in alio, scilicet in subjecto vel in materia, in sui definitione requirunt subjectum vel materiam, quæ tamen non sunt de essentia eorum: et ideo ipsarum definitiones dicuntur esse* **per additamenta.** *Unde formæ accidentales in sui definitione requirunt subjectum. Hæc est autem differentia inter eas definiendo. Nam formæ abstractæ aliter requirunt subjectum in earum definitionibus, quam formæ sumptæ in concreto: formæ abstractæ requirunt subjectum loco differentiæ,*

ut cum dicimus: **crispitudo est contractio capillorum** (1), *ubi* **capilli**, *qui sunt subjectum crispitudinis, ponuntur loco differentiæ; in concreto vero requirunt subjectum loco generis, ut cum dicimus:* **crispum es tcapillus contractus** (2). Ita Auctor *Summæ totius Logicæ* Aristotelis (3).

§ IV.—MODI DEFINITIONES CONFICIENDI.

Duplex modus venandi definitiones:

79. Duplex traditur via definitiones rerum venandi a Platone (4) et Aristotele (5), quos reliqui passim Philosophi sequuntur; altera *divisiva*, seu per *divisionem* aut *descensum;* altera *collectiva* seu per *collectionem*, vel per *ascensum*. Per *divisionem* seu *descensum* invenitur definitio sic: primo decernitur, ad quod prædicamentum vel genus rerum pertineat res definienda. Dividitur deinde illud ulterius per differentias, donec perveniatur ad speciem, quæ convertatur seu reciprocetur cum re, cujus investigamus definitionem. Sic si hominem definire volo, respiciam prædicamentum substantiæ, ad quam procul dubio pertinet homo: dividam substantiam in *spiritualem* et *corpoream*. Et homo quidem est substantia corporea; non tamen per id solum satis definitur, quia sunt et aliæ infinitæ substantiæ corporeæ præter hominem; dividere itaque oportebit ulterius corpoream substantiam seu corpus in *animatum* et *non animatum;* et iterum corpus animatum seu vivens dividendum erit in *sensibile* seu animal et *insensibile*, quia ratio viventis nequit converti cum homine. Ob eamdem rationem animal dividi debet in *rationale* atque *irrationale*, quin necesse sit jam ulterius procedere in divisionibus, cum statim videam *animal rationale* esse justam atque adæquatam hominis definitionem (6). Aliud exemplum *ternarii* dabit Aristoteles (7).

per descensum,

(1) Vel *simitas* est *curvitas nasi*.

(2) Vel *simum* est *nasus curvus*.

(3) Tract. de *Interpretat* seu *enuntiat*. cap. 1; Cfr. *Periherm*. lib. 1 lect. 4.ª post initium.

(4) In *Sophista* et in *Phædro* et alibi. Cfr. Alcinous, *De Doctrina Platonis*, cap. 5.

(5) Lib. 2 *Poster.*, cap. 14.

(6) Vide Arist. lib. 2 *Posterior.*, cap. 14. Cfr. S. Th. ibid. lect. 13; et Sylv. Mauri ibi. in *Comment.* text. 17.

(7) Ibid.; et lucidissime ibid. Sylv. Mauri.

Hunc definiendi modum pulchro declarat exemplo statuarii Magnus Augustinus, vel quicumque sit auctor libri *Categoriarum*, qui ab illius nomine inscribitur: *Ut ii, qui signa formant, primum immensum subdeligunt lapidem, dehinc paulatim minuendo et abscindendo superflua, ad formandos vultus et membra perveniunt: sic definitio a genere incipiens depulsa paulatim generalitate verborum, ad proprium demonstrandæ rei cubile tendit accedere* (1).

per ascensum.

80. Opposita via proceditur in methodo definitionis venandæ per *ascensum* vel *collectionem*, nimirum observando omnia singularia similia, quibus idem nomen tribuitur, et diligenter considerando et indagando rationem, quæ sub communi nomine in omnibus illis significatur. Si quæ enim notio reperiatur, quæ tum conveniat omnibus illis, tum etiam eadem secernat a reliquis omnibus rebus, illa exhibebit rationem specificam ac proinde quæsitam definitionem. Si vero individua illa non conveniant in aliqua ejusmodi ratione, videndum erit, num sit saltem aliqua superior ratio, quæ omnibus pariter insit, licet non sit eorum tantummodo propria, sed adhuc etiam aliis communis. Quod si reperiatur aliqua ejusmodi ratio, illa exprimet genericam notionem illorum individuorum, ideoque signum erit, quod illa spectent ad diversas species: postquam autem ita reperta fuerit generica ratio, haud erit difficile complere definitionem, investigando, per quid inter se discrepent illæ species, quæ in tali genere ac ratione conveniunt. Denique si nulla sit ratio communis omnibus illis individuis conveniens, quorum specificam naturam inquirimus, signum est illa esse analoga; ac proinde singillatim definienda sunt (2).

Exemplum affert Philosophus (3) ad rem declarandam, quod ita eleganter exponit Sylvester Maurus: «Quærimus, quid sit magnanimitas? Ut venemur definitionem magnanimitatis, considerare debemus homines singulares, qui dicti sunt magnanimi. Dividuntur isti in duas classes: in prima classe

(1) S. Aug. *Categor.*, cap. 6.

(2) Vide Arist. lib. 2.° *Posterior.*, Cap. 16, text. 22; et S. Th. ib. lect. 16 initio.

(3) Ibid.

continentur Alcibiades, Achilles et Ajax Telamonius, qui ita dicti sunt magnanimi, ut fuerint similes in hoc, quod ferre non potuerunt injurias. Alcibiades enim non ferens Athenis Lysiam sibi præferri, defecit ad Lacedæmonios, et bellum intulit patriæ; Achilles ob raptum sibi ab Agamemnone Briseidem abstinuit bello; Ajax ob Ulyssem sibi prælatum in accipiendis armis Achillis seipsum interfecit. In secunda classe sunt Socrates et Lysander, qui dicti sunt magnanimi, et tamen fuerunt tolerantes injuriarum, adeoque fuerunt dissimiles a tribus primis, sed fuerunt similes inter se in hoc, quod æqualiter se habuerunt, tum in rebus secundis tum in adversis. His positis quærendum: *æqualitas in adversis ac secundis* et *non tolerantia injuriarum, conveniuntne in aliquo uno an non?* Si non conveniunt, ergo sunt duæ species ac duæ definitiones magnanimitatis, ac proinde magnanimitas dicitur æquivoce. Si conveniunt, id erit definitio et quidditas magnanimitatis. Et quia magnanimi conveniunt in hoc, quod existimant se dignos magnis, ideoque quidam non ferunt contemptum et injurias, alii propter id ipsum æquanimiter se habent in adversis ac secundis, quæ despiciunt utpote inferiora magnitudine sua; ideo definitio magnanimitatis est: *virtus per quam quis se dignum existimat magnis*» (1).

Ex his duobus modis venandi definitionis primus aptior est disciplinæ, naturæque ordini conveniens, secundus vero inventioni eoque sæpe usus est Socrates apud Platonem, ut scribit Petrus Fonseca (2). Cæterum nulla fieri recte potest definitio ab eo, qui penitus naturam rei non cognoverit.

Verba in definitione sumenda sunt aptitudinaliter.

81. SCHOLION. Non raro audies forte axioma philosophicum respiciens definitionem, quod nimirum *verba in definitione sumenda sunt aptitudinaliter*. Cujus proloquii hunc esse sensum arbitror, definitionem exprimere naturam ac naturales rei exigentias et inclinationes vel aptitudines, præscindendo ab hoc, quod actu illæ existant, necne. Cum enim definitionis officium sit rerum essentias declarare, essentiæ autem rerum creatarum vel creabilium præscindant, quantum est de

(1) Sylvest. Mauri 2.° *Posterior.* text. 22, n. 19.
(2) *Instit. Dialect.* lib. 5. cap. 7.

se, ab existentia, reliquum est definitionem eas præ se ferre debere notas, quæ rei necessario competunt pro omni tempore ac duratione, et in omni statu, sive existentiæ sive possibilitatis.

ARTICULUS II.

De Divisione.

82. Divisio est oratio totum in suas partes distribuens. Dicitur *oratio*, quia dialectica divisio non est materialis ac physica quædam partium sectio, sed complexio terminorum, qua de toto aliquo loquentes partes ejus assignamus. *Totum* est res, quæ dividitur, et apellatur *divisum; partes* vero membra dividentia, vel divisionis. Quid divisio. Totum ac partes.

Divisio alia est *nominis*, alia *rei*. Divisio nominis proprio nomine nuncupatur *distinctio*, estque distributio vocabuli vel orationis in diversas suas significationes aut sensus: ut si dicas: *Vox* TAURUS *primo significat animal quoddam, deinde signum cæleste*, tum *Asiæ montem*. Harum divisionum plena sunt lexica, quæ diversas vocum explanant significationes, in scholis vero ac disputationibus frequentissimus est usus cum ambiguæ vocis vel orationis enumeratis sensibus, secundum alterum approbatur, secundum alterum respuitur propositio. Divisio nominalis.

Divisio rei est ejusdem distributio in suas partes. Totque sunt realis divisionis species, quot *Totius*, quod dividendum est. Totum porro aliud est *actuale*, aliud *potentiale*. Actuale est, quod partes actu in se includit. Et potest esse vel *essentiale* vel *integrale*. Totum *essentiale* dicitur respectu partium quibus res in sua essentia constituitur: tales sunt corpus et anima in viventibus corporeis. Duplex est totum essentiale, *physicum* et *metaphysicum*, physicum est, quod coalescit ex partibus realiter distinctis, quales sunt corpus et anima in homine; metaphysicum vero est, quod coalescit ex partibus sola mentis consideratione distinctis, cujusmodi sunt in eodem homine animalitas et rationalitas. Divisio realis. Totum actuale quotuptex: essentiale duplex: physicum et metaphysicum.

Totum integrale dicitur respectu partium, quæ non ad essentiam rei spectant, sed eam completam atque integram Totum integrale,

efficiunt. Sic corpus humanum respectu capitis, manuum reliquorumque membrorum est totum integrale, quia ex iis completur ita, ut si quod deficiat, essentia quidem hominis non pereat, corpus tamen ipsius jam minime remaneat integrum. Partes integrantes possunt esse vel *homogeneæ* seu *similares*, quales reperiuntur in lapide ac cæteris corporibus inorganicis, vel *heterogeneæ* seu diversæ, ut contingit in corpore humano et generatim in organicis.

potestativum. Ad totum ac partes integrales revocari quoque possunt totum quod peculiari sensu *potestativum* nuncupatur, et partes ipsi subjectæ. Dicitur porro totum potestativum speciali sensu aliquid respectu virium seu potentiarum, quibus instruitur, et in quarum singulis integra virtus ac ratio totius minime salvatur. Exemplum habes in anima respectu potentiarum ipsius, ut cum animæ dicitur altera esse pars intellectiva, altera appetitiva. Ita prudentiæ tribuuntur tamquam partes potestativæ *synderesis*, *eubulia* et *gnome;* et justitiæ *pietas*, *religio* etc. Hoc speciali sensu videbis apud theologos *totum* ac *partes potestativas* usurpari. Quamquam sæpissime Philosophi totum potestativum tamquam identicum cum integrali accipiunt.

Ratio vero, cur totum potestativum peculiari hoc sensu sumptum ad totum integrale revocetur, est «quia ut res extensa constat suis partibus integrantibus quoad totam extensionem, sic res quæ multa potest, constat suis viribus potentiisve quoad totam potestatem,» seu virtutem (1).

potentiale. 83. Totum *potentiale*, quod etiam *potestativum* vocatur, licet non in sensu speciali, quem modo declaravimus, dicitur per ordinem ad partes, quas non actu, sed potentia continet, nimirum est ratio seu idea universalis respectu inferiorum, de quibus prædicari potest, quæque sub sua extensione continet. Tale est *homo* respectu Petri et Pauli et cæterorum individuorum. Inferiora vero notionis universalis appellantur partes illius *subjectæ* vel *subjectivæ*. Facile porro percipies, cur universalis idea dicatur totum potentiale, nimirum ratione

(1) Fonseca *Inst. Dial.* lib. 4, cap. 3. Cfr. tamen S. Th. 1 p. q. 77, a. ad 1.um

suæ extensionis. Cum enim de pluribus inferioribus possit prædicari, nullum eorum exhaurit extensionem ac prædicabilitatem illius, sed omnia simul sumpta; sicut totum actuale actu partes suas æquat. Præterea sicut actuale totum, quando in partes suas scinditur, non retinet in illis singulis totalitatem suam; ita quoque idea universalis, divisa in inferiora, contrahitur, nec in illis jam retinet pristinam suam extensionem. Propter has ergo analogias cum toto actuali, notio universalis concipitur instar totius cujusdam, et nominatur potentiale, ut secernatur ab actuali.

Inferiora vero dicuntur partes *subjectæ*, quia singula sunt partes extensionis, seu unum eorum, de quibus notio universalis prædicari potest. In prædicatione namque naturali, quemadmodum superius docuimus, ratio universalior locum tenet prædicati, et minus universalis seu inferior, locum subjecti.

Verum hæc manifesta sunt, quemadmodum etiam differentiæ inter totum actuale et potentiale. Nam actuale partes illas, in quas dispescitur, actu continet, atque ex earum complexu coalescit realitas illius, secus vero potentiale: hinc actuale partes habet secundum suam comprehensionem, potentiale autem secundum extensionem. Præterea integra essentia totius potentialis salvatur in singulis partibus; secus vero accidit in toto actuali, neque enim v. g. anima hominis est homo, nec corpus est homo: ex quo sequitur non posse totum actuale prædicari de singulis partibus, potest autem totum potentiale.

Discrimen inter totum actuale ac potentiale.

Deinde totum actuale dividitur per analysim seu resolutionem ac segregationem partium; e contrario totum potentiale per synthesim et aggregationem alicujus actus, sicut dividitur genus in species per adjectionem diffentiarum specificarum, et species in individua per appositionem individualium differentiarum. Ideo notio generica proprie loquendo non dividitur *in* differentias, sed *per* differentias *in* species varias; quia nihil proprie dividitur *in* ea, quæ non continentur in illo, differentiæ autem formaliter sumptæ non includuntur in genere, sed ab eo perfecte præscindunt.

Denique totum potentiale ita se habet ad partes subjectivas, ut hæ rationem habeant totius actualis respectu ipsius

totius potentialis; idea enim universalis est pars comprehensionis inferiorum sub illa contentorum (1).

Variæ species divisionis: actualis,

84. Quæ cum ita sint, divisionis duæ possunt cogitari species, *actualis* et *potentialis*. Actualis est divisio totius alicujus actualis; dispescique potest in *integralem* et *essentialem*. Integralis est divisio totius in partes integrantes; essentialis in partes essentiales. Hæc iterum partitur in *physicam* et *metaphysicam:* divisio essentialis physica est ea, quæ fit in membra essentialia realiter inter se distincta et secabilia; metaphysica est illa, qua aliquid distribuitur in partes sola ratione distinctas.

potentialis.

Divisio potentialis est divisio totius potentialis, seu descensus et contractio rationis communis in inferiora per adjectionem differentiæ alicujus: unde fit, ut ratio illa sic contracta vel divisa, nequeat prædicari de omnibus, de quibus prius ante hujusmodi divisionem prædicabatur. Sic animal ut sic prædicatur tum de homine tum de bruto; animal vero *rationale* aut *irrationale* non amplius retinet eamdem prædicabilitatem, quam animal simpliciter.

Varii modi divisionis potentialis.

Triplex porro est divisio potentialis: α) divisio generis latioris in minus lata et universalia, qualis est divisio substantiæ in *spiritualem* et *corpoream:* β) generis in species infimas, quo pacto animal irrationale, dividi potest in *leonem, equum, canem,* etc. et corpus simplex in *oxygenium, hydrogenium* et cætera, que Chimicis recensenda relinquimus: γ) speciei infimæ in individua: sic homo dividitur in *Petrum, Paulum, Andream*, etc. Hæc tamen ultima species divisionis potentialis scientifica non est, nam scientiæ non disputant de individuis.

Divisio per se et per accidens.

Nota autem omnes has diversas species divisionis fieri vel *per se* vel *per accidens*. Ea est divisio per se, quæ fit in partes, quæ ratione sui conveniunt toti, seu in quibus non exprimitur aliquid accidentale. Divisio vero per accidens est ea, quæ fit in membra, in quibus exprimitur aliquid (aut ipsis aut toti) accidentale. Exempla divisionum hactenus allata continent omnia divisionem per se. Accipe nunc, si placet, exempla divisionum earumdem per accidens:

---

(1) Cfr. S. Th. 1 p. q. 85, a. 3. ad 2.um; 7.° *Metaphys.* lect. 13, parag. *b.*

Diversa genera divisionis per accidens.

Divisio actualis integralis per *accidens*: *tabula marmorea dividitur in partem albam, rubram, viridem* etc. pro varietate colorum, quibus distinguitur.

Divisio physica essentialis; *pars martyris ardet igni, pars charitate:* vel homo dividitur in partem, *quæ movet*, et partem, *quæ movetur*.

Divissio essentialis metaphysica: homo *dividitur in partem brutis communem et aliam non communem*; vel *in genus et differentiam*.

Divisio potentialis per accidens triplex esse potest: α) prima subjecti in accidentia: ut si animal *dividatur in domesticum* et *sylvestre; plumiferum* et *implume;* vel *homo in album, rufum* etc., *doctum* et *indoctum:* β) secunda est accidentis in subjecta; ut *alia est claritas solis, alia claritas lunæ, alia, claritas stellarum* (1): γ) tertia, accidentis in accidentia: ut *album aliud est dulce*, aliud *amarum; motus alius est circularis, alius rectus, alius velox, alius tardus* (2).

Divisio potentialis per accidens triplex est.

Notandum porro est, non omnem divisionem accidentis esse *accidentalem*. Etenim si accidens dividatur in membra de quibus per se prædicetur, vel quæ per se sint ejus partes, divisio non erit accidentalis, sed per se: hoc pacto *color* dividitur in *album, rubrum, viridem*, etc.

Ad divisionem *per se* revocatur etiam divisio concreti accidentalis in subjectum et accidens (3). In hac tamen tanta divisionum varietate, frequentissima omnium est in scientiis potentialis.

Sæpe etiam audies nomina Divisionis *uinvocæ* atque *analogæ*. Univoca autem est, cujus partes seu membra univoce participant rationem divisi, quemadmodum Petrus et Paulus participant *hominem*, et homo et brutum participant *animal*. Analoga est, cujus partes analogice dumtaxat participant rationem totius: qualis est divisio hominis in *vivum* et *pictum*, veritatis in *formalem*, *transcendentalem* et *moralem*.

(1) S. Paulus. 1. Cor. cap. 15, v. 41.
(2) Vide de his Fonsec. *Instit. dialect.*
(3) Cfr. Lossada ib. n. 9.

LEGES RECTÆ DIVISIONIS.

Leges rectæ divisionis:

85. Quemadmodum superius monuimus circa definitionem, ita nunc notandum est, divisionem non tam commendari eo quod *vera* quam eo quod *bona* et *recta* sit. Leges vero rectæ divisionis variæ possunt recenseri.

1.ª **Regula 1.ª** *Divisio adæquata esto*, seu talis, ut membra dividentia simul accepta æquent divisum. Itaque vitiosa erit, quæ aut plura aut pauciora membra enumeret, quam quæ in diviso continentur.

2.ª **Regula 2.ª** *Divisum excedere debet singula membra dividentia;* totum enim majus est sua parte. Quare perperam divideres animal in *vivens*, *sensitivum* ac *rationale*.

3.ª **Regula 3.ª** *Divisio fiat in membra invicem opposita seu excludentia*, talia nempe, quæ vel re vel ratione inter se distinguantur, nec unum in altero contineatur: quia secus revera non erit pluralitas membrorum, quam tamen importat ex sua essentia divisio. Hinc vitiosa erit divisio viventis in *plantam*, *animal* et *hominem; homo* namque sub *animali* continetur: itemque divisio animalis in *rationale* ac *risibile*, ac divisio terræ in *Europam*, *Asiam*, *Africam*, *Oceaniam* et *Italiam*.

Recta nihilominus habetur ex communi sententia divisio substantiæ in *completam* et *incompletam*, licet peccare contra tertiam hanc legem videatur. Et ratio est quia quamquam incompleta substantia includatur in completa velut pars ejusdem; tamen non participat rationem substantiæ præcise quia continetur in completa, sed immediate per seipsam, et independenter a tali continentia: id quod locum non habet in allatis superius exemplis, nam risibile non est animal independenter ab homine, nec Italia est pars terræ nisi prout contenta in Europa. Ob eamdem etiam rationem recta est divisio continui permanentis in longitudinem, latitudinem et profunditatem, licet in latitudine contineatur etiam longitudo et utraque in profunditate.

Et afferri quoque potest alia ratio ad persuadendam rectitudinem harum divisionum, quia nimirum potest dari sive re sive saltem cogitatione longitudo sine latitudine, puta in linea, et utraque sine profunditate, videlicet in superficie: itemque

non omnis substantia completa coalescit ex variis incompletis, cum dentur substantiæ completæ simplices. Ergo revera membra hæc divisionum distincta sunt, aut certe esse possunt.

Regula 4.ª *Divisio sit brevis*, ne confusionem potius pariat, quam afferat perspicuitatem. Quamquam enim fieri possint variæ divisiones ac subdivisiones, quantum opus est ad plenam rei declarationem; modus tamen adhibendus est, ne sine necessitate partitiones ejusmodi nullo fine protrahantur (1). 4.ª

Regula 5.ª Commendatur etiam, *ne fiat divisio in membra negativa*, quæ nequeunt non officere perspicuitati, generatim loquendo. Ubi nota dari non paucas divisiones in membra, quæ videntur quidem negativa, re tamen vera positiva sunt: hoc pacto animal dividitur in rationale et *irrationale;* substantia in corpoream et *incorpoream;* ens in finitum et *infinitum* etc. (2). 5.ª

86. SCHOLIUM 1.um Modi arguendi a divisione videri possunt apud Lossada (3), et Joannem a S. Thoma (4) aliosque passim auctores.

SCHOLIUM 2.um Quæritur utrum divisio a definitione distinguatur. «Affirmandum est procul dubio, scribit recte Lossada, quantum ad divisionem *accidentalem*, *integralem*, necnon *potentialem per se*. Non enim animal v. g. definitur per *hominem* aut *brutum*, nec per *rationale* aut *irrationale*, per quæ dividitur; sed solum per *vivens sensibile*. Quod si divisio potentialis comparetur cum membris dividentibus, non erit eorum definitio, si utatur nominibus specierum; v. g. *animal, aliud homo, aliud brutum*. Sin autem nominibus differentiarum utatur, tum definitiones membrorum continebit, subaudito scilicet in singulis nomine divisi: Unde hæc v. g. *animal,*

(1) «*Comprehendere, quemadmodum magna ita minima difficile est,* inquit Seneca. *Describitur in tribus populus, in centurias exercitus. Quidquid in majus crevit, facilius agnoscitur, si discessit in partes, quas innumerabiles esse et parvas non oportet. Idem enim vitii habet nimia, quod nulla divisio.*» Epist. 89.

(2) Vide P. Fonseca *Inst. Dialect.* lib. 4, cap. 12.

(3) Lossada loc. cit. cap. 5, n. 8, seqq.

(4) *Summul.* lib. 2, cap. 4.

aliud rationale, aliud irrationale, definitiones continet hominis et bruti. At non ideo confunditur cum definitione divisio, cum hæc respectu totius, cujus est divisio, definitio non sit» (1).

Major est difficultas circa divisionem *essentialem* atque *actualem*. Cum enim definio v. g. hominem per *animal rationale*, quid amplius facio quam enumerare partes metaphysicas, quibus homo coalescit? Idem proinde facere videor, quam si hominem dividerem in animal et rationale. Et ita se rem habere quidam existimant.

Nihilominus videtur adhuc ejusmodi divisio actualis a definitione discrepare, saltem in *modo tendendi*, nam definitio enumerat partes per quas etiam fit divisio, illas exprimendo per modum compositionis, synthesis seu copulationis in unam completam essentiam; divisio autem illas enumerat exprimendo illas opposito modo, nimirum per modum resolutionis et segregationis essentiæ unius in suas partes atque elementa. Quare sicut propositio copulativa et disjunctiva ex iisdem membris confectæ, v. g. *Petrus* et *Paulus* Romæ occubuerunt et *aut Petrus aut Paulus* Romæ occubuit, diversas species constituunt ob diversissimum tendendi modum, idem dicendum est in casu nostro (2).

DISPUTATIO SECUNDA

DE HIS QUÆ PERTINENT AD SECUNDAM MENTIS OPERATIONEM.

87. Secunda mentis operatio est judicium seu propositio mentalis, de qua tria potissimum disputat Logica: quid sit, quotuplex, et qualis, seu quibusnam gaudeat proprietatibus (3).

---

(1) *Summul.* loc. cit., disp. 3, cap. 5 n. 15.

(2) Cfr. Lossada. *Logica*, tract. 5, disp. 1, cap. 2, n. 17, 18.

(3) Scripsit de his Aristoteles in libris *Perihermenias* seu de *Interpretatione*.

CAPUT I.

DE JUDICIO EJUSQUE ORALI EXPRESSIONE.

Quamquam judicii natura tractari nequeat in Logica pro dignitate, sed reservanda omnino sit ad tractatum de *Anima;* declarari tamen aliquo modo debet, quantum satis est, tum ad rectam ejusdem directionem in assecutione veritatis, tum etiam ad rite percipiendam doctrinam de structura ratiocinii ac syllogismi, qui ex pluribus necessario judiciis coalescit. Et quoniam omnis propositio logica nomine constat ac verbo tamquam elementis essentialibus (1), estque species quædam orationis, de his quoque agendum est, antequam judicii oralem expressionem aggrediamur (2).

ARTICULUS I.

Quid sit judicium.

88. Judicium est actus mentis, qui binos conceptus aut affirmatione componit, aut negatione dividit. *Una duarum operationum intellectus est,* inquit D. Thomas, *indivisibilium intelligentia* (simplex apprehensio), *in quantum scilicet intellectus intelligit absolute cujusque rei quidditatem sive essentiam per seipsam, puta quid est homo, vel quid est album, vel quid aliud hujusmodi. Alia vero operatio intellectus est, secundum quod hujusmodi simplicia concepta simul componit et dividit* (3). Nam cum mens comparationem instituit inter binos conceptus, vel deprehendit illos identificari vel discrepare, et prout deprehenderit, ita fert sententiam instar judicis, *componendo* Quid judicium.

(1) Vide S. Th. *Periherm.* lib. 1, lect. 1.

(2) Cfr. S. Th. ib. lect. 1 et 4.

(3) S. Thom, *Periherm.* lect 3, paragr. *b;* Cfr. de *Verit.* quæst. 14, a. 1, etc.

illos in unum, vel *dividendo*, nimirum affirmando vel negando unum de alio. Ita comparo Petrum cum animali, et quia video convenire, affirmo: *Petrus est animal;* itemque comparans hominem cum asino, judico: *Petrus non est asinus.*

Judicii varia nomina,

Atque hæc causa est, cur judicium vocitetur quoque a Philosophis *compositio* vel *divisio* (1) *affirmatio* vel *negatio* (2) *assensus* seu *adhæsio* vel *dissensus* (3). Vocatur etiam judicium ex S. Thoma (4) *fides* (5).

et elementa:

Jam illico per se patet, in omni judicio contineri bina extrema seu terminos, et copulam seu conjunctionem eorumdem: omnis quippe affirmatio et negatio aliquid affirmet, et neget, necesse est, ac de aliquo. Extremum ergo seu terminus, de quo aliquid affirmatur, vel negatur in actu judicii, vocatur

subjectum, prædicatum,

subjectum; et id quod affirmatur aut negatur, *prædicatum;* unio denique vel divisio extremorum, quorum unum de altero affirmatur aut negatur, vel ipsa affirmatio aut negatio, nomen habet

copula:

copulæ. Unde subjectum ac prædicatum dicuntur

materia et forma judicii.

materia judicii vel propositionis, copula vero *forma* ejusdem. Quamvis, ut mox explanabimus, si subjectum et prædicatum invicem comparentur, illud se habet instar materiæ, hoc vero instar formæ illius. Propositio enim vel judicium est artefactum quoddam logicum; in omni autem artefacto ea, ex quibus construitur, rationem habent materiæ, ordo vero ipse compositioque membrorum, appellatur forma (6). Ex quo et

---

(1) Quia conjungit, vel separat conceptus.

(2) Quia asserit, vel negat identitatem conceptuum.

(3) Quia mens per actum judicii annuit, vel renuit conceptuum identitati.

(4) *De Verit.*, quæst. 14, a. 1; et q. 10, a. 8 ad 8.m *eorum quæ in contrarium;* 1.ª dist. 19, q. 5, a. 1 ad 7.um, et alibi.

(5) Quia mens judicando fidem facit identitati vel discrepantiæ extremorum.

(6) *In enuntiationibus* DE INESSE, *est tria considerare, scilicet subjectum, prædicatum,* et *compositionem utriusque: quæ ita se habent quodammodo, sicut in naturalibus. In homine enim est considerare corpus et animam et humanitatem. Corpus est materia, anima est forma, quæ est pars compositi, unde forma est respectu corporis; humanitas vero est forma respectu utriusque, idest respectu corporis et animæ. Sic in proposito: in enuntiatione subjectum est sicut materia, prædicatum vero sicut forma, quæ est pars compositi, unde est*

illud consequitur essentiam judicii compleri, et ultimo constitui, per copulam seu unionem terminorum, sine qua non potest haberi judicium, etiamsi præsto sint termini, qui materiam dumtaxat exhibent illius.

Dices. In propositione negativa copula *negatur*, v. g. si dicas: *Petrus non est leo*. Ergo in propositione negativa non adest copula. Quare si copula est constitutivum propositionis, propositio negativa non est propositio. Respondeo in propositione negativa v. g, «cum dicitur: *Petrus non est leo*, particula *non* solum negat *objetivam compositionem*, id est, identitatem seu convenientiam objectorum, quæ quandoque dicitur *copula objectiva*. Non tamen negat *copulam formalem*, sed illam potius constituit simul cum verbo, ut consignificante» (1).

89. Unum tamen probe nota: α) per actum judicii non ipsos *formales* conceptus subjecti et prædicati inter se copulari, sed *conceptus objectivos*. Nimirum, cum dico: *Petrus est doctus*, vel: *homo est rationalis*, sensus non est, quod actus mentis, quo cognoscitur *Petrus* aut *homo* est actus, quo cognoscitur doctus aut *rationalis*; sed *realitas* ipsa quæ cognoscitur per actum mentis repræsentantem *Petrum* aut *hominem*, esse realitatem, quæ cognoscitur per actum mentis repræsentantem *doctum* aut *rationalem*. Secus enim omnia judicia affirmativa forent falsa, et solum negativa possent esse vera. Et ratio est, quia copula, quæ constituit ipsum actum formalem judicii, asserit identitatem subjecti et prædicati. Jam vero conceptus formales subjecti et prædicati non sunt identici, cum sint duo actus distincti; nec intentio naturalis judicantium est, identitatem vel discrepantiam talium actuum pronuntiare, sed rationum ipsarum objectivarum, quæ per illos actus seu conceptus formales a nobis intelliguntur. Et inde est, quod veritas aut falsitas judiciorum, ex ipso naturæ instinctu, definiatur ex eo quod res ita se habeat in se ipsa, prout per actum judicii exprimitur. Id quod clarius perspicitur in propositionibus oralibus, in quibus nemo intelligit asseri identitatem

In judicio non formales conceptus, sed objectivi, copulantur.

quasi forma respectu subjecti; compositio vero est forma utriusque. Ita S. Thomas, vel quicumque sit auctor. *Summ. totius Log. Arist.* Tract. de *Interpret.* seu *Enuntiatione.*, cap. 12.

(1) Lossada *Summul.*, disp. 6, cap. 4, n. 12.

vel diversitatem vocabulorum ipsorum in sua physica natura spectatorum, sed rerum, quæ per illa *significantur*. Sunt enim vocabula signa *suppositiva* seu *doctrinalia*.

Pro quo supponat subjectum et prædicatum.

90 β) Illud etiam est animadvertendum, quod in actu judicii subjectum supponere videtur pro re, prout est in suo statu reali, confuse repræsentata, prædicatum vero exprimere id, quod mens clarius ac specialius de ipsa apprehendit, seu rem ipsam, prout hic et nunc apprehensam. Et quoniam judicium stat in copula prædicati et subjecti, consequens est, judicium ex sua natura exprimere conformitatem cognitionis cum re prout est in se; nimirum judicium est quasi attestatio quædam, quod res ita est in se, prout a nobis cognoscitur.

Quanta esse debeat identitas prædicari cum subjecto.

91. γ). Hinc subjectum et prædicatum non debent exhibere easdem præcise notas intelligibiles sine ulla diversitate etiam rationis; sed sufficit, ut eamdem rem exprimant, ita ut prædicatum præ se ferat aliquid, quod revera insit seu reperiatur in subjecto. Immo, si excipias judicia vel propositiones, quæ pure *identicæ* vocantur seu *tautologicæ*, qualis est hæc: *Petrus est Petrus*, vel: *homo est homo; in qualibet propositione affirmativa vera oportet, quod prædicatum et subjectum significent idem secundum rem aliquo modo, et diversum secundum rationem. Et hoc patet tam in propositionibus, quæ sunt de prædicato accidentali, quam in illis, quæ sunt de prædicato substantiali. Manifestum enim est, quod* HOMO *et* ALBUS *sunt idem subjecto, et differut ratione, alia enim est ratio* HOMINIS *et alia ratio* ALBI. *Et similiter, cum dico:* HOMO *est* ANIMAL. *Illud enim ipsum, quod est homo, vere animal est; in eodem enim supposito est et natura sensibilis, a qua dicitur* ANIMAL, *et natura rationalis, a qua dicitur* HOMO: *unde et hic etiam prædicatum et subjectum sunt idem supposito, sed diversa ratione* (1).

Subjectum se habet tanquam materia respectu prædicati, et hoc tanquam forma illius.

92. δ). Quoniam intellectus in cognoscendo procedit de potentia ad actum, nec uno, ut ita dicam, ictu penitus exhaurit totam rei cognoscibilitatem, sed pedetentim apprehendit perfectiones et gradus entitatis diversos in rebus repertos, illosque per judicium rebus iisdem attribuit; consequens pariter est, quod subjectum, saltem in dispositione naturali, se habeat in judicio instar *materiæ* respectu prædicati, prædicatum

(1) S. Thom. 1 p. q. 13. art. 12.

vero instar *formæ* ex quarum junctione quasi concretum quoddam coalescit. Et hæc vis est, nisi vehementer fallor, illius proloquii, cujus meminit Aquinas (1). *Prædicata tenentur formaliter, et subjecta materialiter:* quia nempe prædicatum exhibet formam seu perfectionem vel attributum, quo subjectum præditum est; et subjectum exhibet suppositum possidens formam per prædicatum expressam; copula vero ipsa mentalis, seu actus formalis affirmationis, significat *copulam* objectivam talis subjecti cum tali forma, seu identitatem vel saltem inhæsionem talis formæ in tali subjecto (2). Nam intellectus *in omni propositione, aliquam formam significatam per prædicatum vel applicat alicui rei significatæ per subjectum, vel removet ab ea* (3).

In quo consistat copula formalis.

93. Quæres in quo consistat copula *formalis* enuntiativa. Et responderi sic potest ex P. Lossada: «Consistit in significatione compositionis objectivæ, non qualicumque, sed exigente actuale consortium extremorum formalium, nempe earum formalium dictionum, quæ formalium subjecti et prædicati munus obeunt. Sane ad enuntiativam copulam non sufficit qualiscumque significatio compositionis seu conjunctionis prædicati objectivi cum subjecto: aliter hæc nomina *compositio, convenientia, identitas hominis cum Petro* vim enuntiativæ copulæ continerent, quod falsum est. Insuper ergo requiritur modus significandi quasi practice et judicative, attribuens unum extremum objectivum alteri, vel removens unum ab altero: qui modus seu attributionis seu remotionis, cum necessario exigat consortium terminorum, talia extrema significantium, ideo hos terminos nectere seu copulare dicitur, alterum constituendo formale subjectum, alterum, prædicatum formale. Sed notandum, quod modus attributivus, proprius copulæ negantis coalescit ex eadem consignificatione et ex particula *non;* proindeque duo syncategoremata claudit» (4).

(1) S. Thom. 1 p. q. 13. art. 12.

(2) Cfr. Conimbric., *Dialect., Commentar. in Præfation. Porphyrii*, quæst. 3, a. 1.

(3) S. Thom. 1. p. q. 16, a. 2.

(4) Lossada, *Summul.* disp. 6, cap. 3, n. 14. Vide, si vacat, totum illud caput.

Divisiones judicii.

94. Judicium multifariam dividi potest, sicut propositio, ut inferius videbimus: nunc sufficit indicare divisiones in judicium *immediatum* ac *mediatum; a priori et a posteriori.* Immediatum est illud, quod pronuntiatur ex mera conceptuum inspectione et comparatione, quia nimirum illico detegitur illorum convenientia vel discrepantia. Ut si dicas: *Totum est majus sua parte: Charta hæc candida est.* Mediatum e converso est illud, quod eget ratiocinio et comparatione duorum conceptuum cum tertio aliquo, cujus ope identitas vel repugnantia illorum detegatur v. g. *Animus humanus immortalis est:* quod judicium pronuntiare nequeo, nisi ope alicujus alterius termini, qui cum animo humano et immortali identificetur atque adeo monstret identitatem duorum illorum conceptuum.

ARTICULUS II.

Quid sit nomen.

Quid nomen.

95. Nomen latissime est quælibet vox articulata, qua rem quamlibet et conceptum exprimimus: apud Grammaticos autem minus late sumitur pro voce, *quæ declinabilis est per casus.* Verum a Logicis ex Aristotelis doctrina (1) definitur *vox significativa ad placitum, finita, sine tempore, cujus nulla pars significat sæparatim, quæque adjuncto* EST, *verum vel falsum significat:* ut *homo, arbor, Petrus.*

Explicatur definitio nominis.

Dicitur *vox* per modum generis, et per hanc particulam differt nomen ab aliis sonis, quæ non sunt voces. Dicitur *significativa*, ad excludendos terminos non significativos, qualis est *blictri. Ad placitum* dicitur, ad excludendas voces naturaliter significantes, ut *gemitus infirmorum* ac *voces brutorum animalium. Finita*, ad excludendos terminos infinitos, qui nullam determinatam naturam nec suppositum exprimunt, sed tam ens quam non ens sub se complectuntur, quemadmodum fusius exposuimus (2). Additur *sine tempore*, ut distinguatur nomen a verbo ac participio, quod dicitur signifi-

(1) Vide Arist., lib. 1 *Perihermen.*, cap. 2, et S. Thom. ib. lect. 4.
(2) Vide supra n. 26.

care *cum tempore*. Ut autem id probe intelligas, adverte aliud esse *significare* tempus, *aliud connotare* tempus, aliud *consignificare* tempus seu *significare cum* tempore. Significare tempus est habere vim excitandi notitiam seu ideam *temporis*, et ita significant tempus hæ voces *tempus*, *hora*, *dies*, *annus* etc., sicut quævis alia vox suam habet significationem. *Connotare* tempus est significare aliquid, quod certo aliquo tempore fieri solet ex hominum usu et consuetudine. Hoc modo tempus connotant hæ voces *cæna*, *prandium:* quia dum significant comestionem quamdam, simul denotant tempus, in quo illa fieri solet. Denique significare *cum tempore* aut etiam *consignificare* tempus est significare formam aliquam prout exercitam tempore, seu prout commensuratam tempori, in quo fit. Ita consignificat tempus hæc vox *amo*, *amabam* etc. quia exprimit *amorem nunc* vel alio tempore exercitum. (1).

Quid sit significare cum tempore seu consignificare tempus.

Itaque cum nomen dicitur significare sine *tempore*, hoc tertium volumus excludere, non vero duo priora.

Præterea in definitione nominis adjungebatur *cujus nulla pars significat seorsum*, ut distinguatur ab oratione, nomen enim, secus atque oratio, debet esse terminus simplex seu incomplexus.

Tandem dicitur *quæque adjuncto* EST etc., ad excludendos casus obliquos, et reliqua syncategoremata, quæ a nominis dignitate removentur, propterea quod nonnisi alteri termino adhærentes, possunt propositionem veram aut falsam efficere. Neque enim si quis dicat: *Hominis est*, *velociter est* etc., verum aut falsum dicit. Ubi nota, ideo ad excludendos generatim a nominis conditione casus omnes obliquos, poni in definitione illa vocabula: *quæque adjuncto* EST, nimirum verbo substantivo, *quia sunt alia quædam verba*, *scilicet impersonalia*, *quæ cum obliquis* (casibus) *significant verum vel falsum*, *ut cum dicitur:* PŒNITET SOCRATEM, *quia actus verbi intelligitur ferri super obliquum*, *ac si diceretur:* PŒNITENTIA HABET SOCRATEM (2).

---

(1) Vid. S. Th. *Periherm.* lib. 1, lect. 1 post initium. Cfr. Joann. a S. Thom. *Illustration. in text. Summul.*, quæst. 3.

(2) S. Th. *Periherm.*, lib. 1, lect. 4, paragr. *q*. Cfr. Lossada. *Instit. Dialect.* disp. 2, cap. 1, n. 4.

Pronomen et infinitivum grammaticale logici nominis rationem habent.

96. Ex hac definitione facile colliges: α) non idem prorsus esse nomen logicum et grammaticum. Et primo quidem pronomina grammaticorum et verba infinitivi modi sunt vera nomina logica. Verum enim est dicere: *Ego sum; Servire Deo regnare est, Dulce et decorum est pro patria mori.* Ideo in græca lingua et in multis vernaculis infinitivo sæpe præponitur articulus perinde ac nominibus (1).

Quænam excludantur a ratione nominis logici.

β) Non solum voces nihil significantes, sed etiam aliæ, quæ in suppositione materiali accipiuntur, excidunt a nominis dignitate, quia nimirum non significant ad placitum. Dicuntur tamen omnes ejusmodi voces, licet hic et nunc non sunt proprie nomina, habere *vim nominis* seu *sumi* in *vi nominis*, quia perinde ac si essent vera nomina, *reddunt verbo suppositum*, quemadmodum loquuntur Logici, nimirum sunt basis ac subjectum propositionis, quam simul cum copula et prædicato constituunt: ut si dicas: **Blictri** *est vox*, **Curro** *est verbum;* **Petrus** *est vox dysillaba* (2).

γ) Voces adjectivæ non videntur esse nomina, nisi substantive sumantur in genere neutro, quia nimirum nequeunt reddere suppositum verbo, nec se solis facere simul cum verbo *est* veram aut falsam orationem.

Qualis terminus sit nomen.

δ) *Nomen* minus late patet quam *terminus;* quamquam enim omne nomen sit terminus, non vero e converso. Brevi; nomen convertitur dumtaxat cum termino *incomplexo, substantivo, categorematico, finito et non æquivoco.* Unde nomini etiam convenire possunt omnes partitiones ejusmodi terminorum propriæ (3).

ε) Liquet pariter ex dictis nomen logicum non idem esse atque grammaticum (4).

Si quis porro quærat, cur Aristoteles et Logici communiter ita voluerint acceptionem nominis contrahere adversus communem usum Grammaticorum; ratio hæc planissima

(1) Vide S. Th., loc. cit. lect. 5, post initium.

(2) Vide S. Thom. ib., lect. 5; et Lossada *Instit. Dialect.* disp. 2, cap. 1, n. 5.

(3) Lossada, ibid. n. 7.

(4) Vide hæc omnia ap. S. Th. lib. 1.º *Periherm.* lect. 4. Cfr. Conimbric., Rubius, et Tolet. in locis propriis de *Interpret.* ubi fuse de his: itemque Lossada, loc. cit., disp. 2, cap. 1, 2.

reddi potest, quia Logici definiunt nomen in ordine ad propositiones, verum vel falsum enuntiantes; propositiones autem ejusmodi per se loquendo non conficiuntur nisi ex talibus nominibus.

ARTICULUS III.

De verbo.

97. *Verbi* non una est acceptio; dicitur enim imprimis verbum simplex apprehensio, et sæpe etiam verbum nuncupatur quodcumque vocabulum. Nunc autem agendum est de verbo in alia significatione, nimirum prout a nomine distinguitur. Et hoc sensu a Grammaticis definitur verbum: *vox declinabilis per tempora.* Quid verbum.

At vero a Philosophis ad mentem Stagiritæ describitur: *vox significativa ad placitum, finita ac cum tempore, cujus nulla pars significat separatim, et semper eorum, quæ de alio prædicantur, est nota* (1).

In qua definitione, prætermissis his, quæ circa nomen declarata sunt, oportet nunc exponere illa solum, quæ propria sunt verbi.

Et primum dicitur *significare cum tempore,* in quo differt a nomine. Verbum enim significat formam aliquam seu actionem, ut exercitam in tempore, ut egredientem et manantem a subjecto in tempore, et prout commensuratam tempori (2). Per illud autem quod additur: *et semper eorum, quæ de aliquo prædicantur, est nota, differt non solum a nomine, sed etiam a participio, quod quamquam significat cum tempore, non tamen est necessario nota seu signum eorum, quæ de altero prædicantur; verbum autem non solum se tenet ex parte prædicati ratione formæ, quam significat, sed præterea exprimit actualem copulam seu compositionem illius cum subjecto* (3). Et ratio est, quia *subjectum enuntiationis significatur, ut* cui *inhæret aliquid,* sed

(1) Vide Arist. lib. 1.°, *Periherm.*, cap. 3.

(2) Nomine *temporis* hic intelligitur quæcumque duratio, sive permanens sive successiva, sive instantanea, sive diu producta.

(3) S. Thom. *Periherm.*, lib. 1, lect. 5, post initium.

cum verbum significet actionem per modum actionis, de cujus ratione est, ut inhæreat, semper ponitur ex parte prædicati, nunquam autem ex parte subjecti, nisi ponatur in vi nominis (1).

Tria importat verbum

98. Quare, si bene res consideretur, tria importat verbum: α) formam aliquam significat ex hominum placito, v. g, *existo* significat existentiam, *curro* cursum, *amo* amorem, *ago* actionem. Et in hoc verbum convenit cum nomine, itemque cum participio, nam easdem illas formas significant nomina hæc, *existentia, cursus, amor, actio.*

β) *Consignificat* verbum deinde *tempus*, et in hoc differt a nomine. Etenim nomen significat formam seu rem tamquam *per se existentem;* verbum autem illam significat *per modum actionis* et *passionis*. Quod probe nota, non enim est idem *significare actionem* et *passionem*, et significare *per modum actionis*. Multa sunt nomina, quæ actionem et passionem significant, at in abstracto, et non per modum actionis, sed instar rei cujusdam per se existentis. Et e converso sunt etiam verba, quæ nec actionem nec passionem proprie significant v. g. *existo, quiesco, sisto, ardeo, albesco* etc., sed tamen semper significant formam suam *per modum* actionis et passionis, nimirum significant formam, ut egredientem, et manantem a subjecto, et eidem inhærentem. *Et quia id, quod primo et principaliter tempore mensuratur est motus*, in *quo consistit actio et passio, ideo verbum, quod significat actionem et passionem significat cum tempore* (2).

γ) Demum verbum est nota seu signum eorum, quæ de alio prædicantur, *tum quia verbum semper significat id, quod prædicatur, tum quia in omni prædicatione oportet esse verbum* est, *quod verbum importat compositionem, qua prædicatum componitur subjecto* (3). Nimirum verbum exprimit copulam

(1) S. Thom. ibid., paragr. *c.*

(2) S. Th., *Periherm.* lect. 5, paragr. *b.*

(3) Id. ibid., paragr. *b.* Aristoteles addit verbum esse notam eorum, quæ de altero prædicantur, tamquam *eorum quæ de subjecto dicuntur aut in subjecto sunt.* Quod ita declarari potest, ut innuat Philosophus duo prædicatorum genera enuntiari verbo: «aliud essentiale, ut *currens movetur*, est enim *cursus* species *motus;* aliud accidentale, ut *Socrates currit.* Primum genus appellat Aristoteles juxta Böetium et Ammonium ea, *quæ dicuntur de subjecto,* secundum,

seu actualem inhærentiam formæ vel prædicati cum subjecto. Et in hoc differt verbum a *participio*, quia participium per se solum absque verbi adminiculo non prædicatur de alio. Ita si quis dicat: *Petrus currens*, nisi subaudiatur aut inseratur verbum *est*, non exprimit cursum actu ac vere competere Petro.

Quodvis aliud verbum resolvitur in *Sum., es, est.*

Aque hinc sequitur omne aliud verbum logice resolvi in verbum subtantivum *sum, es, est*, et participium v. g. *scribo*, in: *sum scribens: Petrus currit*, in, *Petrus est currens*, et ita porro (1).

99. COROLLARIUM 1.um Verbum extra propositionem proprie ac plene verbum non est, quia verbum, docente Aristotele, significat quamdam compositionem, quam sine compositis non est intelligere (2). Solum posset dici verbum extra propositionem *aptitudinaliter*.

Quænam excludantur a conditione verbi logici

COLLORARIUM 2.um Perspicies hinc, cur verbum debeat esse vox *finita*, quia verbum infinitum, quale est v. g. *non curro*, in sensu infinito acceptum, quatenus significat *non cursum*, nihil determinatum exprimit. *Est enim proprium verbi significare aliquid per modum actionis vel passionis quod prædictæ dictiones* (infinitæ) *non faciunt; removent enim actionen vel passionem potius, quam aliquam determinatam actionem vel passionem significent* (3).

COROLLARIUM 3.um Excluduntur a conditione verbi logici multa verba grammatica, seu potius modi, infinitivus, imperativus, optativus et participium; partim quia ex parte etiam subjecti ponuntur, et quidem in suppositione formali, ut participium et infinitivum, quemadmodum jam monuimus; partim quia non sunt nota prædicationis, cum non faciant veram vel falsam orationem, etiamsi cum nomine conjungan-

---

ea quæ sunt in subjecto; et utrumque, ait, mediante verbo enuntiari.» Conimbric. In commentar. cap. *de Verbo (Periherm.* lib. 1, c. 3). Cfr. S. Th. lect. 5.

(1) Cfr. S. Thom. lib. 5. *Metaph.* lect. 9, paragr. *c.*

(2) Loc. cit. cap. 3. Cfr. S. Th. ib. lect. 5 fin.

(3) S. Thom., loc. cit., lect. 5, paragr. *d.*

tur, ut videre est in modis, imperativo et optativo. Logic enim non agunt ex suo instituto nisi de verbis, prout apta sunt ad conficiendam propositionem verum vel falsum significantem, ut notavimus etiam de nomine.

Immo idem docet S.Thomas cum Aristotele de ipso indicativo modo respectu præteriti ac futuri temporis, videlicet bina hæc tempora non esse verbum proprie, sed casus verbi. *Cum enim verbum proprie sit, quod significat agere vel pati, hoc est proprie verbum, quod significat agere vel pati in actu, quod est agere vel pati simpliciter. Sed agere vel pati in præterito vel futuro, est secundum quid. Dicuntur etiam verba præteriti vel futuri temporis rationabiliter casus verbi, quod consignificat tempus præsens, quia præteritum, vel futurum dicitur per respectum ad præsens. Et enim præteritum, quod fuit præsens, futurum autem quod erit præsens.* (1). Et est hæc apud Philosophos communissima sententia.

Quomodo reliqua tempora verbi in modo indicativo resolvantur in præsens.

Hinc autem sequitur omnem propositionem cum verbo de præterito aut futuro logice resolvendam esse in aliam, quæ copulam habeat in præsenti: ut hæc v. g. *senex fuit puer*, æquivalet logice huic: *senex est aliquis, qui puer fuit.* Quæ doctrina præ oculis habenda est in materia de propositionum *conversionibus:* qua de re inferius loquemur.

100. Adversus hanc verbi definitionem, communi Scholasticorum calculo approbatam, objici nonnulla possent, quæ dissipare oportet. Sed prius notandum est, verbum communiter dividi in *substantivum* et *adjectivum*.

Verbum dividitur in substantivum et adjectivum.

Verbum substantivum est verbum *sum, es, est;* adjectiva vero sunt reliqua omnia. Et verbum *sum es, est,* duo potest significare. Cum enim reperitur absolute et sine aliquo prædicato, idem sonat atque *existere.* v. g. *Petrus* est; *Deus* est, significat: *Deus* existit; *Petrus* existit. Cum autem habet post se aliquod prædicamentum, ut accidit in propositionibus, quæ vocantur *de tertio adjacente* (2), v. g. *Anima*

---

(1) S. Thom. Ibid., paragr. *e.* Cfr. Petrus Fonsea, *Inst. dialect.* lib. 1, cap. 14; Conimbricens., Rubius et Toletus, de *Interpret.* in cap. 3, etc.

(2) Quænam sint propositiones de *tertio* ac *de secundo adjacente*, docebitur paulo inferius n. 107.

humana est immortalis; Petrus est homo; tunc verbum *est* non significat existentiam; sed copulat prædicatum cum subjecto.

Objecta contra superiorem doctrinam.

Contra expositam ergo definitionem primo arguitur: quia pleraque verba non significare videntur cum tempore, ut v. g. *creo*, *cogito*, quæ solum instans denotant, non vero tempus, creatio quippe et cogitatio in instanti peraguntur. Perperam ergo dicitur verbum significare cum tempore.

Prærerea verbum *sum, es, est,* non videtur significare quidpiam in propositionibus de tertio adjacente, sed esse meram notam copulæ atque identitatis objectivæ subjectum inter et prædicatum. Denique verbum quodvis in propositionibus quæ dicuntur *æternæ veritatis*, versanturque circa materiam necessariam, ex solemni loquendi modo Philosophorum dicitur *absolvi a tempore*. Verum ergo non est in universum, quod verbum tria illa significet, quæ nuper exposita fuere ad mentem Aristotelis.

Solvuntur.

Ad primum autem objectorum facilis est responsio, «nomine temporis intelligi quamvis durationem, quemadmodum nomine actionis intelligitur quædam res significata per modum actionis: unde hæc verba *quiesco*, *sisto*, et similia, quæ significant privationes, censentur repræsentare actionem» (1).

Secunda objectio tangit quæstionem agitatam circa vim verbi substantivi in propositionibus de *tertio adjacente*. In propositionibus enim in quibus verbum *sum, es, est,* idem valet atque *existo*, dubium non est, quin significare possit tria illa, quæ verbum significare docet Aristoteles. Qua in quæstione duplex adest sententia: plures enim arbitrantur verbum *est* in ejusmodi propositionibus esse meram copulam, seu exercere tantummodo officium syncategorematis, copulantis prædicatum cum subjecto, ut volunt Fonseca (2), Sylvester Maurus (3) aliique tacite relati apud Card. Toletum (4). At vero S. Tho-

(1) Conimbric. *Dialect.*, in cap. 4 lib. 1 de *Interpret.*, quæst. 2, art. 4 in resp. ad argum. 1.um

(2) *Instit. Dialect.* lib. 1, cap. 14.

(3) *Summul.* cap. 31,

(4) In lib. 1 de *Interpret.*, cap. 3, *de Verbo*, quæst. 1. initio.

mas (1), Suarez (2), Conimbricenses (3), Toletus (4), Rubius (5), Izquierdo (6), Compton (7), Joannes a S. Thoma (8) et alii communius ac probabilius docent, verbum *est* etiam in propositionibus de *tertio adjacente*, in quibus suùm inest expresse prædicatum, præter vim copulæ ac præter consignificationem temporis, aliud habere significatum principale, nimirum significare *actum essentiæ*, seu *entitatem in communi*, vel *rationem* communem entis, quæ deinde determinatur per adjunctum prædicatum: ut si dicatur: *Homo est animal*, sensus sit. *Homo est ens animale*, seu habet entitatem animalis; et similiter si dicatur *Homo est albus*, idem sonet ac: *Homo est ens album*. Quamobrem in hac sententia verbum *sum, es est*, etiam in propositionibus de tertio adjacente suam habet peculiarem significationem, ut quodvis aliud verbum; nec est mera copula, sed exprimit partem prædicati, quæ simul cum attributo peculiari, expresso in ejusmodi propositione, constituit tandem integrum prædicatum, quod de subjecto enuntiatur, ut videre est in allatis exemplis (9).

Et secundum hanc alteram sententiam, facile dissolvitur id, quod secundo loco fuerat objectum, negando simpliciter assertum.

Tertia objectio similiter connexa est cum alia controversia, in qua scinduntur auctores in varias opiniones. Dubitatur

---

(1) *Periherm.* lib. 1, lect. 5. paragr. *q.* fine; et *Metaphysicor*, lib. 5, lect. 9, paragr. *c.*

(2) *Disp. Metaph* 54, sect. 3, n. 4.

(3) *Dialect.* in lib. 1. de *Interpret.*, cap. 3. et 4., quæst. 2. art. 4, sect. 2.

(4) In eumdem locum, quæst. 1.ª

(5) *Logica* in lib. 1.m de *Interpret.*, cap. 3, quæst. 2.

(6) *Pharus scientiar.*, disp. 2, quæst. 4, n. 217.

(7) *Summul.* disp. 5, sect. 2.

(8) *Illustrationes in Summul.* quæst. 3, a. 1.

(9) Ob hanc rationem arbitrantur quidam verbum *sum, es, est*, non esse substantivum, nisi in propositionibus de tertio adjacente, in quibus significat actum essentiæ; in propositionibus autem de secundo adjacente, in quibus significat actum dumtaxat existentiæ, habendum esse pro adjectivo. Vide Izquierdo, Op. cit. disp. 9, quæst. 1, n. 6; Lossada *Inst. Dialect.*, disp. 2, cap. 3, n. 5.

nimirum, utrum verbum *sum*, *es*, *est*, *significet* etiam *cum tempore*, sicut docet Aristoteles generatim de omni verbo. Et difficultas potissimum versatur circa illas propositiones, in quibûs prædicatum spectat ad naturam subjecti, quæ vocari solent a Philosophis propositiones æternæ veritatis, dicunturque communiter *absolvi* a *tempore*, ad differentiam aliarum propositionum de materia non necessaria. Quid enim, quæso, est *absolvi* a *tempore*, nisi non significare tempus?

Nihilominus dicendum videtur etiam in propositionibus æternæ veritatis ac de materia necessaria, verbum *est*, semper significare tempus, ita tamen, ut unio extremorum non restringatur præcise ad differentiam temporis expressam per verbum, sed ita, ut transiliat omne tempus. Et hoc est *absolvi a tempore* nimirum *non alligari* vel coarctari ad tempus aliquod, minime vero *nullum significare* tempus. In cæteris enim propositionibus v. g. cum dicitur: *Petrus currit; Joannes prædicavit; Paulus erit doctus* etc., vi verbi, *cursus Petri* restringitur ad tempus præsens, et verificatur propositio, licet nec *ante* nec *post* locum habeat cursus: itemque prædicatio Joannis limitatur ad præteritum, et Pauli doctrina ad futurum. At vero in propositionibus æternæ veritatis prædicatum non solum convenit subjecto in tempore per verbum expresso, sed etiam in quocumque alio tempore ac duratione per totam æternitatem: ut si dicas: *Homo est animal*, animalitas non solum verificatur de homine nunc in tempore præsente, quod enuntiat verbum *est*, *sed ante* et *post*, ac *semper;* ut æquivaleat huic propositioni: *Homo, in quocumque tempore fuerit, essentialiter est animal;* vel *de ratione hominis, in quocumque statu concipiatur, est animalitas.* Id quod significavit M. Augustinus, cum scripsit: *Septem et tria decem sunt, et non solum nunc, sed semper* (1). Quæ cum ita sint, ad tertiam objectionem respondetur negando illatum, perperam enim interpretatur vim axiomatis illius, quo verbum in quibusdam propositionibus dicitur *absolvi* a *tempore*.

Quid sit *absolvi a tempore*.

101. SCHOLION. Occasione hujus definitionis, quæri solet, num verbum intra propositionem possit *infinitari*, seu

Utrum verbum infinitari possit.

(1) Libr. 2 *de libero Arbitrio*, cap. 8. Vide Lossada, loc. cit., n. 6.

sumi *infinitanter*. Sunt enim qui existimant in quacumque propositione particula *non* præfigatur verbo, sensum reddere negativum atque adeo signum esse, quod prædicatum subjecto non conveniat, minime vero particulam illam *infinitare* significationem verbi: quamobrem, dicunt, verbum extra propositionem, potest *infinitum* esse, ut *non valet* v. g. infinitum est, si exprimit *non valetudinem;* at vero intra propositionem usus jam obtinuit, ut particula *non* unice adhibeatur, et intelligatur in sensu negativo. Ita inter alios P. Joannes a S. Thoma (1): idque videtur docuisse Angelicus in commento super secundum librum de Interpretatione: *Extra enuntiationem potest accipi verbum infinitum per modum unius dictionis, sicut et nomen infinitum. Sed quando negatio additur verbo in enuntiatione posito, negatio illa removet verbum ab aliquo, et sic facit enuntiationem negativam. Quod non accidit ex parte nominis, non enim enuntiatio efficitur negativa nisi per hoc, quod negetur compositio, quæ importatur in verbo: et ideo verbum infinitum positum in enuntiatione fit verbum negativum* (2).

Alii vero censent, licet plerumque particulam *non* aliud non faciat, quam reddere propositionem negativam, relicto verbo in sua pristina et determinata significatione, posse tamen, quandoque *infinitare* verbum, quin reddat sensum orationis negativum, id quod ex contextu vel adjunctis judicandum est. Ita «si... interroganti quid agit amicus, speciali vocis tono respondeas: Certe *non dormit*, non tam efficies propositionem negativam, quam afirmativam, de verbo infinito. In iis quippe circunstantiis, hic videtur esse responsionis sensus: *Amicus aliquid agit, quod non est dormire*» (3). Simili modo etiam in hoc syllogismo: *Quod non est compositum est indivisible. Atqui anima humana non est composita. Ergo indivisibilis est;* particula negans minoris propositionis certe non afficit copulam, sed potius reddit sensum infinitum, vis enim minoris illius ac significatio hæc est: *Anima humana*

(1) *Illustrationes* in *Summul.* quæst. 3, a. 2.

(2) Lib. 2 *Perihermen.*, lect. 1. ¦Et pro hac eadem sententia laudantur Alexander Aphrodisæus, Böetius et Albertus Magnus a Conimbricensibus (*Dialect.*, *de Interpret.* c. 3 et 4, quæst. 2, art. 4, sect. 1.ª

(3) Lossada, *Instit. Dialect.*, disp. 2, cap. 4, n. 3.

est aliquid non compositum, terminus quippe medius totius syllogismi est *ens non compositum*.

Ita sentiunt Conimbricenses (1), Toletus (2), Rubius (3), Lossada (4) et alii. Et idem suaderi posse videtur ex ipso Philosopho, qui hoc affert exemplum demonstrationis per effectum: *Cœlestia corpora*, **quæ non scintillant**, *prope terram sunt. Atqui planetæ* **non scintillant**. *Ergo prope terram sunt* (5). Ubi minor non est negativa, ut patet, etiam ex contextu, sed potius habet sensum infinitum. Secus enim non posset sequi conclusio affirmativa, si minor foret negativa; præterquamquod nequit recte concludere syllogismus in prima figura, qualis est hic, cum minori negante.

Equidem crediderim controversiam non magni esse momenti; resque tota videtur pendere ex mente loquentis.

Et hæc sufficiant de partibus physicis propositionis; quibus expositis, jam ad orationem atque enuntiationem progrediendum est. Si quis autem quærat, cur alias partes propositionis, quas Grammatici considerant, Philosophi, duce Aristotele, prætermittant, responsio in promptu est: primo, quia hæ solæ sunt partes essentiales, quæ sufficiunt ad enuntiationem efficiendam, et sine quibus nulla construi enuntiatio potest, deinde, quia hæ sunt partes principales orationis, sub quibus reliquæ comprehenduntur. Id quod præclare docuit Aquinas: *Potest... dubitari, quare prætermissis aliis orationis partibus, de solo nomine et verbo determinat* (Aristoteles). *Ad quod dicendum est, quod quia de simplici oratione determinare intendit, sufficit, ut solas partes enuntiationis pertractet, ex quibus ex necessitate simplex oratio constat. Potest autem ex solo nomine et verbo simplex enuntiatio fieri, non autem ex aliis orationis partibus sine his: et ideo sufficiens ei fuit, de his duabus determinare.*

Cur Logicus non tractet omnes partes orationis, quas Grammaticus contemplatur.

Vel potest dici, quod sola nomina et verba sunt principales orationis partes. Sub nominibus enim comprehenduntur pronomina, quæ, etsi non nominant naturam, personam tamen deter-

(1) Loc. nuper cit. art. 4, sect. 1.
(2) De *Interpret.*, cap. 3, quæst. 1.
(3) Ibid. cap. 3, quæst. 3, n. 26.
(4) Loc. cit.
(5) Vide Aristot., Lib. 1.° *Posterior. analiticor.*, cap. 13.

minant, et ideo loco nominum ponuntur; sub verbo vero participium, quod consignificat tempus, quamvis et cum nomine convenientiam habeat. Alia vero sunt magis colligationes partium orationis, significantes habitudinem unius ad aliam, quam orationis partes, sicut clavi, et alia hujusmodi non sunt partes navis, sed partium navis conjunctiones (1).

ARTICULUS IV.

De oratione.

Quid oratio.

102. Oratio definitur ab Aristotele: *vox significativa ad placitum, cujus partium aliqua significat separatim, ut dictio, non ut affirmatio aut negatio* (2); ut *sol lucet, princeps militiæ, vir honestus* etc.

Explicatur definitio orationis.

Dicitur *vox* in singulari, quamquam plures sint in oratione voces, ad innuendam unitatem, quam medio nexu grammaticali habeant voces, oportet, ut possint orationem conflare: voces quippe dissociatæ orationem non faciunt.

Dicitur *cujus partium aliqua significat separatim*, quia quamquam non obstat, quominus omnes etiam partes significare possint seorsim, ut sæpe contingit, id tamen necesse non est ad essentialem rationem orationis generatim sumptæ, sed sufficit, ut aliqua pars complexionis seorsim significet, licet cæteræ sint syncategoremata.

Et per hanc particulam differt oratio a nomine ac verbo, quæ sunt voces simplices, quarum nulla pars habet seorsum significationem; oratio vero est complexio vocabulorum, quorum saltem unum sit terminus categorematicus.

Additur in definitione, partem aliquam orationis debere *separatim significare ut dictionem, non vero ut affirmationem vel negationem: quæ verba in primis adduntur, non ad complendam definitionem, quæ jam satis continetur in præcedentibus verbis, sed ad eam magis declarandam, et ansam tollendam omnis*

---

(1) S. Thom. 1.ª *Periherm.*, lect. 1 post medium.

Si quis cupiat etiam de aliis minutioribus partibus scire, legat P. Petrum Fonseca, *Instit. Dialect.* libr. 1, cap. 15.

(2) Lib. 1. *Periherm.* cap. 4.

deceptionis. Quia enim intelligi poterat, partem orationis seorsim significativam debere significare per modum affirmationis aut negationis prædicati de subjecto, declarare voluit, id non esse orationi in communi essentiale. Hic enim definitur oratio in communi. Unde debet poni in definitione id, quod est commune omni orationi, simplici et compositæ. Habere autem partes significantes aliquid, ut affirmatio, hoc solum competit orationi compositæ; sed habere partes significantes aliquid per modum dictionis, et non per modum affirmationis, est commune orationi simplici et compositæ (1). Sed *neque debet intelligi esse de ratione orationis, quod pars ejus non sit affirmatio* (2).

Aliis vocibus, quando a communi ratione orationis excluditur, quod ulla pars ipsius significat per modum affirmationis, id excluditur, non quasi id foret contra naturam orationis, sed quia id est *præter* naturam ipsius, seu non necessarium ad orationem habendam. Sicut ex definitione animalis excluditur, quod sit *rationale*, non quia rationalitas sit opposita animali, sed quia est *præter* animal, unde non ingreditur rationem seu definitionem animalis.

Quid differat oratio logica a grammaticali.

103. **Colliges** hinc, orationem logicam discriminari a grammaticali, ad logicam enim, secus atque ad grammaticalem, non requiritur verbum, nec copula *est*, sed sufficit quævis alia grammaticalis unio duorum vel plurium terminorum, sive ope conjunctionis aliarumque particularum, sive per concordantiam adjectivi cum substantivo, sive per casum rectum et obliquum ab eo pendentem, quemadmodum exprese docet Angelicus (3) cæterique Philosophi. Quamobrem omnis terminus complexus est etiam quædam oratio logica (4).

Quatuplex oratio.

104. Oratio dividitur in *perfectam* et *imperfectam*. Imperfecta est, quæ continet sententiam imperfectam et suspen-

(1) S. Thom. *Periherm.* lib. 1, lect. 6 post initium.

(2) Ibid.

(3) Lib. 1.° *Periherm.*, lect. 6, in expositione definitionis orationis; et *Periherm.*, lib. 1., lect. 8, paragr. *b*.

(4) Immo sunt, qui doceant voces illas, materialiter quidem simplices, complexas autem quoad significationem, et pluribus æquivalentes, ut *nemo*, *nihil*, ad orationem revocari posse, dicique *virtualiter* orationes. Ita v. gr. Conimbricens., Dialect. *De interpret.* c. 3, 4, quæst. 3, a. 1 ad 3.um Fonseca, *Dialect.* lib. 3, cap. 1.

sam, v. g. *Sic vos non vobis: Liber doctus; Si ego Deum amarem; Ille ego qui quondam...* Perfecta est quæ sensum reddit completum ac perfectum, ut: *Homo est animal rationale: Petrus currit; vir obediens loquetur victorias.*

Perfecta oratio quotuplex.

Perfecta subdividitur in *enuntiativam* et *non enuntiativam.* Oratio enuntiativa seu *enuntiatio* est, quæ verum vel falsum significat. Ut: *Petrus est doctus; vitis fert suavissimum fructum.* Non enuntiativa est, quæ verum vel falsum non significat: et subdividitur in *vocativam, interrogativam,* ad quam revocatur ex D. Thoma *dubitativa, imperativam* et *deprecativam,* ad quam ex eodem Angelico reduci potest *optativa.* Vocativæ sit exemplum: *O vos omnes, qui transitis per viam* (1). Interrogativæ: *Domine, quid me vis facere?* (2); imperativæ: *Lazare, veni foras* (3); deprecativæ: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (4); optativæ: *Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas* (5); dubitativæ: *Ne forte peccaverint filii mei* (6).

Ratio hujus divisionis hæc redditur ab Aquinate: *Quia intellectus vel ratio non solum concipit in seipso veritatem rei, sed et ad ejus officium pertinet secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare; ideo necesse fuit, quod sicut per enuntiativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent aliquæ aliæ orationes significantes ordinem rationis, secundum quem alia diriguntur. Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria: primo quidem ad attendendum mente, et ad hoc pertinet vocativa oratio: secundo ad respondendum voce, et ad hoc pertinet interrogativa; tertia ad exequendum in opere, et ad hoc pertinet, quantum ad inferiores, oratio imperativa, quantum autem ad superiores, oratio deprecativa, ad quam reducitur oratio optativa, quia respectu superioris homo non habet vim motivam, nisi per expressionem sui desiderii. Quia igitur istæ quatuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum, sed quemdam ordinem ad hoc consequen-*

(1) Hierem. *Threnor.* cap. 1, v. 12.
(2) Act. Apost. c. 9, v. 6.
(3) Evang. Joann. c. 11, v. 43.
(4) Psalm. 50, v. 1.
(5) Psalm. 118, v. 5.
(6) Job. c. 1, v. 5.

tem; inde est, quod in nulla earum invenitur verum vel falsum, sed solum in enuntiativa, quæ significat id, quod de rebus concipitur. Et inde est, quod omnes isti modi orationum, in quibus invenitur verum vel falsum, sub enuntiatione continentur, quam quidam dicunt indicativam vel suppositivam. Dubitativa autem ad interrogativam reducitur, sicut et optativa ad deprecativam (1).

Solum oratio enuntiativa est Logicæ propria.

Verum ex omnibus istis orationis generibus, solam enuntiativam considerat Logica, ex Aristotelis ac D. Thomæ sententia, cæteras relinquens oratoribus ac pöetis. *Cujus ratio est, quia consideratio hujus libri directe ordinatur ad scientiam demonstrativam, in qua animus hominis per rationem inducitur ad consentiendum vero ex his, quæ propria sunt rei: et ideo demonstrator non utitur ad suum finem nisi enuntiativis orationibus, significantibus res, secundum quod earum veritas est in anima. Sed Rhetor et Pöeta ducunt ad assentiendum ei, quod intendunt, non solum per ea quæ sunt propria rei, sed etiam per dispositiones audientis. Unde Rhetores et Pöetæ plerumque movent auditores in unum, provocando eos ad aliquas passiones... Et ideo consideratio dictarum specierum orationis, quæ pertinet ad ordinationem audientis in aliquid, cadit proprie sub consideratione Rhetoricæ vel Pöeticæ, ratione sui significati; ad considerationem autem Grammatici, prout consideratur in eis congrua vocum constructio* (2).

ARTICULUS V.

De oratione enuntiativa seu propositione.

105. Oralis expressio judicii, quæ ad logicam considerationem spectat, vocatur *enuntiatio*, vel *propositio*, quamquam interdum solet etiam his nominibus designari actus ipsius mentalis judicii; et etiam *interpretatio*. Quamvis enim secundum Böetium (3) nomina quoque ac verba et quævis orationes dici possint *interpretationes*, nihilominus *nomen et verbum magis interpretationis principia esse videntur, quam interpreta-*

(1) S. Thom. lib. 1.° *Periherm.* lect. 7, paragr. b.
(2) S. Th. ib.
(3) In Commentario de *Interpretat.*, initio.

tiones. Ille enim interpretari videtur, qui exponit aliquid esse verum vel falsum. Et ideo sola oratio enuntiativa, in qua verum vel falsum invenitur, interpretatio vocatur. Cæteræ vero orationes, ut optativa et imperativa, magis ordinantur ad exprimendum affectum, quam ad interpretandum id, quod in intellectu habetur (1).

His tamen aliisque nominibus eadem semper res sub diverso respectu describitur, quemadmodum supra monuimus de prima mentis operatione, quæ modo *terminus*, *modo simplex apprehensio* vel *conceptus* etc., nominatur. Qua de re præclare Card. Toletus: «Primo, inquit, oratio, ut verum, vel falsum significans, quatenus conceptus et rei est manifestativa, *enuntiatio* et *interpretatio* dicitur: eadem, quatenus in syllogismo tamquam aliud probans sumitur, *propositio;* quatenus jam probata, *conclusio;* quatenus sub dubio proponitur jam probanda, si fuerit necessaria, *quæstio*, ut: *utrum homo sit risibilis:* si probabilis, *problema*, ut: *utrum parentes sint honorandi, necne;* si apparens et multiplex, *sophisma*, ut: *utrum canis moveatur;* quatenus adducitur ad obviandum dictis alterius, *instantia;* quatenus ipsi innititur demonstratio, *dignitas* (seu axioma), *postulatio*, *petitio* seu *suppositio* dicitur» (2). Notat tamen statim Toletus, jam apud recentiores quamlibet orationem, significantem verum vel falsum, vocari generatim *propositionem*.

Varia nomina ejusdem rei:

enuntiatio, interpretatio, propositio, conclusio, quæstio, problema, sophisma,

instantia, axioma etc.

106. Quid ergo est propositio seu enuntiatio? Duplex affertur definitio ad mentem Aristotelis, prima: *oratio verum vel falsum significans* (3); altera: *oratio affirmans aut negans aliquid de aliquo* (4); et utraque recta est, tum quia valde perspicua,

Quid enuntiatio seu propositio.

(1) S. Thom. *Periherm.* lib. 1, post initium. Atque hæc est causa, cur librum, in quo disputat de enuntiatione, inscripserit Aristoteles Περι ερμενειας, seu *de Interpretatione*.

(2) Logica, de *Interpret.*, cap. 4, quæst. 2.

(3) Arist. *Periherm.* cap. 4.

(4) Lib. 1.º *Prior Analytic.* c. 1. Si quis quærat, cur Philosophus in diversis hisce locis diversa usus fuerit propositionis definitione, ratio hæc esse potest, quia in libro *Perihermenias* consideravit propositionem absolute et in se, in libris vero *Analyticorum* eamdem tractare voluit secundum quod est pars syllogismi vel ratiocinationis. Et quoniam ad artificium et rectam formam syllogismi nihil refert

tum etiam quia conveniens omni et soli definito. Quamquam neutra est essentialis; siquidem prima fit per genus et accidentia, veritas enim aut falsitas sunt accidentia propositionis (1). Secunda vero, fit per differentias divisivas generis; nam affirmatio et negatio sunt differentiæ divisivæ generis in duas distinctas species propositionis, unde similis est illi definitioni, qua quis animal definiret, *vivens: quod est rationale vel irrationale*. Inter definitiones autem essentiales ab auctoribus excogitatas, hæc satis apta videtur, qua propositio dicitur *oratio perfecta sententiam ferens de objecto* (2). Sicut enim judicium est actus mentis sententiam ferentis de identitate aut discrepantia duorum terminorum, quos inter se comparat, ita propositio, utpote judicii expressio, est oratio decernens, quid censendum sit de objecto, seu de identitate duorum conceptuum.

Hinc patet 1.° ad omnem propositionem, non secus atque ad judicium, requiri subjectum ac prædicatum, quæ sunt materia, et copulam, quæ est forma propositionis.

Elementa propositionis:

2.° Perspicitur, quomodo nomen et verbum constituant partes essentiales propositionis: nomen enim est subjectum, et verbum inter alia exprimit prædicatum, est enim *nota eorum, quæ de altero prædicantur,* ut supra vidimus. Sed quoniam verbum præter prædicatum continet etiam copulam, sequitur verbum et partem materiæ esse et formam propositionis; pars est materiæ, quatenus continet prædicatum, et est forma, quatenus præ se fert unionem et copulam prædicati cum subjecto (3).

quantitas et qualitas propositionis.

Præter materiam consideratur a Logicis in propositione *quantitas* ejusdem et *qualitas*. Quantitas vocatur latitudo subjecti ad plura vel pauciora objecta significanda; qualitas autem est ejusdem essentialis differentia.

---

veræne an falsæ sint propositiones, multum autem, ut videbimus, utrum sint affirmativæ an negativæ, ideo in libris *Analyticorum* definivit propositionem per affirmationem aut negationem.

(1) Vide quæ dicenda sunt in Logica Majori, disp. 1, cap. 3, art. 1 et 2. Cfr. Lossada, *Instit. Dialect.* disp. 7, cap. 1, n. 1.

(2) Lossada *Instit. Dialect.*, disp. 7, cap. 1, n. 2.

(3) Cfr. Tolet. De *Interpret.*, cap. 3 *de verbo*, quæst. 1, *Ex quo sequitur manifeste.*

CAPUT II.

DE DIVISIONIBUS

PROPOSITIONIS.

Agimus de divisionibus communibus propositioni tum mentali tum orali: quæ peti possunt, ad mentem Aristotelis (1), tum tum ex *unitate propositionis*, tum ex *qualitate*, *quantitate* ac *materia* ejusdem.

ARTICULUS I.

Divisiones propositionis ratione materiæ.

107. Materia propositionis duplex cogitari potest, altera *proxima* seu *ex qua*, altera *remota*, seu *circa quam*. Proxima sunt termini, quibus constat propositio; remota vero sunt res et objectum, circa quod versatur propositio.

Propositiones de primo, secundo ac tertio adjacente.

Spectatis ergo terminis seu materia proxima, dividitur in propositionem de *primo*, *de secundo* ac de *tertio adjacente* (2). Propositio de tertio adjacente est ea, quæ constat subjecto, prædicato et copula, distincte ac separatim expressis, nimirum illa, quæ constat subjecto ac prædicato, copulatis per verbum substantivum *sum*, *es*, *est*, v. g.: *Homo est rationalis*. De secundo adjacente est, quæ constat nomine ac verbo, in quo prædicatum et copula simul continentur, ut si dicas: *Deus est*, id est, *existit; Ego dormio; Petrus scribit librum*. Tandem de primo adjacente vocatur a recentioribus propositio, in qua solum verbum distincte exprimitur in prima aut secunda persona: ut: *Video cœlum: Scribis*.

Cæteræ omnes reducuntur ad propositiones de tertio adjacente.

Verum plane vides, ipsas propositiones de secundo et de primo adjacente *virtualiter* esse de tertio adjacente, quia in verbo involutum atque implicitum habent prædicatum vel

(1) *Periherm.* lib. 1, cap. 5, seqq. Cfr. S. Thom., ib. lect. 8, seqq.

(2) Apud veteres auctores non recordor me reperisse mentionem propositionum de *primo adjacente;* quæ tamen a recentioribus explicantur.

ipsum etiam subjectum. Ut enim ex supra dictis de verbo innotescit (1), hæc propositio: *Deus est*, in hanc logice resolvitur: *Deus est existens:* et hæc: *Petrus scribit librum*, in hanc: *Petrus est scribens librum:* et hæc: *Gaudeo*, in hanc aliam: *Ego sum gaudens*, quæ est de tertio adjacente.

Si porro quæras rationem appellationum harum: *Attende*, inquit B. Albertus Magnus, *quod hoc verbum* **est** *tertium adjacens dicitur in propositione, in qua hoc verbum* **est** *non est prædicatum, id est, res prædicata, sed est tamtum nota compositionis prædicati cum subjecto, ut cum dicitur:* **Homo est albus**. *Et tunc dicitur* **tertium adjacens**, *non ordine, sed numero: ordine enim secundum est adjacens. Sed quia conjungibilia sunt ante conjunctionem eorum, et composibilia ante compositionem, cum compositionem non sit intelligere sine compositis; hoc modo loquendo hoc* **verbum est** *etiam ordine est tertium adjacens* (2).

108. Præterea ratione dispositionis terminorum propositio dividitur in *directam* seu *naturalem*, et *indirectam* seu *innaturalem*. Naturalis est illa, in qua loco prædicati collocatur terminus significans formam vel instar formæ, et loco subjecti terminus significans ad modum suppositi, vel etiam illa, in qua prædicatum latius patet quam subjectum. Et e converso propositio est innaturalis, cum termini modo inverso disponuntur. Brevius: Propositio est naturalis, quando continet *prædicationem naturalem*, et innaturalis, quando innaturalem: de quibus alibi dictum est (3).

Propositio naturalis et innaturalis:

Dividitur etiam propositio ratione terminorum in *identicam* et *formalem*. Identica est illa, in qua prædicatum, aut est idem ipse terminus, qui locum occupat subjecti, aut si non idem, est saltem perfecte synonymus, v. g. *homo* est *homo*, vel *ensis* est *gladius*. Formalis e converso illa, cujus termini distinguuntur ratione, saltem secundum implicitum et explicitum (4), ut: *animal est substantia; Homo est animal rationale*.

identica et formalis.

(1) Supra n. 98 in fin.

(2) Cfr. S. Thom. *Periherm.* lib. 2, lect. 2, init., et paragr. 6.

(3) Supra n. 42.

(4) Nota autem, alias propositionem *formalem* intelligi ipsam complexionem terminorum, identitatem objectivarum rationum significantium, prout est in seipsa: quo pacto formalis propositio dicitur per

Cæteras divisiones propositionis denominatas a variis speciebus terminorum, quibus constare potest, non est necesse persequi, tum quia satis per se patent, tum quia non magnus earum est usus ac necessitas (1).

Divisiones spectata materia circa quam,

109. Itaque gradum faciamus ad divisiones propositionis, spectata materia *circa quam*, in qua potissimum consideranda venit habitudo et modus connexionis prædicati cum subjecto, quorum identitatem pronuntiat enuntiatio. Habitudo autem hujusmodi triplex esse potest, prout vel prædicatum *necessario* inest subjecto, vel repugnat illi, vel nec necessario inest nec repugnat, sed *contingenter* competit eidem. Hinc triplex solet distingui materia, *necessaria*, *impossibilis* et *contingens* seu *possibilis*, ac proinde triplex propositio: de materia *necessaria*, cujus nimirum prædicatum nequit non convenire subjecto; *de materia impossibili*, cujus prædicatum verificari nequit de subjecto; ac de materia *contingenti* vel *possibili;* cujus prædicatum potest competere subjecto, et potest etiam non competere. *Nam si prædicatum per se insit subjecto* (sive quia exprimit illius essentiam, sive proprietatem), inquit S. Thomas, *dicitur esse enuntiatio in materia* NECESSARIA vel NATURALI, *ut cum dicitur:* HOMO EST ANIMAL, vel HOMO EST RISIBILE. *Si vero prædicatum per se repugnat subjecto, quasi excludens rationem ipsius, dicitur enuntiatio esse in materia* IMPOSSIBILI *sive* REMOTA, *ut cum dicitur:* HOMO EST ASINUS. *Si vero medio modo se habet prædicatum ad subjectum, ut scilicet nec per se repugnet subjecto, nec per se insit, dicetur enuntiatio in materia* POSSIBILI *sive* CONTINGENTI (2); ut: *Homo est albus*. Quæ divisio, ut satis per se elucet, adæquata est.

Sequitur autem hinc, in materia necessaria omnes propositionis afirmativas esse veras, et falsas omnes negativas; in materia vero impossibili e converso; ac demum in materia contingenti tum affirmativas tum negativas, posse esse veras

---

oppositionem ad *objectivam*, quæ est realis identitas terminorum, quæ performalem propositionem exprimitur. Unde propositio *formalis* in hoc sensu intellecta et objectiva invicem comparantur, sicut terminus formalis et objectivus.

(1) Vide Lossada, disp. 7, cap. 1, n. 7.

(2) S. Thom., *Periherm.*, lib. 1, lect. 13, initio.

et falsas, nimirum, saltem plerumque, omnes universales falsas esse, veras autem solummodo particulares.

Non confundenda præcedens divisio cum alia in necessariam, mpossibilem et contingentem.

Hæc divisio solet ab aliquibus afferri tamquam eadem aut æquivalens divisioni propositionis in *necessariam*, *impossibilem* et *contingentem*. Proprie tamen loquendo sunt penitus distinctæ, nam necessaria illa dicitur, quæ necessario vera est, seu ita est vera, ut falsa esse nequeat, et imposibilis, quæ non potest verificari, seu est necessario falsa. Unde necessaria sub se complectitur omnes propositiones affirmativas in materia necessaria, et omnes negativas in materia impossibili; et e converso impossibilis propositio comprehendit omnes negativas in materia necessaria, et omnes affirmativas in impossibili. Solumque propositio contingens seu possibilis æquivalet præpositioni in materia contingenti (1).

ARTICULUS II.

Divisiones propositionis ratione quantitatis.

Divisiones ratione quantitatis: universalis,

110. Ratione quantitatis dividitur propositio in *universalem*, *particularem*, *singularem atque indefinitam*. Universalis est, cujus subjectum afficitur signo suppositionis universalis distributivæ, ut: *Omnis homo est substantia; Nullus homo est lapis* etc. Universalitas porro propositionis potest esse vel *metaphysica*, vel *physica* vel *moralis:* prima obtinet cum propositio nullam pati potest exceptionem, ne per divinam quidem omnipotentiam; physica, cum per miraculum pati potest exceptionem, ut hæc: *Omnis ignis comburit;* moralis denique, cum etiam sine miraculo exceptionem in aliquo casu raro admittit, quamvis difficulter, ut hæc: *Omnes matres diligunt filios*, et hæc. *Omnis juvenis est inconstans*. Moralis autem hujusmodi universalitas potest gradus habere, pro majori aut minori difficultate in exceptionibus possibilibus. Sed de his alibi.

particularis,

Particularis propositio est, cujus subjectum afficitur signo particulari, nimirum suppositionis disjunctivæ, v. g. *Aliquis homo est doctus; Aliquod animal non est rationale.*

(1) Cfr. Fonseca, *Instit. Dialect.* lib. 3, cap. 5; Tolet. *Summul.* lib. 1, cap. 17, etc.

singularis, Singularis est, cujus subjectum est terminus singularis, ut: *Petrus est sanctus, Hic homo legit librum.*

Adverte propositiones singulares logice universalibus æquiparari, saltem in creatis, quia sumuntur secundum totam suam extensionem, seu pro omni eo, de quo prædicabilis est terminus singularis. Dixi *saltem in creatis*, quia in divinis datur terminus singularis, qui sumitur particulariter, quemadmodum docent Theologi. Terminus enim *hic Deus*, qui singularis est, particulariter supponit in his propositionibus: *Hic Deus est Pater, hic Deus est Filius, hic Deus est Spiritus Sanctus.*

indefinita. Denique indefinita est propositio, cujus subjectum nullo signo afficitur, ejus extensionem determinante, ut: *Homo est rationalis; Arbor est procera.*

Undenam judicanda quantitas propositionis. Jam circa quadruplicem divisionem quædam animadvertenda sunt. Et 1.° quidem de quantitate propositionis judicandum esse ex subjecti dumtaxat extensione, non vero ex extensione prædicati.

2.° Quando subjectum est terminus complexus, constans casu recto et obliquo, attendendum esse ad extensionem casus recti. Sic universalis est hæc: *Omnes libri Petri tractant res physicas;* hæc vero particularis: *Unus vestrum me tradet.*

3.° Propositionem, cujus subjectum habet suppositionem collectivam, universalem non esse.

Regulæ ad interpretandam indefinitæ quantitatem. Ad interpretandam propositionis indefinitæ quantitatem, hæc possunt statui: α) si subjectum talis propositionis habeat suppositionem *simplicem* vel etiam *materialem*, propositio censenda est singularis, ut si dicas: *Homo est species, Homo est vox disyllaba;* quia ejusmodi suppositio *est immobilis*, atque adeo nullam pati potest resolutionem.

β) Cum autem subjectum sumitur in suppositione reali, quandoque persuadent adjuncta indefinitam propositionem interpretari tamquam singularem: ut si historiographus de duce exercitus, quem sæpe nominavit, scribat in eodem narratione sic: *Dux, commisso prælio, milites ad fortiter pugnandum verbis exemploque suo accendit;* omnes illico intelligunt, de singulari ac noto duce sermonem esse, de illo nimirum ipso, quem ex reliquo contextu norunt omnes caput totius exercitus.

γ) Pro cæteris casibus realis suppositionionis veteres scriptores hanc tradebant communissimam legem, propositiones indefinitas in materia necessaria (1) et impossibili æquivalere universali; particulari autem in materia possibili vel contingente (2). At recentiores nonnulli contendunt propositiones indefinitas in suppositione personali semper habendas esse universales, veras quidem, si prædicatum inferioribus subjecti competat universalitate saltem morali, falsas autem, si quibusdam tantum vel paucis (3). Crediderim equidem utramque interpretationem posse haud difficulter conciliari. Veteres enim, et quicumque illorum formulam hac in re amplectuntur, hoc tantum velle censendi sunt, propositiones in materia necessaria et impossibili verificari semper de omnibus inferioribus sub extensione subjetci contentis, cætera vero que circa materiam contingentem versantur, non postulare ex natura rei, ut verificentur de subjecto quoad totam suam extensionem, seu ut universaliter accipiantur.

Negari tamen nequit propositiones indefinitas plerumque usurpari etiam in materia contingenti ad ea prædicata de subjectis enuntianda, quæ illis, ut plurimum, vel saltem quod maximam partem, convenire docuit experientia. Sic dicimus: *Hispani sunt catholici: milites gloriam honoremque magno habent in pretio.* Qui modus loquendi usque adeo invaluit, ut falsas habeamus illas propositiones indefinitas de materia contingenti, quæ nonnisi in paucis individuis verificantur. Quis enim non dicat falsas hasce propositiones: *Sinenses sunt christiani; homines sunt ebriosi etc?* (4).

---

(1) Ad materiam necessariam revoca etiam materiam dogmaticam, quæ divinam revelationem continet, itemque materiam, quæ legem universalem implicat.

(2) Regula hæc supponit sermonem esse de propositionibus in dispositione seu prædicatione naturali; nam in innaturali potest fallere, ut si quis hanc: *animal est homo*, universaliter interpretatur.

(3) Vide Tongiorgi, *Instit. Log.*, n. 164, 4.°

(4) Cfr. Jacobus Balmes, *Filos. element.* n. 154-157.

ARTICULUS III.

Divisiones propositionis ratione qualitatis.

111. Qualitas propositionis in duplici sensu accipi potest, in sensu *physico*, quatenus exprimit aliquid non essentiale quoad rem ipsam; et in sensu logico, quatenus exprimere potest etiam aliquid, quod, licet quoad rem ipsam sit essentiale, significatur tamen modo *adjectivo:* quo sensu differentia specifica, utcumque speciei essentialis, nihilominus constituit prædicabile *in quale*, nimirum in *quale quid*.

Affirmativa et negativa propositio.

Et ratione qualitatis logice sumptæ dividitur propositio in *affirmativam* et *negativam:* affirmativa unum de alio affirmat, vocarique solet etiam *compositio*, quia prædicatum cum subjecto componit. Negativa unum de alio negat, et ideo dicitur etiam *divisio*, quia prædicatum dividit aut removet a subjecto; efferturque per particulam negativam verbo præfixam, quæ nomen accepit *particulæ malignantis naturæ*.

Ut vides, divisio hæc est *divisio generis in species*, quemadmodum notat Angelicus, quia *sequitur secundum differentiam prædicati, ad quod fertur negatio, prædicatum autem est pars formalis* (i. e, essentialis) *enuntiationis*, et *ideo hujusmodi divisio dicitur pertinere ad qualitatem enuntiationis, qualitatem, inquam, essentialem, secundum quod differentia significat* **quale quid** (1).

Affirmativa prior ac nobilior negativa.

Inter has propositiones affirmativa censetur negativa nobilior ac prior: nobilior quidem, quia magis manifestat de re quam negativa, per quam non patescit, nisi *quid* aut *qualis res non sit*, non autem *quid* aut *qualis sit*. Prior vero est affirmativa, quia quid *res non sit*, sciri non potest, nisi cognoscatur, *quid sit*, saltem confuso aliquo modo (2). Nimirum *intellectus negationis semper fundatur in aliqua affirmatione. Quod ex hoc patet, quia omnis negativa per affirmati-*

(1) S. Thom. *Periherm.*, lib. 1, lect. 10, paragr. *b*.

(2) Vide S. Thom. *Periherm.*, lib. 1, lect. 8, initio. Cfr. Tolet. *Logic. De Interpret.* cap. 4, q. 2.

vam probatur: unde nisi intellectus humanus aliquid de Deo affirmative cognosceret, nihil de Deo posset negare (1).

Quomodo cognoscenda negativa.

Quænam autem sit negativa propositio, cognoscitur ex particula *malignantis naturæ*, quæ copulam ipsam afficiat. Si enim negativa particula solum afficiat subjectum aut solum prædicatum, id quod ex orationis contextu judicandum est, propositio negativa non erit. Itemque in propositionibus, in quibus aut subjectum aut prædicatum contineat integram aliquam orationem incidentem, ad discernendam *qualitatem* propositionis attendendum est ad copulam *principalem;* neque enim sufficit copulam particularem ac secundariam, quæ copula *implicationis* nominatur, esse affirmativam aut negativam, ut propositio composita dici possit affirmativa vel negativa. Quamobrem affirmativæ sunt hæ: *Qui* **non est** *mecum, contra me est; Petrus est vir qui* **non timet** *mortem.*

Propositio vera et falsa.

112. Ratione qualitatis physice sumptæ dividitur propositio in *veram* et *falsam*: veritas enim et falsitas non spectat ad essentiam, quandoquidem, ut suo loco dicetur; eadem ipsissima propositio a veritate ad falsitatem, aut e converso, transire potest (2). Vera autem est propositio, quando est conformis objecto; et falsa, quando est difformis.

Ad rem Angelicus Doctor: *Cum enuntiatur aliquid esse vel non esse secundum congruentiam rei, est oratio vera: alioquin est oratio falsa. Sic igitur quatuor modis potest variari enuntiatio secundum permixtionem harum duarum divisionum. Uno modo quia id quod est in re, enuntiatur ita esse sicut in re est, quod pertinet ad affirmationem veram; puta; cum Socrates currit, dicimus* **Socratem currere.** *Alio modo, cum enuntiatur aliquid non esse quod non est; quod pertinet ad negationem veram: ut cum dicitur:* **Aethiops albus non est.** *Tertio modo cum enuntiatur aliquid esse. quod in re non est; quod pertinet ad affirmationem falsam: ut cum dicitur:* **Corvus est albus.** *Quarto modo, cum enuntiatur aliquid non esse, quod in re est, quod pertinet ad negationem falsam; ut cum dicitur:* **Nix non est alba** (3).

---

(1) S. Thom., *De Potent.* q. 7, a. 5 in corp.
(2) Vide in Logic. Majori disp. 1, cap. 3, art. 2.
(3) *Periherm.*, lib. 1, lect. 9, initio.

ARTICULUS IV.

Divisiones propositionis ratione unitatis.

Quid unitas propositionis.

113. Unitas propositionis est indivisio in plures propositiones. Nam licet coalescat propositio ex variis elementis, facit tamen unum artefactum logicum, servans, dum est una, actualem indivisionem in plures. Jam vero actualis unitas seu indivisio propositionis ex duplici capite procedit, vel quia simplex est ipsa, ideoque *indivisibilis* in plures propositiones, vel quia licet composita sit in se ex pluribus propositionibus, in qua illa *divisibilis* est, nondum tamen est divisa, sed manet unita (1).

Propositio simplex et composita.

Itaque propositio ratione unitatis dividitur in *simplicem* et *compositam*, seu complexam vel *conjunctione unam*. Et simplex communissime vocatur etiam *categorica*, composita vero *hypothetica* (2). Simplex vel categorica est, quæ *unum de uno significat* (3) seu enuntiat, sive illud unum sit terminus simplex, sive complexus: vel fortasse clarius, quæ unam tantum habet copulam principalem; v. g. *Deus est immortalis*.

---

(1) Cfr. S. Thom. ib. lect. 8, initio.

(2) Non me latet, spectata vocis origine, non esse idem propositionem *simplicem* et *categoricam*, nec *compositam* et *hypotheticam*. Categorica enim idem ex se sonat, atque *absolute prædicativa*, et sic opponitur conditionali: unde vulgo dicuntur *categorice* loqui illi, qui sine ulla hypothesi aut conditione aliquid enuntiant. Et quoniam possunt esse propositiones ejusmodi absolutæ tum simplices, tum compositæ, posset propositio *categorica*, sumpta prout sonat secundum vocis etymon, subdividi in *simplicem* et *compositam*. Itemque propositio *hypothetica*, utpote idem sonans ratione originis, ac *conditionalis*, non esset confundenda per se cum complexa seu composita, quandoquidem non omnes compositæ sunt *conditionales*. Et hoc modo loquuntur non pauci AA. Vide Izquierdo (in *Pharo*, disp. 19, quæst. 1, n. 4). Cfr. P. Anton. Mayr. (*Summul.*, quæst. 2, art. 1). Nihilominus communissima ratio loquendi veterum pro eodem habet simplicem et categoricam, et hypotheticam compositamque: quare in quæstione de voce, communiori usui ac majorum auctoritati standum potius esse duximus, quam etymologiæ. Cfr. Lossada, disp. 7, cap. 5, n. 2.

(3) S. Th. loc. cit. lect. 8, paragr. *d*.

Dixi copulam *principalem*, quia simplicitas propositionis non vetat, quominus subjectum aut prædicatum instar complementi habeat orationem aliquam incidentem cum suo verbo et copula, quæ propterea vocatur *copula implicationis* ad differentiam *principalis*, ut videre est in hac propositione, quæ simplex est logice: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis;* ubi copula principalis inest in verbo *crucifixerunt*, verbum autem *sunt* est copula implicationis.

Copula principalis et implicationis.

Propositio complexa vel hypothetica est, quæ plures simplices seu categoricas ope conjunctionis alicujus in unum colligit: ut si dicas: *Si lucet, dies est.*

Et quoniam complexa propositio ex pluribus simplicibus coalescit, quasi totidem membris inter se copulatis, duplex in ea bene consideranda est copula, *verbalis* nimirum copula singularum propositionum simplicium, et altera non verbalis consistens in ipsa connexione partium harum ad constituendam propositionem compositam. Et hæc est copula principalis propositionis compositæ. Illud enim dici debet copula principalis et forma propositionis compositæ, quod illam constituit in ratione talis propositionis. Atqui non est copula verbalis partialium propositionum id, quod efficit compositam propositionem; potest quippe illa adesse, et nondum dari propositio composita, quia deest nexus præcise ac compositio. Quemadmodum si dicas: *Sol lucet, dies est,* habes quidem copulas verbales duarum simplicium propositionum, non tamen habes propositionem complexam; et non ob aliam rationem, nisi quia propositiones illæ sunt penitus dissociatæ, nec ullo nexu vel consecutione continentur.

Duplex copula in compositis: verbalis et principalis.

Et ratio est, quia in propositione composita *præcipue* intenditur *(præcipue*, inquam, non autem *unice)* enuntiare simultatem et vinculum mutuum diversarum categoricarum, quæ proinde, præciso illo vinculo, non possunt esse una complexa, sed plures simplices. Quæ causa intima est, cur ex pluribus propositionibus simplicibus, quæ seorsim et absolute falsæ prorsus sint, possit verissima enasci composita, et vicissim ex veris simplicibus falsa composita, ut inferius patebit, quia nihil vetat, quominus aut inter falsas propositiones existat nexus et consecutio, aut inter veras desideretur.

Propositio simplex dividitur in absolutam seu *de inesse*, et modalem.

Propositio simplex subdividitur in *absolutam* vel de *inesse* ac *modalem*. Absoluta vel de inesse est illa, quæ absolute enuntiat prædicatum inesse vel non inesse alicui subjecto, ut: *Deus est æternus: Homo non est lapis* (1). Modalis est, quæ insuper significat *modum*, quo prædicatum subjecto inest, aut non inest, ut: *Deus necessario est seu existit*. De simplici nihil speciatim dicendum occurrit; de modalibus autem in sequenti articulo accurate agemus (2).

Propositiones compositæ dividuntur in *aperte compositas* et in *occulte compositas*, quæ nimirum speciem habent simplicium, quamvis re vera compositæ sint: de quibus omnibus seorsim agendum.

ARTICULUS V.

De propositione modali.

Quid modalis

114. Propositio modalis, ut nuper diximus, est illa, quæ non solum prædicatum convenire aut non convenire subjecto enuntiat, sed insuper exprimit *modum*, secundum quem convenit, aut non convenit. Modus autem generatim est parti vel toti propositioni adjacens determinatio. Et quamvis multiplex possit esse modus, prout modificet et afficiat subjectum vel prædicatum, nomen vel verbum, et vel per adverbia, quæ vocant Grammatici modalia, vel per nomina adjectiva vel per varia syncategoremata (3); nihilominus ille solum constituit propositionem modalem, qui vocatur *modus logicus*, ille nempe, qui *determinat indolem ac rationem habitudinis inter subjectum et prædicatum, seu ille, qui afficit copulam subjecti et prædicati*. Unde propositio hæc: *Petrus currit velociter*, non est modalis logice, quia modus ille non afficit copulam, seu non exprimit rationem, secundum quam

Quid modus logicus

(1) Animadverte nonnumquam dici propositionem *de inesse* illam, quæ habet verbum in præsenti tempore.

(2) Cfr. Auctor *Summ. totius Logic. Arist.*, tract. 6, *de Interpret.* cap. 7. initio.

(3) Vid. Auctor Opusc. de *Totius Logicæ Arist. Summa*, tractat. de *Interpret.* seu *enuntiat.* cap. 11. Cfr. Cajetan. lib. 2 *Periherm.*, lect. 8; Tolet *de Interpret.*, lib. 2, cap. 3. quæstio. *Quid sit modus.* etc.

cursus inest Petro, sed solum afficit prædicatum, utpote qui determinat modum cursus, qui Petro convenit. E converso modalis est hæc: *Homo est necessario animal*, quia exprimit modum, secundum quem animalitas prædicanda de homine est (1). In ejusmodi proinde enuntiatione duæ partes distinguere oportet, *modum*, et orationem ipsam, quæ modo afficitur, et vocatur *dictum*.

Modus et Dictum.

Modi logici rationem compositionis prædicati cum subjecto determinantes, possent sex omnino numerari, *necessario*, *impossibiliter*, *possibiliter contingenter*, *vere et falso* (2). Verum duo ultimi modi in primis non variant propositionem quantum ad ipsius proprietates, ac deinde implicite reperiri possunt in quacumque propositione, sive simplici sive composita, eo enim ipso quod res est vel non est, prout enuntiatur, verum vel falsum est prædicatum inesse subjecto, etiamsi diserte non exprimatur modus. Quare, prætermissis duobus istis modis, remanent quatuor alii (3).

Quotuplex modalis.

Modus porro *necessitatis*, ut planum est, exprimit prædicatum ita convenire subjecto, ut nequeat non convenire; modus *impossibilitatis*, ita repugnare, ut nequeat convenire; modus *possibilitatis*, ita prædicatum se habere respectu subjecti, ut ei non repugnet; ac modus *contingentiæ* demum, ita prædicatum inesse subjecto, ut possit etiam non inesse. Exempla sunto: *Homo necessario est animal; homo impossibiliter est lapis*, seu: *Impossibile est hominem esse lapidem, Petrus possibiliter addiscit litteras*, vel: *Possibile est Petrum addiscere litteras;* et: *Leo contingenter currit.*

Quænam vis singulorum modorum.

Dices forte modum *possibilitatis* et *contingentiæ* unum prorsus atque idem videri. Verum non ita est, si proprie loqui velimus. Nam *contingens* exprimit formam aliquam ita esse, ut possit quoque non esse, atque adeo non est necessario: at vero *possibile* significat *non repugnantiam formæ* alicujus, præscindendo ab hoc quod forma illa sit *necessario* vel *contingenter;* non enim solum quæ contingenter sunt, sed

Discrimen inter modum de possibili ac de contingenti.

(1) Vid. S. Thom., ac Tolet. ibid.

(2) Vid. Auctor. cit. Opusc., et Petr. Hispan. in *Summul.*, tract. 1, ubi de prop. modali; Tolet. loc cit.

(3) Vid. Auctor. Opusc. cit., et Tolet. loc. cit.

etiam quæ necessario, possibilia sunt, siquidem son essent *necessario*, si non *possent esse*. Quamobrem *contingens* excludit positive necessarium, cui opponitur contradictoria; *possibile* vero non ita excludit, sed simpliciter *præscindit* a necessario vel contingenti, et potius se habet instar generis respectu necessarii et contingentis (1).

Fateor tamen sæpe possibile sumi pro contingenti, quatenus opponitur necesario: ac tum eumdem, ut patet, exprimit modum.

Quotuplici modo efferri possit modalis.

115. Jam vero propositio modalis bifariam efferri potest: α) ita ut modus exprimatur per adverbia, nempe *necessario*, *impossibiliter*, *possibiliter*, *contingenter*, ut in allatis superius exemplis: β) ita ut modus exprimatur per nomen, ponendo deinde in infinitivo verbum propositionis, quæ afficitur modo, quæque vocari solet *dictum*. v. g. *Necesse est hominem esse animal; Impossibile est hominem esse lapidem; Possibile est Petrum scientias addiscere; Contingens est leonem currere.* Utrovis autem modo enuntietur dictum, propositio modalis eumdem semper sensum reddit, ac discrimen est pure materiale vel grammaticale: sed quod usum attinet, forma secunda enuntiandi modalem propositionem per dictum seu rationem in infinitivo positam et modum instar nominis, longe est frequentior, prima vero forma, potissimum in modis *possibilitatis* et *impossibilitatis*, raro usurpatur. Illam ergo formam usitatiorem diligentius expendere oportet.

Expenditur ratio propositionis modalis.

In qua si paululum observaveris, deprehendes profecto, modalem æquivalere categoricæ, cujus subjectum foret integra oratio infinitivi, quæ dictum appellatur, et prædicatum modus ipse: sive hoc ordine collocentur dictum et modus in enuntiando, sive inverso, id enim pure materiale est ac parum refert. Et ratio est, quia tota vis modalium in eo est, ut de integra quapiam propositione prædicetur modus habitudinis inter prædicatum ac subjectum illius. Necesse est ergo modum se habere instar prædicati, dictum vero instar subjecti respectu totius modalis propositionis (2). Unde sequitur, si

(1) Vide Auctor. *Summæ totius Log. Arist.*, loc. cit., cap. 13. Cfr. Fonseca, *Dialect.* libr. 3, cap. 9, etc.

(2) Vide Fonseca, *Dialect.*, lib. 3, cap. 9.

quando in propositione, etiam quoad speciem modali, modus non exprimit indolem habitudinis inter subjectum et prædicatum dicti, propositionem illam non esse vere modalem. Ut si quis ad exprimendum officium vel obligationem aut necessitatem, quæ subjecto incumbit faciendi aliquid, dicat v. g. *Necesse est Petrum hodie domo egredi, vel coram rege adesse* etc., propositio non est modalis, sed categorica; quia in ea non intenditur enuntiare egressum e domo vel præsentiam coram rege, per se convenire Petro, ideoque necessario affirmandum esse, id enim falsum foret; sed enuntiatur simpliciter necessarius egressus vel præsentia, quæ tamen non per se convenit Petro: unde modus afficit dumtaxat prædicatum dicti, non vero exprimit habitudinem inter tale prædicatum et subjectum (1).

Copula modalium,

Hinc plura colliges circa naturam modalium. Ac primo quidem copula propositionum modalium non est unio terminorum, quæ dictum componit, sed ipse formalis actus enuntians habitudinem mutuam, quam illi habent, seu ipse formalis actus connectens dictum cum modo.

materia,

Deinde, licet dictum versari possit circa quamvis materiam, sive necessariam, sive impossibilem, sive possibilem, aut contingentem, sicut quælibet alia propositio; nihilominus ipsa integra et formalis propositio, prout talis, non potest versari nisi in materia necessaria et impossibili. Et ratio est, quia quod est possibile, necessario est possibile, et non potest non esse possibile. Ergo propositio, per quam affirmatur: *Possibile est Petrum currere*, exprimit habitudinem necessariæ connexionis inter dictum et modum. Itemque quod non est possibile, necessario non est possibile. Ergo propositio per quam affirmatur: *Impossibile est mentiri Deum*, iterum exprimit habitudinem necessitatis inter modum ac dictum. Et idem dic de reliquis modis necessitatis et contingentiæ.

E converso quod est necessarium, impossibile est non esse necessarium. Ergo propositio modalis hæc: *Non est necesse hominem esse animal*, exprimit habitudinem impossibilitatis inter modum ac dictum, seu habet modum de materia

(1) Cfr. Auctor. *Opusc. Summ. tot. Logic. Arist.*, tract. *de Interpret.* c. 11, et P. Mauri, *Summul.* c. 45.

impossibili. Ac simili modo, quod non est necessarium, impossibile est necessarium esse. Igitur hæc alia propositio: *Necesse est hominem esse album;* enuntiat habitudinem impossibilitatis inter dictum et modum. Et quoniam idem dici potest de reliquis modis, sequitur omnes propositiones modales veras versari in materia necessaria, quatenus spectat copulam modi, ac vicissim omnes falsas versari in materia impossibili.

quantitas; Insuper ex dictis constat etiam, quid sit decernendum de quantitate et qualitate propositionis modalis. Quamvis enim dictum possit habere pro subjecti suppositione varia extensionem, vel universalem, vel particularem, vel singularem vel indefinitam, sicut quævis propositio categorica *de inesse;* tamen omnes enuntiationes modales, si seorsim et absolute considerentur in seipsis, *sunt singulares, quantumcumque sit in eis signum universale* (in dicto). *Unde hæc:* **Omnem hominem currere est possibile,** *est singularis, et sic de omnibus. Ratio hujus est, nam, ut supra dictum est, enuntiatio dicitur singularis, quia in ea subjicitur singulare, seu terminus singularis, ut Socrates Currit; sed in talibus propositionibus subjicitur hoc dictum signatum, scilicet* **omnem hominem currere,** *quod totum accipitur pro uno termino signato. Omnes ergo tales enuntiationes sunt singulares* (1).

modales universales et particulares. Nihilominus si variæ propositiones modales inter se comparentur, duplex considerari potest in eis quantitas: universalis et particularis. Nam modus *necesse* et *impossibile*, haberi solent a Logicis communiter tamquam universalia respectu *possibilis* et *contingentis*. Et ratio est, «quia *necesse* perpetuo ponit subjectum, de quo dicitur, sicut *impossibile* perpetuo tollit: et ideo comparantur signis *omnis* et *nullus*, quia sicut in his est universalitas numeri, ita in illis universalitas temporis. At *possibile* et *contingens* ex se permittunt subjectum aliquando non esse: quare comparantur signo *quidam*, ob eamdem rationem. Rem istam exhibent vulgati versus:

Omnis necesse valet: impossibile nullus
Possibile quidam: quidam non, possibile non» (2).

(1) *Summ. totius Logic. Arist.*, tract. de *Interpret.*, cap. 11. fin.
(2) Lossada, *Dialect.*, disp. 7, cap. 7, n. 3.; Cfr. Auct. Opusc. cit.; Fonseca loc. cit., lib. 3, cap. 10; Hurtadus, *Summul.*, disp. 4, sect. 9.

Qualitas modalium.

Tandem consideranda venit qualitas modalium: de qua etiam proportionali modo loquendum est ac de quantitate, materia et forma. Quamquam enim et in dicto singillatim spectato sua sit qualitas, secundum quod habet copulam affirmativam vel negativam; tamen de qualitate totius modalis propositionis non ex hoc judicandum est, sed ex eo quod modus affirmetur, vel negetur de dicto. Nam in hisce propositionibus, ut jam supra monuimus, modus æquiparatur prædicato propositionum de inesse, et dictum subjecto: *et ideo si modus componitur cum dicto affirmative, modalis erit affirmativa; si vero negative, propositio erit negativa. Hæc enim:* **Socratem non currere est possibile,** *est affirmativa, quia compositio modi cum dicto affirmatur; hæc autem:* **Socratem currere non est possibile,** *est negativa, quia talis compositio negatur* (1).

Jam si normam quæris ad judicandum de veritate aut falsitate modalium, en duas simplicissimas: 1.ª Modales de *neccesse*, *impossibili* et *contingenti* veræ sunt, si earum dictum versetur in materia *necessaria*, *impossibili* et *contingenti;* secus sunt falsæ. 2.º Modales de possibili (sumendo possibile pro diverso a contingenti) veræ sunt, si dictum versatur in materia aut necessaria aut contingenti; secus sunt falsæ. Ratio patet ex hactenus explanatis.

ARTICULUS VI.

De propositionibus aperte compositis.

Propositionum complexarum seu hypotheticarum variæ numerantur species: alia enim est *copulativa*, alia *disjunctiva*, alia *conditionalis*, alia *causalis* et *relativa*: de quibus seorsim agendum est. Et primo quidem

§ 1.—De Copulativa.

Quid copulativa:

116. Copulativa propositio vocatur, quæ plures propositiones conjungit ope particulæ copulativæ *et* vel *nec* etc. Ut si dicas: *Petrus sedet et Paulus ambulat.* Secundum quam

(1) *Summ. Totius Log. Arist.*, loc. cit., cap. 12. Cf. alios AA. passim.

definitionem propositiones quæ dicuntur de *extremo copulato* vel conjuncto, quæ nimirum habent pro subjecto vel prædicato plures terminos particula copulativa connexos, v. g. *Petrus et Paulus Romæ obierunt: Petrus fuit Apostolus et Martyr*, licet æquivaleant copulativis, resolvique possint in copulativas, non sunt tamen formaliter copulativæ, cum non habeant nisi unicam copulam. Sicut etiam propositiones universales categoricæ, ab omnibus habentur simplices, licet æquivalenter ac virtualiter sint complexæ, utpote resolubiles in plures de subjecto singulari secundum regulas expositas pro resolutione suppositionis per descensum. Et ratio est, quia circa eamdem materiam possunt fieri propositiones formaliter et specifice diversæ, licet idem omnes quoad rem ipsam enuntient: v. g. hæc causalis est: *Quia homo lethaliter peccat, gratiam amittit;* hæc tamen alia: *Peccatum lethale in homine causat jacturam gratiæ*, utraque identica quoad sensum, logice ac formaliter identica non est, sed est prorsus simplex et categorica (1). Ad has propositiones de extremo conjuncto revocari possunt propositiones constantes terminis complexis orationem aliquam de pronomine relativo continentibus, de quibus fuse quidam disputarunt. Nobis tamen id solum dicere satis fuerit, illas fere vel in copulativas vel in causales vel in conditionales pro vario rationis sensu logice resolvi posse (2).

expenditur ejus ratio.

Jam in copulativis, quemadmodum supra notabamus generatim de omni complexa seu hypothetica propositione, enuntiatur nexus ac simultanea veritas singularum partium.

Unde dignoscenda veritas ejus aut falsitas:

Unde sequitur 1.° ad veritatem copulativam requiri veritatem omnium ac singulorum partium, ad falsitatem autem sufficere falsitatem unius tantum membri.

materia circa quam,

2.° Copulativa erit necessaria, si omnes ejus partes necessariæ sint; impossibilis, si omnes vel saltem aliqua pars sit impossibilis; et contingens, si omnes, aut una saltem pars sit contingens, et nulla impossibilis.

quantitas.

3.° Quantitas propia copulativæ propositionis, prout talis, definienda erit non ex quantitate partialium enuntiatio-

(1) Alii tamen contra sentiunt, contenduntque, etiam propositiones de extremo copulato copulativas esse. Lis est de verbo.

(2) Vide Lossada. *Instit. dialec.*, seu *Summul*, disp. 5, cap. 3, n. 9 seqq.

num, sed ex earumdem unione: quamobrem semper existimatur universalis, quia enuntiat coexistentiam singulorum membrorum.

4.° Tandem qualitas essentialis propositionum copulativarum colligitur simili modo ex principali copula, non vero ex partialibus. Itaque affirmativæ sunt omnes copulativæ, in quibus enuntiari intenditur simultanea veritas et compositio singularum partium, sive interea hæ, seorsim spectatæ, affirmativæ sint, sive negativæ. Ideo affirmativæ sunt hæ omnes: *Petrus currit et Paulus dormit; Nec tu latro es, neque ego blasphemus; Ego triginta annos natus sum, tu vero nondum viginti* etc. E converso negativæ sunt omnes illæ, in quibus enuntiari intenditur simultanea veritas vel *compositibilitas* partium; v. g. Non et *Petrus currit* et *Paulus sedet:* cujus sensus est iste: Non est simul verum, quod Petrus currit ac Paulus sedet.

Conjunctiva seu copulativa negativa.

Ut vides, non sunt nisi copulativæ negativæ, aut certe ad eas revocantur propositiones illæ, quas recentioribus quibusdam libuit novo nomine appellare *conjunctivas* (1), qualis est hæc: *Nemo potest Deo servire ac mammonæ*, aut hæc: *Corpus nequit simul moveri et quiescere.*

Ad copulativam revocatur adversativa et relativa.

Ad copulativam quoque commode revocantur *adversativa* vel *discretiva*, quæ plura membra connectit ope particulæ adversativæ, ut: *Petrus bonus quidem philosophus est, sed malus christianus; et relativa*, quæ varia membra in unam integram propositionem conjungit per particulas relativas vel comparativas, sive quantitatis, ut *tantum, quantum, tam, quam;* sive temporis, ut *tum, cum, dum, quando:* sive modi, ut *sicut, ita* etc.; sive loci, ut *ubi, ibi* etc.

§ II.—De disjunctiva.

Quid disjunctiva.

117. Disjunctiva vocatur illa, quæ plures propositiones copulat in unam ope particulæ disjunctivæ, *aut, vel* etc. Ejusmodi propositione usus est Areopagita Dionysius, cum

(1) Vide Tongiorgi, *Institut. Logic.* n. 173; Card. Zigliara, *Dialect.* lib. 2, cap. 3, art. 2, n. VI.

tenebras repente in Passione Domini incumbentes miratus, exclamasse fertur: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvitur* (1).

Altera propria seu exclusiva, altera impropria seu permissiva

Sed disjunctivarum duo distinguuntur genera, alterum stricte disjunctivum seu *exclusivum*, alterum late disjunctivum seu *permissivum*. Disjunctiva exclusiva est illa, quæ statuit oppositionem inter membra ita, ut duo simul sociari nequeant, ut v. g.: *Petrus aut movetur aut quiescit:* et hæc proprie est disjunctiva propositio, siquidem germana indoles illius in eo stare videtur, ut unam e partibus indeterminate inferat, cæteris exclusis. Permissiva vero, vel præcisiva atque impropria, est ea, quæ non intendit veram statuere oppositionem exclusivam inter membra vel partes, sed unam *saltem* earum ponere, quidquid sit de alia vel aliis, v. g.: *Aut Petrus aut Paulus Romæ occubuit,* in qua propositione non intenditur negare, quod uterque Romæ occubuerit, sed enuntiatur, *saltem* alterum eorum occubuisse Romæ.

Neque objicias contra permissivas hasce disjunctivas, legem harum propositionum a priscis Dialecticis communissime traditam, ut non possit utraque pars disjunctionis vera esse, sed si una ponatur, altera necessario removenda sit, quemadmodum docet ipse S. Thomas vel quicumque sit auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis* (2). Unde auctores illi non videntur agnovisse disjunctivas permissivas. Nam hæc lex respicit dumtaxat propositiones stricte ac proprie disjunctivas. Cæterum permissivas admittit sensus communis omnium, ut patet ex his aliisque similibus loquendi formulis: *Petrus aut est sacerdos, aut diaconus; Religiosus hic aut est bonus, aut esse debet; Iste vir aut fecit homicidium, aut potuit facere:* in quibus aliisque id genus enuntiationibus mens loquentis intelligitur esse, ut asserat *saltem* unum eorum, quæ sub disjunctione numerat, quin excludere velit etiam

(1) Circa propositiones de extremo disjuncto, qualis est hæc: *Petrus aut est doctus aut indoctus*, simile judicium ferendum est, ac circa propositiones de extremo copulato, de quibus superius innuimus diversos modos loquendi.

(2) Tract. de *Interpret.*, cap. 14.

cætera (1). Si quando autem dubium occurrat, quo pacto sumendæ sint nonnullæ propositiones disjunctivæ, exclusivene an permissive, ex contextu et adjunctis de intentione loquentis judicandum est.

Disjunctivarum materia,

Hinc facile patet: 1.° propositionem omnem proprie disjunctivam esse necessariam, improprie vero disjunctivam esse contingentem, si veritate gaudeat; impossibilem, si laboret falsitate.

quantitas,

2.° Quantitatem harum propositionum, definiendam esse non ex quantitate partialium, quibus constat enuntiationum, sed ex earumdem copulæ ratione; et sic existimatur potius particularis ex peculiari ejusdem indole, secundum quam unam tantum partium vel membrorum inferre intendit, uniusque dumtaxat veritate contenta est.

qualitas.

3.° Denique circa qualitatem simili modo præcipiendum est, ac circa copulativarum qualitatem: nimirum eam judicandam esse, non ex partialium affirmatione aut negatione, sed ex affirmatione aut negatione copulæ principalis. Unde generatim omnes censentur affirmativæ, nisi negatio præfigatur toti enuntiationi, tunc enim negativæ fiunt, ut hæc: *Non aut Petrus loquitur aut tacet.* Cæterum propositio disjunctiva facile revocatur ad conditionalem, ut: *Petrus aut movetur, aut quiescit*, reducitur ad hanc: *Si movetur, non quiescit*, vel: *Si non movetur, quiescit.*

§ III. — De conditionali.

Quid Conditionalis:

118. Hæc est, quæ proprie secundum vocis etymon appellanda esset *hypothetica*, definiturque propositio plures conjungens enuntiationes ope particulæ conditionalis *si*, *nisi*. V. g. *Nisi efficiamini sicut parvuli isti, non intrabitis in regnum cælorum*: *Si Lazarus dormit, vivus est.*

antecedens et consequens.

Duobus constat membris conditionalis propositio, *antecedenti* nempe vel *conditione* seu hypothesi, et *consequenti* vel *conditionato*. Antecedens est illa propositio, cui præfigitur

(1) Vid. Fonseca Oper. cit., lib. 3, cap. 17; Complutens. *Dialect.*, *Summul.* lib. 2, cap. 4; Lossada, *Inst. Dialect.*, disp. 7, cap. 5, n. 11 seqq.; Sylv. Mauri, *Summul.* cap. 42.

particula conditionalis, et a qua dependet altera, consequens vero est illa, quæ dependet a prima.

Conditionalis ergo neque conditionem neque conditionatum affirmat aut negat absolute, sed solummodo nexum et consecutionem inter illa vigentem: unde manavit illud Logicorum effatum: *Conditio nihil ponit in esse*, cujus sensus est, ad veritatem conditionalis minime requiri absolutam ullius partis existentiam ac veritatem. Quæ causa est, cur ex conditione ac conditionato seorsim et absolute falsis existere possit verissima conditionalis, et vicissim ex conditione conditionatoque verissimis, falsa conditionalis. Sic verissima est illa sententia Augustini: *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non habuisset;* itemque hæc alia conditionalis: *Nisi Deus rerum omnium scientiam haberet, non foret infinite perfectus.* Falsa vero est hæc: *Si Petrus est substantia, est homo*, licet partibus constet in sensu absoluto veris, quia nimirum non est inter illas nexus et consequentia.

Effatum logicum: *Conditio nihil ponit in esse.*

Conditionalis illativa et conjunctiva.

Conditionalis dividitur a pluribus AA. in *illativam* seu *causalem* et *conjunctivam*. Illativa est ea, in qua conditio secum trahit conditionatum, utpote cum ipsa necessario connexum, ut: *Petrus si est homo, animal est,* vel: *Si currit movetur;* et vocatur causalis, vel influxiva, cum conditio non utcumque infert conditionatum, sed insuper est causa illius vel saltem requisitum; v. g. *Si ignis applicetur ligno, comburet illud; Si æger sumat medicinam, sanabitur.* Connexio porro, quæ est in illativa et influxiva inter antecedens et consequens, potest esse vel *metaphysica*, si sit omnino infrustrabilis; vel *physica*, si sit frustrabilis solum per miraculum; vel *moralis*, si etiam absque miraculo frustrabilis sit, quamvis difficillime.

Illatio metaphysica, physica et moralis.

Pure conjunctiva, (quam etiam vocant *disparatam* vel *de conditione disparata)*, est illa, in qua enuntiatur positio conditionalis pro casu existentiæ conditionis, quin tamen hæc importet ullam per se connexionem aut influxum aut conducentiam ad illud, ut: *Si Petrus sedet, Paulus dormit; Si nunc versarer Parisiis, legerem Iliadem Homeri.* Hic, ut vides, nulla est consequentia ex natura rei; sed exprimitur mera concomitantia et simultanea existentia partium, quæ sunt penitus disparatæ. Medium tenent inter illativas ac pure conjunctivas promissivæ, quarum conditionatum continet pro-

missionem aliquam, v. g. *Si viceris in disputatione, dabo centum nummos aureos;* et generatim omnes illæ, quarum conditio, licet aliquo modo conducat, vel etiam influat in conditionatum, non tamen ita, ut illud necessario inferat.

119. Sunt, qui nolint agnoscere conditionales, quæ pure conjunctivæ sint, aut certe volunt eas falsas prorsus esse (1); alii vero ulterius progressi, idem dicunt etiam de conjunctivis mixtis, solas admittentes illativas; quam doctrinam adhibuerunt, inter alia argumenta, ad impugnandam scientiam Dei, quam *mediam* vocant. E converso alii auctores non verentur præter illativas amplecti cæteras conditionalium species, ac potissimum mixtas. Et quamquam controversia hæc in Theologia forte commodius tractanda reservaretur, breviter aperiam, quid sentiam. Quid dicendum de conjunctivis.

Atque in primis, certe conditionales pure conjunctivæ seu disparatæ, minus sunt usitatæ, concedique facile potest illas, licet quoad speciem conditionales, non tamen esse tales, stricte ac rigorose loquendo, sed potius copulativas quoad sensum; quia in illis particula *si* valet idem ac *quando* vel etiam *et*, cum non enuntient nisi concomitantiam vel cöexistentiam utriusque membri; unde multum differunt a conditionalibus communiter usurpatis (2). Ita hæc: *Si gallus cantaverit, Turca convertetur*, æquivalet huic alteri: *Quando gallus cantaverit, Turca convertetur:* hæc vero: *Si tu es gallus, ego sum hispanus,* revocatur ad copulativam. Si quis tamen contendat has stricte conditionales vocandas esse, quæstio erit de nomine (3).

Deinde fateor ejusmodi propositiones, si adhibeantur dumtaxat ad enuntiandam utriusque membri concomitantiam, dubitari non posse, quin veræ vel falsæ sint, prout detur vel

---

(1) Ita Vazquez, in 1 p. disp. 67, cap. 3, fin., n. 17; Lessius *de efficacia* gratiæ, cap. 19; Sylvest. Mauri, *Summul.*, cap. 43; Cfr. Auctor *Summ. tot. Logic. Arist.*, loc. cit., cap. 14.

(2) Suar. Opusc. de *Scient. Conditionat.* lib. 2, cap. 6, n. 4; Anton. Mayr. *Philos peripat.*, Pars 1.ª, disp. unic., quæst. 2, a. 1, n. 70; Joann. a. S. Thom. *Summul.*, cap. 23.

(3) Suar. ibid.; P. Casilius, *Introduct. in Logic. Arist.*, lib. 2, tract. 2, cap. 1.

non detur a parte rei simultanea illa existentia, quæ unice asseritur (1).

Aliæ vero conditionales non pure conjunctivæ ac disparatæ, sed de conditione aliquo modo conducente ad conditionatum, frequentissimæ sunt in omnium sermone, ut vel ex solis promissivis elucet; neque eas primum excogitavit Molina, aut alii Societatis Jesu Doctores, sed prius, nemine reclamante, docuerat præclarum Sacri Prædicatorum Ordinis lumen, Dominicus Sotus (2), easdemque agnovit Bañez (3) apud Casilium (4). Et hoc nunc innuisse sufficit.

Cæterum pure conjunctivæ seu disparatæ non spectant ad considerationem logicam, quia ineptæ sunt ad ullo certo ac determinato modo arguendum. Vel enim cognoscis simultaneam veritatem utriusque membri, vel non. Si non cognoscis, non potes cognoscere per argumentationem, sive a positione antecedentis ad illationem consequentis, sive ex hujus negatione ad illius quoque exclusionem, qui sunt duo agendi modi in conditionalibus: nulla quippe est connexio necessaria ex natura rei inter utrumque. Si autem cognoscis, jam nihil restat cognoscendum, ac frustra, immo perperam argumentaris; *frustra*, quia nihil novi disces; *perperam* autem, quia ipsa argumentatio implicite supponeret adesse connexionem inter membra illa disparata. Quamobrem propositiones ejusmodi scientificæ non sunt.

Idipsum proportione dicendum est de promissivis cæterisque non necessario illativis, de quarum veritate aut falsitate nobis fere constare nequit; «sed solum Deus scit, an veræ sint, an falsæ; v. g, *si tu nunquam viceris in disputatione, solus Deus scit an si vicisses, dedissem librum.* Tales sunt multæ conditionales de præterito, ut: *Si tu occurrisses prior, tibi dedissem librum; Si Petrus non sum psisset potionem, non fuiset mortuus*» (5).

---

(1) Vide Suarez, loc. cit., et cap. 5, n. 10; Arriaga, *Summul.*, disp. 2, sect. 3, n. 24.

(2) *Summul.* lib. 3, cap. 8, lect. 3, *Notabili primo.*

(3) *Summul.*, lib. 3, tract. 2, cap. 2.

(4) Loc. cit. Cfr. Hurtad., *Summul.*, disp. 4, sect. 3, n. 9-11.

(5) Domin. Soto, loc. cit.

Itaque potissimum agere debet Logica de *illativis* et *influxivis*, habentibus connexionem et consecutionem necessariam sive metaphysica sive physica, sive saltem morali necessitate; de reliquis enim nihil certi præcipere potest.

Conditionalium materia circa quam,

Circa materiam illativarum conditionalium, communiter docent AA. eas, si veræ sint, omnes esse necessarias; si vero falsæ, omnes impossibiles, nullam vero illarum esse contingentem;id quod sponte sequitur ex natura talium propositionum. Nam si indoles earum est enuntiare necessariam connexionem et consecutionem consequentis ab antecedenti, planum est, ideo veram esse propositionem ejusmodi, quia partes illius necessitate colligantur inter se, ideo vero falsam, quia partes illæ repugnant invicem; si enim non repugnarent, sed mere indifferenter se haberent, non foret propositio stricte illativa.

Cæteræ vero conditionales nimirum mixtæ, sunt contingentes, ut expresse docet Dominicus Soto de permissiva, quæ in eo «differt, inquit, a conditionali illativa, quia non requiritur ad veritatem promissivæ, quod sit bona consequentia, scilicet, quod antecedens non *possit esse* verum sine consequenti; sed satis est, quod antecedens non *sit* verum sine consequenti... Ex quo sequitur primo, quod conditionalis promissiva est contingens; et si, quando viceris, dabo tibi librum, dicta promissiva erit vera, si vero non dederim, erit falsa» (1).

et qualitas,

De qualitate autem propositionis conditionalis, hæc est regula generalis, eam semper censendam esse affirmativam, nisi negatio præfigatur integræ enuntiationi; neque enim ad judicandum de qualitate conditionalium, attenditur ad affirmationem aut negationem partium. Sic affirmativa est hæc: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis* (2); hæc vero negativa. *Non si miserum fortuna Sinonem finxit, vanum etiam mendacemque improba finget* (3). Plura de his dabit Fonseca, quem vide, si lubet (4).

---

(1) Loc. cit. Cfr. de tota hac materia Lossada, *Inst. Dialect.* disp. 7, c. 5, n. 15 seqq.

(2) Luc. cap. 13, v. 3.

(3) Virgil Aeneid., lib. 2,

(4) *Inst. Dialect*, lib. 3, cap. 15.

§ IV.—DE CAUSALI.

Quid causalis:

120. Causalis est ea propositio, quæ plures alias partiales connectit ope particulæ causalis, *quia* etc., v. g.: *Petrus est risibilis, quia est rationalis*. Pars, quæ causam vel rationem continet, vocatur *antecedens*, quæ autem infertur, *consequens* (1).

In causalibus præcipua copula exprimitur per particulam *quia*, vel alias similes; et exinde oportet judicare tum de veritate ac falsitate propositionis, tum etiam de ejus qualitate ac materia. Ut vero melius cognoscatur vis ac natura causalium,

quomodo resolvatur.

Notandum est 1.° plenam significationem harum propositionum resolvi et explicari per triplicem propositionem, quæ in causali involvitur: prima est antecedens, altera consequens, ac tertia est alia propositio enuntians antecedens esse causam consequentis. Itaque allatum nuper exemplum his propositionibus æquivalet: *Petrus est rationalis, et est risibilis, et rationalitas est causa risibilitatis ejusdem.*

2.° Veritas proinde causalium postulat necessario tum veritatem partium, tum etiam veritatem causæ: quare licet veræ sint propositio antecedens et consequens absolute inspectæ, si tamen prima reapse non contineat rationem alterius, propositio causalis falsa erit, ut hæc v. g.: *Petrus est homo, quia est animal.*

Materia,

3.° Pro ratione connexionis inter antecedens et consequens, causalis erit vel necessaria, vel impossibilis, vel contingens.

qualitas causalium.

4.° Omnis causalis reputatur affirmativa, nisi particula negativa præfigatur toti propositioni.

5.° Causalis facile revocatur ad conditionalem, substituendo particulam *si* in locum *quia*.

---

(1) Planum est ad causales revocari eas quoque, quarum antecedens continet conditionem *sine qua non*, *ut hæc: Quia Petrus non restitit, occisus est.*

§ V.—DE RATIONALI.

Quid rationalis.

121. Rationalis est propositio, quæ plures categoricas conjungit per particulam *ergo* etc., v. g.: *Petrus est homo; ergo est substantia.*

Verum hæc, ut vides, non est una propositio, sed vera argumentatio, duplici gaudens propositione; quamquam facile revocari possit ad causalem. Dum tamen enuntiatur sub hac forma, non spectat ad secundam, sed ad tertiam mentis operationem.

Reliquas propositiones aliis particulis grammaticalibus copulatas necesse non est, ut expendamus, quia omnes commode revocantur ad aliquam ex hactenus explicatis.

ARTICULUS VII.

De propositionibus exponibilibus seu occulte compositis.

Quænam exponibiles propositiones.

122.—Exponibiles vocantur propositiones illæ, quæ propter quasdam adjectas particulas obscuræ sunt, atque indigent expositione. Ob eamque rem dicuntur *exponibiles;* illæ vero per quas fit expositio, *exponentes.* Et ideo etiam a recentioribus appellantur *occulte compositæ,* quia licet formaliter quidem simplices sint aut esse possint, nihilominus virtualiter compositæ sunt, cum æquivaleant omnibus illis, per quas declaranda est plena vis et significatio propositionis exponibilis.

Variæ distinguuntur exponibiles, *exclusiva, exceptiva* et *reduplicativa,* quibus additur a recentioribus *comparativa.*

§ I.—EXCLUSIVÆ.

Exclusiva

123. Propositio exclusiva est illa, quæ afficitur particula exclusiva *solum, tantum, dumtaxat,* et similibus; v. g. *Solus Deus est immortatis; Petrus est tantum musicus.*

duplex.

Exclusio potest afficere vel *subjectum* vel *prædicatum.* Si afficiat subjectum in affirmativa propositione excludit reliqua omnia a participatione prædicati: si vero afficiat prædicatum,

vocatur de *excluso prædicato*, et excludit ab eodem subjecto reliqua omnia prædicata, saltem ejusdem generis. *Saltem*, inquam, *ejusdem generis*, quia effatum Logicorum est, quod *dictio exclusiva non tollit concomitantia*, nimirum non excludit ea, quæ *per se* conveniunt, aut continentur in alio genere. Ut si dicas: *Petrus est tantum musicus*, nemo intelliget te velle Petro eripere rationem *hominis, risibilis* etc., solo relicto attributo musici. Videndum ergo attente est, num exclusiva subjectum afficiat, an vero prædicatum; eadem enim propositio potest esse vera vel falsa, prout dictio exclusiva cadat supra subjectum, vel supra prædicatum.

Effatum logicum: *Dictio exclusiva non tollit concomitantia.*

Quomodo exponatur.

Regula generalis pro expositione harum propositionum hæc est, ut convertatur in copulativam, cujus pars prior, quæ vocatur *præjacens*, sit ipsa exponibilis detracto signo exclusionis, altera vero pars contineat declarationem exclusionis, quæ propterea vocatur *exponens*.

Quadruplex exclusiva de excluso subjecto.

Omissa exclusiva de prædicato, quæ nullam exhibet peculiarem difficultatem, exclusiva de subjecto quadruplex esse potest: *prima*, quæ neque exclusionem neque copulam seu verbum negat: v. g. *Tantum Deus est ens a se:* quæ sic exponitur: *Deus est ens a se, et nullum aliud est ens a se.*

Secunda, quæ habet negatum signum exclusivum, ut: *Non tantum homo est animal:* quæ in sensu vulgari sic exponitur: *Homo est animal, et aliquid aliud præter ipsum est animal* (1); a multis tamen hoc alio modo in rigore logico exponendum esse contenditur: *Vel homo non est animal, vel aliquid aliud etiame st animal* (2).

---

(1) Ita inter alios Lossada, disp. 7, *Dialect.* cap. 6, n. 2-6; Sylv. Mauri, *Summul.*, cap. 44; Petrus Hurtad. *Summul.*, disp. 4, sect. 14; Arriaga, *Summul.* disp. 2, sect. 4, subsect. 4, n. 52 seqq. aliique.

(2) Ita Petrus Hispanus, *Summul.* tract. 7, et ibid. ejus Commentator Versorius; Petrus Fonseca, lib. 3, cap. 24; Tolet. *Summul.* lib. 3, cap. 8; Ant. Mayr., *Philos. peripat.* Pars prima, disp. unic., quæst. 1, art. 5, n. 101, 102; Casilius, Op. cit. lib. 2, *Appendicula*, cap. 1; et Jo. Bapt. de Benedictis, t. 1 *Phil. Perip.* Controversia hæc non tanti est momenti, ut debeat nos diutius tenere: quare sufficit paucis eam declarare. Patroni primæ sententiæ nituntur sensui communi omnium hominum, quem Logica revereri ac sequi debet: omnes quippe audientes hanc propositionem. *Non tantum Petrus currit*, ita intelligunt atque exponunt: *Petrus currit; sed et aliud*

Tertia, quæ solum verbum vel copulam negat v. g.: *Tantum Deus non est ens creatum;* cujus hæc vis est: *Deus non est ens creatum, et reliqua omnia entia sunt creata.*

Quarta, quæ negat tum signum exclusionis, tum verbum seu copulam, ut: *Non tantum homo non est insensibilis*, quæ ex communi vulgi sententia huic alteri æquiparatur: *Homo non est insensibilis, sed sunt etiam alia præter ipsum, quæ non*

---

quoque præter ipsum currit. Nemo autem eam hoc modo interpretatur: *Vel Petrus non currit, vel aliquid aliud etiam præter ipsum currit.* Id quod exemplo alterius propositionis simillimæ liquido patet. Quis enim non horreat audire hanc: *Non tantum Deus est mendax?* Atqui nulla foret horroris causa, si ea esset interpretanda prout patroni alterius sententiæ contendunt, nimirum sic: Vel *Deus non est mendax, vel aliquis alius est mendax:* hæc enim verissima est. Ergo signum est, expositionem illius propositionis hanc esse ex communi omnium captu: *Deus est mendax*, et *aliquis alius etiam præter ipsum*, ideoque blasphemiam in ejusmodi enuntiatione contentam abominari pias audientium aures.

Patroni vero secundæ expositionis fatentur ultro præcedentem expositionem esse prorsus conformem vulgari omnium intelligentiæ; eam nihilominus correctam volunt ad apices rigoris logici. Et ratio est, quia hæ duæ propositiones: *Tantum Petrus currit*, et *Non tantum Petrus currit*, contradictoriæ censendæ sunt ex generali lege illa, quod quævis propositio, si negatio præfigatur initio ejusdem, convertitur in contradictoriam. Atqui nequeunt esse contradictoriæ, inquiunt, si exponatur secunda eo modo, quem docent auctores primæ sententiæ. Nam lex contradictoriarum est hæc, non posse utramque falsificari. Jam veræ hæ propositiones: *Tantum Petrus currit*, et *Non tantum Petrus currit*, possunt ambo falsæ esse, si hæc secunda sic exponatur: *Petrus currit*, et *aliquid aliud etiam currit:* nimirum, Petro non currente, ambæ sunt falsæ. E converso contradictoria hujus: *Tantum Petrus currit*, est hæc: *Vel Petrus non currit, vel aliquid aliud etiam currit.* Huic ergo æquivalere dicenda est illa: *Non tantum Petrus currit*, utpote contradictoria hujus: *Tantum Petrus currit.*

Negant autem auctores prioris sententiæ duas hasce propositiones esse contradictorias, sed potius contrarias, ideoque legem illam, secundum quam quævis propositio mutatur in contradictoriam, præfixa particula negativa, quæ totam enuntiationem afficiat, utcumque in aliis casibus generalis sit, deficere in exclusivis, prout ostendit sensus communis omnium, qui præ oculis habendus omnino est in præcipiendis regulis logicis, nisi velimus vulgarem sermonem perturbare. Cfr. Lossada, Arriaga, Mayr. et Casil., ll. citt.

sunt insensibilia. Alii vero volunt sic explicandam esse: *Vel omnis homo insensibilis est, vel sunt alia quoque, quæ non sunt insensibilia* (1).

Ad cognoscendam qualitatem, itemque veritatem exclusivarum, attente considerari oportet legitimam earumdem expositionem.

§ II.—EXCEPTIVÆ.

Exceptiva quid.

124. *Exceptiva* dicitur propositio, quæ afficitur signo vel particula exceptiva *præter, nisi*, etc. v. g.: *Omnes peccaverunt in Adam*, **præter B. Virginem Mariam.**

Exceptio est detractio partis a toto: quare veri nominis exceptiva propositio duo necessario postulat: α) ut terminus qui excipitur contineatur sub propositionis exceptivæ subjecto: β) ut subjectum ejusdem sumatur universaliter. Nisi enim sumatur universaliter, terminus exceptus non necessario sub illius extensione continebitur; quod si sub illius extensione non contineatur, quorsum venit exceptio? Unde inepta est ac falsi suppositi hæc: *Omnis homo* **præter equum** *est risibilis;* itemque hæc: *Aliquis homo* **præter Petrum** *est doctus*.

Non raro tamen *præter* idem sonat atque ultra, et tunc non efficit propositionem exceptivam, ut si dicas: *Præter Hispaniam sunt aliæ nationes catholicæ*.

Duplex exceptiva, nimirum affirmativa et negativa: utriusque expositio

Exceptiva propositio potest esse affirmativa et negativa: quæ opposito modo se habent. Nam affirmativa negat de termino excepto id, quod affirmat de toto, ut patet in hoc exemplo: *Omne animal præter hominem est irrationale*. Quare per tres categoricas plena ejus vis exponitur, quarum prima enuntiat subjectum universale de parte ipsa excepta, altera negat prædicatum exponibilis de eadem parte excepta, tertia vero idem prædicatum affirmat de toto remanente. Hoc modo propositionem hanc: *Omne animal præter hominem est irrationale*, sic explicabis: *Homo est animal, homo non est irrationalis, et reliqua animalia sunt irrationalia*.

(1) Eadem est hic discordia et ob easdem causas, ac inter eosdem auctores, de quibus in præcedenti nota.

E converso negativa asserit parti exceptæ id, quod denegat toti: quare declaratur similiter per tres categoricas, quarum prima enuntiat subjectum exponibilis de termino excepto, altera de hoc ipso affirmat prædicatum ejusdem exponibilis, ac tertia idem illud prædicatum negat de toto remanente v. g. exceptiva hæc: *Nullus Apostolus fuit proditor præter Judam:* sic facile explicatur: *Judas fuit Apostolus, Judas fuit proditor, nec ullus alius Apostolorum proditor fuit.*

Verum patet, primam harum trium simplicium propositionum, quibus æquivalet exceptiva, omitti posse, quia facile subauditur.

§ III.—REDUPLICATIVÆ.

Quid reduplicativa.

125. Reduplicativa est ea propositio, quæ afficitur particula reduplicativa, *ut, prout, qua, quatenus, in quantum* etc., exprimente rationem vel causam, cur prædicatum conveniat subjecto v. g.: *Homo quatenus animal, similis est bruto.* Hujusmodi reduplicatione usus fuit S. Augustinus, cum hæc scripsit: *Fac misericordiam iniquo, non* tamquam *iniquo. Nam ipsum iniquum,* in quantum *iniquus est,* ne *suscipias* (1). Ut ergo sit vere reduplicativa propositio, necesse est, reduplicationem exprimere causam vel rationem, cur prædicatum conveniat subjecto.

Notare namque debes, particulam reduplicantem multifariam sumi posse: primo quidem in sensu *alienante*, ut in hac propositione: *Homo, in quantum pictus, non loquitur:* deinde sumitur in sensu *diminuente*, v. g. *Æthiops albus est secundum dentes.*

Sensus specificativus et reduplicativus particulæ reduplicantis

Tertio particula reduplicans sumitur *specificative*, ut dicunt: id quod non uno modo declarant Logici, licet semper *specificativus* sensus solet contraponi *reduplicativo.* Generatim autem particula reduplicativa sumpta specificative non exprimit causam, cur prædicatum tribuendum sit subjecto, sed declarat vel prædicatum spectare ad essentiam subjecti, ut si dicas: *Homo, in quantum homo, est animal; Ens, in quantum ens, est objectum Metaphysicæ; Color, in quantum color, est*

(1) *Enarrat. in Psalm.* 102, n. 13.

objectum visus: vel etiam indicat secundum multos subjectum appellari a prædicato materialiter, ut: *homo, quatenus homo, est, aut certe potest esse, albus* (1). Unde fit propositionem, particula reduplicante affectam, veram vel falsam esse posse, prout reduplicatio sumatur in uno aut altero sensu v. g. hæc: *Homo, in quantum homo, est musicus*, falsa est reduplicative sumpta; et vera, saltem secundum modum loquendi multorum, si specificative intelligatur (2).

Nos vero hic loquimur de propositione stricte reduplicativa, in qua nimirum particula reduplicans exprimit causam vel rationem, cur prædicatum objecto conveniat: v. g. *Petrus,* **in quantum sacerdos,** *honore dignus est; Homo,* **quatenus homo,** *risibilis* est (3).

Quomodo exponatur propositio reduplicativa.

Et exponitur vel per copulativam, vel per causalem, v. g.: *Petrus honore dignus est, idque illi competit ratione sacerdotii:* vel: *Petrus, quia sacerdos est, dignus est honore.* Ex dictis cognosces, quænam sit vis vocum *reduplicative* vel *specificative*, quæ sæpe adhibentur in disputatione prout opposita invicem.

§ IV.—COMPARATIVÆ.

126. Est comparativa propositio illa, in qua, pluribus inter se collatis, unum alteri præstare enuntiatur, ut: *Leo fortior est homine.* Planum porro est ea, quæ inter se comparantur, debere participare formam illam, secundum quam comparantur: secus inepta et ridicula erit propositio.

Ad comparativas revocantur superlativæ, quæ unum aliquod reliquis omnibus sui generis præferendum esse enuntiant, v. g.: *Homo nobilissimus est animalium.*

Comparativæ expositio.

Comparativæ ac superlativæ exponuntur per copulativas, ut per se patet. Sic primum ex allatis exemplis sic explicabis: *Leo est fortis, et homo etiam fortis est; sed leo superat hominem fortitudine;* alterum vero sic: *Homo animal est ac nobi-*

(1) Hanc tamen alteram sensus specificativi significationem ut abusum reprehendunt Complutenses (*Dialect.*, lib. 2, cap. 10 et ult.)

(2) Cfr. Lossada, Op. cit. disp. 7, cap. 6, n. 14.

(3) Cfr. S. Thom. 3.ª dist. 10, quæst. 1, a. 1. quæstiunc. 1.

lis; sunt etiam alia animalia, quæ nobilitatem habent; sed omnia illa excellit homo in nobilitate.—Verum hæc nimis perspicua sunt (1).

CAPUT III.

DE PROPRIETATIBUS PROPOSITIONUM.

Tres vulgo assignantur, *oppositio, conversio, æquipollentia:* de quibus singillatim agendum est.

ARTICULUS I.

Oppositio propositionum simplicium de inesse.

Sermo est de oppositione ratione formæ.

127. Non est sermo nunc de oppositione quacumque, etiam materiali, quam videlicet possunt habere propositiones ratione materiæ: quo pacto sunt hæ oppositæ: *Petrus est in gratia, Petrus est in peccato: Petrus currit* vel *movetur*, et *Petrus quiescit*, etc. In his enim aliisque id genus, tota oppositio procedit ex ipsa materia *circa quam*, de qua non spectat ad Logicum judicium ferre. Volumus ergo agere de oppositione, quæ se tenet ex parte formæ atque structuræ ipsius propositionis, ac proinde locum habere potest in quacumque materia.

Quid oppositio.

Mirum tamen est, quantum digladientur hic nonnulli AA. in mera quæstione de voce, alii alias conficientes oppositionis definitiones. Nos usurpatione quidem nominis latiori, quæ tamen omnes sub se comprehendat propositiones, quæ plus minus oppositæ censentur ex communi Logicorum sententia, oppositionem definimus *formalem duarum propositio-*

(1) Possent etiam notari aliæ propositiones exponibiles, v. g. quæ continet verbum *incipit* aut *desinit*. Verum istæ sunt exponibiles ratione rei significatæ, ideoque alibi tractandæ. Logico enim solum agendum est de exponibilibus ratione modi significandi. Vid. Tolet. *Summul.* l. 3, c. 12.

num eosdem terminos habentium diversitatem, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in utraque simul.

Ex qua definitione notandum bene est ad oppositionem logicam requiri, ut binæ propositiones idem habeant subjectum idemque prædicatum et *voce* et *re:* unde non sunt oppositæ illæ, quæ terminos quidem habeant materialiter eosdem, sumptos tamen æquivoce secundum diversam significationem, vel aliter variatos secundum suppositionem, aliasve terminorum proprietates, vel generatim affectos diversis syncategorematis, solo excepto syncategoremate denotante quantitatem aut qualitatem.

Quotuplex oppositio:

128. Quadruplex vulgo distinguitur oppositio, *contradictoria, contraria subcontraria* et *subalterna.*

contradictoria,

Oppositio contradictoria viget inter propositiones tum quantitate tum qualitate discrepantes, quæ propterea dicuntur contradictoriæ, v. g.: *Omnis homo est justus, aliquis homo non est justus;* et: *Nullus homo est justus, aliquis homo est justus.*

contraria,

Oppositio contraria viget inter propositiones universales sola qualitate diversas, quæ vocantur contrariæ: quales sunt hæ: *Omnis homo est justus, nullus homo est justus.*

subcontraria,

Oppositio subcontraria viget inter propositiones particulares sola qualitate differentes, quæ dicuntur subcontrariæ, ut sunt hæ: *Aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus.*

subalterna.

Denique subalterna viget inter propositiones sola quantitate discrepantes, quæ appellantur subalternæ v. g.: *Omnis homo est justus, aliquis homo est justus:* et: *Nullus homo est justus, aliquis homo non est justus.* In subalternis universalis nominatur *subalternans,* particularis autem *subalternata.*

Omnes istæ oppositiones hac tabula simul continentur:



129. **Leges subalternarum.** *Possunt ambæ simul esse veræ; et possunt esse etiam falsæ; verum hoc ordine, ut veritas subalternantis inferat necessario veritatem subalternatæ, non vero vicissim, et falsitas subalternatæ necessario inferat falsitatem subalternantis, non autem vicissim.* Subalternarum leges

Ratio primi est, quia in universali propositione jam continetur particularis illi subalternata. Ergo si vera est illa, hæc quoque vera sit necesse est. Et ob oppositam rationem non sequitur ex veritate subalternatæ veritas subalternantis; quia fieri bene potest, ut prædicatum aliquod verificetur de aliquo vel aliquibus, et non de omnibus.

Ratio secundi est, quia si prædicatum falso attribuitur uni aut alteri, a fortiori falso attribuetur omnibus. Non vero sequitur e converso ex falsitate subalternantis falsitas subalternatæ, quia licet prædicatum non conveniat omnibus, potest convenire aliquibus, ut patet.

Hinc in materia necessaria utraque subalterna affirmativa vera est, falsa negativa; et e converso in materia impossibili utraque negativa vera est, et falsa affirmativa; in materia vero contingenti plerumque subalternata est vera, et falsa subalternans.

Leges contradictoriarum.—*Non potest utraque simul esse vera, nec utraque simul falsa, sed necessario altera est vera, altera falsa* (1). Contradictoriarum leges.

Probatur prima pars ex principio contradictionis, quod sic enuntiatur. *Idem non potest simul esse et non esse.* Nam duæ contradictoriæ ita se habent, ut altera de uno eodemque subjecto affirmet id ipsum, quod altera negat. Atqui affirmatio et negatio unius ejusdemque de uno eodemque nequit simul esse vera; affirmatio quippe dicit *esse* ac negatio non *esse*. Ergo. Principium contradictionis

Major patet ex ipsa inspectione contradictoriarum. Nam cum dicis: *Omnis homo est justus*, affirmas justitiam de omnibus ac singulis hominibus; cum vero dicis: *Aliquis homo non est justus*, de uno ex illis, de quibus affirmaveras justitiam, denegas eamdem. Et hoc idem locum habet in universali

(1) Vide S. Thom. 1.° *Periherm.*, lec. 11, paragr. *d*, cum Arist. ibid. cap. 7.

negativa et particulari affirmativa, quæ sunt aliæ duæ contradictoriæ.

Principium exclusi medii.

Probatur *secunda pars* ex principio exclusi medii, quod sic effertur: *Quolibet aut est, aut non est.* Nam si falsa est utraque contradictoria, falsa erit affirmatio prædicati de aliquo subjecto, et falsa pariter erit negatio ejusdem prædicati de illo eodem subjecto; nimirum falsum erit, quod illud subjectum *est*, et falsum est etiam, quod non *est*, ac proinde subjectum illud nec est, nec non est. Atqui quodlibet necessario aut est aut non est.

Hinc porro sequitur unam ex contradictoriis necessario veram esse atque alteram falsam, et ex affirmatione unius sequi alterius negationem, ac vicissim.

Quæ cum ita sint, definiri etiam potest contradictoria oppositio: *repugnantia formalis duarum propositionum, eosdem terminos habentium, tum in veritate tum in falsitate.*

Contrariarum lex.

Lex contrariarum. *Non possunt ambæ simul esse veræ, posunt tamen ambæ esse falsæ* (1).

Prima pars patet ex principio contradictionis, ut dictum est de contradictoriis, cum quibus in hac parte conveniunt contrariæ.

Et confirmari etiam posset ex eo, quod si duæ contrariæ forent veræ, veræ quoque forent earum subalternatæ, et quoniam hæ contradictorie opponuntur respective contrariis diversæ qualitatis, sequeretur duas contradictorias veras esse.

Secunda pars etiam manifesta est. Plane namque intelligitur posse falsum esse, et quod prædicatum omnibus conveniat, et quod omnibus denegandum sit, ut fere locum habet in omni materia contingenti, in qua prædicatum, cum nec per se insit nec repugnet subjecto, solum verificari solet in aliquo vel aliquibus individuis.

In materia vero necessaria et impossibili, semper una ex contrariis vera est, et altera falsa.

Unde posset etiam contraria oppositio definiri: *formalis repugnantia duarum propositionum in sola veritate.*

Subcontrariarum lex.

Lex subcontrariarum. *Possunt esse ambæ simul veræ; non vero falsæ.*

---

(1) Vide S. Thom. lib. 1. *Periherm.*, lect. 11, parag. *c*, cum Aristot. ibid., cap. 7.

Prima pars. Quia non repugnat duas contrarias falsas esse, ut modo vidimus. Atqui tum subcontrariæ necessario veræ sunt, utpote contradictoriæ respective contrariis diversæ qualitatis. Ergo.

Secunda pars. Nam si falsæ forent subcontrariæ, veræ deberent esse illarum contradictoriæ, quæ tamen sunt inter se contrariæ. Impossibile est ergo subcontrarias esse falsas, nisi velimus duas contrarias esse veras.

Itaque in materia contingenti subcontrariæ possunt esse ambæ veræ; in materia autem necessaria et impossibili, altera vera est, altera falsa.

Ex quibus concluditur, posse quoque oppositionem subcontrariam definiri: *formalem repugnantiam duarum propositionum in sola falsitate.*

Jam si omnes hasce oppositiones inter se conferamus, illico perspicitur contradictoriam esse omnium maximam, siquidem propositiones contradictoriæ nullum habent medium seu communitatem, cum nequeant convenire sive in veritate sive in falsitate.

Deinde sequitur contraria, quia contrariæ propositiones convenire possunt in falsitate, licet non in veritate: unde veritas quidem unius infert alterius falsitatem; non vero falsitas unius veritatem alterius.

Minor adhuc est oppositio subcontraria, immo ex sententia S. Thomæ (1), Fonsecæ (2), Arriagæ (3), Mauri (4) aliorumque, aliis tamen aliter sentientibus, neque est veri nominis oppositio. Ad rem Angelicus: *Particularis affirmativa* et *particularis negativa non habent proprie loquendo oppositionem, quia oppositio attenditur circa idem subjectum; subjectum autem particularis enuntiationis est universale particulariter sumptum, non pro aliquo determinato singulari, sed indeterminate pro quocunque. Et ideo cum de universali particulariter sumpto aliquid affirmatur vel negatur, ipse modus enuntiandi non habet, quod affirmatio et negatio sint de eodem: quod requiritur*

(1) Lib. 1, *Periherm.*, lect. 11, initio.
(2) *Inst. dialect.*, lib. 3, cap. 6.
(3) *Summul.* disp. 2, sect. 4, subsect. 2, n. 45.
(4) *Summul.*, cap. 39.

ad oppositionem affirmationis et negationis, secundum præmissa (1).

Tandem subalterna non est proprie oppositio, cum ambæ subalternæ possint veræ simul esse ac falsæ, imo veritas subalternantis inferat veritatem subalternatæ, ac falsitas hujus illius falsitatem. Quare subalternæ solum videntur relative differre, sicut magnum et parvum.

Quæ cum ita sint plures auctores strictam dumtaxat et propriam volentes oppositionem definire, illam dixerunt esse *repugnantiam formalem duarum propositionum, eosdem habentium terminos, secundum affirmationem et negationem*, aut etiam, *secundum veritatem falsitatemque:* qua definitione non continetur oppositio subalterna.

§ II.—LEGES PECULIARES OPPOSITIONUM IN QUIBUSDAM ALIIS PROPOSITIONIBUS.

Oppositio *de forma* et de *lege.*

130. Duplex solet a Logicis distingui oppositio, altera de *forma* seu *modo*, altera de *lege*. Oppositio de forma est ea, quæ versatur inter propositiones universales ac particulares in suppositione distributiva sumptas: ac de hujusmodi oppositionibus, quarum *formam*, ac *tabulam* dedimus, hactenus in præsenti articulo egimus. Nunc aliquid dicendum de aliis oppositionibus, quæ vigent inter propositiones alterius generis, quæ proinde, quamvis non habeant harum formam, sequuntur tamen *legem* illarum, et propterea dicuntur oppositiones *de lege*.

Oppositio propositionis singularis;

De propositione singulari. Contradictoria singularis efformatur sola mutatione qualitatis, v. g.: *Petrus est doctus*, *Petrus non est doctus*. Et ratio est, quia hæ solæ habent, sin minus *formam*, certe *legem* contradictoriarum, cum non possint ambæ simul esse veræ nec falsæ (2).

Simili modo contraria singularis est universalis diversæ qualitatis: quales sunt hæ: *Petrus est doctus, nullus homo est doctus:* vel: *Petrus non est doctus, omnis homo est doctus*, Ratio, quia hæ reguntur lege contrariarum.

---

(1) Loc. cit. Cfr. de hac re Lossada, *Dialect.* disp. 7, cap. 2, n. 15, seqq.

(2) S. Thom., loc. nup. cit., parag. *d.*

Subcontraria singularis potest efformari per particularem oppositæ qualitatis: ut, *Petrus est doctus*, *aliquis homo non est doctus:* et subalterna per universalem ejusdem qualitatis.

Oppositio propositionis indefinitæ.

De propositione indefinita. Optimum consilium erit circa indefinitas, ut prius reducantur ad universales vel particulares; et sic deinceps nullo negotio efformari poterunt earum oppositæ (1).

Oppositio propositionum de subjecto in variis suppositionibus,

De propositione quæ subjectum habeat in suppositione collectiva, et in confusa, et in suppositione simplici, ac materiali.

In his omnibus efformatur contradictoria per solam qualitatis mutationem. Quia cum habeant suppositionem immobilem, singularibus videntur æquivalere. Unde istæ sunt contradictoriæ: *Omnes Apostoli fuerunt duodecim*, *omnes Apostoli non fuerunt duodecim; Homo est species*, *homo non est species; Aliqua navis requiritur ad navigandum*, *aliqua navis non requiritur ad navigandum* (2); *Animal est nomen tertiæ declinationis*, *animal non est nomen tertiæ declinationis.*

et cum certis quibusdam syncategorematis.

De propositionibus habentibus syncategoremata sensus ambigui. Sunt nonnulla syncategoremata, quæ nec ex se universalia sunt, neque omnino particularia, v. g. *uterque*, *neuter* et *numeri varii*, sed quandoque pro subjecta materia possunt æquivalere universali, ut si *uterque* vel *neuter* ea subjecta vel terminos afficiant, quorum duo tantum dantur individua. In his ergo casibus sedulo attendendum est ad vim syncategorematum illorum, ut rite possint efformari oppositiones.

Ubi nota etiam syncategorema *aliquis* in plurali numero medium quiddam esse inter universale ac particulare: idque habendum præ oculis, ut rite fiant oppositiones.

Verum quoniam tempus non suppetit, ut omnes minutatim varietates atque exceptiones in hac materia persequa-

(1) S. Thom. *Perihermen.*, lib. 1, lect. 11, paragr. *e.*

(2) P. Tongiorgi censet has duas propositiones non esse contradictorias, quia possunt esse simul veræ (*Instit. Logicæ*, lib. 2, cap. 3, art. 2, n. 194, 4.°) Sed non omnino accurate loquitur, ut mihi quidem videtur. Possunt nempe ambæ veræ esse in suppositione *disjunctiva*, non vero in suppositione *disjuncta* vel *confusa*. Cfr. Lossada, loc. cit. cap. 3, n. 13.

mur, ad efformandas contradictorias hanc tutissimam habe præ oculis Dialecticorum normam: **Non est melius contradicere, quam si toti propositioni præponatur negatio**, id est, non melius contradicitur, quam si affirmationi negatio præponatur (1).

Plura de his dabunt Lossada (2), Arriaga (3), Mayr (4), et alii, apud quos plures tricas expensas, pluresque hac de re quæstiones enodatas, vide, si vacat.

ARTICULUS II.

De æquipollentia propositionum.

Quid æquipollentia.

131. Multis modis possunt esse æquipollentes, seu idem significantes, duæ propositiones ratione potissimum materiæ. At hic explicanda venit formalis æquipollentia, quæ nihil est aliud, quam duarum propositionum alias oppositarum æquivalentia in sensu.

Quomodo ad æquipollentiam reducantur duæ propositiones oppositæ

Redduntur æquipollentes duæ oppositæ propositiones ministerio particulæ *non*, quæ ideo dicitur *malignantis naturæ*, quia omnia in oppositum immutat, quæcumque post se invenit, ut si copulæ seu verbo præfigatur, qualitatem, si vero subjecto, et quantitatem et qualitatem ipsius variet.

Regulæ ad reddendas æquipollentes duas propositiones hoc versu continentur:

Regulæ variæ:

PRÆ **contradic.**, POST **contra**, PRÆ POSTQUE **subaltern.** (5)

pro contradictoriis,

Præ *contradic.*, significat ad efficiendas æquipollentes duas *contradictorias*, negationem præmittendam esse signo

---

(1) Nihilominus regula hæc exceptionem patitur in exponibilibus ex multorum sententia, ut superius vidimus.

(2) *Dialect.* vel *Summul.*, disp. 7, cap. 2, 3.

(3) *Summul.*, disp. 2, sect. 4.

(4) *Phil. Perip.* Pars. 1, disp. unic., quæst. 2, art. 3, 4.

(5) Pro subcontrariis non solent dari regulæ æquipollentiæ, quia duriusculæ fierent nimisque negationibus implicatæ propositiones. Vide Lossada, loc. cit., cap. 4, n. 3 fin.

quantitatem exprimenti. *Omnis homo est justus* et *aliquis homo non est justus*, sunt contradictoriæ; si autem primæ præponas negationem, dicasque: *Non omnis homo est justus*, illam alteri æquipollentem feciśti. Itemque: *Non aliquis homo non est justus*, idem valet ac: *Omnis homo est justus*. Nam *non aliquis* est *nullus*, et *nullus non* æquivalet *omni*.

Ratio regulæ petitur ex vi particulæ negativæ. Contradictoriæ namque discrepant tum quantitate tum qualitate. Atqui negatio præmissa initio propositionis, et quantitatem et qualitatem ejusdem immutat. Ergo cuicumque propositioni negatio præponatur, eam reddit contradictoriam, seu contradictoriæ suæ æquipollentem.

pro contrariis.

Post *contra:* significat contrarias fieri æquipollentes, si negatio postponatur subjecto propositionis, ita nimirum, ut solam afficiat copulam seu verbum. Ratio, quia hoc modo negatio solam alterat propositionis qualitatem. Sic propositio hæc: *Omnis homo est justus*, postposita subjecto negatione, convertitur in hanc: *Omnis homo non est justus*, quæ idem valet, ac: *Nullus homo est justus*. Similiter hæc: *Nullus homo est justus*, commutatur in hanc aliam: *Nullus homo non est justus*, quæ æquivalet huic prioris contrariæ: *Omnis homo est justus*.

pro subalternis.

Præ Postque *subaltern.* Denotat subalternas fieri æquipollentes duplici negatione, altera quæ præfigatur, altera quæ postponatur subjecto. Ratio quia subalternæ discrepant sola quantitate. Jam vero si subjecto præfigatur negatio, non sola quantitas, sed qualitas quoque mutatur, ut dictum est circa contradictorias. Ut ergo hic effectus immutatæ qualitatis destruatur, necesse est, postponere subjecto aliam negationem. Hoc pacto si huic propositioni: *Omnis homo est justus*, duplicem illam negationem adjicias, habebis hanc aliam: *Non omnis homo non est justus*, seu *aliquis homo est justus*, quæ est subalterna prioris; quia *non omnis* est idem ac *aliquis non*, duplex autem negatio affirmat. Clarius hæc: *Aliquis homo est justus*, convertitur in hanc: *Non aliquis homo non est justus*, seu *Nullus homo non est justus*, id est: *Omnis homo est justus*. Et hæc: *Nullus homo est justus*, in hanc: *Non nullus* homo (id est aliquis homo) *non est justus*, quæ prioris est subalterna.

Ut porro syncategoremata æquivalentia in promptu habeas, hæc tibi carmina præsidio erunt:

Non omnis, quidam non; Omnis non, quasi nullus.
Non nullus, quidam; sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus; non quidam non, valet omnis (1).

Hæ tamen regulæ valent solum pro propositionibus de subjecto communi et in suppositione reali. Nam propositionum singularium et de subjecto in suppositione materiali, simplici, collectiva et confusa, non assignantur æquipollentes.

ARTICULUS III.

De conversione propositionum.

Quid conversio,

132. Conversio, seu reciprocatio, est unius propositionis in aliam per terminorum transpositionem formalis consequentia. Exemplum: *Omnis homo est animal;* ergo *aliquod animal est homo: Nullus homo est lapis;* ergo *nullus lapis est homo.* Ratio conversionis fundatur in identitate ac discrepantia terminorum, quæ in quavis propositione enuntiatur, ut satis per se patet.

Propositio, cujus extrema commutantur, dicitur *conversa;* ea vero quæ fit ex terminis commutatis, *convertens.*

quotuplex: simplex seu *in terminis,*

Triplex solet distingui conversio, *simplex, per accidens* et *per contrapositionem.* Simplex, quæ vocatur etiam *conversio in terminis,* est illa, in qua eadem conversæ quantitas retinetur in propositione convertente. V. g.: *Nullus homo est lapis; ergo nullus lapis est homo: Aliquis homo est doctus;* ergo *aliquod doctum est homo.*

per accidens seu *in partem,*

Per *accidens,* qua solet quoque dici conversio *in partem,* est illa, in qua mutatur quantitas propositionis conversæ ex universali in particularem, ut: *Omnis homo est animal;* ergo *aliquod animal est homo: Nullus spiritus est corpus;* ergo *aliquod corpus non est spiritus.*

---

(1) Vid. Lossada, loc. cit. cap. 4, n. 4, ubi existimat cum Caramuele, *Non omnis* non esse prorsus idem ac *aliquis non*, sed æquivalere duobus hisce *aliquis non* et *aliquis sic.* Et ita vulgo solemus etiam intelligere passim ejusmodi propositiones, ut illam S. Pauli. *Non omnes obediunt Evangelio;* id est *aliqui obediunt, aliqui non obediunt.*

Denique conversio per contrapositionem est ea, in qua retinetur quidem quantitas conversæ, verum termini ex finitis commutantur in infinitos v. g. *Omnis homo est animal:* ergo *omne non animal est non homo: aliquod animal non est homo:* ergo *aliquod non homo non est non animal.* Sed hæc, ut vides, non est veri nominis conversio, cum non sint iidem termini in conversa et convertente, sed alii penitus diversi. et per contrapositionem.

133. Si in memoriam revoces ea quæ de suppositione prædicati in propositionibus sive affirmativis sive negativis superius diximus, facile colliges has regulas pro conversione diversarum propositionum.

1.ª **Regula:** *Conversio simplex vi formæ, locum habere nequit, nisi in propositione universali negativa et particulari affirmativa.* Regulæ: pro simplici,

Ratio. Quia nec universalis affirmativa nec particularis negativa converti possunt *simpliciter*, nisi alteretur suppositio terminorum, quod non licet. Nam in universali affirmativa prædicatum sumitur particulariter: si ergo in convertente ponatur universaliter, jam variatur suppositio, ideoque non aderit consequentia *vi formæ* (1). Et simili modo in particulari negativa, quoniam prædicatum sumitur universaliter, quomodocumque fiat conversio sive simpliciter sive per accidens, consequentia non tenebit, quia subjectum particulare propositionis conversæ transiret in prædicatum universale convertentis.

E converso propositio universalis negativa, et particularis affirmativa, quamvis convertantur simpliciter, nullam subeunt mutationem atque alterationem in terminorum suppositione (2).

2.ª **Regula.** *Propositio universalis affirmativa convertitur per accidens;* et potest etiam simili modo converti universalis negativa. pro conversione per accidens,

---

(1) *Vi*, inquam, *formæ*. Nam vi materiæ fieri poterit ejusmodi conversio simplex etiam in universali affirmativa, ubicumque prædicatum exprimit aliquid conveniens *omni* et *soli* subjecto, ut accidit cum prædicatum exhibet definitionem, differentiam specificam, vel etiam strictam proprietatem subjecti.

(2) Vide Arist., lib. 1 *Prior. analyticor.*, cap. 2.

Prima pars patet, quia si universalis affirmativa, convertatur per accidens, subjectum propositionis convertentis eamdem retinet suppositionem, quam habebat in conversa.

Secunda pars. Quia si negativa universalis converti potest simpliciter, a fortiori poterit per accidens, cum ex veritate universalis propositionis necessario sequatur veritas particularis (1).

pro conversione per contrap.

3.ª **Regula.** *Particularis negativa nequit converti nisi per contrapositionem;* et potest etiam hoc modo converti universalis affirmativa.

Prima pars, manifesta ex eo est, quod quocumque alio modo converteretur particularis negativa, subjectum conversæ e particulari fieret universale in convertente: quod nefas est. Si vero conversio fiat per contrapositionem, nullum incommodum est, et aliunde consequentia tenet. Nam si v. g. *Aliquod animal non est homo*, planum est, *aliquid, quod non est homo, non esse non animal.*

Secunda pars simili modo patet. Si nim *Omnis homo est animal*, consequens est, ut *omne quod non est animal sit etiam non homo* (2).

Tres hasce leges, memoriæ juvandæ causa, Logici versiculis comprehensas voluere:

*f*E*c*I *simpliciter convertitur*, E*v*A *per accid.;*
A*st*O *per contrap.: sic fit conversio tota.*

Quibus in versibus propositiones convertendæ designantur per vocales **A**, **E**, **I**, **O**, vocum *f*E*c*I, E*v*A, et A*st*O: nam **A** repræsentat universalem affirmativam, **E** universalem negativam, **I** particularem affirmativam, et **O** particularem negativam, ut indicant hæc alia carmina:

A*sserit* **A**, *negat* **E**, *verum generaliter ambo;*
A*sserit* **I**, *negat* **O**, *sed particulariter ambo.*

---

(1) Arist. ibid.

(2) Plura dabunt de his Conimbricenses, *Dialect.*, in lib. *Prior.*, cap. 2, q. 2.

134. Ut porro caveas fallacias in conversionibus, nota 1.° sedulo esse attendendum ad regulas suo loco datas circa suppositionem prædicati in quacumque propositione, sive affirmativa sive negativa. Notanda: 1.um

2.° Cum termini propositionis conversæ ac convertentis debeant esse iidem, non penes vocem dumtaxat, sed potissimum quoad rem, cavendum est, ne varietur in conversione significatio, suppositio ac reliquæ proprietates illorum. Quare perperam converteres hanc: *Aliqua species est homo*, in hanc: *Aliquis homo est species*, quia nimirum variatur suppositio a simplici in personalem. Perperam etiam hanc: *Aliquis cæcus est videns*, in hanc alteram: *Aliquis videns est cæcus*, quia permiscetur ampliatio cum statu in voce *cæcus*. Item hanc: *Aliquis homo est mortuus*, in hanc: *Aliquis mortuus est homo*, quia *homo* sumitur modo proprie, modo per alienationem, vel si mavis modo ampliative, modo per statum. Perperam quoque hanc: *Omne ridens est homo*, converteres in hanc: *Aliquis homo est ridens*, quia suppositio et significatio termini *ridens*, e necessaria commutatur in contingentem, ex hypothetica in absolutam; nam vis termini *ridens* in propositione conversa est hæc: *Omnis qui est, vel fuit, vel erit, vel potest esse ridens, est homo;* in convertente autem *ridens* exprimit *actualem risum* nunc in aliquo homine contingentem: unde prima propositio vera est, etiamsi nullus homo actu rideret; secus propositio illa convertens (1). 2.um

3.° In conversione facienda oportet, ut integrum prædicatum conversæ transeat in subjectum convertentis: ex cujus præcepti neglectu fieri facile possunt præposteræ conversiones in quibusdam propositionibus. Sic hanc: *Deus factus est homo*, perperam converteres in hunc modum: *Homo factus est Deus*, quia prædicatum conversæ non est solum *homo*, sed *aliquid factum homo* (2). Idem dic de hac alia: *Lignum factum est album*, quæ hoc pacto legitime convertitur: *Aliquid factum album est lignum* (3). 3.um

(1) Lossada loc. cit., cap. 4, n. 8-10.
(2) Cfr. S. Thom. 3. p. q. 16., art. 7, præsert. ad 7.um
(3) Lossada, loc. cit., n. 18.

4.um 4.° Quamobrem priusquam propositiones de verbo adjectivo ac de secundo adjacente convertantur resolvendæ sunt in alias de tertio adjacente, explicando logice quidquid involutum atque implicitum latet, ut sic possint rite transponi termini (1). Hoc modo sententiam illam Christi Domini: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, prius in hanc resolves: *qui sequitur me, non est ambulans in tenebris;* ac dein convertes sic: *Nemo ambulans in tenebris est homo, qui me sequitur.* Ita etiam has: *Hæc domus est regis, Aurum est in crumena*, prius resolvere ac complere ita debes: *Hæc domus est aliqua res regis; Aurum est aliquid existens in crumena;* ac postea resolves ex præmissis regulis.

5.um 5.° Quotiescumque verbum sive adjectivum sive substantivum reperiatur in præterito vel futuro tempore, ante conversionem resolvendum est in tempus præsens secundum ea, quæ circa verbum alibi declarabimus (2). V. g. *Nullus puer fuit senex*, resolvenda prius est in hanc: *Nullus puer est aliquis, qui fuit senex.* Et pari modo hæc: *Nullus senex erit puer*, explicanda prius est per hanc: *Nullus senex est futurus puer:* ac dein nullo negotio converti poterit.

6.um 6.° Denique propositio singularis converti potest simpliciter, si tum prædicatum tum subjectum sint termini singulares, ut: *Petrus est hic homo: Hic homo est Petrus.* Si vero solum subjectum sit singulare, convertitur vel per particularem vel per universalem, prout affirmativa fuerit vel negativa. V. g. *Petrus est homo:* Ergo *aliquis homo est Petrus: Petrus non est lapis:* ergo *nullus lapis est Petrus.*

Si autem solum prædicatum fuerit singulare, converti quidem poterit, si affirmativa sit propositio, ut patet, minime vero vi *formæ* si sit negativa. Neque enim valet ista: *Aliquis homo non est Petrus: ergo Petrus non est homo.* Ratio omnium horum nemini non innotescit ex dictis (3). Fuse de his ac præclare more suo Conimbricenses (4).

---

(1) Vide supra, disp. 2.ª, cap. 1, art. 3.
(2) Vide superius dicta, disp. 2, cap. 1, art. 3.
(3) Vide Lossada loc. cit. n. 17.
(4) *Dialect.* in lib. *Prior.* c. 2, q. 1.

ARTICULUS IV.

De modalium oppositione.

135. Circa modales propositiones illa est in primis tutissima simplicissimaque regula, sub eodem modo et sub eodem dicto affirmativam et negativam *de modo* esse contradictorias (1). Tales sunt hæc: *Hominem esse animal necesse est; hominem esse animal non est necesse: Hominem esse lapidem impossibile est, hominem... non est impossibile: Hominem esse doctum possibile est, hominem... non est possibile: Leonem currere contingens est, Leonem... contingens non est.* Regula generalis prc modaliurr oppositione.

Negatur porro modus, si negatio afficiat copulam principalem, sive præponatur toti propositioni, sive interponatur inter modum et eamdem copulam: sive enim dixeris: *Non est necesse*, sive: *Necesse non est;* sive: *Non necesse est;* semper eadem ex communi sensu remanet sententia.

E contrario negatur tantummodo dictum, si negatio modo copulæque principali postponatur, ut si dicas: *Possibile est non loqui Petrum.* Quamobrem Logici per modos *Possibile non* et *Necesse non* intelligunt negativam dumtaxat de dicto, non vero negativam de modo.

136. Sed possunt præterea inter modales institui eædem quatuor simplicium propositionum de inesse oppositiones, sive combinando modos ipsos inter se, sive etiam in singulis seorsim sumptis. Quæ doctrina licet non parum implexa, quia tamen utilitate non vacat, paulisper explananda est. Aliæ regulæ.

Et primo quidem jam ex supra dictis constat, modos quatuor ita inter se comparari, ut *Necesse* et *Impossibile* censeantur universales, et invicem contrarii; *Possibile* vero et *Possibile non* seu *Contingens*, particulares et subcontrarii; primi siquidem duo contrariorum, secundi vero subcontrariorum legibus subjacent. Unde fit ob eamdem rationem, modos *Necesse et poissbile non* seu *Contingens*, habendos esse

(1) Vide Cardin. Cajetan. in Comment. lib. 2 *Periherm.*, lect. 9. Reperitur inter Commentarios S. Thomæ, super idem opus Aristot. in editione nova Parmensi.

contradictorios, itemque *Possibile* et *Impossibile*. Itaque formari poterit hæc quadruplicis oppositionis modalium tabella:



Sed insuper in singulis modis quadruplex eadem oppositio institui potest. Quod ut melius intelligas, nota modum quemcumque, si negatio præponatur, fieri contradictorium, ut nuper notavimus; si vero negatio postponatur ita, ut solam afficiat copulam dicti, modum universalem fieri contrarium, particularem autem subcontrarium: denique si negatio præponatur ac postponatur, modum fieri subalternum. Ita ut modis applicari possit versiculus ille æquipollentium de inesse: **Præ** *contradic.*, **Post** *contra*, **Præ Postque** *subaltern*. Et quoniam difficilius assignantur oppositiones in modalibus de dicto communi, quam de dicto singulari, operæ pretium est exempla utriusque generis modalium subjicere. Et primo quidem de dicto singulari



Et ratio est perspicua, quia *Necesse* et *Necesse non* utpote idem ac *Impossibile*, contrarie opponuntur: itemque *Non ne-*

cesse et *Non necesse non* subcontrarie, quia primum æquivalet *Possibili non*, alterum vero *Possibili*.

Hanc ergo primam seriem oppositionum facile institues, assumendo tamquam contrarios *Necesse* ac *Necesse non*, ac deinde subjiciendo his respectivas contradictorias, præmissa modo particula negativa. Simili ratione conficies hanc aliam tabellam.



Ratio quia *impossibile* et *impossibile non*, sunt modi contrarii, cum *Impossibile non*, sit idem ac *Necesse:* reliqui vero duo sunt evidenter his contrarii ac proinde inter se subcontrarii.



Ratio patet iterum, quia *Non possibile non*, utpote idem ac *Impossibile non*, æquivalet *Necessario; Possibile* vero et *Possibile non*, sunt inter se subcontraria, prioribusque contradictoria, ut manifestum est ex dictis. Tandem non absimili ratione procedes in modo *Contingens*. Si enim præ oculis habeas *contingens* et *contingens non*, esse subcontraria, quia particularibus similia; facile poteris his modis contradictorios alios opponere; ac sic demum conficies hanc alteram tabulam:



Verum nota hic sumi *contingens* improprie, pro eodem ac *Possibile* (1). Unde vides rationem, cur recte confecta sit postrema hæc series oppositionum.

Jam si velis iterum quatuor hasce tabellas inspicere, deprehendes profecto, contrarias omnes et subcontrarias eodem gaudere modo, et discrepare in qualitate dicti, contradictorias autem habere modos contradictorios cum eadem dicti qualitate; ac demum subalternas tum in modo tum in dicto inter se discriminari.

Quod porro attinet modales de dicto communi, eadem hæc forma servanda est circa variationem tum modi, tum qualitatis dicti.

Regula pro quantitate dicti.

Circa quantitatem vero dicti, hæc probe servanda regula est: *Quotiescumque dicta duarum propositionum fuerint diversæ qualitatis* (quod locum habere vidimus in contrariis, in subcontrariis et subalternis) *mutanda est quantitas subjecti*, ut *nimirum in altera sit universale, in altera vero particulare: ubi autem dicta non sunt oppositæ qualitatis* (ut fit in contradictoriis), *subjectum dicti eamdem habet quantitatem in utraque.*

Exemplum sit:



(1) Vide Versorium in *Comment. Summul. Petri Hispani*, tract. 1.º vers. fin. *de Modalium æquipollentia*, in respons. *ad prim.*

Brevius regula hæc est: In binis contradictoriis de dicto communi, quantitas subjecti eadem est, in reliquis vero variatur, ut cernere est in exemplo.

Ratio vero est, quia secus oppositiones institutæ secundum has regulas formamque in superioribus explicatam, possunt peccare contra leges earumdem oppositionum: nimirum possent duæ contrariæ veræ simul esse, itemque duæ subcontrariæ falsæ, ac duæ contradictoriæ vel simul veræ vel simul falsæ (1).

Exemplo rem perspicies:

CONTRARIÆ VERÆ

Necesse est aliquod animal esse hominem	*Necesse est aliquod animal non esse hominem*
Non necesse est aliquod non animal esse hominem	*Non necesse est aliquod animal esse hominem*

SUBCONTRARIÆ FALSÆ (2)

Verum satis hæc superque sint: qui tamen plura velit, adeat Dominicum Sotum (3), Fonsecam vel Toletum (4).

(1) Fonseca, *Dialect.*, lib. 3, cap. 2. Cfr. Tolet. *Summul.*, lib. 3, cap. 4.

(2) Fonseca, ibid.

(3) *Summul.*, lib. 3, cap. 6.

(4) Locis citat. Cfr. Lossada, disp. 7 cap. 7. Unum tantum addere juvat de modo *Contingens* sumpto proprie, ac prout dicit potentiam vel indifferentiam ad utrumlibet; tum enim æquivalet *Possibili* et *Possibili non*. Si enim dicas cum modo affirmativo: *Contingens est Petrum loqui*, in proprio ac stricto sensu, propositio exponenda est per copulativam hanc: *Possibile est Petrum loqui*, et *Possibile* est *Petrum non loqui*. Si vero cum modo negativo dixeris: *Non est Contingens Petrum esse hominem;* propositio disjunctive erit exponenda. *Aut non est possibile Petrum esse hominem, aut non est possibile Petrum non esse hominem*. Vel etiam exponi posset disjunctive per *Necesse* ac *Necesse non*. Unde in modo *Contingenti* affirmatio et negatio dumtaxat dicti, nullam constituit oppositionem, cum sit mera expositio plenæ vis ac significationis ejusdem. *Contingens* autem et *non Contingens* cum eodem dicto contradictorie opponuntur. Reliquæ tandem oppositiones de *Contingenti* efformari poterunt, præmissa prius expositione secundum nuper dicta. Vide Lossada (loc. cit., disp. 7, cap. 7, n. 16, 17); et Conimbric. (*Dialect.*, in lib. 1.um *Prior.*, cap. 3, quæst. 2).

ARTICULUS V.

De modalium æquipollentia.

137. Ut modalium æquipollentias cognoscas, revoca in mentem, modos *Necesse* et *Impossibile* contrarie opponi; *Necesse* et *Possibile non*, *Possibile* et *Impossibile* contradictorie, *Possibile* et *Possibile non*, subalterne. Prostant hæc in prima tabella, quam in articulo præcedenti confecimus.

Jam si singulis hisce modis respectu aliorum applices leges pro æquipollentia propositionum de inesse contentas in illo versiculo: **Præ** *contradic.;* **Post** *contra;* **Præ Postque** *subaltern*, videbis profecto, *Necesse*, *Impossibile non*, *Non possibile non*, *et Non contingens non*, esse prorsus modos inter se æquipollentes *Impossibile*, *Necesse non*, *Non possibile* ac *Non Contingens* (1); præterea *Possibile*, *Contingens*, *Non impossibile*, ac *Non necesse non:* et demum *Possibile non*, *Contingens non*, *Non impossibile non*, et *Non necesse*.

Quare singulis modis respondent tres alii æquipollentes, qui ad eumdem sensum redacti sunt ope negativæ particulæ, præmissæ sive dicto, sive modo sive utrique; ita ut quatuor omnino existant æquipollentium quaternaria in modalibus.

Deinde in singulis hisce quaternariis sunt aliæ propositiones affirmativæ tum de modo tum de dicto; aliæ negativæ item de utroque; aliæ negativæ de solo dicto, aliæ negativæ de solo modo.

Jam si velimus designare per vocalem **A** modales omnes affirmativas tum de modo tum de dicto; per **E** negativas de solo dicto; per **I** negativas de solo modo; ac tandem per **U** negativas de utroque (2); deprehendes quaternarium æquipollentium de *Necesse*, exprimi per vocales **A, E, U, U**, vel **U, U, E, A**, ut placuit priscis Logicis, atque adeo repræsentari posse

(1) Iterum monemus *Contingens* hic sumi pro *Possibili:* si enim proprie sumeretur, *Non contingens* idem valeret, ac *Necesse*.

(2) Id hoc versiculo Logici comprehendunt: **E** *dictum negat*, **Ique** *modum*, *nihil* **A**, *sed* **U** *totum*.

per vocem **PURPUREA**. Simili modo quaternarium æquipollentium de *Impossibili* denotatur per vocales **E, A, I, I,** seu ordine inverso per **I, I, A, E,** ac proinde per vocem **ILIACE.**

Tertium quaternarium de *Possibili* designari poterit per vocales vocis **AMABIMUS;** et quartum de *Possibili non* per vocalis vocis **EDENTULI.**

Ex quibus omnibus in unum collectis prisci Logici hanc confecerunt sane ingeniosam tabulam omnes oppositiones et æquipollentias modalium propositionum continentem.



(1) Ut vides, tabella hæc confecta est cum dicto singulari: simili modo confici alia posset cum dicto communi, habitis præ oculis iis, quæ superius in hanc rem notata sunt. Cfr. Casilius lib. 2, tract. 3, cap. 3.

En celebris tabella modalium magis usitata apud Scholasticos Philosophos post Petrum Hispanum (1). Aliam etiam exhibent PP. Fonseca et Toletus (2), quam censent menti Aristotelis conformiorem (3); licet revera non videtur differre nisi in æquipollentium distributione in singulis quaternariis; nam primo loco *Necesse*, secundo *Possibile*, tertio *Contingens* et quarto denique collocant *Impossibile* (4). Sed non vacat his diutius insistere.

ARTICULUS VI.

De modalium conversione.

138. Conversio modalium, quæ in sola modi ac dicti transpositione consistat, nec negotium facessit, nec habet utilitatem. Perinde enim est dicere: *Necesse est Deum existere*, ac *Deum existere necesse est*, quemadmodum monuimus supra.

Ea vero conversio aliquam habet difficultatem, in qua termini solummodo dicti transponuntur. Ad eam peragendam duæ solent præcipi a Logicis regulæ, altera pro modalibus de modo affirmato, quales sunt: *Necesse, Possibile, Contingens:* altera vero pro modalibus de modo negato, in quibus etiam numeratur *Impossibile*, quia continet in se imbibitam negationem.

Prima regula. Modales de modo affirmato convertuntur sicut propositiones de **inesse** secundum leges contentas in versiculis: *fEcI simpliciter convertitur* etc.: v. g, *Possibile est nullum*

---

(1) Vide ipsum in *Summul.*, tract. 1 vers. fin.

(2) Fonseca, *Instit. Dialect.*, lib. 3, cap. 12; Tolet., *Summul.* lib. 3, cap. 5.

(3) Vide Arist. *Periherm.* cap. 13. Cfr. Sylvest. Mauri, Comment. in lib. 2, *Periherm.* cap. 3.

(4) Aliam præterea novam tabulam modalium construxit P. Sebastianus Izquierdo (*Pharus Scientiar.*, disp. 19, quæst. 5), qui fusius quam utilius totam hanc tractationem persequitur.

Æquipollentias *Contingentis* proprie sumpti si quis requirat, facile poterit ipse reperire ex iis, quæ in ultima nota præcedentis articuli sunt dicta.

hominem esse album; Ergo possibile est nullum album esse hominem, aut etiam: *aliquod album non esse hominem. Necesse est omnem hominem esse animal: ergo necesse est aliquod animal esse hominem.*

Secunda regula. Modales de modo negativo (quales sunt: *Impossibile, Non possibile, Non contingens, Non necesse*) tunc solum converti possunt, quando earum æquipollens de modo affirmato patitur conversionem simpliciter vel per accidens; ac tunc modalis de dicto negativo convertitur in illam de eodem dicto negativo, quæ æquipolleat illi propositioni, in quam converteretur æquipollens illius de modo affirmativo. Exemplum sit: *Non necesse est nullum animal esse hominem.* Huic æquipollet hæc alia: *Possibile est aliquod animal esse hominem* (1), quæ habet hanc conversionem simplicem ex præcedenti regula: *Possibile est aliquem hominem esse animal.* Efformetur ergo huic æquipollens in modo negativo de *Necesse: Non necesse est nullum hominem esse animal;* et hæc est propositio convertens priorem illam.

Hæc vero alia: *Non necesse est omne animal esse hominem*, non potest converti, quia æquipollet huic alteri: *Possibile est aliquod animal non esse hominem*, quæ nec simpliciter nec per accidens converti potest, sed solum posset per contrapositionem. Conversio autem per contrapositionem, potissimum in modalibus prætermittitur (2).

Hæ videntur in re satis implicata facillimæ quæ dari possint regulæ: cum enim modales de modo affirmativo plenam sortiantur conversionem, modales vero omnes de modo negativo aliquam habeant sibi respondentem æquipollentem de modo affirmativo, sapientissimum consilium videtur in modis negativis ad affirmativos æquipollentes confugere (3).

---

(1) Vide dicta superius in articulo 5.

(2) Vid. Lossada, disp. 7, cap. 7, n. 12-16; et Conimbricenses in lib. 1 *Prior. Analyt.*, cap. 3, quæst. 1, art. 1, 2: qui tamen (ibid. q. 3, art. 3,) etiam exponunt conversionem modalium per contrapositionem.

(3) Vid. Conimbricens. loc. cit. in cap. 3. lib. 1, *Prior.* quæst. 1 art. 2. Quidam autem Auctores multas minutatim hac super re dictant regulas. Pro modo *Contingens* in sensu proprio tres colligunt leges ex Aristotele (1.° *Prior. Analitic.* cap. 3.) Conimbricenses: prima est: *Universalis affirmativa convertitur in partem seu per acci-*

ARTICULUS VII.

De oppositione propositionum compositarum.

Quando habeant oppositionem contradictoriam

139. Propositiones compositæ vel hypotheticæ singillatim sumptæ solam habent oppositionem contradictoriam. Nam cum variari nequeant secundum quantitatem, et singularibus proinde æquivaleant, non aliam possunt subire oppositionem, præter eam, quæ provenit ex mutata qualitate. Ejusmodi autem propositiones, per qualitatis mutationem fiunt contradictoriæ, ut patet ex alibi dictis; quia nimirum nec veræ nec falsæ simul esse possunt, quæ lex contradictoriarum est.

Atqui qualitas propositionum compositarum non aliter mutatur, ex affirmativa in negativam, nisi præmissa toti enuntiationi negatione. Nam sola negatio initio præmissa copulam formalem afficit complexæ propositionis, quæ consistit in ipsa connexione mutuoque vinculo vel consecutione partialium membrorum. Quocirca huic copulativæ: *Petrus currit et Paulus sedet*, contradices per hanc: *Non et Petrus currit et Paulus sedet*, quæ præcise negat conjunctionem partialium propositionum. Pari modo huic disjunctivæ: *Vel Petrus currit vel Paulus sedet*, sic contradicitur: *Non vel Petrus currit vel Paulus sedet.* Item hujus conditionalis: *Si sol lucet, dies est,* hæc assignatur contradictoria: *Non si sol lucet, dies est.* Ac tandem causali huic: *Quia Petrus est hŏmo, risibilis est,* hæc opponitur contradictoria: *Non quia Petrus est homo, risibilis est* (1).

Quomodo habere possint oppositionem contrariam copulativæ,

At quoniam copulativa propositio enuntiat simultaneam veritatem omnium partium, si qualitas harum, vel omnium

---

dens: v. g. *Contingens est omne B esse A: ergo contingens est aliquod A esse B.* Secunda: *Universalis negativa non convertitur simpliciter, sed per accidens:* v. g. *Contingens est nullum B esse A: ergo contingens est aliquod A non esse B.* Tertia: *Particularis, tam affirmativa quam negativa, simpliciter convertitur, modo ejus dictum non sit in materia necessaria.* Quas regulas probatas atque ab oppugnationibus variis vindicatas, lege, si lubet, apud eosdem Conimbricenses, loc. cit. quæst. 2, art. 2. Cfr. Tolet. *Summul.* lib. 3, cap 7.

(1) Lossada, Op. cit. disp. 7, cap. 5, n. 23-26.

vel saltem alicujus, ex affirmativa in negativam commutetur, efformabitur propositio alia copulativa priori contrarie opposita. Ut si in allato superius exemplo, verbalem copulam partium sic mutaveris: *Nec Petrus currit nec Paulus sedet*, vel sic: *Petrus non currit et Palus sedet;* vel denique: *Petrus currit et Paulus non sedet;* habes totidem contrarias illi priori: *Petrus currit ac Paulus sedet.* Ratio, quia possunt falsæ esse, non autem simul veræ: quæ lex contrariarum est.

140. Disjunctiva pariter potest habere subcontrariam *de lege*, præmissa negatione vel singulis membris, aut saltem uni, quo pacto propositio illa; *Vel Petrus currit vel Paulus sedet*, subcontrarie opponitur huic: *Vel Petrus non currit, vel Paulus non sedet;* itemque hæc: *Vel Petrus non currit, vel Paulus sedet*, huic alteri: *Vel Petrus currit, vel Paulus currit, vel Paulus non sedet.*

Ratio, quia hæ solum pugnant in falsitate, non autem in veritate, cum possint veræ simul esse, non vero falsæ: quæ lex subcontrariarum est.

141. Conditionales et causales, si sub eadem conditione aut causa, altera affirmet, altera neget, contrariæ sunt *de lege*, quia possunt ambæ falsæ esse, non autem veræ, v. g. *Petrus si dives est, est doctus; si dives est, non est doctus: Petrus quia est logicus, est musicus; quia logicus est, non est musicus.*

Conditionales et causales.

142. Jam si copulativam conferas cum disjunctiva de eadem materia et ex iisdem partibus conflata, videbis procul dubio eas ita se habere, sicut universalis et particularis. Copulativa enim, cum enuntiet omnium partium simultaneam existentiam, verificari nequit nisi verificatis singulis partibus, quemadmodum categorica universalis vera esse non potest, nisi prædicatum vere conveniat omnibus et singulis inferioribus, disjunctiva vero contenta est cum veritate unius tantum partis, quam ipsa non determinat, fere sicut locum habet in categoricis particularibus.

Copulativæ ac disjunctivæ ex iisdem membris terminisque constantes, invicem combinatæ possunt habere omnes quatuor oppositiones

Quamobrem componendo inter se copulativas et disjunctivas secundum ea quæ hactenus de iisdem notata sunt, confici potest tabella hæc oppositionum quæ inter illas vigent:



De oppositione propositionum exponibilium disputare necesse non est, cum omnes exponantur per aliquam ex aperte compositis (2).

Idem dic de æquipollentia et conversione propositionum compositarum, de quibus quidquid in medium afferatur, parum usus atque utilitatis potest habere (3).

DISPUTATIO TERTIA

DE TERTIA MENTIS OPERATIONE.

Devenimus tandem ad præcipuum modum sciendi nobilissimumque instrumentum, per quod humana mens omnium sibi fabricatur opificium scientiarum, quodque nomen sortitum est *ratiocinii* vel *discursus* aut etiam *argumentationis*, quamquam hæc vox soleat sæpe applicari ad oralem discursus expressionem significandam. Oportet ergo summa diligentia et accuratione tanti momenti tractationem aggredi (4).

(1) Fuse de his P. Casilius, *Introduct. in Arist. Logic.* lib. 2, tract. 2, cap. 2.

(2) Vide, si lubet, Tolet. lib. 3, cap. 9, seqq.; Casil. ibid. lib. 2, *Append.* cap. 1, 2.

(3) Videri potest de his Fonseca, *Inst. dialect.*, lib. 3, cap. 22.

(4) De his, quæ spectant ad tertiam mentis operationem rectamque formam discursus, agit Arist. in libris *Analyticorum*, *Topicorum* et *Elenchorum*. Nam in *Prioribus analyticis* agit de his, quæ spectant

CAPUT I.

QUID EST DISCURSUS VEL ARGUMENTATIO.

Ut natura hujus operationis, quantum attinet Logicam, patefiat, declarandum ante omnia est, quid sit *consequentia*: proprium quippe ratiocinii est ab una cognitione in aliam procedere ob connexionem ac necessitudinem, qua invicem colligantur veritates et rationes rerum intelligibiles.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit consequentia ejusque præcipuæ leges.

Definitio consequentiæ.

143. *Consequentia* seu *consecutio* est illatio vel fluxus unius ex alia, ut si dicas: *Petrus est homo: ergo rationalis: Si sol est, dies est.* Illud, ex quo aliud infertur, vocatur *antecedens*, *consequens* vero illud, quod infertur. Inter *antecedens* et *consequens* adest nexus ac relatio dependentiæ, vi cujus uno posito seu affirmato, alterum quoque poni seu affirmari necesse est: et ejusmodi connexio atque objectiva necessitudo, expressa per actum mentisa ut per voces *ergo*, *igitur* et alias similes, proprie constituit *consequentiam*. Ejus plura vidimus in præcedentibus exempla, tum in propositionibus conditionalibus et causalibus, tum in conversione propositionum, in communis suppositionis resolutione, etc. Ex hac notione consequentiæ illud necessario colligitur, eam distingui tum ab antecedente et consequente, non enim est propositio, sed nexus propositionum; tum etiam ab eorumdem veritate, nihil quippe vetat inter falsas propositiones adesse

---

ad argumentationem generatim: in *Posterioribus analyticis* de argumentatione demonstrativa: in *Topicis* de probabili; et in *Elenchis* de sophistica.

nexum, ac deesse inter veras, quemadmodum jam alias monuimus. Ideo etiam consequentia non dicitur *vera* nec *falsa*, nam veritas et falsitas est dos propositionum.

Planum porro est connexionem illam, quæ consequentiam constituit, esse posse vel *physicam* vel tantum *logicam:* physica viget inter realitates distinctas, qualis adest v. g. inter effectum et causam; logica vero seu metaphysica inter varios conceptus objectivos ac notas intelligibiles unius ejusdemque objecti, penitus quoad rem ipsam identificatas, ut sunt ratio hominis et animalis in Petro.

Quotuplex consequentia:

Consequentiarum plures perhibentur species: *simplex* seu *immediata* dicitur illa, quæ nullo utitur medio vel argumento, qualis est consequentia ab universali ad particulare: atque idem censent multi de consequentiis inter æquipollentes propositiones existentibus, itemque inter conversam et convertentem, etc. E contrario *mediata* est illa, quæ medio utitur, et vocari propterea solet etiam discursiva vel rationalis, quia formalem continet discursum.

mediata et immediata,

bona et mala,

Sed præcipue consequentia dividitur in *bonam* seu *legitimam*, et *malam* seu *notham*. Bona consequentia est illa, in qua antecedens revera connexum est cum consequente, seu est illatio fundata in connexione antecedentis cum consequente quantum ad veritatem. Secus vero vitiosa vel notha erit, ut si colligas sic: *Petrus est homo*: *ergo est lapis*. Exempla vero legitimæ dedimus superius, ac porro dabimus.

Hæc divisio, ut vides, non est univoca, sed æquivoca, vel analoga, quia consequentia vitiosa non est consequentia, sed externam tantum habet similitudinem consequentiæ, atque adeo abusive nomen illius usurpat. Quamobrem non est desumenda consequentia præcise a veritate propositionum antecedentis et consequentis.

Consequentia bona subdividitur in *formalem* ac *materialem*. Formalis est ea, quæ inest vi formæ, ita ut si simili modo ac sub simili terminorum dispositione in quavis alia materia alterum ex altero inferatur, semper vere futura sit consequentia. Materialis est ea, quæ tenet dumtaxat ratione subjectæ materiæ, in qua nimirum de facto antecedens connectatur cum consequenti: ita ut in alia materia sub simili forma terminorumque dispositione perperam unum ex alio

inferretur: v. g. *Petrus est substantia: ergo est animal.* Adest quidem hic consequentia, quia Petrus est substantia de genere animalium; sed est *materialis* tantum, quia similis modus ac forma concludendi non valeret in alia materia, ut in hac: *Lapis est substantia: ergo est animal.*

necessaria et contingens:

Spectata ratione connexionis inter antecedens et consequens, dividitur consequentia iterum in *necessariam* et *probabilem* vel *contingentem*, prout fundamento innitatur vel necessario atque infallibili, vel solum probabili ac fallibili. Probabilis est hæc: v. g. *Agricola tempestive serit: Ergo fructum colliget.*

necessaria potest esse vel metaphysica, vel physica vel moralis,

Necessaria dispescitur in *metaphysicam, physicam et moralem.* Metaphysica est infrustrabilis per quamcumque potentiam, ut hæc: *Petrus est homo: ergo est animal.* Physica frustrabilis est der virtutem Dei, miraculum patrantis, v. g.: *Si huic igni applicetur stuppa, comburetur.* Moralis denique frustrabilis est etiam absque miraculo, sed raro ac difficile frustrari solet. Exemplum: *Est mater: Ergo diligit filium suum.*

absoluta vel hypothetica.

Necessaria vero potest iterum esse vel absoluta vel hypothetica seu tenens dumtaxat ex suppositione aliqua facta.

Hisce præstitutis, oportet præcipuas regulas exponere bonæ consequentiæ, non quidem materialis, sed formalis dumtaxat. Et ratio est, quia bonitas consequentiæ materialis cum decernenda sit ex subjecta materia, non spectat ad Logicam, sed ad peculiares alias disciplinas. Cumque Logicæ munus proprium sit formas ac regulas præscribere ad recte procedendum in quavis materia, non potest bonæ consequentiæ leges, quæ tantum habere debent usum in veritatis inquisitione, præterire.

§ II.—REGULÆ GENERALES BONÆ CONSEQUENTIÆ.

Regula 1.ª

144. **Regula 1.ª** *In bona consequentia, ab antecedente sequitur consequens, id est ab affirmatione vel positione antecedentis recte proceditur ad affirmationem seu positionem consequentis: non vero vice versa.*

Prima pars patet ex natura consequentiæ, cujus in eo est præcise vis, ut cum antecedente consequens connectatur;

non autem connecteretur, si posito antecedenti, adhuc posset non poni consequens.

Secunda pars non minus patet, quia nihil vetat quominus mutua non sit connexio ac dependentia inter antecedens et consequens; sic effectus connectitur ac dependet a causa, non vero vicissim; homo connectitur cum animali, vivente ac substantia, ideoque illa infert, non vero e contrario.

2.ª **Regula 2.ª** *In bona consequentia ex negatione consequentis sequitur negatio antecedentis; non autem e contrario.*

Prima pars constat similiter ex indole consequentiæ: nam ubi adest consequentia, nequit stare antecedens sine consequente. Si ergo consequens non datur seu negandum est, signum est non adesse antecedens, seu negandum illud quoque esse.

Secunda pars similiter manifesta est, quia fieri bene potest, ut consequens stare possit suamque retinere veritatem independenter ab antecedenti; siquidem bona consequentia tantum postulat, ut ex hoc antecedente fluat consequens, non vero quod *solum* ex hoc fluat, quin possit fluere ex alio.

3.ª **Regula 3.ª** *Ex vero non sequitur nisi verum in bona consequentia; ex falso autem sive verum sive falsum* (1).

Prima pars probatur. Quia si verum est antecedens, affirmandum est; et si falsum est consequens, negandum pariter. Ergo si ex vero sequi falsum posset, staret antecedens sine consequente. Atqui in bona consequentia nequit stare antecedens sine consequente, ut vidimus in prima regula, Ergo.

Sed nota, cum negamus ex vero falsum sequi posse in bona consequentia, intelligendum esse principium secundum gradum necessitatis et connexionis, quam consequentia importat: ut si consequentia tenet tantum morali necessitate, falsum nequeat sequi moraliter; et si teneat physica necessitate, repugnet physice sequi falsum, non vero metaphysice: ac tandem si tenet consequentia necessitate metaphysica, repugnet absolute sequi. Sic ex hoc vero: *In Eucharistia adsunt species panis* et *vini:* colligitur falsum: *ergo est panis et vini substantia.*

(1) Vide Arist. lib. 2 *Prior.*, cap. 2, 3, 4; Cfr. Mauri in Paraphrasi in eum locum; Lossada *Dialectic.*, disp. 8, cap. 1, n. 7, 8.

Secunda pars in primis manifesta est pluribus exemplis: *Homo est lapis: ergo est substantia: Petrus currit: ergo existit: Omnis lapis est animal; sed omnis homo est lapis. Ergo omnis homo est animal.*

Et ratio est, quia non repugnat duo extrema A et B connexa esse inter se, licet aliquod illorum vel utrumque, per errorem identificaverit intellectus cum alio tertio extremo *C;* hæc enim ficta identificatio nequit destruere connexionem duorum illorum. Atqui identificatis A et B cum *C* necessario sequitur in bona consequentia identificatio A cum B ex identitatis principio. Ergo non repugnat ex falso antecedente verum consequens inferre.

Quod vero falsum quoque sequi possit ex falso, probatione non eget, quia si falsum nequit ex vero fluere, cum sæpe falsa conclusio in recta forma argumentationis inferatur, attribuenda necessario est falso antecedenti.

Nota autem verum non sequi ex falso absolute, nec cognito ut tali, sed ex suppositione quod verum sit, quia si cognosceretur, ut falsum, nequiret mens procedere ulterius in discurrendo et inferendo. Itemque verum non sequitur ex falso per se et ex meritis falsi, quasi veritas dependeret ab ulla falsitate, cumque ea connexionem haberet; sed per accidens, ex influxu principii alicujus veri, quod mentem adigit ad conclusionem veram, supposito errore.

COROLLARIUM. In prima parte hujus regulæ fundatur usitatissimus ille modus arguendi ex absurdis. Quia enim falsum nequit ex vero sequi, ostendimus verum esse non posse id, unde falsa et absurda consequuntur.

Regula 4.ª *Ex necessario nonnisi necessarium sequitur; at vero necessarium sequi potest sive ex necessario, sive ex contingenti sive etiam ex impossibili* (1). 4.ª

Prima pars. Quia necessarium semper est verum, et impossibile semper falsum, contingens autem quandoque verum, quandoque falsum. Si ergo ex necessario in bona consequen-

(1) V. Arist., lib. 1. *Posterior.*, cap. 6. Cfr. S. Thom. ib. lect. 13, paragr. *f.* seqq.

tia sequeretur imposibile vel contingens, jam ex vero sequi posset falsum, contra præscriptum regulæ præcedentis (1).

Secunda pars etiam facile probatur. Nam cum ex falso verum sequi possit, nihil vetat, quominus ex eo quod aut semper aut aliquando falsum est, colligatur id quod semper est verum, nimirum ex impossibili aut consequenti necessarium.

En exempla: *Omnis homo est lapis, ergo est substantia. Creatura existit: ergo creator existit:* in primo ex impossibili et in altero ex contingenti sequitur necessarium.

5.ª **Regula 5.ª** Ex *contingenti contigens vel etiam necessarium, nunquam autem impossibile sequi potest.*

Prima pars per se patet: ut si sic inferas: *Petrus ridet: ergo vivit.*

Secunda pars probata est in præcedenti regula.

Tertia, quia cum cotingens possit esse verum et impossibile semper ac necessario sit falsum; si ex contingenti flueret impossibile, falsum ex vero sequi posset (2).

6.ª **Regula 6.ª** *Ex impossibile sequitur quodlibet, sive necessarium, sive contingens, sive aliud impossibile.*

Prima pars patet ex dictis.

Secunda, quia cum ex falso sequi possit verum, ex eo quod semper est falsum, poterit fluere id quod aliquando verum est.

---

(1) Dices fortasse ex necessario posse sequi possibile: quare non verum videri, quod ex necessario non possit sequi, nisi necessarium. Verum si in memoriam revocaveris, quæ superius diximus de significatione *possibilis*, difficultas omnino cessabit. Nam possibile vel est necessarium vel contingens. Si ergo possibile quatenus æquivalet contingenti, nequit fluere ex necessario, fluet tantummodo quatenus æquivalet necessario. Ideoque stat firma regula quoad hanc primam partem.

(2) Dices: In hoc syllogismo: *Omne currens est homo: Sed omnis equus est currens.* Ergo *omnis equus est homo*, videtur consequens impossibile sequi ex antecedente contingenti.

Resp. Præmissæ syllogismi hujus, si seorsim sumantur, sunt quidem contingentes; si vero copulative sumantur, sunt impossibiles revera. Nam impossibile est *omne currens esse hominem*, si omnis *equus est currens*, et vicissim. Ergo revera non sequitur impossibile ex contingenti, sed ex alio impossibili. Vide Scotum in 2.º *Prior. Analyticor.*, quæst. 2, ad 1.um

Præterea si sequi potest ex impossibili necessarium, a fortiori contingens.

Tertia pars. Nam sæpe impossibilia colliguntur in bona consequentia formaque argumentationis. Atqui ex dictis non possunt inferri sive ex necessario sive ex contingenti. Ergo reliquum est, ut sequantur ex alio impossibili. Exemplum: *Leo ratione utitur: ergo homo est:* (impossibilis): *ergo existit* (contingens): *ergo substantia est* (necessaria).

Regula 7.ª *Quidquid stat cum antecedenti, stat cum consequenti; non tamen e converso, quidquid stat cum consequenti, stat etiam cum antecedente.* 7.ª

Aliis verbis: *Quidquid vere enuntiatur de antecedente, potest etiam convenire consequenti; sed non vicissim*: v. g. in hac consequentia: *Est homo: ergo est animal;* stat cum homine quod sit *rationabitis, risibilis, bipes.* Ergo hæc eadem prædicata non repugnant animali, sed possunt eidem convenire. Contra vero, stat cum animali quod sit *quadrupes, cornutum, rugibile* etc.: quæ tamen nequeunt enuntiari de homine.

Prima pars probatur. Secus enim ex vero sequi falsum posset. Etenim quidquid stat cum antecedente, relinquit intactam veritatem illius; quod vero non stat cum consequente, falsificat illud. Aliunde vero quidquid stat cum antecedente, non destruit consequentiam bonam, seu connexionem illius, cum consequente. Ergo si verum non foret, quod præcipit prima pars hujus regulæ, ex vero sequeretur falsum.

Secunda pars. Quia si quidquid stat cum consequenti, necessario staret cum antecedenti, veritas consequentis necessario postularet veritatem antecedentis in bona consequentia, seu non posset verum ex falso inferri, seu affirmatio consequentis traheret antecedentis affirmationem: quæ omnia sunt contra jam statutas regulas.

Regula 8.ª *Quidquid repugnat consequenti, repugnat antecedenti, non vero vice versa.* 8.ª

Vel ut alii enuntiant: *Ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis; verum ex opposito antecedentis non semper sequitur oppositum consequentis.*

Ratio, quia ex negatione consequentis colligitur semper negatio antecedentis, non autem vicissim; quemadmodum ostensum est in 2.ª Regula.

9.ª **Regula 9.ª** *Ex quocumque infertur antecedens, infertur consequens; et quidquid sequitur ex consequenti sequitur etiam ex antecedenti.*

Prima pars etiam enuntiatur hoc modo: *Quidquid antecedit antecedens, antecedit et consequens;* sit v. g. hæc consequentia: *Est animal: ergo est vivens.* Si ex *homine* sequitur *animal* in bona consequentia, etiam ex eodem *homine* sequetur *vivens.*

Ratio est, quia ubi non est vivens, non est *animal* ex regula 2.ª, seu nequit esse antecedens *animal* sine consequente *vivens.* Jam si ex antecedenti antecedentis *homo* posset non fluere consequens *vivens*, posset esse sine illo. Atqui non potest, quia est antecedens *animalis*, et hoc nequit esse sine *vivente.*

Aliis verbis, si ex *B* sequitur *C*, et *B* sequitur *A*, ex *A* necessario sequitur *C:* quia *B* nequit esse absque *C*, si hoc ex illo fluit. Atqui *A* nequit pariter esse sine *B*, si est hujus antecedens. Ergo similiter *A* nequit esse sine *C.*

Secunda pars patet ex prima, imo non est nisi ejusdem regulæ repetitio sub alia forma. Nam consequens respectu alterius, quod ex eo fluit, rationem habet antecedentis: quare primum antecedens respectu hujus novi consequentis se habet tamquam antecedens antecedentis.

Ejusmodi consequentia usus est M. Augustinus (1), cum hæc scripsit: *Maria unde? Ex Adam. Adam unde? de terra. Ergo et Maria de terra. Si autem Maria de terra, agnoscamus, quod cantatur: Veritas de terra orta est.* Atque in hac regula fundatur argumentatio illa, quæ apud Philosophos nomen obtinuit *soritis,* aut de *primo ad ultimum.*

10.ª **Regula 10.** *Ex affirmatione notionis inferioris sequitur affirmatio notionis superioris in eodem prædicamento; non vero e converso. At a negatione superioris sequitur negatio inferioris, non tamen vice versa.*

Revoca in mentem, notiones universaliores vocari superiores respectu minus universalium ejusdem prædicamenti, quæ dicuntur inferiores. Quare juxta hanc regulam recte sic colligitur: *Est homo: ergo animal:* non autem e contrario. Recte

(1) Serm. 189 (al. 35) de diversis.

etiam sic: *Non est animal: ergo non est homo:* non tamen vicissim.

Et ratio est in promptu, quia in quolibet prædicamento notio universalior pertinet ad essentiam inferioris, seu includitur in ejus comprehensione. Quare nequit stare inferior sine superiore. At vero inferior cum aliquid habeat adjunctum superiori, non pertinet ad hujus essentiam: poterit ergo superior stare sine inferiori.

Regula 11. *Ab esse ad posse, vel ab actu ad potentiam valet consequentia; non tamen semper e converso.*—Patet per se, 11.ª

Regula 12. *A non posse ad non esse valet illatio; sed non semper a non esse* ad *non posse.*—Patet etiam. Alias regulas vide, si vis, apud auctores (1); hæ autem præcipuæ sunt ac sufficiunt in præsentiarum. 12.ª

§ III.—REGULÆ SPECIALES CONSEQUENTIARUM.

145. Regulas consequentiæ plures innuimus, atque ostendimus, cum sermo esset de resolutione suppositionis communis, de æquipollentiis, conversionibus atque oppositionibus: in omnibus siquidem hisce rebus totidem cernuntur exempla consequentiarum.

Aliæ plures speciales regulæ possent hic exponi circa consequentias bonas rectosque modos inferendi vel argumentandi sive in definitione, sive in expositis suo loco terminorum propietatibus etc. Sed illas omittimus, tum quia facile quivis illas, cum opus erit, derivare poterit ex iis, quæ de singulis hisce rebus hactenus disputata sunt, tum quia veremur, ne multitudine minutiorum legum præceptorumque potius obruantur, quam juventur tyronum mentes, aut etiam ab alacri studio scientiarum in ipso limine Philosophiæ deterreantur (2).

(1) Vide Fonseca, De Benedictis, Casil., vel Javellum *in Logica* tract. 9, qui fuse de his.

(2) Si cui tamen libeat illa etiam, singillatim exposita, videre, adeat Fonsecam, aut Toletum, aut Joannem a S. Thoma, aut Joan. Bapt. De Benedictis, aut Ludovicum de Lossada etc.

ARTICULUS II.

De ratiocinio et argumentatione.

146. Diximus in articulo præcedenti, duplex esse genus consequentiarum, alterum *immediatum*, alterum *mediatum*, quodque discursum continet. Relictis consequentiis prioris generis, ad mediatas nunc animum convertimus, in quibus intellectus ab una veritate cognita progreditur ad aliam cognoscendam. Et ejusmodi progressio nomen sortita est *discursus*, *ratiocinationis* vel *ratiocinii* et *argumentationis* (1), quamquam argumentatio sæpe sumitur pro externa manifestatione ratiocinii ac discursus in animo latentis.

Quid sit discursus.

Discursus vel ratiocinatio *motum quemdam nominat. Omnis autem motus est de uno priori in aliud posterius. Unde discursiva cognitio attenditur, secundum quod ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem alterius posterius noti, quod prius erat ignotum* (2).

Processus vero hic ab una in aliam cognitionem, ut observat Angelicus, duplex esse potest: *unus secundum successionem tantum, sicut cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos in aliud: alius discursus est secundum causalitatem, sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum* (3).

Inter duos hos discursus discrimen est, quod in primo diversæ illæ notitiæ non alium ordinem habent inter se, quam temporis et successionis; in altero autem alia ex alia vere causatur, alia in aliam influit, alia ab alia vere dependet (4). Ideo «ex communi Philosophorum usu solus discursus secun-

(1) *Ratiocinari... est procedere ab uno intellecto ad aliud, ad veritaten intelligibilem cognoscendam.* S. Thom. 1. p. 79, a. 8, in corp.; *de Veritate*, q. 8, a. 15.

(2) S. Thom. 1 p., q. 58, a. 3, ad 1.um Cfr. 1.° *Contr. Gent.*, cap. 57, *Præterea, omnem motum.*

(3) 1 p., q. 14, a. 7.

(4) S. Thom. loc. cit.; et 1.° *Contr. Gent.* cap. 57, *Amplius, in omni scientia;* Conimbric. *Dialect.*, lib. 1. *Prior. Analyt.*, cap. 1, q. 2, a. 1.

dum causalitatem hoc nomine censeatur, alius vero infrequenter et solum *secundum quid* tantum discursus nuncupatur» (1).

Maneat ergo firmum, ad discursum non modo plures requiri cognitiones pluraque judicia, sed etiam ut unum ex alio procedat, colligatur ac determinetur in mente nostra (2). Unde recte

Definitur discursus.

Definitur discursus vel ratiocinium ea mentis operatio, qua ex una vel pluribus varitatibus cognitis ad aliam cognoscendam provehimur propter earumdem connexionem: vel, si mavis illum cum Cicerone definire, est *ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit* (3). Idemque exprimitur per illam aliam S. Augustini descriptionem, secundum quem ratiocinatio est *a certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio* (4).

Causa hujus operationis in mentis nostræ imbecillitate posita est.

Radix hujus operationis in intellectus nostri imbecillitate posita est. *Cum enim intellectus humanus exeat de potentia in actum, similitudinem quamdam habet cum rebus generabilibus, quæ non statim perfectionem suam habent, sed eam successive acquirunt. Et similiter intellectus humanus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem; sed primo aprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quæ est primum et proprium objectum intellectus, et deinde intelligit proprietates et accidentia et habitudines circunstantes rei essentiam. Et secundum hoc necesse habet unum apprehensum alii componere et dividere, et ex una compositione et divisione ad aliam procedere, quod est ratiocinari* (5).

Etenim ex ingenii nostri hebetudine sæpissime fit, ut proposito nobis aliquo enuntiabili, hæreamus, nec prius, quid de ipso pronuntiandum sit, constituamus, quam mentem subeat cogitatio alia et judicium seu inventum, quod

(1) Conimbric. ibid.

(2) S. Thom. loc. cit., et 1 p. q. 14, a. 7; Cajetan. in 1 p., q. 58, a. 3; Molin. in 1 p., q. 58, a. 3; Vazquez, in 1 p., disp. 223, cap. 3; Ruiz de Montoya, *De Scient. Dei*, disp. 14, sect. 2; Conimbric., loc. cit.; Izquierdo, *Phar. scient.*, disp. 2, q. 5, etc.

(3) *Academicor.* lib. 2, c. 8.

(4) De *Immortalit. anim.* cap. 1. n. 1.

(5) S. Thom. 1 p., q. 85, a. 5. Cfr. *de Verit.*, q. 8, a. 15.

propter suam cum illo enuntiabili necessitudinem nos possit ad assentiendum vel dissentiendum permovere. Inventum ejusmodi vocatur *ratio*, *medium*, et etiam *argumentum: ratio*, quia rem ostendit intellectui: *medium*, quia est velut instrumentum, cujus ope inducitur mens ad conjungendos in conclusione terminos; *argumentum* denique, quia rem patefaciens, intellectum arguit et convincit, atque ad assensum vel dissensum perducit. Ideo definiri argumentum solet: *inventum aliquod ad faciendam fidem* (1).

(1) *Argumentum*, inquit Aquinas, *proprie dicitur processus rationis de notis ad ignota manifestanda, secundum quod dicit Böetius* (ex Ciceron. *Topic.* 221) *quod est ratio rei dubiæ faciens fidem.* (De *differentiis topic.* lib. 2, cap. 2.) *Et quia tota vis argumenti consistit in medio termino, ex quo ad ignotorum probationem proceditur: ideo dicitur ipsum medium* argumentum, *sive sit signum, sive causa, sive effectus. Et quia in medio termino vel in principio, ex quo argumentando proceditur, continetur virtute totus processus argumentationis, ideo tractum est nomen argumenti ad hoc, quod quælibet brevis prælibatio futuræ narrationis dicatur argumentum; sicut in epistolis Pauli, singulis præmittuntur argumenta. Et quia principium vel medium dicitur argumentum, in quantum habet virtutem manifestandi conclusionem, et hoc verius inest ei ex lumine intellectus agentis, cujus est instrumentum, quia omnia quæ arguuntur, a lumine manifestantur (ut dicitur Ephes. V), ideo ipsum lumen, quo manifestantur principia, sicut principiis manifestantur conclusiones, potest dici* argumentum, *ipsorum principiorum.* (3.ª dist. 23, q. 2, a. 1 ad 4.m)

Paulo aliter S. Bonaventura: *Proprie quidem*, inquit, argumentum *accipitur secundum quadruplicem acceptionem. Nam uno modo dicitur argumentum ratiocinatio: alio modo dicitur argumentum prolixæ sententiæ brevis collectio: tertio modo dicitur argumentum ipsum medium, in quo consistit tota vis argumentationis: quarto modo dicitur argumentum ipsa maxima propositio, in qua consistit firmitas totius illationis. In omnibus tamem his acceptionibus, argumentum dicitur, quia mentem arguit et illuminat ad aliquid intuendum, et ei firmiter adhærendum.* (3.º dist. 23, art. 1, q. 5 ad arg. 2.um)

Ex his videtur colligi, secundum duos hos clarissimos Ecclesiæ Doctores, *argumentum* et *medium* quoad rem ipsam pro eodem sumi; et ita etiam sentiunt Fonseca (lib. 6, *Inst. dialect.* cap. 1, et 6; lib. 7, cap. 9.), De Benedictis, aliique. Non autem desunt, qui contra opinentur, latius patere asserentes *argumentum* quam *medium*, argumentum quippe est inventum aliquid ad faciendam fidem idoneum; *medium* vero proprie ac stricte videtur esse terminus, qui ponitur in antecedente, et non ingreditur nec potest in recta argumentatione conclusionem ingredi. Ex quo sequitur etiam discordia eorumdem

Hinc facile capies, cur cognitio per discursum dicatur et sit *mediata*, quia nimirum utitur *medio* seu argumento. Ut vero ne decipiaris in rei hujus intelligentia, scito duplex distingui medium, aliud *in quo*, aliud *ex quo;* non enim perinde est, cognoscere aliquid *in alio* et cognoscere *ex alio*. Medium *in quo* est id, in quo aliquid relucet, medium vero *ex quo* est id, quod prius in se cognitum, facit nos aliud cognoscere, quod prius ignorabamus. Ita Beati dicuntur videre creaturas *in* essentia divina, ac partem videmus *in* toto, vultum nostrum aliave objecta *in* speculo, tamquam medio *in quo;* sed Dei existentiam cognoscimus *ex* creaturarum existentia, animæ immortalitatem *ex* spiritualitate, spiritualitatem *ex* actibus sive intellectus sive voluntatis, tamquam medio *ex quo*.

Discursus est cognitio mediata.

Medium *in quo* et medium *ex quo*.

Cum ergo cognitio discursiva dicitur mediata, intelligitur habere medium *ex quo*, non vero *in quo* dumtaxat. Et ratio est, quia cognoscitur unum *in alio* per unicum simplicissimum actum absque ullius generis discursu; cognitio vero discursiva implicat plures distinctos asssensus, quorum unus respicit objectum non satis intellectui luce propria refulgens, quod proinde illuminari ab alio debet, ut valeat cognosci.

Differt, inquit S. Thomas, *cognoscere aliquid* in *aliquo et aliquid* ex *aliquo. Quando enim aliquid* in *aliquo cognoscitur*,

---

AA. circa nonnullas consequentias: qui enim argumentum prorsus identificant cum medio, negant consequentias conversionum, æquipollentiarum et resolutionum communis suppositionis veras esse *argumentationes*, sed simplices atque immediatas consequentias, qui videlicet non habent medium distinctum, atque adeo neque argumentum, argumentatio autem non est sine argumento. Ita inter alios Fonseca (loc. cit. lib. 6, cap. 1); Conimbric. (lib. Prior. cap. 1, q. 2, a. 3.); et De Benedictis (Log. lib. 1, q. 1, cap. 5). Alii vero e contrario censent, in consequentiis conversionum etc., non deesse argumentum seu inventum ad faciendam fidem idoneum, licet non adsit verum medium, nam revera quicumque antecedens considerat, ad inferendum consequens inducitur. Ergo adest etiam ibi argumentatio veri nominis, cum vere una veritas ex alia cognoscatur propter earumdem connexionem. Vide Lossada (*Dialect.* disp. 8, cap. 2, n. 5, 6). Cfr. Tolet. (*Summul.* lib. 4, a. 1); et Joann, a S. Th. (*Illustrat. in Summul.* q. 8, a. 2), qui consequentiam et argumentationem penitus identificant. Sed controversiæ istæ sunt de voce, quibus diutius non est insistendum.

uno motu fertur cognoscens in utrumque, sicut patet quando aliquid cognoscitur in aliquo, ut in forma cognoscibili, et talis cognitio non est discursiva. Nec differt, quantum ad hoc, utrum aliquid videatur in propria specie vel in specie aliena, visus enim non dicitur conferre, neque videndo lapidem per speciem a lapide acceptam, neque videndo lapidem per ejus speciem in speculo resultattem. Sed tum dicitur aliquid ex *aliquo cognosci, quando non est idem motus in utrumque, sed primo movetur intellectus in unum, et ex hoc movetur in aliud: unde hic est quidam discursus, sicut patet in demonstrationibus* (1).

Quamobrem medium *ex quo* supponit potentialitatem, imperfectionem atque indigentiam in cognoscente (2); medium autem *in quo* non necessario importat imperfectionem, immo potest arguere maximam perfectionem mentis objectum in tota sua intelligibilitate comprehendentis (3).

Refutatur Lockii sententia circa ratiocinationem.

COROLLARIUM. Perperam ergo docuit Lockius (4) intellectum ratiocinari ex eo, quod unam veritatem *in* alia intueatur. *Non enim ex hoc aliquis ratiocinatur vel discurrit, quod inspicit, qualiter conclusio ex præmissis sequatur, simul utrumque considerans. Hoc enim contingit non argumentando, sed argumenta judicando* (5).

Discursus duplex, formalis ac virtualis

Hæc tamen omnia dicta fuerint de discursu *formali*, qui est proprius et verus discursus, importans verum processum ab uno in aliud. Præter hunc enim solet distingui alius, quem vocant *virtualem*, ille nimirum, in quo et antecedentis et consequentis objecto assentimur unico et simplicissimo actu, sed uni propter aliud, ut locum habet in propositionibus causalibus, quæ, ut superius exposuimus, quamvis unum contineant judicium fomaliter, virtualiter tamen includunt

---

(1) Qq. disput. *de Verit.* q. 8, a. 15; Cfr. q. 2, a. 3 ad 3.um; et 1 p. q. 14, a. 7.

(2) Vide S. Thom. *Contr. Gent.* lib. 1, cap. 57, *Præterea. Omnis ratiocinativa cognitio*, et *Amplius, A Deo omnis defectus.*

(3) Vide Card. Lugon., *de Fide*, disp. 7, sect. 1, n. 8.

(4) Essai lib. 10, cap. 11, paragr. 7, et cap. 17, paragr. 2, 14 et 15.

(5) S. Thom., lib. 1.º *Contr. Gent.*, cap. 57.

omnia illa quibus æquivalent, et per quæ logice declaratur plena illarum vis ac significatio.

Discursus vel ratiocinii oralis expressio.

Sed jam dicendum aliquid est de orali ratiocinii expressione, seu argumentatione.

Argumentatio passim definitur *oratio, in qua unum infertur ex alio*, vel, ut clarius discernatur ab expressione meri virtualis discursus, dici potest *oratio, in qua ex una vel pluribus propositionibus altera infertur*. Nomen accepit ab *argumento:* unde vocatur etiam a Tullio *argumenti explicatio*. Cum enim argumentum sit inventum aliquod ad fidem faciendam, seu medium quod ad aliquid probandum assumitur, ille vere argumentari dicitur, qui *argumentum* tractat, evolvit atque apte disponit, ut intellectus fluentem ex antecedente conclusionem perspiciat enuntietque. Et ideo etiam describitur argumentatio oratio, in qua ex præjudicato argumento concluditur aliquid, vel oratio, in qua ex argumento explicato altera pars quæstionis concluditur. Quæstio enim est «in dubitationem ambiguitatemque adducta enuntiatio: quæ quidem utramque partem contradictionis complectitur, affirmationem scilicet et negationem, alteram expresse, alteram implicite, ut: *Sitne omnis virtus anteponenda opibus an non*» (1). Cum autem argumentum explicatur, utrum membrum quæstionis amplectendum sit, patescit, idque concluditur.

Quid requiratur ad omnem argumentationem

Quæ cum ita sint, ad omnem formalem argumentationem requiruntur: 1.° duæ, ut minimum, propositiones, antecedens et consequens, 2.° consequentia inter illas, ita ut altera sit causa, cur mens inducatur ad alteram enuntiandam propter connexionem ac dependentiam, quam inter illas deprehendit: 3.° signum aliquod eam consequentiam denotans, cujusmodi sunt particulæ *igitur*, *ergo* et aliæ similes. Nisi enim signum istud apponatur, poterit quidem adesse in rebus ipsis objective consequentia unius enuntiabilis ab altero, poterit etiam in judiciis mentis adesse ratiocinatio consequentiam illam objectivam idealiter exprimens; non autem habebitur externa ratiocinii manifestatio seu argumentatio, sed propositiones dumtaxat dissociatæ.

---

(1) Vide Fonsec. *Inst. dialect.* lib. 6, cap. 6.

Principia generalia discursus atque argumentationis continentur legibus bonæ consequentiæ; specialia vero exponentur, cum de singulis argumentationis speciebus agendum erit.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit argumentatio vel discursus.

Divisiones ex parte materiæ,

147. Divisiones argumentationis repeti possunt vel ex conditione materiæ, circa quam versatur, vel ex forma seu dispositione terminorum ac propositionum, quibus constat. Ratione materiæ dividi potest in *evidentem* et *obscuram*, *certam* et *probabilem*, *analyticam* seu *rationalem*, *syntheticam* vel *experimentalem* ac *mixtam*, prout constet propositionibus evidentibus vel obscuris, certis aut incertis, analyticis vel syntheticis; de quibus potius spectat ad Logicam Majorem disputare, utpote quæ minime variant formam ipsam et structuram ratiocinii, quam potissimum contemplatur tamquam sibi proprium Logica Minor.

ex parte formæ.

Ratione autem formæ divisa fuit argumentatio ab Aristotele ac reliquis Scholæ Doctoribus, in *Syllogismum*, *Inductionem*, *Enthymema* et *Exemplum:* quibus communiter adjunguntur *Sorites* et *Dilemma*. Ex quibus principem locum occupat, velut lucidissima omnium usitatissimaque forma, Syllogismus. Definitur autem generatim: *oratio in qua ex duabus positis vel concessis propositionibus tertiam colligi necesse est;* vel si mavis, est *oratio*, *in qua, positis quibusdam, aliud quid a positis necessario sequitur, eo quod illa sunt* (1): quæ definitio mox exponetur.

Sed quoniam syllogismus alius potest esse categoricus, vel propositionibus constans simplicibus seu categoricis, alius compositus seu constans propositionibus hypotheticis; et categoricus alius est *expositorius*, seu de medio termino singulari, et alius *communis*, itemque alius *modalis* alius de *inesse;* prius accuratissime agendum est de syllogismo communi categorico, paucis adjectis deinceps tum de aliis, tum etiam de reliquis formis argumentationum.

(1) Arist. 1.º *Prior. Analyt.*, cap. 1.

CAPUT II.

DE SYLLOGISMO COMMUNI ET CATEGORICO.

ARTICULUS I.

Quid sit syllogismus categoricus.

148. Syllogismus, ex fusiori significatione *ratiocinationis* in angustiorem a Philosophis contractus, specialem argumentationis formam exprimit, recteque definiri potest cum Aristotele: *oratio in qua, positis quibusdam, aliud quid a positis necessario sequitur, eo quod illa sunt* (1). v. g.: *Omnis virtus est amabilis. Sed religio est virtus. Ergo amabilis est.* Et quamquam hæc definitio quadrare valeat in omnem generatim syllogismum, nihilominus de communi categorico solet ab interpretibus Stagiritæ communissime declarari (2), ac de illo nunc speciatim declarabitur a nobis, facileque poterit deinceps ad alios quoscumque syllogismos extendi. Definitio Syllogismi

Dicitur *oratio*, quia est complexio propositionum inter se connexarum; et in hoc convenit genere cum enuntiatione. Reliqua verba definitionis continent specificam differentiam. Est enim syllogismus propositionum talis conglobatio, ut: α) *quibusdam positis*, id est, duabus propositionibus simplicibus seu categoricis, β) *aliud quiddam*, nempe tertia a prioribus distincta propositio, γ) *eo quod illa sunt*, id est vi formæ, ita ut in quacumque materia binæ propositiones ea dispositione artificioque collocentur, tertia colligatur, et quidem δ) *necessario* seu infallibiliter. Tanta quippe est syllogisticæ formæ efficacitas, ut etiamsi materia contingens vel probabilis existat, immo et falsa et impossibilis, concessis duabus

(1) Arist. 1.° *Prior analytic.*, cap. 1.

(2) Vide Fonseca, *Metaphys.* lib. 6, cap. 8; Conimbric., lib. 1 *Prior. analyticor.*, cap. 1, quæst. 2, a. 2.

antecedentis propositionibus, concedendum quoque sit necessario consequens (1), etiamsi possit consequens in seipso non esse necessarium. In quo nulla est contradictio vel pugna. Aliud enim est consequens *necessario* fluere ex antecedenti, aliud consequens illud in se esse necessario verum. Ideo solemne fuit semper Phlilosophis ac Theologis distinguere *necessitatem consequentis* a *necessitate consequentiæ*.

Necessitas consequentis et necessitas consequentiæ.

Necessitas consequentis significat consequens esse propositionem necessario veram et incapacem falsitatis; necessitas vero consequentiæ non aliud importat, quam fluxum necessarium unius ab altero, ita ut uno admisso, aliud repudiari nequeat. Itaque fieri bene potest, ut propositio aliqua in se quidem necessaria non sit, necessario tamen fluat ab aliis (2).

Est ergo syllogismus, aliis vocibus, argumentatio, in qua ex duabus enuntiationibus simplicibus, eo quod certa forma dispositæ sunt, tertia necessario sequitur. Non enim quævis series trium propositionum syllogismum conficit, nisi adsit certum artificium ac dispositio, ratione cujus adsit consequentia nexusque necessarius inter illas.

Cæterum allatam definitionem rectam esse constat ex eo, quod convenit omni et soli definito. *Omni* quidem, quia nullus est syllogismus categoricus et communis, de quo solo nunc loquimur, qui non sit hujusmodi oratio vel argumentatio: *soli* vero, quia syllogismus quatenus est oratio discriminatur a terminis simplicibus; et quatenus est oratio, in qua positis quibusdam nempe duabus propositionibus simplicibus, aliud quiddam necessario sequitur, eo quod illa sunt, differt a quacumque alia mentis operatione et argumentatione et a syllogismis compositis.

Verum jam oportet artificium proprium hujus argumentationis exponere.

---

(1) Vid. Fonseca et Conimbricenses, loc. cit.

(2) Vid. S. Thom., *de Verit.*, quæst. 24, a. 1, ad, 13.um

ARTICULUS II.

Artificium et structura syllogismi categorici.

149. Artificium syllogismi consistit tum in numero propositionum ac terminorum, tum in apta combinatione utrorumque inter se: de quibus et in hoc et in sequentibus articulis agendum est (1).

In primis ergo syllogismus constat tribus enuntiationibus, nempe *conclusione*, quæ est tertia ex duabus prioribus derivata, vocaturque etiam *consequens;* ac duabus aliis, ex quibus conclusio infertur, quæque vocantur *Major* et *Minor*, aut etiam *præmissæ*, utpote quæ conclusioni præmittuntur. Quandoque etiam præmissa major vocatur simpliciter *propositio*, et præmissa minor, *assumptio:* quem loquendi modum tenuit S. Augustinus in illis verbis: **Proponunt** *Græci: Si dii tales colendi sunt, profecto etiam tales homines honorandi.* **Assumunt** *Romani: Sed nullo modo tales homines honorandi sunt.* **Concludunt** *Christiani: Nullo modo igitur dii tales colendi sunt* (2).

Tres enuntiationes. major, minor, conclusio.

Tres istæ propositiones totidem constant terminis (3): *subjecto* nimirum et *prædicato* conclusionis, et alio tertio, qui conclusionem minime ingreditur, sed cum subjecto et prædicato singillatim copulatus binas efficit præmissas. Exemplum: *Omne ens spirituale est immortale. Sed anima humana est spiritualis. Ergo anima humana est inmortalis.* Ubi vides propositiones tres totidemque terminos, *ens spirituale*, *anima humana et spirituale*, quorum singuli bis repetuntur. Prædicatum conclusionis, cum nempe hæc est *propositio directa*, vocatur terminus *major*, vel *extremitas*, aut *extremus majus*, quia omnium latissime patere solet, subjectum conclusionis appellatur terminus vel *extremitas* vel *extremum minus*, quia cæteris minus late patet; tertius denique nomen habet termini *medii*, tum quia mediam habet extensionem inter subjectum et prædicatum, latiorem videlicet subjecto et

Subjectum.

Prædicatum, medius terminus.

(1) Vide *Summam totius Logicæ Arist.*, tract. 8, cap. 4.

(2) *De Civit. Dei*, lib. 2, cap. 3. Cfr. *De Doctrina christ.* lib. 2, c. 33.

(3) Intellige terminos, sive incomplexos sive complexos, qui sint extrema propositionum simplicium.

breviorem prædicato conclusionis, tum quia est medium seu argumentum cognoscendi conclusionem (1). Præmissa illa in qua terminus major seu prædicatum conclusionis (intellige conclusionem *directam*) componitur cum termino medio, appellatur proprie, sive collocetur primo loco sive secundo, *Major; Minor* vero illa, in qua subjectum conclusionis seu minus extremum copulatur cum eodem termino medio. Quamquam inter disputandum et argumentandum *Major* propositio vocari soleat, quæ prima ocurrit, *Minor* autem quæ secundo loco enuntiatur, quia nempe nec multum refert in usu communi, nec sæpe vacat, atentione animi ad alia distracta, examinare, quænam proprie sit major et quænam minor propositio (2).

Totum porro hoc opus syllogisticæ ratiocinationis, ut jam nuper notaveram, in ipsa mentis humanæ natura fundamentum habet. Cum enim ob ingenii nostri imbecillitatem de paucissimis rebus immediata judicia pronuntiare valeamus ex sola terminorum apprehensione; quotiescumque ambigua vel ignota quæstio nobis solvenda proponitur, v. g. *num leo sit substantia*, quam illico decernere nesciamus, ad aliquem medium terminum confugere necesse est, qui argumentum suppeditet motivumque sufficiens propositam quæstionem extricandi. In qua investigatione tres ocurrere possunt omnino casus: aut enim terminus ille tertius, cum quo comparamus subjectum et prædicatum propositæ quæstionis, habet cum utroque convenientiam et connexionem, aut repugnat cum utroque, aut demum cum altero convenientiam, cum altero repugnantiam gerit.

In primo casu concludendum est, prædicatum quæstionis de subjecto affirmandum esse, vi principii, quod vocant identitatis, atque ita enuntiatur: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Sic si ad investigandum, utrum leo sit substantia

---

(1) Dissimulandum autem non est, non unum eumdemque loquendi modum teneri ab auctoribus in designandis terminis, majori et minori. Vide Fonseca (*Inst. dialect.*, lib. 6. c. 10); Tolet. (*Introd. in Dialect.* lib. 4. cap, 3); Mauri, (*Summul.* cap. 67); Lossada (*Summul.* disp. 8., cap. 3, n. 10, seqq); De Benedictis, Arriaga, Jo. Bapt. Ptolomei et Anton. Mayr.

(2) Fonseca. *Inst. dialet.* lib. 6. c. 10.

necne, assumo ideam animalis eamque cum idea leonis et substantiæ comparans, deprehendo, primo, *omne animal esse substantiam*, ac deinceps, *omnem leonem esse animal;* virtute illius principii necesse erit inferre *leonem esse substantiam.*

In tertio casu ob oppositam rationem concludendum erit, prædicatum quæstionis propositæ negari debere de subjecto, vi principii discrepantiæ, quod sic se habet. *Quorum unum est idem cum tertio, alterum verum non, neque sunt eadem inter se.* Vis v. g. scire num planta sit animal? Compara ideam sensitivi cum idea plantæ atque animalis, videbisque profecto, *animal quidem sensitivum esse, minime autem plantam;* ex quo aliud non licet inferre, nisi quod *planta non sit animal.*

Cum demum secundus casus acciderit, nihil adhuc concludere licet, et signum est terminum illum ac medium, ad quod confugimus, aptum non esse ad solvendam propositam quæstionem, sed aliud requirendum esse. Nam subjectum et prædicatum quæstionis alicujus, quæ comparata cum quodam termino, discrepare ab eodem deprehenduntur, fieri potest, vel quod conveniant inter se, vel quod discrepent, idque ope alterius aptioris medii detegatur. Donec ergo alterum hujusmodi aptius medium suppetat, nihil concludi potest. Sic si *animum humanum* et *immortale* compares cum idea *lapidis*, utrumque discrepare ab hac vides, et nihilominus idea *humani animi* et *inmortalis* conveniunt inter se. Simfliter *homo non est leo*, nec *leo est lapis*, nec etiam *homo est lapis*. Cum ergo in secundo illo casu utrumvis contingere possit, et quod subjectum et prædicatum quæstionis, ad solvendum propositæ, conveniant, et quod discrepent inter se, neutrum concludere licet, donec adsit medium, per quod ope principii vel identitatis vel discrepantiæ conclusio aut affirmativa aut negativa eliciatur.

ARTICULUS III.

Materia et forma syllogismi, ubi de *figuris*, et *modis* ejusdem.

150. Non quærimus hic materiam circa quam syllogismus versatur, sed de partibus atque elementis unde componitur. Duplex porro est hujusmodi materia, altera *proxima*, *remota* Materia proxima et remota.

altera. Et proxima quidem sunt propositiones tres, nempe binæ præmissæ et conclusio, nam ex his proxime conflatur syllogisticum artefactum. Ita Mauri, Arriaga, De Benedictis, Lossada, Goudin, Roselli, Dupasquier, Conimbricenses aliique (1); sunt nihilominus graves auctores (2), qui duas dumtaxat præmissas vocant proximam syllogismi materiam. Quam etiam sententiam sequantur, necesse est, illi, qui negant conclusionem esse partem syllogismi essentialem, arbitranturque syllogismum ita duabus præmissis absolvi, ut conclusio non pars sed finis sit dumtaxat et effectus syllogismi. Verum hæc doctrina in Logica Majori confutanda est.

Materia vero remota sunt tres termini, ex quibus coalescunt propositiones syllogismum proxime constituentes.

Forma.

151. Forma denique syllogismi est certa dispositio terminorum ac propositionum, ex qua necessario atque infallibiliter fluat conclusio: et duplex est, duplici respondens materiæ proximæ nempe ac remotæ. Altera enim est certa dispositio et complicatio terminorum in præmissis, quæ dicitur figura; et altera præmissarum ipsarum certus ordo et structura, quæ *Modi* nomen accepit. Et perfecta forma syllogismi ex figura et modo constat, non secus ac «pulchritudo corporis humani ex convenientia membrorum et quadam coloris suavitate,» inquit Fonseca (3).

Quid Figura Syllogismi:

Figura ergo est extremorum cum medio apta ad concludendum collocatio. Tunc porro erit apta, cum major terminus sit in una, minor in altera præmissarum seu sumptionum, et uterque in conclusione, medius vero semel jungatur in præmissis cum majori ac semel cum minori, at nequaquam conclusionem ingrediatur.

Quod autem nomen ipsum attinet, *sciendum est*, inquit Angelicus, *figura proprie reperitur in mathematicis, transumptive autem in syllogismo: et hoc ad similitudinem figuræ triangularis. Nan sicut triangulus est clausio trium linearum in tribus*

(1) Cfr. Auctor. *Summ. tot. Logic. Arist.*, tract. 8, cap. 4; Joan. a S. Thoma, *Summul.*, lib. 3, cap. 4; *Illustrationes in Summul.* quæst. 8, a. 3; Complutens. *Summul.*, lib. 3, cap. 3.

(2) S. Thom. Opusc. de *Natura Syllogism.* initio; Fonseca *Inst. dialect.*, lib. 6, cap. 10; Tolet. *Introduct.* lib. 4, cap. 3.

(3) *Inst. dialec.* lib. 6, cap. 11 initio.

angulis: ita syllogismus est concursus trium propositionum scilicet majoris, minoris et conclusionis in tribus terminis (1).

Modus syllogismi est propositionum ad conclusionem inferendam apta secundum quantitatem et qualitatem complicatio. Neque enim ad hoc, ut conclusio per formalem consequentiam necessario fluat ex præmissis, sufficit certa terminorum dispositio, nisi etiam et quantitatis in ipsis sumptionibus ratio habeatur. Fac. v. g. Syllogismum ex solis negativis propositionibus, vel ex solis particularibus; et quamquam termini apte dispositi fuerint, conclusio nulla sequi legitime poterit. quid Modus.

Forma itaque syllogistica coalescit atque integratur figura et modo.

ARTICULUS IV.

Generales syllogismi categorici leges.

152. Antequam varietatem figurarum modorumque exponamus, demonstrandæ sunt generales regulæ ac leges syllogismi, quæ octo recensentur totidem versiculis comprehensæ:

Tum re, tum sensu, triplex modo terminus esto (2).
Latius hos, quam præmissæ, conclusio non vult.
Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
Aut semel aut iterum medius generaliter esto.
Utraque si præmissa neget, nil inde sequetur.
Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem.
Pejorem semper sequitur conclusio partem.
Nil sequitur geminis ex particularibus umquam.

Regula 1.ª *Termini dumtaxat sint tres in syllogismo.* Regula 1.ª

Probatur ex artificio ac natura syllogismi, qui in eo consistit, quod identitas vel distinctio duorum terminorum col-

(1) Opuscul. *De Natur. Syllogism.*, paulo post init.

(2) Hanc alii sic enuntiant: *Terminus esto triplex, major medius-que minorque.*

ligatur ex eorum identitate cum uno eodemque medio termino.

Peccari contra hanc legem potest aperte et occulte. Aperte quidem, quando patent plures, quam tres termini. Ut si hoc pacto argumentareris: *Hispania est contigua Galliæ. Sed Gallia est contigua Italiæ. Ergo Hispania est contigua Italiæ.*

Occulte vero peccatur, si termini quidem in speciem sint tres, qui tamen reapse pluribus æquivaleant ob aliquam æquivocationem latentem, vel diversam suppositionem etc. v. g. *Canis est animal latrabile.* Sed *canis est quædam constellatio. Ergo aliqua constellatio est animal latrabile.*

2.ª **Regula 2.ª** *Termini in conclusione non latius pateant, quam in præmissis.*

Est corollarium præcedentis. Probatur autem, quia si quis terminus majorem in conclusione, quam in sumptionibus, contineat extensionem, certe secundum hunc excessum non fuit cum termino medio comparatus. Quare in syllogismo, legem hanc violante, quatuor revera forent termini. Ut in hoc exemplo: *Omne animal est substantia. Sed lapis non est animal. Ergo lapis non est substantia;* si rem attente perpendas, quatuor terminos reperies, nimirum *animal, lapis, substantia* sumpta particulariter in Majori, et *substantia* universaliter sumpta in conclusione (1).

3.ª **Regula 3.ª** *Medius terminus ne ingrediatur conclusionem.* Ratio patet ex natura syllogismi. Non tamen peccat contra hanc legem iste syllogismus: *Omnis homo doctus est homo. Sed Petrus est homo doctus. Ergo est homo.* Quia medius terminus non est *homo,* sed *homo doctus.*

4.ª **Regula 4.ª** *Medius terminus saltem semel universaliter distributive sumatur, oportet.*

Alioquin enim comparatio duorum extremorum non fit, vel certe potest non fieri, cum uno eodemque medio; atque

(1) Non tamen peccat contra hanc legem sequens syllogismus: *Solus Deus est æternus. Sed mundus non est Deus. Ergo non est æternus.* Et ratio est, quia cum Major sit propositio exclusiva, æquivalet duabus categoricis, in quarum altera terminus *æternus* universaliter sumitur. Cæterum iste syllogismus non est categoricus, de quo dumtaxat nunc loquimur.

adeo conclusio recta fluere non potest. Ut si dicas: *Homo est animal. Sed equus est animal. Ergo* quid inde concludes? Neque enim homo est omne animal, sed quædam species animalis, et quidem diversa a specie animalis, ad quam pertinet equus.

Regula 5.ª *Ex duplici præmissa negativa nulla elici conclusio potest.* 5.ª

Ratio est quia, ut superius notabamus, cum neutrum extremorum cum medio termino convenit, signum est hunc aptum non esse ad illorum sive convenientiam sive repugnantiam dignoscendam.

Sed probe nota, dari quandoque propositiones in speciem negativas, quæ tamen re vera sunt affirmativæ, quia negatio non afficit copulam. In quibus casibus potest conclusio recte fluere, licet utraque præmissa negativa videatur, quemadmodum accidit in hoc syllogismo: *Qui non fuerit baptizatus, non potest salvus fieri. Atqui hic homo baptizatus non est. Ergo non potest salvus fieri.* Minor enim non est reapse negativa (1).

Regula 6.ª *Ex duabus affirmativis non potest inferri conclusio negativa.* 6.ª

Patet ex principio identitatis.

Regula 7.ª *Conclusio sequatur pertem debiliorem.* 7.ª

Nota in antecessum, debiliorem partem intelligi posse vel respectu quantitatis et qualitatis ita, ut si altera præmissarum sit negativa aut particularis, quæ pejoris est conditionis, quam affirmativa aut universalis, conclusio quoque negativa debeat esse aut particularis; vel respectu aliarum etiam affectionum, puta si altera sit evidens aut certa, altera non; altera de Fide, altera vero naturalis. Nos autem hic non agimus nisi de debiliori parte secundum quantitatem et qualitatem. De aliis videri potest P. Joannes Ulloa (2).

---

(1) Cave etiam, ne regulam hanc extendas ad syllogismos, qui præmissam aliquam exclusivam habeant, qualis est hic: *Tantum rudes non æstimant scientiam. Sed Petrus non est rudis. Ergo æstimat scientiam.* Quia propositio illa exclusiva in hasce duas resolvitur: *Rudes non æstimant scientiam, et qui rudes non sunt, eam æstimant;* conclusio vero illa affirmativa præcise derivatur ex hac secunda, quæ pariter affirmativa est. Minor item hujus syllogismi proprie non est negativa.

(2) In *Prodromo.* disp. 1, cap. 6, a n. 61.

Duæ itaque fieri possunt hypotheses: α) *altera respiciens qualitatem præmissarum:* β) *altera quantitatem.*

α) *In prima hypothesi,* conclusio debet esse negativa. Resque patet ex principio discrepantiæ.

β) *In altera hypothesi,* duplex quoque casus contingere potest, vel quod ambæ præmissæ, quarum altera supponitur universalis, altera particularis, sint affirmativæ; vel quod una sit affirmativa et altera negativa, nam ambæ negativæ supponi nequeunt ex regula 5.ª Et in utroque casu conclusio debet esse particularis.

In primo quidem, quia tunc non fuit in præmissis nisi unus terminus universalis, nimirum subjectum propositionis universalis; hic autem debuit esse medius terminus, secus enim violaretur 4.ª regula. Ergo subjectum conclusionis debuit esse particulare, atque adeo, nisi velimus contra regulam 2.am impingere, conclusio particularis sit, oportet.

In secundo autem casu non fuerunt nisi duo termini universales in præmissis, subjectum nempe propositionis universalis et prædicatum negativæ. At unus saltem illorum debuit esse terminus medius, si salvam velimus 4.am regulam. Ergo pro conclusione non restat, nisi unus terminus universaliter sumptus in præmissis. Jam conclusio in præsenti casu negativa sit, necesse est, ac proinde prædicatum habebit universale, nec hoc aliud esse potest nisi unus ille, qui restabat, terminus universaliter sumptus in præmissis, nam secus necessario violanda erit 2.ª regula. Ergo conclusio particularis esse debebit.

Excipe hunc aliosque similes syllogismos: *Aliquis homo est Petrus. Sed nullus lapis est homo. Ergo nullus lapis est Petrus.* In quo nulla violatur ex laudatis regulis, neque ullum sequitur incommodum ex conclusione universali, quæ deducitur.

8.ª **Regula 8.ª** *Ex duabus particularibus nulla sequi potest conclusio.*

Tres hyphotheses fieri possunt: α) *quod ambæ præmissæ, sint affirmativæ* β) *vel ambæ negativæ:* γ) *vel altera affirmativa, negativa altera.*

In prima hypothesi α) conclusio nulla est, quia terminus medius sumptus fuit particulariter, ac proinde si quid inferatur, lædetur 4.ª regula.

In altera hypothesi β) nihil pariter sequi potest ex 5.ª regula.

In tertia demum hypothesi γ) cum videlicet altera præmissa est affirmativa et altera negativa, non potest esse in præmissis nisi unus terminus universaliter sumptus, nimirum prædicatum negativæ: ille autem necessario debuit esse medius terminus ex 4.ª regula. Ergo jam nulla est possibilis conclusio. Non affirmativa, quia una ex sumptionibus supponitur negativa: non negativa, quia in conclusione negativa prædicatum universaliter esset sumendum, cum tamen in præmissis in præsenti hypothesi particulare fuerit; ac proinde quæcumque inferatur conclusio, violatur 2.ª regula.

Excipiendi tamen sunt ab hac regula syllogismi secundæ figuræ cum termino medio singulari, qui possunt recte concludere. Quamquam hujusmodi syllogismi non sunt de numero communium, sed vocantur *expositorii*. Excipe etiam hunc syllogismum: *Aliquis homo est Petrus. Sed aliquod animal non est homo. Ergo aliquod animal non est Petrus.* Ubi peculiaris conditio termini singularis *Petrus* efficit, ut salva 2.ª regula, fluat conclusio.

Quorumdam circa has leges opinio.

Non desunt, qui has syllogismi leges velut inutiles negligant, inque earum locum substituere vellent regulam, quam de *continenti* et *contento* vocant. Ea vero sic se habet: *Necesse est, ut una præmissarum conclusionem contineat, altera conclusionem in ea contineri declaret.* Regula quidem de *continenti* et *contento* vera est, videturque derivari ex notissimis illis principiis *Dictum de ommi* et *Dictum de nullo*, de quibus in sequenti articulo dicendum est. Perperam tamen ob hanc regulam, cæteræ negliguntur, vel inutiles reputantur, cum e converso utilissimæ sint. Et re quidem vera sæpe, potissimum in syllogismis secundæ ac tertiæ figuræ, non parum operosum est regulam de *continenti* et *contento* applicare; utrum autem leges syllogismi, sive generales modo expositæ, sive speciales pro singulis figuris mox exponendæ, serventur necne, facillime cognoscitur. Quamobrem ego e converso sentio, regulam quidem de *continenti* et *contento* parum utilem in praxi, alias vero utilissimas esse.

ARTICULUS V.

Quotuplex Figura et Modus syllogismi.

Figura syllogismi triplex

153. Cum figura sit forma terminorum, tot ejus numerabuntur species, quot sunt possibiles diversæ terminorum collocationes in præmissis, aptæ ad conclusionem recte inferendam. Tres porro sunt hujusmodi collocationes diversæ: prima, in qua medius terminus in Majori subjecti, in Minori vero prædicati tenet locum: et habes primam Figuram. Exemplum esto: *Omnis virtus est ornamentum animæ. Sed pietas est virtus. Ergo est animæ ornamentum.*

Secunda figura est illa, in qua medius terminus in utraque præmissa prædicatur: v. g. *Omnis homo est rationalis. Sed nullus equus est rationalis.* Ergo *nullus equus est homo.*

Tertia figura est illa, in qua medius terminus in utraque præmissa subjicitur. Ut si ita ratiocineris: *Omnis homo est risibilis. Sed omnis homo est animal.* Ergo *aliquod animal est risibile.*

Tres istæ figuræ hoc versiculo expresse fuerunt a Scholasticis, memoriæ juvandæ causa:

SUB PRÆ **prima; sed altera bis** PRÆ: **tertia bis** SUB.

Ubi voces *sub* et *præ* significant *subjici* et *prædicari*, seu subjecti et prædicati locum occupare. Subaudiri autem in versiculo debet *terminus medius*, de illo enim loquitur.

Illud porro notandum est, primam figuram posse ex iisdem præmissis vel *directe* et *naturaliter* vel *indirecte* et *innaturaliter concludere*. Quæcumque enim conclusio directe derivetur, æque poterit etiam derivari ejusdem convertens, utpote quæ, dummodo conversio rite peragatur, conversæ prorsus æquivalet. Exemplum. Si ex his primæ figuræ sumptionibus: *Omne animal est substantia: sed homo est animal;* concludas directe: *Ergo homo est substantia;* poteris quoque colligere indirecte, inversa præcedenti conclusione, hoc pacto: *Ergo aliqua substantia est homo.*

Utrum autem secunda et tertiæ figura possint concludere indirecte, est controversia (1) pendens potissimum ex diversitate opinionum circa apellationem *majoris* et *minoris* extremi in duabus postremis figuris.

Quidquid tamen sit de voce *indirecte concludere*, certum est in secunda figura, positis præmissis universalibus, posse indifferenter utrumvis extremum in conclusione prædicari; ex quo resultabunt duo modi distincti ejusdem figuræ, nempe *Cesare* vel *Camestres*, de quibus mox dicetur. Similiter in tertia figura, si præmissæ affirmativæ ponantur, altera nempe universalis et altera particularis, idipsum licebit, et habebuntur duo modi nempe *Datisi* et *Disamis*. In eadem tertia figura, si præmissæ fuerint universales affirmativæ, eadem extremorum transpositio in conclusione locum habet. «His enim positis: *Omnis homo est vivens*, *Omnis homo est rationalis*, fas erit in conclusione prædicari vel *rationale* vel *vivens*. Illa tamen præmissa, cujus fuerit extremum in conclusione prædicatum, erit Major; altera, Minor: resultabitque ex hac prædicationis varietate duplex syllogismus ad eumdem pertinens modum, nempe *Daraptì*» (2).

Num admittenda sit quarta Figura.

Tribus hisce figuris quartam nonnulli adjiciunt, quam a Galeno inventam esse testatur Averroes (3), quamquam in operibus Galeni, quæ exstant, nulla ejus rei mentio fiat, inquiunt Conimbricenses (4).

Quarta figura ea est, ut ab ejusdem patronis defenditur, in qua medius terminus in Majori prædicatur, in Minori autem subjicitur: Ut si dicas: *Omnis homo est animal. Sed omne animal est substantia. Ergo aliqua substantia est homo.* Qui syllogismus procul dubio non est secundæ figuræ, nec tertiæ, nec vero ad primam videtur posse revocari. Et re quidem vera, figurarum varietas ex varia terminorum dispositione

(1) Controversiam hanc vide apud Conimbricenses in lib. 1.° *Prior Analyticor.*, cap. 7, quæst. 2.

(2) Lossada, *Summul.*, disp. 8, cap. 3, n. 20. Cfr. Auctor *Summ. tot. Log. Arist.* (tract. 8, cap. 8.), ubi docet in secunda figura duos esse modos, qui indirecte concludere possunt, scilicet primum et secundum, in tertia vero tres, primum tertium et quartum.

(3) In cap. 8. lib. 1 *Prior. Analyticor.*

(4) In lib. 1.° *Prior. resolution.*, cap. 7, quæst. 1.

resultat. Atqui præter tres superius enumeratas *(sub præ* nimirum, *bis præ*, et *bis sub)* quarta hæc dari potest (scilicet *præ sub)*. Igitur Galenica figura videtur admittenda.

Nihilominus quartam hanc figuram communissima sententia jure merito respuit. Quia ubicumque medius terminus semel prædicetur in præmissis semelque subjiciatur, quocumque tandem ordine proferantur præmissæ, ea revera Major est, in qua medius terminus locum habet subjecti, quandoquidem ille est proprie terminus major in hac hypothesi, qui de medio prædicatur, utpote nobilior et universalior. Unde quarta hæc terminorum complicatio, quam Galeni asseclæ comminiscuntur, non aliter a prima differt, nisi quia præmissæ transpositæ sunt, Major nempe secundo, Minor vero primo loco profertur, et conclusio est indirecta. At præmissarum transpositio vim concludendi minime variat, cum sit mutatio pure materialis et accidentalis. In quo paritas non est cum transpositione terminorum, quæ figuram variat, nam transpositio hujusmodi intrinsece atque essentialiter mutat propositionem, variando penitus ejus modum tendendi; at sola transpositio præmissarum intrinsece ipsas non mutat, sed extrinsece dumtaxat, nec proinde variationem ullam realem inducit in ordine ad conclusionem. Itaque quarta figura est eadem cum prima indirecta, a qua nonnisi pure accidentaliter differt, nempe in mera præmissarum transpositione (1).

Leges Figurarum;

154. Solent quoque Logici speciales pro singulis Figuris leges præcipere, quæ hisce versibus continentur:

Pro 1.ª Fig. **Sit Minor affirmans, Major vero generalis.**
Pro 2.ª Fig. **Una negans esto, nec Major sit specialis.**
Pro 3.ª Fig. **Sit Minor affirmans; conclusio particularis.**

Ut porro demonstrentur istæ regulæ, nota hic nomine *Majoris* et *Minoris* intelligi eas, quæ tales re vera sint, quocumque tandem loco collocentur.

Probatur itaque 1.æ legis prima pars: *Sit Minor affirmans*. Secus enim necessario violanda erit 2.ª regula generalis.

(1) Conimbric. loc. cit.; Lossada, *Summul.* disp. 8. c. 3, n. 16 seqq.; Anton. Mayr. *Philos. Perip.* Pars 1.ª disp. unic. q. 3, art. 3; Georg. Rhodes, *Philos. Perip.*, lib. 1, disp. 4, quæst. unic. sect. 3., *Dico* 2.ª

Nam si Minor sit negativa, conclusio pariter negativa erit, cujus proinde prædicatum universale pariter sit, oportet. Atqui prædicatum hoc in præmissis particulare fuit. Prædicatum enim conclusionis in 1.ª figura est prædicatum Majoris, Major autem, si Minor supponatur negativa, non potuit negativa esse, sed affirmativa, atque adeo prædicatum ejus habere debuit extensionem particularem.

Secunda pars. *Major vero generalis.* Quia secus terminus medius in neutra præmissarum sumeretur universaliter: quare peccaretur contra 4.ᵐ regulam generalem.

Vides autem rationes has non valere pro 1.ª figura indirecta: in qua propterea dantur quidam modi recte arguendi cum Minori negativa et Majori particulari, nempe *Fapesmo* et *Frisesomorum*.

Probatur 2.æ legis prima pars: *Una negans esto.* Nam secus medius terminus non sumeretur universaliter.

Secunda pars. *Nec Major sit specialis.* Quia cum conclusio, ut ex prima parte necessario deducitur, debeat esse negativa, prædicatum ejus universale procul dubio erit. Atqui prædicatum conclusionis est subjectum majoris. Ergo Major universalis sit, oportet, ne prædicatum ejus latius pateat in conclusione.

Probatur 3.æ legis prima pars: *Sit Minor affirmans.* Ratio est eadem, ac pro prima parte regulæ pro prima figura.

Secunda pars. *Conclusio particularis.* Etenim ambo conclusionis termini locum prædicati obtinuerunt in præmissis. Jam vel hæ fuerunt ambæ affirmantes, vel altera affirmativa et altera negativa, nam utraque negativa esse nequit. Si primum, uterque terminus conclusionis particularis esse debebit, sicut fuit in præmissis. Sin alterum, unus tantum illorum, videlicet prædicatum negativæ, fuit universalis, alter vero particularis. Subjectum ergo conclusionis esse debet particulare, ne latius pateat in ea quam in minori.

Excipe ab hac regula inductionen sub forma syllogismi propositam, in qua conclusio solet esse universalis. Sed de hoc inferius.

Pro 1.ª figura indirecta, hæc solet regula præcipi:

Si Minor affirmat, tunc Major sit generalis.
Major ubi affirmat, conclusio sit specialis
Si negat ista, Minor generalis postulat esse.

Modus multiplex.

Quæ lex quoad omnes suas partes facile patet ex dictis (1)

155. Sed jam ad modorum divisionem veniamus. Si nomen modi syllogistici latius accipiamus pro quacumque præmissarum secundum quantitatem et qualitatem complicatione, sive apta sive inepta ad recte concludendum, tot erunt omnino modi, quod fieri possint diversæ conbinationes cum duabus præmissis, spectata ipsarum diversa quantitate et qualitate. Hæ vero sunt sexdecim in prima figura directa, totidemque in prima indirecta, in secunda et in tertia, ac proinde universæ numerabuntur sexaginta et quatuor. Nam in singulis hisce figuris, sola spectata quantitate, resultant quatuor modi absolute possibiles, cum possit esse utraque præmissa universalis, vel utraque particularis, vel Major universalis et Minor particularis vel e converso (2).

Singulæ autem hæ combinationes vicissim quadrifariam, ut patet, variari possunt, ratione qualitatis, quatenus vel utraque est affirmativa, vel utraque negativa, vel Major affirmativa et Minor negativa, vel Major negativa et Minor affirmativa. Nempe si litteris **A, E, I** et **O** respective designemus propositiones, universalem affirmativam, universalem negativam, particularem affirmativam et particularem negativam; pro singulis figuris istæ sexdecim combinationes absolute possibiles dabuntur: **AA, AE, AI, AO; EE, EA, EI, EO; II, IA, IE, IO; OO, OA, OE, OI.** Ergo si latius nomen modi accipiatur pro quacumque possibili propositionum complicacatione, modi omnino sunt quatuor et sexaginta (3).

Modi utiles novemdecim.

Si autem modus proprie et stricte sumatur, quatenus designet utiles dumtaxat combinationes aptasque ad recte

---

(1) S. Thom. Opusc. *de Natura Syllogismi; Summ. tot. Logic. Arist.*, tract. 8, cap. 5 seqq.

(2) Vides hic mentionem de propositionibus singularibus et indefinitis non fieri in assignandis variis complicationibus possibilibus. Et ratio est, quia singularis reputari potest ut universalis, indefinita vero vel ad universalem vel ad particularem revocatur.

(3) Immo si conclusionis quoque rationem habeas, quoniam pro singulis hisce sexaginta quatuor præmissarum complicationibus, quadrupliciter variari potest conclusio, prout fuerit vel universalis affirmativa, vel universalis negativa, vel particularis affirmativa, vel particularis negativa, dici potest modos absolute possibiles esse ducentos quinquaginta et sex.

concludendum, novemdecim tantum recensentur modi syllogistici: videlicet quatuor pro prima Figura directa, quinque pro eadem indirecta, quatuor pro secunda, et sex denique pro tertia: qui omnes hisce notantur versiculis:

(1.ª Fig. direct.) **Barbara, Celarent, Darii, Ferio;** (indirect.) **Baralipton Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.**

2.ª Fig.) **Cesare, Camestres, Festino, Baroco;** (3.ª Fig.) **Darapti. Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.**

Horum porro carminum mysteria si nosse volueris, animadverte in primis singulis verbis totidem modos utiles designari. Quantitas porro et qualitas propositionum, quibus constant isti modi, significantur quatuor illis vocalibus **A, E, I, O.** Ubi autem plures quam tres syllabæ reperiuntur, ut in *Baralipton* et *Frisesomorum*, solæ trium priorum vocales litteræ attenduntur. Reliqua mox declarabuntur.

Cæterum ratio, cur solum hi novemdecim sint utiles verique modi, est, quia in prima figura directa, si excipias complicationes propositionum **AAA, AII, EAE, EIO,** nempe *Barbara*, *Darii*, *Celarent*, *Ferio*, reliquæ omnes peccant tum contra leges syllogismi generales, tum contra speciales 1.æ Figuræ superius probatas. Atque idem dicendum est de complicationibus cæterarum figurarum, qui dictionibus prædictorum carminum non contineantur, quemadmodum experiri poteris applicando leges syllogismi (1).

Horum omnium novemdecim modorum exempla non minus lucide quam eleganter subjicit P. Petrus Fonseca (2); sed res vacat difficultate.

Jam si figuras modosque varios inter se conferre volueris, illico deprehendes:

Comparatio figurarum et modorum secundum præstantiam.

Primam figuram esse omnium præstantissimam: «1.° quia est clarior et evidentior cæteris, et per illam aliæ» demon-

(1) Verum est ex duplici universali præmissa posse concludi non solum universalem ut in *Barbara*, *Celarent* ac *Celantes* primæ figuræ, et in *Cesare* et *Camestres* secundæ, sed etiam particularem subalternatam: unde P. Richardus Lyncæus quinque alios modos addidit, quos videre potes apud Lossada (*Summul.*, disp. 8, cap. 3, n. 23). Hi tamen modi curandi non sunt, cum in aliis jam contineantur.

(2) *Instit. dialect.* lib. 6, cap. 13. Cfr. Complutenses, *Summul.*, lib. 3, cap. 5.

strantur, ut videbimus. «2.° quia est sufficientissima ad probandas omnes conclusiones, particulares et universales, affirmativas et negativas, cum secunda figura non possit probare ullam affirmativam, tertia non possit probare ullam universalem,» quemadmodum patet ex sola versiculorum inspectione. «3.° quia habet perfectam rectitudinem et naturalitatem in eo termino, qui non potest occupare eamdem sedem in præmissis,» quam habet in conclusione. «4.° quia medius terminus, etiam positione, est medius inter majus et minus extremum; est enim uno extremo minor, quia illi subjicitur, et est altero major, quia de illo prædicatur» (1). Nihil ergo mirum si prima figura sit etiam omnium frequentissima.

«Secundum locum obtinet secunda figura, quæ præstat tertiæ præcipue ex eo, quia possunt per illam probari conclusiones universales, atque adeo scientificæ, cum per tertiam probentur solæ particulares, quæ non sunt scientificæ.»

«Tertium locum obtinet tertia figura: quartum videntur occupare modi indirecti (primæ figuræ), quia non concludunt per se.»

«Ex modis perfectissimus est *Barbara*, nam nulli cedit evidentia, et omnes vincit præstantia conclusionis, quam probat. Universalis enim affirmativa est conclusio maxime scientifica; ideoque omnes scientiæ, ac præsertim mathematicæ, fere semper argumentantur in *Barbara*. Sed sicut universalis affirmativa est perfectissima, ita est difficillima probatu, cum probetur per unicum modum, facillima impugnatu, cum impugnetur per omnes modos negativos, qui sunt tredecim.»

«Secundus est *Celarent*, qui probat clarissime universalem negativam, quæ secundum locum obtinet inter conclusiones scientificas: et huic affines sunt *Camestres* et *Cesare*. Conclusio universalis negativa probatur per quatuor modos, impugnatur per omnes affirmativos.»

«Tertius est *Darii*, probans particularem affirmativam, quæ probari potest sex modis et impugnari per quatuor concludentes universaliter negative.»

(1) P. Sylvest. Mauri, *Summul.* cap. 55.

«Quartus est *Ferio;* probans particularem negativam, quæ probatur per tredecim modos, impugnatur per unicum *Barbara*» (1).

ARTICULUS VI.

Principia, quibus innititur Syllogismus.

156. Hactenus exposuimus totum syllogismi artificium, legesque tradidimus rectæ conclusionis. Et quamquam ex his pateat nullum syllogismum, tales regulas violantem, vi formæ concludere, poterit tamen aliquis jure merito quærere, cur certi esse possimus, quod omnis syllogismus eo compositus artificio, iisque subjectus legibus, fallere nunquam valeat. Itaque quoniam utilissimum est scientiis omnibus formas omnes aptas ratiocinandi non solum noscere, sed ratas quoque ac demonstratas habere; operæ pretium est principia, quibus vis omnis certissime concludendi innititur in syllogismo, exponere, ex iisque modos omnes utiles trium figurarum probare. Primum horum in hoc, alterum in sequenti articulo expediendum erit.

Principia bina docuit Aristoteles (2) tamquam firmissimam artis syllogisticæ suppositam bassim: principium *Dici* vel *Dictum de omni*, et principium *Dici* vel *Dictum de nullo*. Principia *Dici de omni* e *Dici de nullo.*

Primum sic enunciatur a Scholasticis: *Quidquid dicitur vel affirmatur de aliquo termino universaliter distributive sumpto, dici quoque vel affirmari debet de singulis sub eo contentis, seu de quibus terminus ille prædicari potest.* Exemplum: Si attributum *viventis* prædicatur de omni *animali* distributive sumpto, debet etiam prædicari de omnibus, quibus notio animalis competit, puta de *homine*, *leone*, *equo*, etc.

Dictum vero *de nullo* sic enuntiatur: *Quidquid negatur de aliquo termino universaliter distributive sumpto, negandum pariter est de singulis sub eo contentis, seu de quibus terminus ille prædicari potest.* Exemplum: Si ratio *lapidis* negatur de omni *vivente* neganda quoque est de omnibus, quibus competit

(1) Sylvest. Mauri, *Summul.* cap. 55, ubi plura, si lubet, require.
(2) Lib. 1, *Prior Analiticor.*, cap. 1.

prædicatum viventis, puta de *planta*, *animali*, *homine*, *angelo*...

Est autem **Dici de omni**, inquit auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis* (1), *quando nihil est sumere sub subjecto, de quo non dicatur prædicatum.* **Dici vero de nullo** *quando nihil est sumere sub subjecto, de quo non dicatur prædicatum.*

Principia hæc si bene perpendas, certissima invenies. Ac primo quidem, si quis ea negaverit, facile adducetur ad duo contradictoria amplectenda. Nam si vera sit propositio: *Omne animal est vivens,* in qua vita de *omnibus* et *singulis* animalibus prædicatur, et possit nihilominus fieri, ut non enuntiari queat vita de aliquo ex animalibus; tum etiam vera erit simul cum prima hæc altera propositio: *Aliquod animal non est vivens*, quæ est illius contradictoria. Et similiter si vera sit hæc propositio: *Nullum vivens est lapis*, et tamen possit unquam fieri, ut de aliquo ex viventibus non sit neganda ratio lapidis, vera quoque erit pro eo casu hæc altera propositio: *Aliquod vivens est lapis*, quæ pariter contradictorie opponitur primæ.

Præterea, quando aliquid affirmatur aut negatur vere de aliquo in suppositione distributiva, jam implicite affirmatur aut negatur de singulis inferioribus sub illa suppositione contentis. Si ergo de aliquo istorum non verificaretur prædicatum illud, jam idem de eodem simul verum esset ac falsum: quod nefas est per principium contradictionis.

Principium identitatis et discrepantiæ.

Alia sunt præterea principia, quibus usi sumus superius ad vim concludendi in syllogismo declarandam, principium videlicet identitatis: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;* et principium discrepantiæ: *Quorum unum est idem uni tertio, alterum vero non, neque sunt eadem inter se.* Quæ videntur desumpta ex eodem Aristotele (2): intelligenda autem sunt semper ita, ut evincant identitatem vel discrepantiam duorum eo modo et in illa ratione, secundum quam conveniunt uni eidemque tertio, aut ab eo discrepant.

---

(1) *De Syllogism.*, cap, 1. Cfr. Petr. Hispan. *Summul.*, tract. 4 initio.

(2) Lib. 7 *Topicor.*, cap. 1. Cfr. lib. 3 *Physicor.*, cap. 3, text. Comm. 21.

Principia porro hæc certissima procul dubio sunt atque evidentia, saltem si rebus creatis applicentur (1). Quæ enim res identificatur cum alia tertia, unum fit cum ipsa. Quare si quæ alia res identificaretur cum eadem illa tertia, non vero cum prima, esset simul identica et non identica cum illa tertia.

Contraversiæ circa hæc principia.

Notandum est autem aliquam esse apud Philosophos de his principiis controversiam. *Dictum de omni* ac *Dictum de nullo* video passim ab auctoribus admitti tamquam fundamentum syllogismi, saltem communis, quidquid dicendum sit de *expositorio*, cui non tam facile videntur applicari. Principia etiam alia metaphysica identitatis ac discrepantiæ a multis generatim statuuntur ut basis syllogismi (2); immo a pluribus hæc ut priora et fundamenta duorum principiorum *Dici de omni* et *Dici de nullo* habentur (3). Ab aliis autem prætermittuntur in structura syllogismi explicanda (4) vel

(1) Dixi *si rebus creatis applicentur*. Num enim principium identitatis fallat necne in mysterio SSmæ. Trinitatis, in qua licet Personæ divinæ sint unum idemque cum natura, non tamen sunt idem inter se; disputant Theologi, nec est nostrum rem definire. Vide Suarez de *Trinit.* lib. 4, cap. 3; Molina in 1.am Part. Summ. S. Thomæ, q. 28, art. 3. disp. 2 et 3; Vazquez in 1.am part. disp. 123, cap. 2; Didacum Ruiz de Montoya *de Trinit.* disp. 15, sect. 4, aliosque.

(2) Ita inter alios S. Bonavent. 1.° dist. 33, a. 1, q. 3, ad 1.um; 3.° dist. 7, a. 1, q. 1 corp. etc.; Scot. dist. 2, q. 4 ad 1.um, q. 7, a. 1; Aureol. 1.° dist. 2, part. 3, tit. 3; Suarez, disp. *Met.* 1, sect. 5, n. 18: Complutens. *Summul.* lib. 3, cap. 4.; Joan. a S. Thoma, *Summul.* lib. 3, cap. 6; Arriaga, in *Summul.*, et in 1.am part. disp. 43, sect. 1 et 2; Ovied. *Summul.* contr. 4, punct. 1; Hurtad. *Logic.* disp. 10, sect. 16; De Benedictis. *Log.* lib. 1, q. 2 cap. 8; Carleton Compton, *Summul.*, disp. 3. sect. 1, 2; Semery, *Summul.* disp. 3, cap. 2; Anton. Mayr. part. 1, disp. unic., q. 3, a. 2; Roselli, *Instit. Logic.* pars 3, cap. 4; Anton. Goudin, *Logic. minor*, 3 p. art. 4; Izquierdo, *Phar. scient.*, disp. 13, q. 7, n. 173; Lossada, *Summul.* disp. 8, cap. 4, n. 3 seqq.; Mastrius, *Logic.* seu *Organ. Aristot*, part. 1, tract. 3, cap. 6, n. 101; Dupasquier, *Elementa Philos.*, prolus. 7, paragr. 5.

(3) Ita v. g. opinantur Complutens. loc. nup. cit.; Mastrius et Dupasquier, loc. cit.; P. Georgius Rhodes, *Philos. Perip.* lib. 1, disp. 4, q. unic., sect. 4, paragr. V, aliique.

(4) Ita fecere Petrus Hispanus, Conimbricenses, Toletus, Rubius et Sylvester Mauri, qui in declarando artificio syllogismi non meminerunt illorum principiorum.

saltem non reputantur universaliter vera, saltem in divinis (1): ab aliis demum soli expositorio syllogismo applicantur (2).

In hac controversia equidem crediderim utraque principia, etiam identitatis et discrepantiæ, saltem in creatis, valere ad declarandam probandamque vim et artificium syllogismi; et in hoc conveniunt communissime auctores. Illud etiam puto, syllogismum expositorium multo evidentius videri fulciri principio identitatis et discrepantiæ (3). Si vero de aliis principiis logicis *Dici de omni* et *Dici de nullo* loquamur, iisdem manifestissime innituntur ac probantur modi primæ figuræ directæ; cæteri vero non videntur immediate inniti illis, sed solum mediate, nempe vel vi alterius principii, vel quia ad modos primæ figuræ revocantur, atque ex iisdem probari possunt, ut jam declarandum est.

ARTICULUS VII.

Demonstrantur novendecim modi utiles.

Modi perfecti et imperfecti.

157. *Modi* syllogismorum dividuntur in *perfectos* atque *imperfectos*. Perfecti sunt quatuor modi primæ figuræ directæ, dicunturque *perfecti* ob suam perspicuitatem atque evidentiam; ob quam etiam a quibusdam dicti sunt *per se noti* (4), reliqui omnes sunt et dicuntur *imperfecti* ex defectu aliquo claritatis, quo semper laborant.

Probantur modi perfecti.

Rectitudo ergo ac necessitas concludendi immediate patet in quatuor *modis* perfectis ex duobus principiis *Dici de omni* et *Dici de nullo*. Nam in *modis Barbara* et *Darii* locum habet manifestissime principium primum, secundum vero in *Celarent* et *Ferio*, ut per se patet. Sane in *Barbara* et

(1) Qua de re vide Suarez, Molina, Vazquez et Ruiz, superius citatos. Cfr. De Benedictis loc. cit.

(2) Vide Fonseca, *Instit. dialect.* lib. 6, cap. 24; Molina loc. cit. disp. 2. Cfr. Valentia, *Comment.* in 1 part. disp. 2. q. 2, punct. 4; Conimbric. in lib. 3 *Physicor.* cap. 2. explanat., paragr. *c.*

(3) De principiis identitatis ac discrepantiæ fuse disputant P. Sebastianus Izquierdo, in *Pharo scientiarum*, loc. nup. cit.; et P. Joan. Ulloa, *Log. Major.* disp. 1, et in *Prodromo*, disp. 1, cap. 4, n. 28.

(4) Vide Alexandr. in lib. 1.m *Prior.* cap. 4; Scot. 1.° Sent., q. 1 apud Fonseca *Inst. dialect.*, lib. 6, cap. 20.

Darii affirmatur prædicatum in conclusione de subjecto, propterea quod illud affirmatum in præmissis est de termino medio universaliter sumpto, sub cujus extensione continetur subjectum; et in *Celarent* ac *Ferio*, negatur in conclusione prædicatum de subjecto, quia illud negatum est in præmissis de termino medio universaliter sumpto, sub cujus extensione comprehenditur subjectum.

Probantur modi imperfecti.

Reliqui omnes modi bifariam demonstrari solent a Logicis, *ostensive* et *reprehensive* vel *per deductionem* ad *impossibile*, vel etiam *ex absurdo*.

Probatio ostensiva et reprehensiva seu ex absurdo.

Demonstratio, ostensiva in eo sita est, quod imperfecti modi per aptam conversionem unius aut plurium propositionum, vel etiam per earumdem transpositionem ad aliquam ex quatuor formis perfectis revocentur. Nam vera est illa lex consequentiæ, quam superius demonstravimus: *Quidquid sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente:* si ergo recte fluit conclusio a conversa ad convertentem, quidquid sequitur ex convertente, sequetur etiam ex conversa. Et hoc pacto demonstrari possunt omnes modi imperfecti, solo excepto *Baroco* et *Bocardo*, qui solum probari possunt per deductionem ad impossibile. Et ratio est, quia cum horum duorum modorum propositiones converti nequeant nisi per accidens aut per contrapositionem, revocari non possunt ope conversionis ad ullum ex quatuor modis perfectis.

Ostensiva probatio modorum imperfectorum.

158. Jam ut reductio modorum imperfectorum ad perfectos apte peragatur, scire oportet primo ad quænam ex perfectis modis singuli imperfecti revocandi sint; deinde quænam propositiones transponendæ, ac demum quænam et quo genere conversionis convertendæ. Id porro totum docebunt artificiosissima illa carmina novemdecim modos utiles continentia: *Barbara*, *Celarent*, etc.

Vides in his singula verba, totidem modos utiles exprimentia, exordiri una ex quatuor hisce litteris B, C, D, F, idque significat singulos modos imperfectos ad eum perfectum redigendos esse, qui eadem littera exorditur, puta *Baralipton* ad *Barbara*, *Cesare* ad *Celarent*, *Dabitis* ad *Darii*, *Fapesmo* ad *Ferio* etc.

Artificium versiculorum, quibus

Vides præterea quædam symbola ejusmodi continere inter alias litteram m, ut *Camestres*, quædam s, ut *Celan-*

modi utiles exprimuntur, declaratur.

tes, quædæm p ut *Fapesmo*. Quid sibi volunt hæc? m significat præmissas modi illius transponendas esse, s, indicat propositionem designatam per vocalem præcedentem convertendam esse simpliciter, p vero propositionem præcedenti vocali expressam convertendam esse por accidens. Duo restant modi, in quibus nihil horum reperitur, *Baroco* nempe et *Bocardo:* at inest in mediis hisce vocibus littera c, quæ denotat modos iisdem significatos non posse probari ostensive, sed tantum ex absurdo. Quæ omnia Logici memoriæ juvandæ causa hisce versiculis comprehenderunt.

Simpliciter verti vult S, P *vero per accid.*,
M *vult transponi*, C *per impossibile duci.*

His instructus regulis, facile demonstrabis ostensive vim probandi tredecim modorum.

Sit exemplo hic syllogimus: *Omne animal est vivens. Sed omnis homo est animal. Ergo aliquod vivens est homo.* Vides hic syllogismum primæ figuræ indirectæ cum tribus propositionibus designabilibus per vocales A, A, I: quare syllogismus est in *Baralipton;* qui reducitur ad *Barbara*, si convertatur per accidens conclusio sic: *Omnis homo est vivens.*

En aliud exemplum: *Omne animal est vivens. Sed nullus lapis est vivens. Ergo nullus lapis est animal.* Syllogismus est in *Camestres*, ut patet; reducendus proinde est ad *Celarent,* transponendo præmissas, et convertendo simpliciter minorem et conclusionem, quemadmodum præcipiunt nuper traditæ leges. Et sic habebitur hic syllogismus evidentissimus: *Nullum vivens est lapis. Sed omne animal est vivens. Ergo nullum animal est lapis.*

Simili modo syllogismum hunc in *Ferison: Nullum animal est lapis. Sed aliquod animal est substantia. Ergo aliqua susbtantia non est lapis;* reduces sic ad *Ferio: Nullum animal est lapis. Sed aliqua substantia est animal. Ergo aliqua substantia non est lapis.*

Probatio reprehensiva.

159. Probatio reprehensiva, seu ad *impossibile* vel *ex absurdo*, huc tandem revocatur, ut eum, qui præmissis annuens, conclusionem renuat amplecti, eo ipso ad duo contradictoria vel contraria admittenda cogi demonstremus. Hoc dumtaxat demonstrationis genere probari possunt modi *Baroco* et *Bo-*

cardo: cæteri quoque omnes eamdem probationem admittunt, licet possint quoque demonstrari ostensive, ut vidimus. Cæterum probatio reprehensiva in hoc fundatur principio: « *Tunc aliqua conclusio evidenter est bona et necessaria, cum ex opposito seu contradictorio consequentis sequitur evidenter oppositum seu contradictorium antecedentis, hoc est alicujus præmissæ, ex qua infertur.* Ratio est, quia tunc qui negat consequentiam, non potest concedere omnes præmissas, quin sibi contradicat. Ergo qui concedit omnes præmissas, non potest negare consequentiam, quin sibi contradicat. Ergo consequentia sequitur necessario ex præmissis, atque adeo est bona, nec potest negari, concessis præmissis» (1).

Principium, cui hæc probatio innititur.

Exemplo res melius intelligetur: *Omne animal est vivens. Sed omnis homo est animal. Ergo aliquod vivens est homo:* qui est syllogismus primæ figuræ indirectæ in modo *Baralipton*. Fac aliquem admissis præmissis, negare conclusionem: sic eum premes: Si falsum est, quod *aliquod vivens est homo*, ergo vera est hujus propositionis contradictoria: *Nullum vivens est homo*. Atqui concessisti in Majori, quod *omne animal est vivens*. Ergo ex his duabus propositionibus sequitur in *Celarent*, quod *nullum animal est homo;* ac proinde etiam, quod *nullus homo est animal*, quæ est contraria Minoris, quam superius concessisti.

Aliud exemplum pro 2.ª figura in *Cesare: Nullus lapis est vivens. Sed omnis homo est vivens. Ergo nullus homo est lapis.* Si suppositis veris hujus syllogismi præmissis, falsa foret conclusio, vera necessario esset ejus contradictoria: *Aliquis homo est lapis.* Vide quid inde sequatur: *Nullus lapis est vivens. Sed aliquis homo est lapis. Ergo aliquis homo non est vivens:* quæ conclusio evidenter fluit in *Ferio*, et est contradictoria minoris propositionis, quæ vera supponebatur.

Tertium sit exemplum pro tertia figura in *Disamis: Aliquis homo est rationalis. Sed omnis homo est vivens. Ergo aliquod vivens est rationale.* Probatur reprehensive rectitudo conclusionis. Si quis enim concessis præmissis, negat illam, concedere profecto debebit contradictoriam: *Nullum vivens est rationale.* Jam huic tamquam Majori subjice istam Mino-

(1) P. Sylvest. Mauri, *Summul.* cap. 52.

rem præcedentis syllogismi: *Sed omnis homo est vivens*. Ex quibus præmissis necessario atque evidenter sequitur, quod *nullus homo est rationalis*, quæ est contradictoria Majoris syllogismi propositi, quæ vera supponebatur. Vide ergo quomodo in hoc probandi genere ostendatur, negata conclusione in prædictis Modis, admittendas necessario esse duas contradictorias.

Leges pro reprehensiva probatione.

Et quoniam idem eveniret in quolibet exemplo, ut experienti patebit, has Logici pro reprehensiva modorum imperfectorum probatione præcepere leges:

Pro 1.ª fig. indirecta:

Major fit Minor, et fit contradictio Major:
Excipe Celantes, in quo pervertitur ordo.

Pro 2.ª figura:

Servat Majorem, variatque secunda (figura) **Minorem.**

Pro 3.ª figura:

Tertia (figura) **Majorem variat, servatque Minorem.**

Sensus hic est, demonstrationem reprehensivam ita fieri, ut in prima figura indirecta pro Majori assumatur contradictoria negatæ conclusionis, tum Major ponatur loco Minoris. Excipitur ab hac regula modus in *Celantes*, in quo Major retinetur, et loco Minoris ponitur contradictoria conclusionis.

In secunda figura Major retinetur et pro Minori assumitur conclusionis contradictoria. Et hoc pacto probatur modus *Baroco*.

In tertia figura e converso, eadem servatur Minor, et loco Majoris ponitur contradictoria conclusionis, qua sola ratione probari potest *Bocardo*.

Jam ex præmissis secundum has regulas ordinatis, semper fluit in aliquo ex modis perfectis evidens conclusio contraria vel contradictoria alterius ex præmissis, quæ in proposito syllogismo vera supponitur.

Adverte tamen, quandoque in hujusmodi probatione conclusionem convertendam esse, ut sit in terminis opposita uni ex præmissis syllogismi, cujus rectitudo probatur, quemadmodum vidimus in primo exemplo (1).

---

(1) Vid. P. Sylvest. Mauri, loc. nup. cit.; Lossada, *Summul.*, disp. 8, cap. 5.

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM SYLLOGISMI SPECIEBUS.

Hactenus explicatum est artificium syllogismi communis; restat nunc, ut quasdam alias hujus argumentationis varietates breviter attingamus, ac nominatim syllogismum expositorium, et ex terminis obliquis, modalem, atque hypotheticum.

ARTICULUS I.

De syllogismo expositorio et ex obliquis.

Declaratur syllogismus expositorius.

160. *Expositorius* dicitur syllogismus ille, qui medio termino, singulari constat, sive cæteri etiam termini singulares sint, sive non v. g.: *Socrates est philosophus. Sed hic homo est Socrates. Ergo hic homo est philosophus; Socrates non est Cicero. Sed hic orator est Cicero. Ergo hic orator non est Socrates; Judas Iscariotes tradidit Jesum. Sed Judas Iscariotes fuit Apostolus. Ergo unus ex Apostolis tradidit Jesum.* Si vero medius terminus non est singularis, syllogismus non est expositorius. Ratio porro hujus appellationis est, tum quia hujusmodi syllogismus rem coram oculis quasi *exponit;* tum quia sicut communes termini per individuorum ac singularium, sub illis contentorum, enumerationem exponuntur, ita etiam syllogismus de terminis communibus exponi potest per syllogismum de terminis singularibus (1).

Cur vocetur *expositorius.*

Diversitas et peculiaris conditio syllogismi expositorii.

De syllogismo expositorio hæc tamquam peculiaria, omissis communibus, notari possunt: 1.° quod manifeste innititur in principiis identitatis ac discrepantiæ, ex quibus probatur immediate ad quamcumque tandem figuram pertineat:

(1) Quare P. Petrus Fonseca (lib. 6, cap. 28 *Instit. dialect.*) tertium modum assignat probandi syllogismos imperfectos, nimirum per expositionem.

quidquid sit utrum etiam fundetur, quemadmodum quidam arbitrantur, in principiis *Dici de omni* ac *Dici de nullo*.

2.º Syllogismi expositorii confici possunt in quibusvis figuris, quamvis forte frequentius fiunt in tertia, in qua terminus medius bis subjicitur; proprium enim est individui subjici.

In secunda figura præter quatuor modos communes negative concludentes, habere potest syllogismus expositorius quatuor alios affirmativos, quorum primus ex utraque præmissa universali, alter ex utraque particulari, tertius ex Majori universali et Minori particulari, quartus demum ex Majori particulari et Minori universali, legitimam infert conclusionem, ut experientia patebit.

3.º Denique in tertia figura potest concludere, non solum negative, sed etiam affirmative: quamquam ex altera parte in hac figura non potest habere nisi duos modos, alterum qui utramque præmissam affirmativam, alterum qui alterutram negativam habeat, nam utraque est positio singularis.

Ratio omnium petitur ex peculiari termini singularis conditione, ob quam hæc, quæ in communi syllogismo aperte cum ratione pugnarent, ut suis jam locis declaratum est, in expositorio fieri absque ullo incommodo possunt.

Syllogismus ex obliquis terminis.

161. Pauca nunc de syllogismo ex obliquis terminis composito, qui nonnihil negotii aliquando facessere valet. Dicitur porro syllogismus ex obliquis ille, qui constat terminis obliquis, sive ex parte medii, sive ex parte extremorum: qualis est hic: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis. Atqui ego sum Christi. Ergo...* Vel: *Omnis potestas est a Deo. Sed regnum est potestas. Ergo regnum est a Deo.* Vel: *Christus præcipit, ut inimicos diligamus. Atqui Antonius est inimicus meus. Ergo Christus præcipit, ut Antonium diligam* etc.

Facile est in ejusmodi syllogismis vitia irrepere, ad quæ detegenda dantur a Logicis regulæ (1). Non tamen erit valde operosum illa cavere, si propositiones ex obliquis logice re-

(1) Vide inter alios P. Fonseca, *Instit. dialect.* lib. 6, cap. 30; Tolet. *Introduct.*, libr. 4, cap. 14.

solvantur prius in alias rectas eumdem sensum referentes. Sic hunc syllogismum: *Christus est Deus. Sed Maria est Mater Christi.* Ergo *Maria est Mater Dei;* facile in hunc alium resolves. *Mater Christi est Mater Dei. Sed Maria est Mater Christi. Ergo...*

ARTICULUS II.

De syllogismis modalibus.

Declaratur modalis syllogismus.

162. Sunt illi, qui una vel pluribus propositionibus modalibus constant. V. g. *Necesse est omne animal esse substantiam. Sed necesse est omnem hominem esse animal. Ergo necesse est omnem hominem esse substantiam.* Item: *Possibile est omnem hominem mori. Sed aliquod vivens est homo. Ergo possibile est aliquod vivens mori.*

Possunt modales syllogismi in magna varietate conflari, prout vel una sola, vel ambæ præmissæ modales fuerint: possuntque construi in quibuslibet figuris et modis syllogismi communis. Modus vero vel figura, ad quam quivis modalis syllogismus pertineat, dignoscetur ex parte dicti: quamobrem primum exemplum modo prolatum in *Barbara* est, alterum in *Darii*.

Tota autem difficultas in modalibus syllogismi stat in eruenda conclusione. Licet enim ex utraque præmissa de *Necesse* recte fluat conclusio etiam de *Necesse:* non tamen est eadem ratio de aliis modalibus, ut satis liquet ex regulis consequentiarum alibi expositis (1).

Quod si præmissæ sint, partim de *inesse*, partim modales, vel diversorum modorum, haud parum operosum est, de rectitudine conclusionum judicium ferre. Quibus in casibus auctor tibi sum, ut, memor sensus communis, materiam attente consideres, vimque propositionum rite percipere coneris. Si quis tamen scire cupiat, quæ Logici hac super re præceperunt, adeat S. Thomam (2).

(1) Vide supra, disp. 3, cap. 1, art. 1.

(2) Opusc. de *Natura Syllogismi; Summ. tot. Logicæ Arist.*, tract. 8, cap. 13, seqq. Cfr. De Benedictis, *Logic.* lib. 1, quæst. 2, cap. 11; Izquierdo, *Pharus Scientiar.* disp. 20, q. 7, ubi fusissime.

ARTICULUS III.

De syllogismo hypothetico.

Hypotheticus syllogismus est, qui aliqua propositione hypothetica constat. Itaque pro varietate hypotheticarum propositionum, ex quibus construi potest, dividitur in *conditionalem, disjunctivum, copulativum et causalem*, de quibus seorsim breviter agendum.

§ 1.—SYLLOGISMUS CONDITIONALIS.

163. Conditionalis est, qui Majori constat conditionali, sive Minor sit quoque conditionalis, sive categorica. Exempla præsto sunt: *Si sol lucet, dies est. Sed sol lucet. Ergo dies est; Si homo est animal, vivens est. Sed si vivens est, substantia est. Ergo homo si est animal, est substantia.*

Duplex conditionalis syllogismi genus.

Itaque duplex genus conditionalium datur: primum ex Majori conditionali et minori categorica continente unum e membris conditionalis, conclusionem elicit pariter categoricam, alterum membrum conditionalis continentem. Secundum genus constat omnibus propositionibus conditionalibus.

Quotuplex figura

Conditionalium duplex adest figura: prior est ea, in qua ex antecedente conditionalis in Minori absolute asserta, colligitur etiam absolute consequens, ut in primo ex nuper allatis exemplis. Altera figura est, in qua ex negato absolute consequenti in Minore, infertur antecedentis absolute negatio. Ut si ita arguas: *Si sol lucet, dies est. Atqui non est dies. Ergo sol non lucet.*

Ambæ istæ figuræ concludunt evidentissime. Et prima quidem innititurin peculiari natura conditionalis propositionis, et prima regula consequentiarum. Exinde manavit illud prologium: *Conditionatum, purificata conditione, transit in absolutum.*

Effatum logicum: *Conditionatum, purificata conditione, transit in absolutum.*

Secunda quoque figura fundatur in propria conditionalium propositionum natura, et secunda lege consequentiarum.

Præter duas hasce figuras nulla alia legitima datur. Neque enim ex negatione antecedentis colligere licet, vi formæ,

consequentis negationem; neque ex positione consequentis positionem antecedentis. Sic inepte quis argueret. *Hæc substantia, si est homo, est animal. Atqui est animal. Ergo est homo.* Vel: *Atqui non est homo. Ergo neque est animal.* Et ratio est, quia quamquam conditio secum trahat conditionatum, fieri bene potest, ut idem conditionatum verificetur sine tali conditione vel sub alia diversa.

Jam in singulis istis duabus figuris quatuor habes modos ratione affirmationis aut negationis. Vel enim et antecedens et consequens affirmativa sunt, ut in hoc: *Si sol lucet, dies est. Atqui sol lucet. Ergo...*; vel utrumque negativum est, ut si hoc pacto arguas: *Si sol non lucet, dies non est. Atqui sol non lucet....;* vel antecedens quidem est affirmativum, et consequens negativum, ut: *Si sol lucet, nox non est. Sed sol lucet. Ergo non est nox:* vel denique antecedens est negativum, consequens vero affirmativum, v. g.: *Si sol non lucet, nox est. Atqui sol non lucet. Ergo nox est.* Quos modos potes similiter considerare in secunda figura; sed res plana est omnino.

Nota, quando lex conditionalium fallere possit.

Advertit hic P. Lossada figuras hasce in uno casu fallere posse, cum nempe Minor talis est, ut destruat Majoris veritatem: ut si sic ratiocineris: *si duo corpora existunt, non sunt penetrata. Sed sunt penetrata. Ergo non existunt.* Hic syllogismus, quamquam ad secundam figuram spectans, ideo vitiose concludit, quia veritas Majoris supponit falsitatem Minoris, et Minoris veritas destruit Majoris veritatem. Cum enim corpora penetrari nequeant, quin existant, minor illa præmissa penetrationem corporum asserens, ipsorum quoque implicite affirmat existentiam: ideoque si vera sit, supponit contra ac Major enuntiat, existentiam duorum corporum et compenetrationem eorumdem bene posse componi. Unde nihil mirum si non concludat syllogismus. Verum si res intimius ponderetur, casus hic revera non est exceptio a generali lege, cum defectus conclusionis non ex vi formæ oriatur, sed ex falsitate materiæ: altera enim ex præmissis falsa est in casu veritatis alterius (1).

Alterum genus conditionalis.

De conditionalibus alterius generis, cujus nempe omnes propositiones conditionales sunt, vix quidquam occurrit di-

(1) Cfr. Lossada, *Summul.*, disp. 8, cap. 6, n. 11.

cendum. Illud ita conficitur, ut consequens Majoris assumatur in Minori pro antecedente seu conditione, unde aliud pendeat conditionatum, ac tandem conclusio confletur ex conditione Majoris et conditionato Minoris. Exemplum dedimus supra: Accipe aliud: *Si bruta dolorem fugiunt, dolorem sentiunt. Sed si dolorem sentiunt, non sunt pura automata. Ergo si bruta dolorem fugiunt, non sunt pura automata.*

in quo fundetur. Porro demonstratio hujusmodi syllogismorum nititur in hac regula consequentiarum superius probata: *Quidquid sequitur ex consequenti, sequitur etiam ex antecedenti.* Hinc effatum illud: *Conditio conditionis est conditio conditionati.*

Posset quoque alio modo sic construi syllogismus, ut Minor esset conditionalis, cujus antecedens esset aliquid, ex quo consequatur antecedens Majoris, et conclusio esset alia conditionalis, cujus antecedens esset idem Minoris; ut accidit in hoc exemplo: *Si est animal, est vivens. Sed si est homo, est animal. Ergo si est homo, est vivens.*

Ratio vero est eadem lex consequentiæ.

Ut vides, hoc alterum genus conditionalium affinitatem quamdam servat cum *Sorite,* de quo mox; nec liberum prorsus est fallaciis, quæ irrepere clam possunt, dum aliæ aliis innectuntur consequentiæ. Magna ergo adhibenda est cautio adversus latentes omnes æquivocationes cæterasque sophistarum fraudes.

§ II.—SYLLOGISMUS DISJUNCTIVUS.

Quid disjunctivus. 164. Est ille, qui ex majori propositione disjunctiva et minori, continente unam partem disjunctionis, reliquam infert in conclusione. Exemplum: *Petrus aut quiescit, aut movetur. Sed non movetur. Ergo quiescit.* At licet propositio major disjunctiva potest esse et de disjunctione affirmata et de negata, solam primam hic explicabimus, nam altera utpote nimis obscura et implicata, minus etiam usurpari solet.

Duplex ejusdem genus: Duplicis generis esse potest, prout Major sit disjunctiva stricte dicta vel secus. Exemplum primi: *Vel dies est, vel nox. Sed dies non est. Ergo est nox.* Exemplum alterius: *Vel Petrus vel Paulus medicus doctissimus est: Atqui Petrus non est, medicus doctissimus. Ergo Paulus.* Nulla enim est oppositio in eo, quod uterque simul sit medicus doctissimus: quare sensus

illius disjunctionis est asserere, sin minus utrumque, certe alterum doctissimum medicum esse.

duplex figura in primo genere.

Stricte ac proprie disjunctivus syllogismus duplici constat figura. Prima ex assertione unius membri in minori, alterius exclusionem infert in conclusione. V. g.: *Petrus aut vivit aut mortuus est. Sed vivit. Ergo non est mortuus.* Secunda ex negatione unius membri disjunctionis infert positionem alterius. V. g.: *Aut Christus fallitur, aut mundus errat. Sed Christus, non fallitur. Ergo mundus errat.*

Ratio porro ac demonstratio petitur ex indole stricte conditionalis propositionis, cujus cum mutuo se excludant membra, nec simul vera, nec simul falsa esse queunt, et sic se habent instar contradictoriarum, et consequenter legibus contradictoriarum regantur, oportet. Ergo ex veritate ac proinde positione unius recte infertur falsitas, atque adeo negatio alterius: et e converso.

Terni modi in singulis harum figurarum.

Singulæ duarum harum figurarum ternos habent modos ratione affirmationis vel negationis. Aut enim utraque pars affirmat v. g. *Vel est dies vel nox. Atqui est dies. Ergo non est nox:* aut utraque negat v. g. *Aut non est dies, aut non est nox, Sed non est dies. Ergo est nox.* Aut denique altera pars (quæcumque ea sit) affirmat, altera negat: *Aut sol lucet, aut non est dies. Atqui sol lucet. Ergo dies est.* Et simili modo construuntur terni modi alterius figuræ, arguendo ex unius membri exclusione ad alterius positionem. Sed res patet.

Notare autem debes, cum disjunctio majoris propositionis constat membris *vi formæ* contradictoriis, committi facile posse, pueriles fallacias: ut si quis ita ratiocinaretur: *Aut dormis, aut non dormis. Atqui dormis. Ergo non dormis:* Vel: *Atqui non dormis. Ergo dormis.*

Ratio fallaciæ in eo stat, quod revera non arguitur a positione unius membri ad alterius exclusionem, vel viceversa, secundum figuras nuper expositas; sed a positione unius ad alterius positionem, vel a negatione unius ad negationem alterius: id quod manifeste repugnat indoli disjunctionis strictæ.

Quando fallere possit syllogismus disjunctivus.

Illud etiam nota, «nihil syllogismo disjunctivo concludi, nisi Minor possit esse vera in sensu composito Majoris disjunctivæ: si enim hujus veritatem necessario destruat, nullam consequentiam parit... Unde ex his: *Vel Petrus non*

existit, vel Deus deficit. Sed Petrus existit; minime sequitur: *Ergo Deus deficit.* Quia Major nequit esse vera nisi ratione primæ partis, quæ tollitur per veritatem Minoris. Idem accidit, quoties disjunctio fit inter extrema sic inter se connexa, ut alterum sine altero auferri non possit: v. g. *Aut mundus existit, aut conservatur a Deo. Sed mundus non existit;* non infertur: *Ergo mundus conservatur a Deo.* Quia defectus prioris extremi, qui in Minore ponitur, secum trahit defectum posterioris; ac proinde ruit veritas Majoris disjunctivæ» (1).

Quid de disjunctivo plurium membrorum.

Cæterum figuræ ac regulæ istæ datæ sunt pro disjunctivis bimembribus, quæ planiores sunt. Si porro disjunctio plura membra complectatur, quatuor hisce figuris argui potest: α) a negatione unius membri ad affirmationem reliquarum sub disjunctione. V. g.: *Domus Petri vel est major vel minor vel æqualis domui Pauli. Sed non est æqualis. Ergo aut major aut minor.* β) a positione unius ad negationem reliquorum. Ut in eodem exemplo: *Atqui domus Petri est major. Ergo nec minor nec æqualis.* γ) ad positionem unius ex reliquorum negatione. V. g.: *Atqui nec est major nec minor. Ergo æqualis.* δ) ad negationem unius ex positione disjunctiva cæterorum. V. g.: *Atqui vel est major vel minor. Ergo non est æqualis.*

Quid de improprie disjunctivo syllogismo.

Sed jam aliquid dicendum est de syllogismo improprie disjuntivo. Hic non habet nisi unam formam arguendi, nimirum ab exclusione unius membri ad positionem alterius (loquor de disjuntionibus bimembribus). Et ratio est, quia cum sensus hujusmodi propositionis sit unius saltem membri veritatem affirmare, non repugnant utrumque verum esse; quare membra istarum propositionum se habent instar subcontrariarum, quarum hæc lex est, ut possint ambæ esse veræ, non tamen falsæ. Quare recte arguitur ab exclusione unius ad veritatem alterius; non autem e converso.

§ III.—SYLLOGISMUS COPULATIVUS SEU CONJUNCTIVUS.

Qualis syllogismus copulativus sit utilis.

165. Ille vocatur copulativus seu conjuctivus, cujus Major est copulativa negans, quæ nempe enuntiat certa quædam membra stare simul non posse v. g.: *Nemo potest Deo servire et mammonæ. Sed Petrus servit Deo. Ergo non servit mammo-*

(1) Lossada, *Instit dialect.* vel *Summul.*, disp. 8, cap. 6, n. 8.

næ. Quamvis enim copulativa propositio possit esse sive affirmativa sive negativa, at syllogismi de propositione copulativa affirmantes inutiles prorsus sunt ad quidpiam novi manifestandum. Ex eo enim v. g. quod verum sit, *Petrum currere et Paulum dormire*, quid, quæso, novi disces, quomodolibet perficias syllogismum? Itaque Logici cum de copulativo syllogismo agunt, illum solum considerant, cujus Major est copulativa negans.

Unam habet figuram.

Hic porro unam dumtaxat habet figuram formamve arguendi, in qua nimirum ex propositione vel assertione unius membri concluditur alterius exclusio, ut in allato exemplo.

Ratio autem manifestissima hæc petitur ex indole propositionis copulativæ negantis, cujus membra se habent instar duarum propositionum contrariarum, quarum proinde legi subjacent. Sicut ergo duæ contrariæ veræ esse nequeunt, ita nec simul stare duo membra conjunctivæ propositionis: quare a positione unius recte arguitur ad alterius exclusionem.

Nequit autem ex unius membri exclusione argui ad positionem alterius, quia sicut non repugnat duas contrarias propositiones falsas esse, ita etiam potest fallere utrumque membrum copulativæ negantis. Ita in allato exemplo, ex eo quod Petrus non serviat Deo, non recte inferes illum servire mammonæ; quia fieri potest, ut neutri serviat, sed luxuriæ vel alteri vitio indulgeat.

Triplex varietas hujus figuræ.

Patet porro unam hanc conjunctivi syllogismi figuram, trifariam variari posse: α) primo si utrumque membrum affirmat: β) secundo si utrumque negat: γ) tertio si alterum affirmat, alterum negat. Exemplum primi. *Non et Socrates deambulat et sedet. Sed deambulat. Ergo non sedet; vel: Sedet. Ergo non deambulat:* Exemplum secundi: *Non et Socrates non dormit et non vigilat. Sed non dormit. Ergo vigilat; vel: Non vigilat. Ergo dormit.* Exemplum tertii: *Non et Socrates deambulat, et non movetur. Sed non movetur. Ergo non deambulat; vel: Sed deambulat. Ergo movetur.*

166. De syllogismis causalibus nulla occurrit difficultas. Alia vero de hypotheticis syllogismis difficiliora minusque necessaria videri possunt apud Severinum Böethium (1).

(1) Lib. de *Syllogism. hypothet.* et lib. 5, *In Topica Ciceronis.*

De syllogismis exponibilibus optimum consilium fuerit, ut, ubicumque occurrat casus difficilior, propositio exponibilis logice resolvatur in aliam aperte compositam, secundum doctrinam superius traditam.

§ IV.—REDUCTIO SYLLOGISMORUM HYPOTHETICORUM AD CATEGORICUM.

167. Ex dictis colliges essentialem differentiam syllogismi categorici atque hypothetici. Suas enim quisque proprias ac distinctissimas habet figuras et modos, suaque principia et regulas. Medium quoque seu argumentum diversæ indolis est, nam in hypothetico reapse non datur medius terminus, sicut in categorico: sed vices medii termini gerit integra aliqua propositio categorica, quæ pars est alterius hypotheticæ. Quare syllogismi, sive conditionales, sive disjunctivi, sive copulativi, opus non habent reductione ad categoricos, ut probentur, cum suis gaudeant principiis, unde infallibiliter demonstrentur. Nihilominus possunt quoque revocari ad categoricos, atque adeo novam demonstrationem accipere.

Reductio conjunctivi,

Conjunctivus ac disjunctivus proxime revocantur ad conditionalem, conditionalis autem ad categoricum, et sic tandem omnis syllogismus potest ex categorici legibus ac principiis regi.

Sane propositio copulativa negativa seu conjunctiva evidenter æquivalet conditionali, cujus antecedens vel conditio esset unum e membris copulativæ, consequens vero sive conditionatum esset alterum membrum cum negatione præfixa. V. g. dicere: *Nemo potest Deo servire ac mammonæ;* perinde est, ac dicere: *Si quis servit Deo, non servit mammonæ: vel: Si quis servit mammonæ, non servit Deo.* Et sic argui potest, sicut arguitur in simili modo conditionalium. Ratio porro hujus reductionis constat ex copulativi syllogismi natura.

et disjunctivi in conditionalem:

Disjunctivus quoque convertitur facile in conditionalem, siquidem propositio disjunctiva valde affinis est conditionali. Vel enim continet disjunctionem propriam vel impropriam. Si propriam, propositio major disjunctivi syllogismi, secundum utramque figuram, formam conditionalem induere potest, et quidem variis modis, prout unum aut alterum e membris assumi potest pro antecedente conditionatæ propositionis,

cum vel sine negatione. Ita hanc propositionem: *Aut vivis aut mortuus es*, varie per conditionalem efferes: α) *Si vivis, non es mortuus:* β) *Si non vivis, mortuus es:* γ) *Si es mortuus, non vivis:* δ) *Si non es mortuus, vivis.*

Si jam disjunctiva impropriam contineat disjunctionem, in pauciores convertitur conditionales; quamquam enim utrumvis membrum disjunctionis assumi possit pro antecedente conditionatæ propositionis, sicut in disjunctivis propriis, non tamen habet nisi unum arguendi modum, scilicet a negatione unius membri ad positionem alterius, v. g. ista disjunctiva impropria: *Aut Petrus aut Paulus Romæ occubuit*, transformatur in has duas: *Si Petrus Romæ non occubuit, certe Paulus occubuit, et: Si Paulus Romæ non occubuit, saltem Petrus occubuit.*

et conditionalis in syllogismum communem.

168. Revocatis itaque cum copulativis tum disjunctivis ad conditionales, restat, ut videamus, qui possit conditionalis in communem et categoricam converti. «Reductio hæc fieri potest, vel considerata materia determinata, ex qua est syllogismus, vel generali ejus forma. Si consideratur materia, facilis est reductio, cum subjectum conditionis idem est ac subjectum conditionati, ut v. g. in hoc: *Si mundus deceptor est, fidem non meretur. Sed mundus deceptor est. Ergo.....* Vides enim conditionalem nullo negotio in hanc simplicem converti: *Omnis deceptor fidem non meretur;* qua suffecta loco conditionalis, syllogismus in simplicem commutatur.

Cum vero subjectum conditionis diversum est a subjecto conditionati, reductio est difficilior, nec generali formula comprehendi potest: semper tamen invenire dabitur aliquam viam, qua hujusmodi propositio ad simplicem traducatur. V. g. hæc propositio: *Si Ecclesia errat, Deus mentitur*, in hanc migrabit: *Error Ecclesiæ est mendacium Dei.*

At si ipsa forma conditionalis syllogismi præ oculis habeatur, sponte prodibit generalis reductionis formula, quæ omnibus syllogismis hujusmodi, quomodocumque se eorum materia habeat, aptari possit. Sufficit porro ad hanc reductionem conficiendam, ut id quod re et facto ipso in conditionali syllogismo affirmamus, disertis explicitisque vocibus affirmemus. In propositione enim conditionali quid dicimus? Hoc sane dicimus, eum qui conditionem affirmat, conditio-

natum quoque affirmare debere; item, eum qui conditionatum negat, conditionem quoque negare debere. Pariter in Minori, quæ propositio categorica est, cum affirmamus conditionem, vel conditionatum negamus, facto ipso dicimus, idem affirmandum esse vel negandum, et quidem ab omnibus, quia id poscit veritas.

Repræsentet igitur **X** conditionem, et **Y** conditionatum; hæc erit generalis reductionis formula in affirmativis:

Qui affirmare debet propositionem **X**, *affirmare debet propositionem* **Y**;

Sed omnes affirmare debent propositionem **X**;

Ergo omnes affirmare debent propositionem **Y**.

Et in negativis:

Qui negare debet propositionem **Y**, *negare debet propositionem* **X**;

Sed omnes negare debent propositionem **Y**;

Ergo omnes negare debent propositionem **X**.

Quæ duæ formulæ sunt syllogismi simplices primæ figuræ» (1).

CAPUT IV.

De cæteris argumentationis speciebus.

Argumentationem superius divisimus in *Syllogismum*, *Enthymema*, *Inductionem*, *Exemplum*, *Soritem* ac *Dilemma*. Cum itaque hactenus syllogismum declaraverimus, reliquum est, ut cæteras quoque argumentationis formas breviter perstringamus.

ARTICULUS I.

De Inductione.

Definitio inductionis.

169. Inductio seu *syllogismus inductivus*, quemadmodum appellatur ab Alberto M. (2) aliisque, definitur ab Aristo-

(1) P. Salvat. Tongiorgi. *Institutiones philosophicæ*, vol. I. *Logica*, n. 272, 273.

(2) *Prior. Analyticor.* lib. 2, tract. 4.

tele (1): *a singulis ad universale progressio;* est nempe *argumentatio, qua ab inferioribus ad superius et universalius aliquid concludendum progredimur.* Neque enim ab individuis tantum ad speciem, sed etiam a speciebus singulis ad earum genus assurgit. Exempla præsto sunt: *Hic ignis, et ille ignis et ille alius ignis* etc. *comburit. Ergo omnis ignis comburit. Infans, puer, adolescens, vir, senex, suis sunt obnoxii ærumnis. Ergo nulla hominum ætas caret ærumnis.*

Quare inductio nihil aliud re vera est, quam ascensus copulativus in suppositione universali distributiva, et propterea vocata etiam est *enumeratio* (2).

Duplex distingui solet inductio, *completa et incompleta.* Completa procedit ab enumeratione omnium inferiorum. Secus vero incompleta.

Inductio completa et incompleta.

Utilitas vero inductionis summa est in scientiis sive ad definitiones sive ad prima principia colligenda, ut in Logica Majori fusius exponendum erit. Hæc enim communis vox est veterum Scholasticorum cum Aristotele et S. Thoma (3), principia prima scientiarum nonnisi inductione colligi posse. Nec vero distinguunt, ut quidam recentiores faciunt, inter principia rationalia et experimentalia, sed id generatim docent de omnibus principiis: et solum aliqua controversia est inter eos, utrum non solum prima principia singularum scientiarum, quæ *positiones* vocantur, sed etiam principia illa facillima et scientiis omnibus communia, *dignitates* nempe vel *axiomata*, egeant inductione, ut cognosci ac certo affirmari possint a mente nostra. Verum de his alibi.

Utilitas inductionis.

Ex quo jam statim perspicis, quam falsa sit eorum opinio, qui cum Thoma Reid, (4) Dugald-Stewart (5), aliisque, scripserunt Aristotelem cæterosque Logicos ante Baconem

Falsa recentiorum opinatio.

(1) Lib. 1 *Topicor.* cap. 10 (al. 12.)

(2) Apud. Conimbric. in brevi Summa libri secundi *Prior. Analyticor.*

(3) Vide Arist. lib. 1.° *Poster.* cap. 14, et ibid. S. Thom. (lect. 30); Arist. lib. 2 *Posterior. Analyticor.* cap. 18 et ib. S. Thom. lect. 20; Arist. lib. 1.° *Metaph.* c. 1; et S. Thom. ib. lect. 1.ª; Suarez disp. *Metaph.* 1, sect. 6; Fonseca, Mauri, Tolet., Conimbric. etc. in cit. loc. Arist.

(4) *Analyse de la Logiq. d' Aristot.* Chap. VI; sect. 2, OEuvres tom. 1, p. 205. Paris 1836.

(5) *Elements etc.* trad. Peisse, part. 2, ch. 4, sect. 2, Paris 1845.

solo syllogismo usos esse (1). Quomodo enim solo syllogismo uti potuerunt, qui prima ipsa principia nonnisi inductione colligi posse arbitrabantur? Quæ doctrina non de completa inductione sed de incompleta necessario intelligenda est, ut satis per se patet. Fatendum est tamen, cum Scholastici communissime docebant inductione principia colligi, eam intellexise inductionem, quæ non veri nominis argumentationem involveret, sed manuduceret dumtaxat juvaretque intellectum ad melius percipiendam vim terminorum; quemadmodum alibi fusius explicabimus.

Adde quod Aristoteles et inductione quandoque probavit aliquas assertiones (2), et non semel syllogismum et inductionem proposuit tamquam duas distinctas argumentationis species (3). Quare nihil mirum, si alii recentiores, ut Hamilton, Ravaisson, Mallet, Martin, Trendelenburg aliique (4), manifesta veritate convicti, a Reidio ejusque asseclis in hac parte dissentiant.

170. Jam quoniam tam frequens et necessarius est usus inductionis in scientiis, operæ pretium est ostendere legitimam ejusdem vim concludendi. Prima enim fronte videtur absurde inferri universale ex singularibus aut magis universale ex minus universalibus. Nihilominus utraque inductio, completa et incompleta, si rite adhibeatur, est rectissima argumentationis forma.

Completæ inductionis vis.

Et primo quidem de completa nullum dubium esse potest. Manifestum enim est, quidquid de singulis inferioribus complete enumeratis prædicatur, prædicandum esse de universis distributive sumptis. V. g. si experimento comperisti singulorum sensuum actibus proprietates corporeas percipi, jure merito concludes *omnibus* sensationibus cognosci corporeas

(1) Vide apud Cajet. Sansev. *Element. Philos. christ.*, vol. 1, *Logic.* Pars. 1, cap. 3, art. 3, n. 156, in not. 2.

(2) Vide v. g. lib. 1.um *Posterior.* cap. 1 initio. Cfr. ib. S. Thom. lect. 1.

(3) Vide Arist. lib. 1 *Topicor.*, cap. 10 (al. 12); lib. 2 *Prior.* cap. 23 (al. c. 27 vel 29); lib. 1 *Rhetoricor.* c. 2; lib. 1.ª *Posterior.* cap. 1, text. 1.ª et 4.ª Vide etiam Albertum M. lib. 1 *Topicor.*, tract. 3, cap. 4; S. Thom. lib. 1.ª *Posterior. analyticor.* lect. 1. et 3; et Scot. in lib. 2 *Prior.*, q. 8, n. 5 et 8; et alios interpretes Aristot. in prædictis locis.

(4) Apud Sanseverino loc. cit.

proprietates. Etenim cum omnes dicis sensationes, quid amplius dicis quam singulas complete enumeratas. Sane tantum valet *totum* quantum *omnes* partes simul sumptas.

Probatur incompleta inductio.

Quod vero incompletam Inductionem attinet, ut vim habeat concludendi, prius constare debet in iis quoque singularibus, quæ experientiæ subjecta non sunt, eamdem rationem vigere, ut idem de ipsis enuntietur, quod convenire videmus aliis experientiæ subjectis (1). Quod si constare nobis potest, satis per se innotescit incompletam inductionem esse legitimam posse. Tunc enim inductio ejusmodi, quæ ob defectum experimenti in omnibus inferioribus facti incompleta est, robur accipit ex ratione illa, quæ persuadeat idem attributum illis quoque ac cæteris convenire. Ita licet neque omnes ignes experire potui, ut viderem num comburant, neque omnia corpora, ut sciam utrum gravia sint necne; si tamen ratio perspicua doceat vim comburendi etiam ad omnes ignes, quos expertus non fui, extendendam esse, itemque gravitatem corporum; re vera inductio, quantumvis incompleta, hujusmodi tamen præsidio fulta, completæ omnino æquivalet in ordine ad legitimam conclusionem inferendam.

Atqui constare manifeste potest eamdem rationem vigere pro inferioribus nondum experientiæ subjectis, ut idem attributum de illis prædicetur, quod aliis convenire experti fuimus. Ut porro id constet,

Primo examinanda sagaciter sunt varia subjecta similia, quorum attributa specifica vel generica ope inductionis investigantur. Si enim unum tantum v. g. experimur individuum, innotescere nequit utrum phænomenum, quod in eo deprehendo, sit peculiaris quædam affectio illius, an vero proprietas aliqua specifica naturæ. Neque id sufficit, sed

Deinde variare oportet in observationibus atque experimentis adjuncta omnia externa temporis, loci rerumque

(1) Nam *oportet supponere, quod accepta sint omnia quæ continentur sub aliquo communi; alioquin nec inducens poterit ex singularibus acceptis concludere universale... Patet ergo, quod inducens, facta inductione, quod Socrates currat, et Plato et Cicero, non potest ex necessitate concludere, quod omnis homo currat, nisi detur sibi a respondente, quod nihil aliud contineatur sub homine, quam ista quæ inducta sunt.* S. Thom., lib. 2 *Poster. Analyticor.* lect. 4.

circumstantium. Etenim secus nescis, utrum phænomenum observatum naturæ debeatur illorum individuorum, an vero potius causis externis, ac proinde accidentalibus.

Quod si examinatis in sufficienti numero individuis aut inferioribus, variatisque adjunctis externis, idem semper constanterque phænomenum deprehendatur, licebit quoque illud ipsum prædicatum vel attributum, cæteris omnibus ejusdem speciei vel generis certissime asserere. Nam tunc manifestum est, prædicatum illud tribuendum esse naturæ aut proprietati specificæ subjectorum illorum. Atqui quidquid ad naturam et proprietates specificas spectat, eodem modo reperitur in omnibus individuis vel inferioribus ejusdem ordinis. Ergo cum sufficientia individua, variatis omnibus externis adjunctis, observata sunt, constare satis potest, prædicatum idem omnibus omnino individuis, etiam experientiæ non subjectis, convenire.

Major propositio hujus syllogismi patet ex illo effato: *Effectus constans et uniformis causam postulat constantem et uniformem.* Atqui in casu nostro variatis adjunctis omnibus externis et accidentalibus individuorum vel inferiorum, de quibus experimentum factum est, nihil aliud constans et uniforme in iis reperitur præter naturam et connaturales proprietates. Ergo prædicatum vel attributum, quod experientia didici convenire individuis observatis, ratione naturæ vel connaturalium proprietatum illis convenit.

Principium analogiæ

Minor etiam ejusdem syllogismi constat ex illo alio principio quod vocant analogiæ: *Ubi eadem aut consimilis ratio militat; idem aut consimile judicium ferendum est:* vel: *Quod in uno similium valet, valet in cæteris.*

Solum quæret quispiam, quandonam sufficiens reputabitur et numerus inferiorum experientiæ subjiciendorum et variatio adjunctorum. Id autem regulis doceri nequit, sed prudentiæ sagacitatique observatoris præcipue relinquitur judicandum, quandonam satis constet attributum vel prædicatum, quod in experimentis detegitur, ad ipsam rei naturam vel specificam proprietatem pertinere.

Discrimen inductionis et syllogismi:

171. Nunc jam cognosci facile potest discrimen inter inductionem et syllogismum. Inductio enim in primis, sive completa sit, sive incompleta, prout communiter proponitur,

duplici tantum constat propositione, antecedenti et consequenti. 1.um
Et antecedens quidem est propositio copulativa, enuntiationem continens singulorum inferiorum. V. g. *Baptismus, Confirmatio* etc. *conferunt gratiam ex opere operato. Ergo omne Sacramentum gratiam confert ex opere operato. Corvus* A, *Corvus* B, *corvus* C, *sunt nigri, idemque dicendum est de reliquis. Ergo omnis corvus niger est.* Itaque inductio speciem quamdam habet enthymematis in hac externa arguendi forma.

Dixi *prout communiter proponitur*, quia si exprimatur propositio illa vel principium, unde robur infallibile nanciscitur ad recte concludendum, formam quamdam induit syllogismi; quemadmodum in propositis modo exemplis videre est, si inter antecedens et consequens in primo exemplo hanc præmissam interseras: *Atqui Baptismus Confirmatio* etc. *sunt omnia sacramenta;* in altero vero hanc aliam: *Atqui corvus* A, *corvus* B, *corvus* C, *et reliqui, sunt omnes corvi.*

Et hoc etiam pacto inductio dicitur ad syllogismum reduci. Quamquam, si bene observes, videbis, inductionem ita reductam, esse syllogismum tertiæ figuræ cum conclusione generali contra regulas speciales illius figuræ.

Verum non in hoc præcipue indoles proprie reponenda 2.um
est inductionis ac differentia ejusdem a syllogismo, sed in processu ac relatione inter antecedens et consequens. Syllogismus enim procedit a superioribus et universalioribus ad inferiora et minus universalia vel singularia: ideoque innititur in principiis *Dicto de omni et Dicto de nullo.* At inductio contraria prorsus ratione procedit (1): quare tota ejus vis concludendi stat in hoc principio: *Quidquid enuntiatur de singulis inferioribus complete* (2) *enumeratis, enuntiandum est de tota specie vel genere*, prout jam supra dictum est. Quod usque adeo verum est, ut circa eamdem materiam ex iisdemque terminis inverso ordine confici possint syllogismus et inductio. En Exempla:

---

(1) *Differunt autem hi duo modi* (syllogismi demonstrativi et inductivi), *quia demonstratio procedit ex universalibus, inductio autem ex particularibus.* S. Thom. lib. 1.° *Poster.* lect. 30. Cfr. ib. lect. 1. Vid. etiam Arist. lib. 1. *Poster. Analytic,* c. 1. et 18.

(2) Intellige de omnibus inferioribus sive explicite sive implicite enumeratis modo jam declarato.

Inductio.	Syllogismus.
Baptismus, Confirmatio, etc.	Omne Sacramentum confert
Conferunt gratiam ex opere operato.	gratiam ex opere operato.
Atqui Baptismus, Confirmatio, etc.	Atqui Baptismus, Confirmatio, etc.
Sunt omne Sacramentum.	sunt omne Sacramentum.
Ergo omne Sacramentum	Ergo Baptismus, Confirmatio, etc.
Confert gratiam ex opere operato	Conferunt gratiam ex opere operato.

Possent quoque hæ duæ argumentationes, omissa Minori, quæ eadem est in ambabus, sub forma enthymematis proponi. Sed utralibet forma proponatur, semper existent duæ argumentationes diversissimæ: nam conclusio inductionis est Major syllogismi, Major vero inductionis est conclusio syllogismi. Simili modo si sub enthymematis forma proponatur, antecedens inductionis est consequens communis enthymematis, quod est syllogismus truncatus, et e converso consequens inductionis est antecedens communis enthymematis.

Unde recte scripsit Aristoteles: *Quodammodo opponitur inductio syllogismo: hic enim per medium probat extremum* (majus) *de tertio* (id est, de minori); *illa vero per tertium* (id est, per minus extremum) *probat extremum* (majus) *de medio* (1). Et res patet in adducto nuper exemplo

Ideo etiam alibi docuit inductionem viam esse ad syllogismum, perque illam principia hujus colligi, ut superius jam notaveramus. *Ex quibusdam rebus ante cognitis omnis doctrina* (2) *procedit, ut et in Analyticis* (3) *dicebamus: Alia enim inductione, alia syllogismo comparatur. Atque inductio quidem principium est et credulitas universalis; syllogismus vero ex universalibus constat. Sunt ergo principia aliqua, ex quibus constituitur syllogismus, quorum non est syllogismus. Est igitur eorum inductio* (4).

---

(1) Arist. *Prior Analyticor*, lib. 2, cap. 23 (apud Mauri cap. 29).

(2) Cfr. de hoc Aristot. lib. 1 *Poster. analyticor.*, cap. 1 initio. Vid. in eumdem locum S. Thom. et alios Commentat.

(3) *Poster. analyticor.*, lib. 1. cap. 1.

(4) Lib. 6 *Ethicor. ad Nicomachum*, cap. 3. Vide ib. S. Thom., *Ethicor.* lib. 6, lect. 3. Cfr. Arist. lib. 1.° *Poster.*, cap. 18, et ib. S. Thom. lect. 30; Arist. lib. 2 *Poster.*, cap. ult. et ib. S. Thom.

Exinde fluit illa alia differentia inter syllogismum et inductionem, ratione cujus inductio vocatur ab Aristotele *syllogismus primæ* et *immediatæ propositionis* (1): quia nempe inductio adhibetur ad probandas eas propositiones, quæ carent medio a priori, unde probentur, et sic prima colligit principia; syllogismus vero communis adhibetur ad probandas propositiones, quæ medium habent (2). 3.um

172. Quæ cum ita sint, jam facilius erit solvere controversiam quorumdam auctorum circa naturam distinctionis inter syllogismum et inductionem: alii namqueh æc *formaliter*, alii *materialiter* dumtaxat distingui contendunt: quæ controversia potest esse vocalis, ac proinde pro diversa vocum significatione diversimode solvenda est. Et quidem si pro formali distinctione intelligatur discrimen situm in certo quodam numero et ordine propositionum, dicendum videtur eam minime vigere inter syllogismum et inductionem; quandoquidem inductio constare potest tribus propositionibus, sicut syllogismus, vel solum duabus, ut enthymema, quemadmodum superius monuimus. Similiter si materialis distinctionis nomine illa accipiatur, quæ consistat in diversitate materiæ, circa quam versentur illæ duæ argumentationes, neganda est hoc sensu accepta materialis distinctio, cum et syllogismus et inductio versari possint circa eamdem materiam. Controvertitur utrum materialiter, an formaliter differat inductio a syllogismo

Cæterum si pro formali distinctione intelligatur specifica, quæ nempe syllogismum et inductionem efficiat duas argumentationis species invicem distinctas, negari nequit ejusmodi formalis distinctio ex dictis. Nam in quacumque versetur materia, et quæcumque sit externa forma dispositioque terminorum ac propositionum, semper inductio habet processum diversum, ac penitus oppositum syllogismi processui.

173. Et hactenus de inductione prout a Scholasticis declarata fuit, quam recentiores *vulgarem* post Baconem appellant, ut distinguant a *Baconiana*, quam docuit Baco a Verulamio.

Hic vir postquam satis quidem arroganter, inurbane et inique Scholasticorum, hac in re doctrinam suggillavit (3), Inductio Baconiana.

(1) Lib. 2 *Prior Analyticor.* cap. 23 (apud Mauri cap. 29).

(2) Vid. P. Sylvest. Mauri in *Paraphrasi* hujus postremi loci Aristotelis.

(3) Apud Sanseverino Oper. cit. *Logica*, n. 167.

veram inductionem eam esse docet, «quæ 1.° procedit per *rejectiones* et *exclusiones*, sive quæ non affirmat aliquid de aliquo, nisi postquam illud de iis omnibus, in quibus non invenitur, negaverit, adeo ut *per negativas* tot, quot sufficiunt, *super affirmativas* concludat; quæ non statim, sed gradatim, hoc est, per axiomata media ad suprema progreditur. Ut autem inductio *per negativas* ad *affirmativas* perveniat, triplex ordo experimentorum instituendus est. Primo enim oportet explorare omnes res, quæ in eadem natura sunt, deinde omnes alias, quæ, etsi ad illas proxime accedant, tamen data natura carent; denique illas, in quibus eadem natura magis, magisque invenitur. Tribus hisce experimentis confectis, a natura rei, de qua quæstio est, excludendæ sunt primo proprietates, quæ in ipsa re non inveniuntur; tum illæ, quæ in aliis rebus diversarum naturarum occurrunt; tum denique illæ, quæ, natura illa crescente, decrescunt, et illa natura decrescente, crescunt. Facta autem hac *rejectione*, proprietates, quæ supersunt, illi naturæ, circa quam quæstio versatur, tribui possunt. En exemplum inductionis, quod ad definitionem caloris inveniendam ipsemet Baco adduxit. Si quis naturam calidi, ope inductionis, investigare velit, primo inquirere debet species rerum, quæ calorem habent, ut radii solis, meteora, aliaque hujusmodi; secundo alias species, quæ calore quidem destituuntur, sed magnam affinitatem cum primis habere videntur; tertio illas species, in quibus calor decrescit, aut crescit, scilicet illas, quæ *potentia*, aut *actu* calida sunt, quæque magis, minusve incalescunt» (1).

Judicium de Baconiana inductione.

Sed plane vides nihil novi doceri a Bacone de ipsa inductionis natura formaque; sed solum monita quædam tradi, quæ modum in ipsa singularium aut inferiorum observatione tenendum præscribunt. Quare Remusat non dubitavit scribere, *nullam esse inductionem Baconianam* (2).

---

(1) Ita Sanseverino, Op. et loc. cit. ex Bacone, *Nov. Organ.* t. 1, lib. 1. Aph. CV, Opp. t. 2, pag. 102 et 103, Amstelodami 1674, et lib. 2. Aph. XI-XX pag. 145-192.

(2) *Bacon* etc. lib. 3, cap. 3 paragr. 1, pag. 315, not. 2.ª Cfr. *Essais* de la *Philos.* Ess. VI, paragr. 2, 3, pag. 259 seqq.

Quid, quod ipsa hæc monita inepta sunt aut falsa? Primo enim necesse non est, ut inductio por *negativas* et *exclusivas* procedat, sed vim plenam habere potest, etiamsi per solas *affirmativas* progrediatur, ope nimirum principii analogiæ, quemadmodum exposuimus. Deinde nec fieri potest, ut inductio per *negativas* et *exclusivas* procedat, cum impossibile sit cognoscere omnes proprietates, quæ in natura rei, de qua quæstio instituitur, non inveniuntur, omnesque illas, quæ in cunctis aliis naturis rerum inveniuntur. Si enim ad quamcumque inductionem id necessarium foret, inductio incipere nunquam posset; cum potissimum ipsæ corporum proprietates inductione cognoscantur (1). En quo deveniat puerilis et arrogans pruritus omnia reformandi doctrinasque carpendi, quas longa sæculorum serie prisca Doctorum sapientia tradidit.

ARTICULUS II.

De Enthymemate.

174. Enthymema, si vocis etymon spectes, *commentum* sonat aut *commentationem*, Quintiliano interprete (2), vel *animi conceptionem*, si mavis Böetium audire (3); ac triplicem habet acceptionem atque intellectum; primo pro quavis animi sententia; secundo pro assertione aliqua fulcita argumento deducto ex repugnantibus, ut v. g.: *Quem quis non accusat, damnat?* et: *Non est mortalibus fovenda ira immortalis* (4): tertio pro certa argumentandi forma.

Nos omissis duabus prioribus acceptionibus, tertiam dumtaxat consideramus. Est ergo enthymema argumentatio duplici constans propositione, quarum altera ex altera infertur. Vel si mavis illud cum Böetio (5) definire, enthymema est *oratio, in qua non omnibus antea propositionibus constitutis, infertur festinata conclusio.* Quare dici solet *syllogismus imper-*

Declaratur definitio enthymematis.

(1) Cfr. Sanseverino loc. cit. n. 169, 170. Vide Remusat loc. cit. Whellvell, *Philosophy of inductive science;* Joseph. de Maistre, *Examen de la Philosophie de Bacon.*

(2) Lib. 5, cap. 10.

(3) In *Topic. Ciceronis*, lib. 5, et Cicero ibid.

(4) Cicero in *Topicis* apud Fonseca, *Instit. dialect.*, lib. 6, cap. 33.

(5) Böet., *De Different. topicis*, lib. 2, cap. 1.

fectus vel *truncatus*, quia caret altera præmissarum. Exemplum esto: *Homo est animal. Ergo est vivens.* Ubi hæc desideratur ac subauditur major propositio: *Omne animal est vivens.* In hoc alio exemplo: *Omnis virtus est amabilis. Ergo justitia est amabilis*, tacetur minor: *Justitia est virtus.*

Usurpatur ergo hæc argumentationis forma, cum altera præmissarum tanta gaudet perspicuitate, ut quamquam non exprimatur verbis, facile tamen animo subaudiatur, conclusioque satis aperte fluat ex altera præmissa (1). Nec sane difficile est cognoscere utra præmissarum omissa fuerit. Vel enim reperitur unus aliquis idemque terminus in antecedente et consequente, vel nullus. Si nullus, signum est omissam propositionem fuise aliquam Majorem hypotheticam, ut appareret in hoc exemplo: *Sol lucet. Ergo dies est;* deest enim hæc Major: *Si sol lucet, dies est.* Item in hoc: *Petrus servit Deo. Ergo non servit mammonæ.* Si autem unus aliquis terminus identicus reperitur in antecedente et consequente, deest illa propositio categorica, in qua extremum alterum consequentis cum medio comparandum fuiset in justo syllogismo.

Consequentia enthymematis est materialis.

Docent veteres Logici, enthymematis consequentiam non esse formalem, sed materialem, nisi forte conficiatur enthymema arguendo a conversa ad convertentem, a subalterna ad subalternantem aliisve similibus modis, qui semper et ubique vi formæ recte concludunt. Ratio autem est, quia si non subaudiatur propositio, quæ reticetur, nullum enthymema concludit, nisi ratione materiæ seu connexionis extremorum objectivæ (2).

Ejus discrimen a syllogismo.

Et ex his satis intelligitur discrimen inter syllogismum et enthymema; consistit nempe in eo, quod enthymema duabus dumtaxat constet propositionibus.

Novi hanc sententiam a clarissimo Cajetano Sanseverino *absurdam* vocari, licet fateatur communem fere esse omnium

(1) Ideo non desunt qui etymon vocis derivent ab ἐν θύμῳ *in animo*, quasi sit argumentatio aliquid animo reticens. Ea vero derivatio non placet P. Petro Fonseca (loc. nup. cit.), et contraria videtur Quintiliano et Böetio.

(2) Vide Lossada, *Summul.* disp. 8, cap 2, n. 2.; Conimbric., in lib. 1.m *Prior Analyticor.* cap. 1, q. 2, art. 3.; Joan. Bapt. Ptolom., *Logic.* lib. 4, thes. 1.

recentium Logicorum (1). Doctrina vero ipsius hæc est: 1.° pro certo secundum Aristotelem habendum esse «enthymema, non secus ac syllogismum, ex tribus enuntiationibus componi, sed ab hoc discriminari, quod a verisimilibus et a signis, non vero a principiis rei propriis, conclusionem elicit»; pro qua doctrina laudat Philosophum (2). 2.° docet enuntiationes ex *verisimilibus et signis* non esse omnino certas, sed contingentes vel probabiles. 3.° Unde colligit «enthymema a syllogismo stricte dicto non differre ratione *formæ*, sed ratione *materiæ*, quia syllogismus proprie dictus, sive demonstrativus, a principiis necessariis proficiscitur, ac proinde conclusionem certam habet; sed enthymema, cum ex probabilibus enuntiationibus confletur, probabilem conclusionem parit. 4.° Quare licet sæpe in enthymemate aliqua enuntiatio omittatur, ut ipse Aristoteles advertit (3), id non oriri ex natura enthymematis, ideoque Aristoteles enthymema quoque vocavit *syllogismum oratorium* (4); adde quod alibi Philosophus vocavit enthymema *syllogismum* (5).

Hanc sententiam dudum P. Sylvester Maurus tribuerat Julio Pacio (6).

Verum pace tanti scriptoris, censeo nimis præceps communique philosophorum sensui contrarium esse judicium Cajetani Sanseverino. Quidquid enim sit de vera mente

(1) *Elementa Philos. christ. cum antiqua et nova comparata*, vol. 1, *Logic.* n. 147, pag. 77, Neapoli 1864.

(2) Lib. 2, *Prior. analytic.* cap. 23, (alias 27 vel 29). Cfr. etiam lib. 1. *Rethoricor.* cap. 2.

(3) *Rethor.* lib. 1, cap. 2.

(4) Id. ibid.

(5) Lib. 1.° *Poster.* cap. 1, ubi vide Commentatores; S. Thom. (ibi. lect. 1. fin); Dominic. Soto; Petrum Fonseca, *Instit. dialet.* lib. 6 cap. 36; Toletum, Mauri, et Conimbric. in lib. 2.m *Prior.* in brevi Summa totius libri, ubi mens Aristotelis hac super re exponitur.

(6) «Auctores *satis communiter* dicunt enthymema esse syllogismum imperfectum, quia reticet alteram ex præmissis. Verum Julius Pacius in commentario hujus loci cap. XXVII ostendit non requiri ad enthymema, ut omittat alteram ex præmissis, sed omnem syllogismum constantem ex verisimilibus ac signis, seu reticeat alteram præmissam, seu exprimat utramque, juxta doctrinam Aristotelis esse enthymema.» Sylvest. Mauri. *Aristot. Opera omnia*, tom. 1, lib. 2 *Prior.*, cap. 34.

Aristotelis in prædictis locis, sufficiat mihi in patrocinium notræ doctrinæ laudare Severinum Böetium (1), S. Thomam (2), Petrum Hispanum, Dominicum Sotum (3) Petrum Fonseca (4), Toletum (5), Conimbricenses (6), Complutenses (7), Joannem a S. Thoma (8) itemque Arriagam, Hurtadum, Compton, Izquierdum, De Benedictis, Franciscum Soarez lusitanum (9), Cardin. Joannem Bapt, Ptolomeum, Antonium Mayr, Ludovicum Lossada, Antonium Goudin, Salvatorem Roselli, Mastrium, Pontium, Sebastianum Dupasquier, verbo, quotquot ego videre potui; qui omnes uno ore, tamquam rem omnibus compertam, docent enthymema esse syllogismum imperfectum ac truncatum, et ex una dumtaxat præmissa conclusionem elicere. Ipse etiam Silvester Mauri, licet fateatur ab Aristotele in lib. 1.° *Rhetoricor.* cap. 2 enthymema pro syllogismo rhetorico, ex verisimilibus nempe ac signis non necessario, sed moraliter dumtaxat vel probabiliter concludente, acceptum fuisse; addit nihilominus in alio præterea sensu accipi, nimirum pro syllogismo truncato, unaque constante præmissa. Quis porro doctrinam tot tantorumque scriptorum absurdam aut novam jure arbitretur? Itaque quidquid de hac re in variis locis senserit Aristoteles, quod nunc non vacat, nec multum refert investigare, constat doctrinam, quam exposuimus de natura enthymematis, esse communissimam ac vere traditionalem inter Scholasticos. Jam de reductione enthymematis ad syllogismum nullum occurrit dubium, cum pateat eam peragi expressa, quæ reticebatur, præmissa.

---

(1) Loc. sup. cit.

(2) In lib. 1.m *Posterior. Analyticor.*, lect. 1, fin.

(3) In lib. 1.m *Posterior*, in commento textus primi.

(4) Loc. supr. cit.

(5) *Summul.* lib. 4, cap. 18. Cfr. in libr. 1.m *Posterior.* cap. 1, in comment.

(6) Loc. nup. cit., et in lib. 1.um *Prior.* cap. 1, quæst. 2, art. 3; et in lib. *Poster.* c. 2, q. 2, art. 1, *Quod attinet.*

(7) *Summul.* lib. 3, cap. 1.

(8) *Summul.* lib. 2, cap. 5; et 2.ª part. *Logic.* q. 25, a. 1, initio.

(9) *Logic.*, tract. 8, disp. 1, sect. 3 et 4.

ARTICULUS III.

De Exemplo, ubi de Analogia.

175. Exemplum est argumentatio, qua ex uno vel pluribus singularibus aliud singulare colligitur, v. g.: *David pœnitens veniam a Deo impetravit. Ego quoque, si pœnitentiam egero, similiter veniam impetrabo. Salomon non invenit felicitatem in potentia, divitiis ac voluptatibus hujus vitæ. Ergo neque tu invenies.* Definitur.

Quamquam porro plerumque a veris singularibus singularia concludat exemplum; nihilominus potest quoque colligi una species ab alia, vel ab uno genere aliud genus, dummodo non sint logice inferiora invicem vel superiora.

Hinc vides differentiam exempli a syllogismo et enthymemate atque inductione. Syllogismus enim et enthymema ex universaliori minus universale inferunt; inductio autem ex singularibus vel minus universalibus universalius quiddam, et exemplum ex uno singulari aliud singulare concludit.

Cæterum exemplum duci potest non solum a re vere gesta sed etiam ab historia aliqua conficta, vel parabola vel apologo seu fabula. Apologi et parabolæ pulcherrimæ suppetunt in sacris Litteris tum in Veteri, tum in novo Testamento (1). Semper autem vis probandi nititur in similitudine vel paritate inter antecedens et consequens.

Ad exemplum quoque revocari possunt argumentationes *a simili* vel *a pari*, a *majori ad minus*, et *a minori ad majus* seu *a fortiori*, quarum pulchra habes exempla in Evangelio S. Matthei (2); vel etiam *a contrario*. Aliæ argumentationes quæ ad exemplum revocantur.

Quæ cum ita sint recte a Böetio (3) aliisque dicitur enthymema et exemplum responderé syllogismo et inductioni; quia sicut enthymema est syllogismus imperfectus, ita exemplum est inductio imperfecta; et sicut syllogismus et inductio frequentius usurpantur a Dialecticis, sic enthymema et exemplum ab oratoribus. Quia quamquam enthymema et

(1) Vide v. g. parabolam, qua Nathan Propheta usus est ad David regem (Lib. 2 Reg. cap. 12), et aliam, quam Jonathas proposiut Sichemitis in libro *Judicum*, cap. 9.

(2) Cap. 6 et 10. Cfr. 1.ª epist. ad Corinth. cap. 9, v. 7.

(3) De *Differentiis topicis* lib. 2, cap. 1.

exemplum non æque valeant plerumque ad probandum, tamen facilius communi hominum generi accommodantur (1).

Argumentatio ab Analogia.

176. Cum exemplo, prout hactenus explicatum est, in idem fere recidit argumentatio, quæ ab *analogia* ducitur, estque *argumentatio, per quam ab una proportione nobis comperta aliam non compertam inferimus.* V. g. video brutum, similes cum nostris actus et motus edere ad præsentiam quorumdam objectorum, vel similia nostris organa habere: atque inde concludimus bruta sentiendi facultate et actu gaudere. «Ex quo patet analogiæ argumentum inductionem imperfectam merito vocari. Inductio enim a partibus ad totum genus procedit; analogia a parte procedit ad partem, quæ sub eodem genere utcumque contineatur» (2).

Principia, quibus innititur argumentatio ab analogia.

Principia, quibus analogiæ argumentatio, sicut etiam exemplum, innititur, hæc fere sunt: *Quod in uno similium valet, valet in cæteris: Quod non valet in uno similium, nec in cæteris valet: Res similes effectus similes producunt: Res similes proprietatibus similibus instructæ sunt, secundum similes typos conditæ sunt, similes fines habent, similibus legibus gubernantur*, etc. *Dissimilibus dissimilia conveniunt. Contrariorum contrariæ sunt causæ* (3): (inellige causas *proximas* non vero remotas) etc.

In analogia et exemplo conclusiones plerumque intra probabilitatis limites continentur; possunt tamen quandoque certitudinem obtinere, quando nempe similem rationem utrobique valere constat, ut videtur evenire in adducto exemplo pro brutorum sensatione.

ARTICULUS IV.

De Sorite.

Ejus definitio:

177. Sorites (ἀπὸ τοῦ σώρου, acervo) est: *argumentatio acervalis*, interprete Tullio (4), seu *argumentatio constans variis propositionibus ita gradatim dispositis, ut prædicatum præcedentis fiat subjectum consequentis, donec in conclusione*

(1) Vide Fonseca. *Institut dialect.* lib. 6, cap. 36.
(2) Tongiorgi. *Institut. Logicæ*, n. 323.
(3) Tong. ib. n. 324, apud quem plura de his.
(4) *De Divinatione*, lib. 2 cap. 4.

subjectum primæ conjungitur cum prædicato penultimæ propositionis. Exemplum: *Anima humana est substantia intelligens. Substantia intelligens est spiritualis. Substantia spiritualis est immortalis. Substantia immortalis æternum felix vel infelix esse debet. Ergo anima humana æternum felix vel infelix esse debet.*

Potest quoque Sorites fieri per propositiones conditionales ita, ut conditionatum unius propositionis assumatur in conditionem subsequentis, donec in ultima, primæ propositionis antecedens cum penultimæ conditionato copuletur. V. g. *Si Petrus est homo, est animal. Si est animal, est vivens. Si est vivens, est substantia. Si est substantia, est ens. Ergo Petrus si est homo, est ens.*

Hæc argumentationis forma captiosa est, quemadmodum etiam notavit Cicero (1), ideoque non multum usurpatur. Et ratio est, quia dum tot congeruntur propositiones, facile irrepere possunt æquivocationes atque assertiones falsæ, quin advertantur. Sic olim Stoici fallaciter concludebant omne bonum esse honestum in hunc modum: *Si bonum, igitur optabile. Si optabile, expetendum. Si expetendum, dignitatem habet. Si dignitatem habet, laudabile est. Si laudabile, honestum. Igitur si bonum, honestum est.* Ubi falsitas tertiæ propositionis falsam reddit conclusionem (2).

et vis concludendi:

Si autem nullum adsit vitium in singulis propositionibus, apta est argumentatio sorites, ejusque vis concludendi evidentissima. Nam si sub forma conditionali proponatur, manifeste innititur in regula septima consequentiarum superius exposita.

Si vero ex propositionibus categoricis conficiatur, probari etiam potest ejus rectitudo. Primo, quia facile reduci potest ad formam conditionalem. Deinde, quia negari nequit subjectum identificari cum omni eo cum quo prædicatum, quemadmodum constat ex identitatis ac discrepantiæ principiis. Nec diutius in re plana immorari necesse est.

artificium intimius declaratur.

178. Jam si intimius sorites artificium scrutari velis et reductionem ad syllogismum communem, observa in hac

(1) *Academicor.* lib. 2, cap. 16.

(2) Apud Fonseca, *Instit. dialect.*, lib. 6, cap. 5, 8.ª *regula.* Cfr. sorites Velleji apud Ciceronem, *de Natura deorum*, lib. 1, cap. 18: quem solvit Cotta ibid. cap. 32.

argumentatione contineri elementa, ex quibus series plurium syllogismorum confici potest. Si enim in primo exemplo secundam propositionem loco Majoris accipias, primamque loco Minoris ponas, et convenientem exinde conclusionem elicias, habebis hunc justum syllogismum in prima figura: *Omnis substantia intelligens spiritualis est. Sed anima humana est substantia intelligens. Ergo anima spiritualis est.*

Nunc assume pro Majori tertiam soritis propositionem, adde loco Minoris præcedentem conclusionem, et si ex his duabus præmissis iterum concludas, hunc novum syllogismum in prima figura conficies: *Omnis substantia spiritualis est immortalis. Sed anima humana est spiritualis. Ergo anima humana est immortalis.*

Simili modo hunc alium syllogismum conflabis: *Substantia immortalis æternum felix vel infelix erit. Atqui anima humana est immortalis. Ergo anima humana æternum felix vel infelix erit.*

Et quoniam idem fieri potest in alio quocumque exemplo jure merito concludes:

α) Omnem Soritem implicitam syllogismorum seriem in se continere, atque adeo ad syllogismum primæ figuræ revocari posse.

β) Secundam soritis propositionem esse Majorem, primam autem, Minorem primi syllogismi, et ultimam propositionem esse conclusionem ultimi syllogismi, reliquas demum esse Majores intermediorum syllogismorum, qui ex Sorite conficici possunt.

γ) In sorite proinde reticeri omnes minores propositiones hujusmodi syllogismorum, excepta prima, itemque conclusiones omnes, excepta postrema.

δ) Omnes terminos soritis, excepto subjecto primæ propositionis, et penultimæ prædicato, esse successive medios terminos eorumdem syllogismorum.

ε) Denique plenam soritis resolutionem continere tot syllogismos, quot sunt illius proprositiones, demptis duabus.

Quæ cum ita sint, plane vides nihil absurdius dici potuisse a Tracyo, cum scripsit (1), soritem esse primitivam argumentationis formam, ad quam reliquæ omnes, ipso etiam

(1) *Ideolog.* part. 3, *Logic.* tom. 1, cap. 1 et 8.

syllogismo non excepto, revocandæ sint. Scilicet qui talia scripsit, nec syllogismi nec soritis naturam videtur intellexisse (1).

Ex his jam colligere licet Soritis leges: Leges soritis.

Prima: *Ne sint omnes propositiones soritis negativæ.* Secus enim resolveretur in syllogismos, quorum omnes propositiones forent negativæ. Immo vero nulla sit negativa, præter penultimam et consequenter etiam ultimam. Nam si prima v. g. est negativa, quoniam illa est Minor primi syllogismi, haberetur in resolutione syllogismus primæ figuræ cum Minori negante, contra regulas suo loco probatas. Si vero aliqua alia foret negativa, certe in resolutione conclusionem præberet pariter negativam; et quoniam ista conclusio esset minor alicujus syllogismi, sequeretur idem peccatum contra regulas primæ figuræ, quod modo notabamus. Si autem penultima foret negativa, hoc incommodum non sequeretur, ut patet.

Secunda. *Nulla propositio sit particularis, excepta prima et consequenter postrema.* Ratio, quia cæteræ omnes sunt majores propositiones totidem syllogismorum, quos implicite continet, et in quos logice resolvi possunt, ut vidimus. Atqui regula primæ figuræ vetat, ne Major sit particularis. At si prima esset particularis, quoniam illa in resolutione locum Minoris teneret, nulla regulæ illius pars violaretur.

179. Soriti similis est sophistica illa argumentatio, quam Epicuro vehementer exprobat Cicero (2), et Chrysippo quidam auctori tribuunt, unde et *chrysippeus* sorites dictus est. Hæc autem argumentatio sorites vocatur, non a propositionum acervo, sed ab acervo tritici, «quo tamquam exemplo sophista utebatur. Assumpto enim acervo ex viginti v. g. tritici granis, interrogabat, num grana illa pauca essent, an vero multa. Si pauca respondisset; subjiciebat, pauca fore etiam uno addito: quæ enim pauca sunt, unius dumtaxat augmento fieri multa non possunt: tum addito tertio, quarto etc., eo perveniebat, quod cum multum reapse foret, te tamen fallaci illo condicto circumventum fateri cogebat, multa Argumentatio acervalis.

(1) Cfr. Salvator Tongiorgi, *Institut. logic.* n. 282, 4.°; Gallupi, *Logic.* Lez. 57; Sanseverino, *Elementa Phil. christ. Logic.* Prima pars, n. 150 in nota.

(2) *Academicar. quæst.* lib. 4, cap. 16.

esse pauca. Quod si interroganti respondisses, viginti grana esse multa, ex eo principio quod multa, uno subtracto multa esse pergunt, successivis subtractionibus te fateri cogebat, unum granum esse multa» (1).

ARTICULUS V.

De Dilemmate, Polysyllogismo et Epicheremate.

Quid dilemma:

180. Dilemma est argumentatio, in qua ex duobus membris disjunctive propositis utrumque assumitur ad concludendum contra adversarium. Notissimum est exemplum illum Tertulliani in suo Apologetico adversus Trajani imperatoris decretum: *Vel nocentes sunt christiani vel innocentes. Si nocentes, cur inquiri prohibes? Si innocentes, cur delatis pœnam irrogas?* (2) Simili argumento Christus Dominus ostendit militis illius scelus, qui se coram Caipha gravissima percussit alapa: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si autem bene, quid me cædis?* (3) Quare recte eo nomine appellata est hæc ratiocinatio a δις (bis) et λαμβάνω (capio), quia utrinque adversarium capit, ideoque *cornutum disserendi genus* vocatur a Cicerone (4) et a S. Hieronymo *cornutus syllogismus* (5).

Potest etiam disjunctiva propositio tribus constare membris, quorum singula ad feriendum contrarium assumantur, et tunc *Trilemma* dicitur; si vero disjunctiva sit quadrimembris, *Quadrilemma*.

ejus discrimen a syllogismo disjunctivo.

Quare dilemma cum disjunctivo syllogismo confundendum non est, quia in hoc alterum e membris assumitur, alterum

---

(1) Tongiorgi *Instit. Logic.* lib. 3, cap. 4, art. 2, n. 284. Cfr. Facciolati *Logic.*, Acroasi II. Cfr. etiam Horatius lib. 2, epist, 1, ubi simili exemplo quosdam irridet, qui poetas non merito sed vetustate existimabant, ut refert Sanseverino, loc. cit. *Logic.* part. 1, n. 149 in nota.

(2) Vide aliud exemplum apud S. August. *Contra Cresconium.* lib. I, cap. 13.

(3) Joann. cap. 18.

(4) *Tusculan.* lib. 5, cap. 15.

(5) Epist. ad Ocean.

rejicitur; at in dilemmate utrumque assumitur ad concludendum contra adversarium.

Leges dilemmatis sunt hæ:

Leges: 1.ª

Prima: *Non detur medium inter membra disjunctionis.* Hinc peccat dilemma, quo Tullius probat (1) *mortem non esse timendam ex eo, quod animus vel pereat cum corpore, vel post mortem æternum beatus sit futurus;* nam datur tertium, quod nempe æternam infelicitatem subeat in inferis. Ratio autem legis est, quia si detur medium, effugiet per illud adversarius ictum utriusque cornu.

2.ª

Secunda lex: *Ut ex utroque membro concludatur certo ac necessario.* Nam secus elabetur contrarius negando illatum. Ita vitiose quis argueret hoc pacto: *Mors timenda non est. Quia vel animus perit cum corpore vel post mortem erit superstes. Si primum, nullus postea sensus doloris erit. Sin alterum, æternum felix erit.* Vitiose, inquam, hoc dilemmate quis argueret, quia nihil necessario concluderet, cum non solum possit esse animus æternum infelix, sed etiam insuper possit et ipsam mortem accerbissimus comitari sensus doloris.

3.ª

Tertia lex: *Ut non sit reciprocum, seu tale, quod possit ab adversario retorqueri.* Ejusmodi fuit dilemma illius, qui sic alteri conabatur persuadere, ne rempublicam administrandam susciperet: *Vel male vel bene administrabis. Si male, displicebis diis. Si bene hominibus.* Cui sic alter respondit retorquendo: *Vel bene vel male administrabo rempublicam. Si bene, placebo diis. Si male, hominibus.*

Reductio ad Syllogismum.

Ut vides, hæc argumentatio valet potissimum ad lacessendum inimicum. Et revocari etiam potest ad syllogismum. Sit enim *C*, sententia vel ratio agendi adversarii, quam impetere volo, et *A* et *B* membra propositionis disjunctivæ: dilemma in hanc formulam redigi potest: Si *vera foret C, vel esset stante A, vel stante B. Atqui nec stante A, nec stante B, vera est C: idque probatur ex iis, quæ in dilemmate colliguntur ex utroque membro disjunctionis. Ergo.....*

Polysyllogismus quid.

181. *Polysyllogismus*, ut ipsa vox satis denotat, est *multiplex syllogismus*, seu argumentatio, in qua conclusio unius syllogismi assumitur tamquam præmissa ad alium syllogismum

(1) *De Senectute*, cap. 19.

conficiendum. V. g. *substantia intelligens spiritualis est. Sed animus humanus intelligens est. Ergo spiritualis est. Sed substantia spiritualis est immortalis. Ergo animus humanus est immortalis.*

Confici quoque potest similis argumentatio ex pluribus enthymematis, vel etiam ex syllogismo et enthymemate inter sese consertis.

Epicherema.

182. *Epicherema* demum est syllogismus, cujus alteri vel utrique præmissæ sua statim apponitur probatio. V. g. *Ens spirituale perire nequit, quia nullum habet corruptionis principium. Sed anima humana spiritualis est, cum habeat operationes spirituales, quales sunt intellectio et volitio.* Ergo *anima humana perire nequit* (1).

Nota autem *Epicherema* in aliis quoque significationibus a priscis Philosophis acceptum fuisse. Nam Aristoteles (2) *Epicherema* vocat syllogismum dialecticum, qui nempe constat ex probabilibus; alii vero nomine Epicherematis intelligunt (3) brevem quamdam ac vehementem rationem probabilem una præsertim propositione comprehensam: quales sunt istæ: *Mater filium occidat? Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* (4)

CAPUT V.

DE DIVISIONIBUS

ARGUMENTATIONIS RATIONE MATERIÆ.

Divisio in demonstrationem, syllogismum probabilem et sophisticum.

Hactenus de speciebus, in quas argumentatio dividitur ratione formæ. Jam si materiam, circa quam versari quævis ratiocinatio potest, spectemus, efflorescet notissima illa divisio in argumentationem *demonstrativam*, seu demonstratio-

(1) Vide apud Ciceronem (lib. 1 de *Inventione*) egregium huju sargumentationis exemplum ad demonstrandam providentiam divinam.

(2) Lib. 8 *Topicor.*, cap. 4.

(3) Apud Fonseca *Inst. dialect.*, lib. 7, cap. 6 fin.

(4) Joann. cap. 14, v. 9.

nem, *probabilem* seu *dialecticam* vel etiam *topicam*, et *sophisticam* vel *pseudographum* syllogismum. Ratio hujus divisionis ea est, quia materia cujuslibet argumentationis vel est necessaria et certa, vel probabilis vel nec necessaria nec probabilis, licet necessaria vel probabilis videatur. Ex certis ac necessariis conficitur syllogismus demonstrativus, seu demonstratio; ex probabilibus seu verisimilibus, dialecticus vel topicus; ac demum ex apparenter probabilibus, pseudographus. Finis demonstrationis est gignere scientiam; syllogismi dialectici opinionem, pseudographi sophistici errorem ac deceptionem.

ARTICULUS 1.

De Demonstratione.

183. Breviter nunc de hac materia agemus, quia in Logica Majori fuse et accuratius disputandum erit. Demonstratio, quæ vocatur etiam *syllogismus apodicticus*, definitur ab Aristotele (1), *syllogismus faciens scire;* et etiam, *syllogismus procedens ex veris primis et immediatis notionibus, prioribus, causisque conclusionis*. At definire nunc a nobis potest ad mentem ejusdem Stagiritæ, *syllogismus in quo ex præmissis certis et evidentibus evidens conclusio deducitur*, vel etiam *syllogismus evidens*, (2). Licet enim argumentatio recte concludat secundum leges logicas superius declaratas, non tamen semper certitudinem gignit, evidenterque veritatem ostendit, sed tunc solummodo, quando constat ex præmissis certis atque evidentibus. Quid demonstratio.

Demonstratio dividitur in demonstrationem *a priori* et *a posteriori*. Demonstratio a priori est ea, cujus argumentum ducitur ex aliqua re priori secundum se et ontologice. Hoc modo a priori demonstratur effectus a causa vel proprietas a natura et essentia, unde fluit; ut si probes defectum lunæ ex interpositione terræ inter ipsam et solem, vel risibilitatem hominis ex rationalitate. Demonstratio a posteriori e converso ejus species: a priori, a posteriori,

(1) Lib. 1 *Poster. Analiticor.* cap. 2. Has definitiones in *Logica Majori* expendemus.

(2) Vide Lossada, *Logica*, tract. 6, disp. 2.ª, cap. 1, n. 1.

desumit argumentum ad probandum ex aliqua re posteriori secundum se. Sic demonstratur causa ex effectu, essentia ex proprietatibus atque operationibus. Demonstratio a posteriori etiam vocari solet *a signo*, quia effectus sunt signa causæ. Nihilominus quoniam non omnia signa sunt effectus, potest dari demonstratio a signo, quæ non sit præcise ab effectu.

a signo,

Inter has duas demonstrationes media a quibusdam assignatur demonstratio a *concomitante*, ea nempe quæ nec ducitur a priori nec a posteriori sed a simultaneo, vel a termino convertibili, nempe quando unum probatur ex alio, quod cum primo convertitur: ut si probes hominem esse risibilem, quia est flebilis; duo enim hæc simul sunt, et inter se convertuntur. Est denique alia demonstratio ex duobus prioribus mixta, et vocatur *regressiva* seu *circularis*, quæ in eo consistit, ut postquam causa per effectum utcumque cognoscitur saltem quoad existentiam, mox ipsa ad perfectiorem effectus cognitionem comparandam adhibetur. Sic Dei existentia sub rudiori et confusa notione causæ primæ entisque *a se* cognoscitur ex mundo, et mox ipse mundus cognosci melius potest ex attributis ac perfectionibus divinis.

a concomitanti,

regressiva vel circularis.

Huic primæ divisioni similis est illa alia in demonstrationem *propter quid*, et demontrationem *quia*. Demonstratio propter quid est ea, quæ fit a *proxima rei causa*, ut si v. g. risibilitatem hominis probes ex eo, quod homo sit admirativus. Hæc demonstratio propter quid vocatur *potissima* vel perfectissima, quando ex essentia rei probatur prima ejusdem proprietas, v. g. ratio admirativi de homine, ex rationalitate.

Demonstratio *propter quid* et *quia*.

Demonstratio potissima.

Demonstratio *quia* est illa, quæ non est per causam proximam, sed vel per effectum, vel per causam remotiorem. Quare vides discrimen hujus divisionis a divisione in demonstrationem a priori et a posteriori, nam demonstratio *quia* complectitur omnes demonstrationes a *posteriori* et aliquas præterea a *priori*, nempe illas, quæ fiunt per causam remotiorem. Præstantia etiam demonstrationis *propter quid* satis per se patet, demonstratio enim *quia* ostendit rem *ita esse*, demonstratio vero *propter quid* insuper ostendit, *cur res ita sit*.

Demonstratio *quia* non confundenda cum demonstratione a posteriori.

Alia est divisio demonstrationis in *ostensivam* seu *directam* et in *ducentem ad impossibile* seu *indirectam*. Ostensiva vel directa rem demonstrat positive ex aliquo cum ipsa connexo.

Demonstratio ostensiva et ex absurdo,

Indirecta autem vel ex *absurdo* vel ex *incommodo* vel ab *inconvenienti*, vel etiam ex hypothesi impossibili, probat rem ex absurdis quæ sequerentur, si res ita non se haberet. Ut si probes in Deo abesse omnem compositionem, quia secus mutari posset, quod nefas est dicere. Quare directa demonstratio melior est, quam indirecta: illa enim probat rem tenendam esse, immo etiam cur tenenda sit, saltem si sit demonstratio *propter quid;* indirecta autem probat oppositum teneri non posse.

Ad argumentationem indirectam quoque revocari potest ea, quam vocant *ad hominem* vel *ex datis*, in qua nimirum adversarium ex ipsius doctrina lacessimus, eamve ad nostræ doctrinæ defensionem convertimus. ad hominem,

Atque idem dicendum de demonstratione negativa, per quam ostendimus oppositam sententiam nullo idoneo fulciri argumento. et negativa.

Ejusdem fere generis sunt argumentationes, per *distractionem*, ad *ignorantiam*, ad *verecundiam* et ad *invidiam*, quæ nihil evincunt in favorem propriæ doctrinæ, sed potissimum ad vexandum adversarium diriguntur. Argumentatio *per distractionem* fit, cum prætermissa adversarii argumentorum responsione, attentionem ejus ad aliud divertimus, quod ipse explicare aut non potest, aut non vult. Cujus rei exemplum habes in Evangelio S. Matthæi (1). Argumentum *ad ignorantiam* fit, cum adversarium lacessimus, ut solvat argumenta nostra, vel proferat meliora. Aliæ argumentationes: per distractionem, ad ignorantiam,

Argumentum *ad verecundiam* consistit in eo, quod adversarium pondere auctoritatis contra sentientium opprimamus. ad verecundiam,

Argumentum ad *invidiam* adhibetur, cum adversarius risui aut odio exponitur. Verum hujusmodi argumenta, ut vides, parcissime usurpanda sunt, et nonnisi in certis personarum temporumque adjunctis, quæ res ipsa prudenti viro monstrabit. ad invidiam.

Unum autem notandum est, argumentationem indirectam, quæ est ex hypothesi impossibili, valde quidem usitatam esse et in Philosophia et in Theologia; non tamen semper legitimam esse. Si quis enim v. g. ita argueret: *Si homo* Notandum de argumento ex hypothesi impossibili.

(1) Matt. cap. 21, v. 24-25.

esset rationalis et irrationalis non distingueretur a bruto; aut: *Si simul essent lux et tenebræ nemo posset videre* etc. ineptissime argueret, nam ex illis conditionibus impossibilibus utrumlibet, ut per se patet, infertur, et quod homo non distingueretur a bruto, et quod distingueretur; quod nemo posset videre et quod nemo non posset videre. Et in hoc etiam sensu veritatem habere potest effatum illud. Ex impossibili sequitur quodlibet. Ratio porro, cur ex hujusmodi hypothesi non legitime inferatur unum ex duobus, est quia conditionalis illa continet, ut ajunt, *implicantiam in adjecto*, «tales enim ponuntur termini *(rationalis* et *irrationalis; lux et tenebræ)* qui non tantum realiter sumpti implicent, sed etiam formaliter se excludant, ita ut ex parte hypothesis eadem res ponatur, et simul tollatur» (1): id quod non contigit, quando ex parte conditionis ponitur simplex aliquis terminus non vero complexio terminorum se mutuo destruentium, ut in his exemplis: *Si non daretur Deus, mundus non esset, aut esset a se; si homo est asinus, habet quatuor pedes: Si Spiritus S. non procedit a Filio, non est distinctus a Filio*, quemadmodum argumentabatur Concilium Florentinum (2). Igitur ut hypothesis impossibilis legitime concludat, «debet non implicare formaliter in terminis sive *in adjecto*, ut ajunt, id est in prædicato conflato ex terminis sese invicem expresse destruentibus. Idem est, quando subjectum hypothesis assumitur ut *prorsus invariatum* v. g. *si homo, manens homo, non esset rationalis* quod pariter implicat in adjecto, cum perinde valeat, ac si *homo maneret et non maneret rationalis*. Debet ergo prædicatum hypothesis non conflari ex terminis implicantibus, et subjectum assumi debet ut præscindens a prædicato, quod ipsi aufertur in hypothesi negante vel a formalitate directe opposita prædicato, quod ipsi additur in hypothesi affirmante» (3).

(1) P. Anton. Mayr, *Philos. perip.* t. 1, pars 1. disp. unic, q. 3, art. 10, n. 181. Cfr. Lossada in loc. mox citando.

(2) Sess. ultim. in primis suis litteris ad Græcos.

(3) Lossada, *Curs. Philos.* tom. 3 *Physic.* tract. 2, disp. 7 in *proœm.* paragr. *Sed observandum.*

De argumentatione ex hypothesi impossibili fuse disputant P. Joannes Ulloa in *Prodromo*, disp. 1, n. 116 seqq.; Izquierdo in *Pharo scientiar.*, disp. 11, q. 6, n. 152; Cardin. Ptolom. in *Philos. Mentis et sensuum;* Vazquez in 1.am part. t. 2, disput. 147, cap. 1.

Argumentum mirabile.

Huc etiam revoca *argumentum mirabile* illud nempe, quo ex antecedenti concluditur consequens eidem antecedenti repugnans; servitque proinde mirifice ad lacessendum adversarium ex sua ipsius doctrina. Ita contra Calvinum asserentem peccatum ab homine non libere sed necessario patrari, concludes hominem non peccare: *Per te homo, cum non prævalet gratia, peccat necessario. Atqui peccatum necessarium non est peccatum, siquidem ad peccandum libertas requiritur. Ergo homo nunquam peccat.* Eodem pacto contra scepticos dari veritatem probabis: *Non datur veritas. Ergo datur veritas.* Prob. consequens: *Nam propositio hæc, Non datur veritas, vel est vera vel falsa. Si vera, datur veritas; si falsa, datur etiam veritas, quia si falsum est non dari veritatem, ergo verum est dari veritatem* (1).

Mirabile porro dicitur hoc argumentationis genus, quia admirationem audientibus parit, ob modum condudendi paradoxicum et inexpectatum. Ratio vero, cur ex hujusmodi antecedentibus oppositum inferatur, est, quia propositiones illæ saltem virtualiter et æquivalenter, complexæ sunt, ideoque ratione eorum, quæ in illis implicite continentur, vel supponuntur, tali virtute donantur.

ARTICULUS II.

De argumentatione probabili.

Quid argumentatio probabilis.

184. Est syllogismus vel argumentatio faciens opinari, seu quæ ex utraque vel alterutra præmissa probabili conclusionem pariter probabilem infert. *Probabilia* autem, inquit Aristoteles, *sunt, quæ videntur omnibus aut plurimis aut sapientibus, et his, vel omnibus vel plurimis, maxime notis et claris* (2). En medium extrinsecum cognoscendi, quænam sit doctrina

(1) Simile est exemplum illud Scoti: *Est tantum pater. Ergo non est tantum pater.* Prob. conseq. *Si est tantum pater. Ergo est pater*, nam ab exclusiva ad præjacentem valet conseq. *Jam si est pater. Ergo est filius, nam correlativa simul sunt. Si autem est filius, aliud a patre est*, ratione oppositionis relativæ. Ergo ex illa propositione. *Est tantum pater, sequitur quod non est tantum pater.*

(2) Arist. lib. 1, *Topicor.* c. 1.

vel propositio probabilis. Cæterum, si declarationem rei magis intimam quæris, illud dicitur probabile, quod solido nititur fundamento assensus, licet non tam gravi, quod valeat omnem formidinem expellere, v. g. hæc propositio: *Obsequium amicos conciliat.*

Opinio vero, inquit S. Thomas, *significat actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius* (1). Syllogismus autem probabilis vocatur *dialecticus* (a διαλεγές θαι), quasi *dispulabilis*, quia proprium est Logicæ in ea parte, quæ stricte ab antiquis *Dialectica* vocabatur, docere modum probabiliter de quavis re disputandi ex quibusdam locis communibus. Unde et *topicum* dicitur a voce græca τοπος *locus*, ratione horum communium locorum unde probabilia argumenta depromuntur. Quamquam nonnulli horum locorum, non probabilem solum, sed etiam certam suppeditare possunt argumentationem, ut v. g. definitio.

Discrimen inter demonstrationem et syllogismum probabilem.

Hinc vides discrimen inter syllogismum demonstrativum ac dialecticum, quia licet convenire penitus in forma possint, discrepant in materia circa quam. Demonstrativus enim postulat ambas præmissas certas ac necessarias, dialecticus autem neutram, cum versetur circa materiam contingentem; aut si quando versetur circa materiam in se necessariam, illa non certo sed opinative dumtaxat cognoscitur ab argumentante. Quare demonstratio gignit scientiam seu cognitionem certam, dialecticus vero solam opinionem, quia cum ambas præmisas, vel certe alterutram probabilem habeat, nequit conclusionem elicere certam. Quemadmodum si hoc pacto quis arguat: *Omnis infans rite baptizatus, gratia sanctificante ornatur. Atqui Antonius rite baptizatus est. Ergo gratia sanctificante ornatur*, conclusionem probabilem dumtaxat et opinativam obtinebit. Quamvis enim Major sit de Fide, at quia firmitas conclusionis non ex Majoris solius, sed ex Minoris etiam firmitate dependet, si mihi certo non constet Antonium rite baptizatum esse, nequit etiam constare, num gratia sanctificante ornetur.

Jam si loca communia, unde probabilia argumenta eruuntur, cognoscere velis, adi Aristotelem (2), P. Petrum Fonse-

(1) I part. q. 79, art. 9, ad 4.um

(2) In libris *Topicor.*

ca (1) et Cardin. Toletum (2), apud quos fuse explicatos videbis locos *definitionis, descriptionis, notationis nominis, conjugatorum, partium ad totum, totius ad partes, causarum, sive materialis, sive formalis, efficientis et finalis, effectuum, antecedentium et consequentium, adjunctorum, similium, dissimilium, majorum, minorum et parium, oppositorum, repugnantium, auctoritatis:* de quibus etiam Rhetores agere solent.

Pons Asinorum

Posset hic quoque aliquid addi de arte inveniendi medium terminum, quam antiqui *pontem asinorum* dixere, propterea quod hominibus tardiori ingenii ars hæc inintelligibilis videretur. Verum qui hæc noscere velit adeat priscos Philosophos (3), ac nominatim P. Antonium Bernaldum Quiros, qui fuse *Pontem Asinorum* describit (4).

Hypothesis seu suppositio.

Ad argumentationem probabilem revocari possunt *Analogia* et *Exemplum*, de quibus superius dictum est, quia fere nonnisi probabiliter concludant, eamdemque præbet etiam *Hypothesis*, seu *suppositio*, quæ definiri potest propositio cujus veritas nondum demonstrata est, quæ tamen assumitur tamquam vera, quia aliqua facta commode explicat (5). Exempla passim occurrunt in scientiis potissimum naturalibus, qualis est suppositio ætheris subtilissimi quaquaversus diffusi, quam adhibent scientiarum physicarum cultores, ad phænomena lucis explicanda.

Hujusmodi autem argumentatio generatim loquendo probabilitatis limites non transcendit. «Argumenta enim omnia, quibus hypotheses probamus, his præmissis constant. *Si existeret hæc causa, talia facta nobis exhiberentur. Sed talia facta nobis exhibentur. Ergo?* An deduces abrupte causam, quam assignas existere? At id vetat conditionalis syllogismi naturæ. Quid igitur inde concludere licebit? Hoc profecto, et nihil aliud, videlicet: *Fieri potest, ut hæc causa existat*» (6).

---

(1) *Instit. dialect.* lib. 7, c. 10 seqq.
(2) *Introduct. in Dialect.*, lib. 5, cap. 3-11.
(3) Vide S. Thom. Opuscul. *de Inventione medii:* Card. Tolet. *Introduct.* lib. 4, cap. 12, 13; Complutens. *Dialect.*, lib. 3, cap. ultim.
(4) *Curs. Philos.*, tract. 2, part. VI, disp. 33, sect. 4.
(5) Tongiorgi, Instit. dialect. n. 327.
(6) Tongiorgi. loc. cit n. 327.

Idem jam diu notaverat S. Thomas de quibusdam suppositionibus seu hypothesibus priscorum Philosophorum, his verbis: *Illorum autem suppositiones, quas adinvenerunt, non est necesarium esse veras. Licet enim talibus suppositionibus factis appareant solvere; non tamen opportet dicere has suppositiones esse veras, quia forte secundum aliquem alium modum nondum ab hominibus comprehensum, apparentia circa stellas* (de his enim sermo est) *salvatur* (1).

Solum in casu, in quo demonstraretur nullam aliam possibilem esse hypothesin ad rem explicandam præter unam, quia hanc unam facta confirmant, hypothesis vim certo concludendi haberet; sed tunc jam desineret esse hypothesis, et converteretur in thesin.

Conditiones hypothesis.

Cæterum ut hypothesis evadat probabilis requiruntur variæ conditiones.

1.° Et primo quidem ut sit possibilis saltem spectata divina omnipotentia 2.° Ut et hypothesis et quæcumque ex ea deducantur, nulli sive observationi sive experimento certo repugnent. 3.° Ut omnia facta, ad quæ explicanda assumitur, commode explicet (2).

ARTICULUS III.

De Syllogismo sophistico, seu de fallaciis (3).

185. *Quia Logica est rationalis scientia, et ad ratiocinandum inventa; ratiocinari autem contingit recte et non recte; utrumque ad Logici considerationem spectat, ut per rectam ratiocinationem ad rei veram cognitionem perveniat et falsam ratiocinationem vitando, errorem falsitatis evitet* (4). Itaque postquam rectas argumentandi formas declaravimus, necesse est præcipuos quoque fallacis argumentationis fontes aperire: *Sunt enim*

(1) In. lib. 2, de *Cœlo* et *Mundo*, lect. 17, paragr. *b*.

(2) Tongiorgi, loc. cit. n. 329.

(3) Videri de hac materia possunt Arist. *in Elenchis* cum Paraphrasi P. Silvest. Mauri; S. Thom. Opusc. *de Fallaciis;* Fonseca *Instit. dialect.* lib 8; Tolet, *Introduct.* in *Dialect.* lib. 5, cap. 11 seqq.; Conimbric. *in duos libros Elenchor.*

(4) S. Thom. Opusc. *De Fallaciis*, initio.

multa, quæ appellantur sophismata falsæ conclusionum rationes, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant (1).

Ratiocinatio non recta potest institui, et cum quis secum cogitat, et cum ad alios sermonem dirigit, hoc tamen discrimine, quod *cum aliquis secum considerans ratiocinatur non recte, præter intentionem hoc accidit, quia nullus sui ipsius deceptionem intendit, cum autem ad alium ratiocinatur non recte, contingit quandoque ex intentione ratiocinantis, cum scilicet de altero intendit experimentum sumere, vel victoriam habere ad sui gloriam* (2), aut etiam ad alios fines minus honestos. Et hoc ultimum est opus sophistarum ac sophisticæ disputationis. Sophistæ siquidem dicti sunt ii, qui non veritatis amore, sed *ostentationis*, ut scribit Cicero (3), *aut questus gratia* philosophabantur. Hodierni autem sophistæ longe deteriorem sibi sæpe finem proponunt, mentes nempe hominum a veritate catholicæ doctrinæ avertere, ut perdant tandem animas Jesu Christi sanguine redemptas, atque in inferos detrudant. Est ergo sophistica apparens ac fucata sapientia proceditque ex iis, quæ vera videntur aut probabilia, sed non sunt. Argumentatio enim, quæ aperte falsa assumit, aut manifesto formæ vitio laborat, proprie sophisma non est, neque fallax est illud, quod non habet veritatis speciem, sed falsum esse statim cognoscitur.

Quid fallacia vel sophisma,

Fallacia ergo vel sophisma definiri potest, argumentatio quæ procedit ex apparentibus, et sub veri specie absurde concludit. Ac duplex esse potest sophisma ex Aristotelis doctrina (4): alterum quod peccat ratione materiæ, quia nempe assumit præmissas seu principia falsa, licet possit recta uti forma; alterum peccat ratione formæ, quia licet vera forte assumat, tamen occulto aliquo vitio contra leges rectæ ratiocinationis turpatur. Syllogismus peccans in forma non est vere syllogismus, ideoque vocatur proprie *paralogismus*, quasi falsus syllogismus; quamvis nomen paralogismi soleat quo-

paralogismus,

(1) S. August. *De Doctr. christ.*, lib. 2, cap. 31, n. 48.

(2) S. Thom. in opusc. *de Fallaciis*, initio.

(3) *Academ.*, lib. 2, cap. 32. Vide etiam Aristot., *Elenchor.*, lib. 1, cap. 10.

(4) Arist. lib, 1, *Elenchor.*, cap. 10.

que extendi ad syllogismos ratione materiæ peccantes, ut videre est apud ipsum Aristotelem (1). De hujusmodi sophismatis nihil restat jam dicendum; dignosci enim facile possunt ex regulis consequentiarum, et syllogismi aliarumque argumentationum.

syllogismus pseudographus.

Sophisma primi generis, si versetur circa materiam propriam aut peculiarem alicujus scientiæ, vocatur *pseudographus* syllogismus, quasi falsæ *descriptionis*. Ex. gr. «si quis assumat, quod si diameter unius circuli, est dupla diametri alterius, etiam circulus est duplex circuli, et ex hoc principio argumentetur, construet syllogismum pseudographum in materia geometrica, quia procedit ex propriis Geometriæ, et assumit propositionem nec veram nec probabilem, sed solum habentem quamdam speciem probabilitatis. Dicuntur autem hi syllogismi *pseudographi*, quia accidit, illos fieri præsertim in geometricis ex eo, quod semicirculi lineæ et figuræ male describantur» (2). Hujusmodi etiam sophismata, quæ occurrere in quavis scientia possunt, non spectant ad Dialectici considerationem. Quid enim verum et probabile, quid falsum et apparens sit in materia cujusvis scientiæ, ipsamet scientia judicare debet, ac porro judicat, cum erroneas sententias a veris secernit, ac profligat.

Ad Dialecticum ergo pertinet dumtaxat expendere syllogismos peccantes in materia pluribus vel omnibus scientiis communi, quia nempe assumunt principia, quæ valere æque possunt in materia plurium scientiarum, qualis est ille, quo Bryso conatus est (3) demonstrare quadraturam circuli: *Quod potest esse majus et minus aliquo, potest etiam esse æquale illi. Sed potest esse circulus major quadrato, utpote includens quadratum, et circulus minor quadrato, utpote inclusus in quadrato. Ergo potest dari circulus æqualis quadrato.* «Illud enim principium: *In quo datur majus et minus, datur æquale*, est commune etiam materiæ non geometricæ, et est falsum, quia angulus semicirculi potest esse major vel minor angulo

(1) Vide v. g. *Topicor.*, lib. 1., c. 1; et *Elenchor.*, lib. 1, c. 10. Cfr. Mauri., *Topicor.*, lib. 1, c. 1, n. 8; *Elenchor.* lib. 1, c. 10, n. 3 et 4.

(2) Sylvest. Mauri, In lib. 1.um *Topicor.*, cap. 1.

(3) *Elenchor.* lib. 1, cap. 10.

rectilineo, et tamen non potest esse æqualis ipsi, ut demonstrat Euclides lib. III, prop. 16» (1).

Quemadmodum ergo Dialecticæ est, communes fontes ac sedes argumentationum declarare in commodum aliarum scientiarum, ita ejusdem est loca indicare, unde peti possunt in quavis materia sophismata, modosque docere, quibus illa detegantur caveanturque.

Jam sophismatum alia sunt *in voce*, alia *in re*, vel ut alii loquuntur, alia sunt *in dictione*, alia extra *dictionem*. Et Aristoteles quidem omnia sophismata ad tredecim genera revocavit, e quibus sex *in dictione*, septem *extra dictionem* versantur (2). Divisio Sophismatum.

186. Sophismata tunc sunt in dictione, quando principium, motivum seu causa apparentiæ est ex parte vocis: hæc autem assignantur: *æquivocatio*, *ambiguitas seu amphibologia*, *accentus*, *compositio*, *divisio*, et *figura dictionis*. Sophismata in dictione:

Æquivocatio est unius et ejusdem nominis diversa significatio; fallacia autem æquivocationis est deceptio proveniens ex eo, quod unum nomen plura significet (3). V. g. *Omnis canis est latrabilis: Sed cæleste sidus canis est. Ergo cæleste sidus est latrabile: Quidquid ridet, os habet. Sed pratum ridet. Ergo os habet.* Ubi vides voces *canis* et *ridet* æquivoce sumi. æquivocatio,

Solvitur hujusmodi sophisma distinguendo vocem æquivocam in plures sensus, et concedendo veros, negando falsos.

Amphibologia. *Sicut autem æquivocatio provenit ex eo, quod dictio penitus eadem plura significat, sic amphibologia ex eo, quod una oratio penitus eadem plura significat: unde dicitur amphibologia ab* ἀμφὶ *quod est dubium, et* βολὴ, *quod est sententia et* λόγος *sermo, quasi dubia sententia sermonis. Fallacia autem amphibologiæ est deceptio proveniens ex eo, quod una oratio penitus eadem plura significat* (4). Ita *liber Aristotelis* propter diversam habitudinem diversa significare potest, et formatur amphibologia,

(1) Mauri, In lib. *Elenchor.*, cap. 10, n. 4.

(2) Quidam hisce Aristotelicis sophismatis quædam alia addidere. Illa vero aut sophismata non sunt, aut facile ad aliquod ex his tredecim revocari possunt. Qua de re vide P. Salvatorem Mariam Roselli in *Summa Philos.* t. 1. *Logic.*, quæst. 31, art. 1 et 2.

(3) S. Thom. Opusc. *de Fallaciis*, cap. 4, ubi plura.

(4) S. Thom., Opus. cit., cap. 5.

paralogismus sic: *Quidquid est Aristotelis, possidetur ab Aristotele. Sed hic liber est Aristotelis. Ergo possidetur ab Aristotele*: vel: *Quicumque sunt Episcopi, sunt sacerdotes, Isti equi sunt Episcopi. Ergo isti equi sunt sacerdotes* (1). Quibus in exemplis vides illas orationes *est Aristotelis* et *sunt Episcopi*, in diversa significatione usurpari. Ambiguitas tollenda est distinctione, sicut diximus de præcedenti fallacia.

compositio et divisio,

Compositio et Divisio. Illa paritur ex præpostera orationis conjunctione, cum id, quod debet separari, perperam conjungitur, sive cum mutatur sensus divisus in compositum. V. g. *Duo et tria sunt paria et imparia. Sed duo et tria sunt quinque. Ergo quinque sunt paria et imparia.* Divisio vero e converso fit per pravam orationis divisionem, cum id, quod conjungi debebat, separatur, sive cum sensus compositus mutatur in divisum. V. g. *Impossibile est sedentem ambulare. Atqui Petrus sedet. Ergo impossibile est Petrum ambulare;* vel: *Omne animal, vel est rationale vel irrationale. Atqui non omne est rationale: Ergo omne animal est irrationale.* Quibus in exemplis vides fieri transitum a sensu diviso ad compositum, vel e converso, quia ex eo quod aliquid est verum in sensu diviso, contenditur esse quoque verum in sensu composito, et vicissim.

Vide apud S. Thomam tres modos, secundum quos peccari potest per compositionem et divisionem (2).

Respondetur autem distinguendo sensum compositum ac divisum.

accentus,

Accentus. *Accentus... secundum quod hic sumitur, est modus pronuntiandi aliquam dictionem. Fallacia autem accentus est deceptio proveniens ex eo, quod aliqua dictio diversimode pronuntiata, diversa significat* (3), v. g.: *Quoscumque justum est pendére, justum est pati pœnam. Sed bonos viros justum est péndere. Ergo bonos viros justum est pati pœnam.* Huc etiam revoca fallaciam, in qua variatur spiritus vocis, ut si ita arguas: *Omnis ara est in templo. Sed stabulum porcorum est hara. Ergo stabulum porcorum est in templo:* itemque fallaciam illam, per

(1) Cfr. S. Thom. ibid.
(2) Opusc. *de Fallaciis*, cap. 6.
(3) S. Thom. ibid. cap. 7.

quam unum idemque proferatur ut una vel ut plures dictiones, v. g. *Quidquid Deus fecit invite, fecit invitus. Sed racemos* **fecit in vite.** *Ergo racemos fecit invitus.*. Hisce ridiculis technis quomodo respondendum sit, patet.

figura dictionis.

Figura dictionis. *Figura dictionis, prout hic sumitur, est similitudo unius dictionis ad alteram, sicut aliquid dicitur ad figuram alterius factum, quod ei assimilatur. Unde fallacia figuræ dictionis est deceptio proveniens ex eo, quod aliqua dictio similis alteri dictioni videtur habere eumdem modum significandi, cum tamen non habeat* (1). Et bifariam committi potest primo cum diversis vocibus, quia similes sunt, eædem affectiones grammaticales tribuuntur, ut si contendas *pontem* esse fœminini generis, quia *frons* est fœminini generis; et verbum *abeo* esse secundæ conjugationis sicut *habeo*, quia eodem modo utrumque desinit. Secundo, si dictio, quæ significat per modum unius prædicamenti, videatur significare per modum alterius. Ut in his exemplis: *Quidquid heri vidisti, hodie vides. Sed heri vidisti album. Ergo album hodie vides:* vel: *Quiquid emisti, comedisti. Sed emisti carnes crudas. Ergo comedisti carnes crudas.* Non valent hujusmodi conclusiones, quia in illis mutatur *quid* in *quale*, substantiam in qualitatem.

Huc revocatur fallacia quæ committitur transeundo a genere vel specie ad individuum, et etiam mutata suppositione terminorum (2).

Istud quoque sophisma facile enodatur vel negatione vel apta distinctione sensus.

Fallaciæ extra dictionem:

187. Fallaciæ extra dictionem sunt hæ septem: fallacia *accidentis, dicti simpliciter et secundum quid, ignoratio elenchi, petitio principii, consequentis, non causæ ut causæ, et plurium interrogationum.*

fallacia accidentis,

Fallacia accidentis. Est forte omnium deterrima et periculosissima, quaque vel ipsi sapientes decipiuntur, ut notat Aristoteles (3). Ut ergo rite intelligatur, sciendum est, *quod accidens hic accipitur, prout distinguitur contra* **per se.** *Per se autem dicitur inesse aliquid alicui, quod inest ei secundum*

(1) S. Thom., *Opusc.*, cit. cap. 8.
(2) Vide S. Thom. ibid.
(3) Libr. *Elenchor.*, cap. 5. Vide ibid. Mauri, n. 6.

rationem propriæ definitionis; præter hoc autem quidquid inest alicui, dicitur inesse per accidens (1). Est ergo fallacia accidentis illa, quæ committitur cum quis concludit id, quod convenit, vel non convenit alicui per accidens, convenire per se; vel e converso. Trifariam committi potest: α) cum id, quod subjecto contingenter et variabiliter convenit, vel non convenit, concluditur absolute ac secundum se convenire, vel e converso; ut v. g.: *Eum, qui sub velo latet, non cognoscis. Sed mater tua sub velo latet. Ergo matrem tuam non cognoscis;* vel: *Venientem cognoscis. Sed rex est veniens. Ergo regem cognoscis.* Similis fallacia est in hoc alio exemplo: *Iste canis est tuus et est pater. Ergo est pater tuus. Canis enim et pater sunt unum per accidens; unde non sequitur, quod quidquid est verum de uno, sit verum de alio; secundum enim quod canis est pater, non convenit ei esse tuum* (2). β) Cum proceditur a specie ad proprium vel vicissim, ut: *Homo est risibilis. Sed risibile est proprium. Ergo homo est proprium. Non sequitur, quia risibile et homo non sunt omnino idem secundum definitionem: et ideo aliquo modo unum se habet ad alterum per accidens et extraneum: et propter hoc non est necesse, quod quidquid verificatur de uno, verificetur de altero* (3). γ) quando illud quod convenit superiori concluditur de inferiori, vel e converso ut: *Homo est animal. Sed animal est genus. Ergo homo est genus:* vel: *Triangulus est figura. Sed proprietas trianguli est habere tres angulos. Ergo est proprietas figuræ;* vel: *Socrates est aliud ab homine. Sed Socrates est homo. Ergo est aliud a se.* Non sequitur, quia superius et inferius non sunt omnibus modis idem, sed aliquo modo sunt unum per accidens. Unde quamvis secundum quod sunt idem, id quod de uno prædicatur, debeat etiam verificari; non vero secundum quod unum ab alio differt.

Solvitur ostendendo conclusionem non recte fluere, quia non necesse est eadem prædicari de subjecto ac de illius accidenti.

dicti simpliciter et secundum quid,

Fallacia dicti simpliciter et secundum quid. Est deceptio proveniens ex eo, quod dictum secundum quid accipitur ut

(1) S. Thom. ibid.
(2) S. Thom. ib.
(3) S. Thom. ib.

dictum simpliciter, vel e converso. **Simpliciter** *autem hic dicitur, quod nullo modo addito dicitur: ut cum dicitur:* **Socrates est albus,** *vel:* **Socrates currit. Secundum quid** *autem dicitur, quod cum aliquo addito dicitur, ut:* **Iste currit bene,** *vel* **Socrates est albus secundum dentem.** *Hoc autem quod additur, dupliciter se habet ad id, cui additur, nam quandoque non diminuit de ratione ejus, cui additur: et tunc potest procedi ab eo, quod est secundum quid ad hoc, quod est simpliciter, ut cum dicitur:* **Iste currit velociter. Ergo currit;** *velocitas enim nihil diminuit de ratione cursus... Quandoque vero id quod additur, diminuit de ratione ejus, cui additur, ut cum dicitur:* **Æthiops est albus secundum dentem,** *nam hæc determinatio* **secundum dentem,** *diminuit aliquid de ratione ejus, quod dicitur* **albus,** *non enim potest dici albus, nisi qui totus est albus vel secundum plures et principaliores partes. Et ideo si concludatur:* **Æthiops est albus secundum dentem. Ergo est albus;** *est locus sophisticus vel fallacia secundum quid et simpliciter* (1).

Exempla: *Licet christiano vesci carnibus. Licet igitur ei vesci carnibus in quadragesima: Manus est abscindenda, cum immineat ex ea toti corpori corruptio.* Ergo *manus est abscindenda* etc.

Respondetur negando consequentiam.

Ignorantia elenchi. Elenchus, ἔλενχος græce, idem significat ac latine *redargutio;* redargutio autem ex ipsa nominis etymologia est argumentatio seu syllogismus, quo quis arguit contra id, quod alter dicit. Et quoniam qui arguit contra id, quod alter dicit, arguit ad contradicendum ei, elenchus definitur ab Aristotele: *syllogismus contradictionis.* ig norantia elenchi,

Quare ignoratio elenchi est deceptio proveniens ex eo, quod aliquid infertur tamquam contradictorium, quod revera non est contradictorium. Qui enim alterum redarguens tamquam contradictorium infert id, quod tale non est, ignorat aut certe simulat ignorare id, quod ad contradicendum requiritur. Et quoniam ad contradictionem requiritur, ut detur affirmatio et negatio: α) *de uno eodemque:* β) *secundum idem:* γ) *in simili ratione* et: δ) *eodem tempore,* hisce quatuor modis committi potest ignoratio elenchi. Primo modo v. g.: *Duo sunt*

(1) S. Thom., Opusc. cit. cap. 11.

duplum ad unum et non sunt duplum ad tria. Igitur sunt duplum et non duplum. Secundo modo: *Hoc est duplum ad illud secundum longitudinem, et non est duplum secundum latitudinem. Ergo est duplum et non duplum.* Tertio modo: *Rota hæc movetur circulariter, et non movetur sursum et deorsum. Ergo movetur et non movetur.* Quarto modo: *Domus est clausa in nocte, et non est clausa in die. Ergo est clausa et non est clausa* (1).

Nullo negotio cavebit hujusmodi fallacias, qui leges contradictionis calleat, notando contra quamnam ex illis peccetur.

petitio principii, **Petitio principi.** Principium hic dicitur principale propositum. Tunc igitur aliquis petit principium, quando petit sibi concedi principale propositum, quod debet probare. Quod quidem si sub eodem nomine petat, nulla fit fallacia, sed petens videbitur deridendus, sicut si velit probare: *homo currit*, et petit idem sibi concedi. Si vero petat id, quod vult probare, sub alio vocabulo, poterit esse fallacia; et tunc proprie petit illud, quod est in principio, id est, illud, quod in se continet principale propositum.

Fallacia ergo petitionis principii est deceptio proveniens ex eo, quod idem assumitur ad probationem sui ipsius sub alio vocabulo (2). Fallacia hæc, ut patet, non peccat contra vim illativam, conclusio enim bene fluit, sed contra probationem argumenti. Nam cum probatio deberet esse aliquid manifestius re ipsa probanda; cum petitur principium, nihil manifestius affertur ad rem probandam. Quare urgendus est sophista, ut probet assertionem.

Peccari autem præcipue potest: α) quando definitum petitur ad definitionis definitionem, vel e converso: β) quando ad probationem universalis petuntur omnia particularia: γ) quando petitur unum correlativum ad probationem alterius. Ut si ad probandum Socratem esse Platonis patrem, assumas hanc: *Plato est filius Socratis* (3).

circulus vitiosus, Ad petitionem principii quoque revocatur **circulus vitiosus**, qui tum committitur, cum aliquid probatur per aliud, quod vicissim probetur per primum.

---

(1) S. Thom., Opusc. cit., cap. 12.
(2) S. Thom., Opusc. cit., cap. 13.
(3) S. Thom. ibid.

fallacia consequentis

Fallacia consequentis consistit in eo, quod antecedens eruatur ex consequenti, aut oppositum consequentis ex opposito antecedentis, contra quam præscriptum fuit de syllogismis conditionalibus. Ut si ita concludas: *Petrus si est homo est animal. Atqui est animal. Ergo est homo*, vel: *Atqui non est homo. Ergo non est animal.*

fallacia non causæ ut causæ,

Fallacia non causæ ut causæ est fallacia consistens in eo, quod absurditas conclusionis adscribatur alicui propositioni, quasi ex ea procedat, ex qua tamen re vera non procedit. Ut si quis eloquentiam tollendam de medio esse probet ex eo, quod homines illa præditi multa persuadeant.

«Hæc tamen nunquam formam argumentationis accipiunt, nisi cum sophista, ex quibusdam concessis, ducit respondentem ad aliquid, quod aperte incommodum aut falsum est, ex cujus eversione regreditur ad evertendum aliquam ex sumptionibus, ut causam absurdæ aut falsæ conclusionis, quæ tamen revera causa non est. Exemplum sophismatis: *Si nullum tempus esset, nox non esset. Si nox non esset, dies esset Si dies esset, aliquod tempus esset. Igitur si nullum tempus esset, aliquod tempus esset. Hoc autem non modo falsum est, sed etiam absurdissimum. Igitur prima illa propositio. Si nullum tempus esset, nox non esset, est falsa et absurda.* Perperam colligit sophista, quia cum non prima propositio, sed secunda sit causa absurdæ conclusionis, non debuit ille colligere, primam esse falsam, sed secundam. Falsum enim et absurdum est dicere, *si nox non sit, diem esse,* nisi ex hypothesi, hoc est, posito motu terræ circa solem. Siquidem ante mundi constitutionem nec nox erat nec dies» (1).

Cum vero fallacia hæc adhibetur ad attribuenda facta quædam causis non veris, committitur: α) quando id, quod factum simpliciter præcedit aut comitatur, assignatur tamquam illius causa: *Hoc post hoc. Ergo hoc propter hoc:* β) cum id, quod vera occasio est, asseritur causa. Sic quidam virtutem damnat, quia odia et insectationes excitat: γ) cum mera conditio ad effectus positionem requisita, causa ejusdem reputatur, ut si fenestram velis esse causam, cur hoc

(1) Fonseca, *Inst. dialec.*, lib. 8, cap. 15. Cfr. S. Thom. Opusc. cit. cap. 15.

cubiculum illuminetur: δ) quando aliquæ causæ commentitiæ pro veris afferuntur, ut si casum romani imperii christianæ religioni attribuas (1). Solvitur vel negando allatam causam, vel ejus loco veram assignando.

fallacia plurium interrogationum.

Fallacia plurium interrogationum committitur cum plures interrogationes, quibus plures essent reddendæ responsiones, per modum unius proponuntur.

Hinc enim fit, ut qui simplicem responsionem reddit, tam affirmando quam negando, capi possit. Exempli causa, si quærat sophista: *Sitne Socrates et Plato homo*, tu autem respondeas, *esse hominem;* colliget sophista: *Igitur qui percutit Socratem et Platonem percutit, hominem percutit, non homines.* Si vero dicas, *non esse hominem*, concludet sophista: *Igitur Socrates non est homo*, aut: *Igitur Plato non est homo* (2). Construi porro potest fallacia trifariam, vel quærendo plura de uno, vel unum de pluribus, vel plura de pluribus (3).

Occurritur huic fallaciæ distinctis responsionibus ad singulas interrogationes.

APPENDIX

DE SCHOLASTICA

DISPUTATIONE.

188. Post enucleatas quæstiones, quæ ad Minorem Logicam spectant, operæ pretium duxi, pauca quædam adjicere de disputandi ratione, in christianis scholis tum potissimum, cum philosophica et theologica studia maxime florerent, adhiberi solita. Ea enim si in pristinum honorem restituatur, non dubito, quin uberrimos paritura sit in bonum scientiarum fructus. Disputatio generatim definiri potest: *actus syllogisticus unius ad alterum ad aliquod propositum ostendendum. Per hoc quod dicitur* actus *tangitur disputationis genus; et per hoc quod*

Quid disputatio generatim,

(1) Cfr. Tongiorgi. *Instit. Logic.*, n. 347.
(2) Fonseca, loc. cit., cap. 16.
(3) Vide S. Thom., Opusc. cit., cap. 16; Fonseca, loc. cit.

dicitur **syllogisticus**, *tangitur disputationis instrumentum, scilicet syllogismus, sub quo comprehenduntur aliæ species argumentationis et disputationis, sicut imperfectum sub perfecto. Et per hoc distinguitur disputatio ab actibus corporalibus, ut* **currere** *vel* **cemedere**, et *ab actibus voluntariis, ut* **amare** et **odisse**. *Nam per hoc quod dicitur* **unius** ad **alterum**, *tanguntur duæ personæ opponentis et respondentis, inter quas vertitur disputatio: etiam hoc additur ad differentiam ratiocinationis, quam habet, qui secum ratiocinatur. Per hoc autem quod dicitur* **ad propositum ostendendum**, *tangitur disputationis effectus sive terminus aut finis proximus: et per hoc distinguitur disputatio* a *syllogismis exemplaribus, qui non inducuntur ad ostendendum propositum aliquod, sed ad formam syllogismi exemplificandam* (1).

quotuplex.

Disputationis autem quatuor sunt species, scilicet **doctrinalis, dialectica, tentativa** et **sophistica**, *quæ etiam alio nomine dicitur* **litigiosa** *(vel contentiosa). Doctrinalis sive demonstrativa est, quæ ad sciendum ordinatur, procedens ex primis et veris et per se notis et propriis illius scientiæ, de qua fit disputatio* (2): *et hæc vertitur inter docentem et addiscentem. Dialectica vero disputatio est ex probabilibus procedens, et ad opinionem vel propositum tendens. Tentativa autem disputatio est, quæ ordinatur ad experimentum sumendum de aliquo per ea, quæ videntur respondenti. Sophistica autem est tendens ad gloriam, ut sapiens esse videatur, unde dicitur sophistica, quasi apparens sapientia, et procedit ex his, quæ videntur esse vera sive probabilia, et non sunt; vel simpliciter falsas propositiones assumendo, quæ videntur esse veræ, vel in virtute falsarum propositionum argumentando* (3).

Et hæc quidem est divisio disputationis ex materia vel fine desumpta. Forma vero vel methodus ejusdem triplex esse potest, *communis* seu *vulgaris*, *socratica* et *syllogistica* seu *scholastica*.

Disputatio vulgaris.

Vulgaris est, quæ liberum disserendi sequitur modum, prout in communi hominum congressu et quotidianis colloquiis fieri solet.

---

(1) S. Thom., Opusc. *de Fallaciis*, cap. 1.
(2) De his agendum est inferius, ubi de *Demonstratione*.
(3) S. Thom., loc. cit., cap. 2.

socratica,

Socratica, quæ interrogationibus artificiose excogitatis apteque sibi succedentibus, adversarium quasi consulens expugnat, quatenus paulatim et per gradus nec opinantem eo deducit, ut fateri cogatur assertionis, quam negabat, veritatem, aut ut secum ipse pugnans deprehendatur, atque ita suæ opinionis falsitatem agnoscat (1). Hæc porro disputationis forma dicitur socratica, quia Socrates ea potissimum usus fuisse fertur (2).

syllogistica vel scholastica.

Syllogistica demum methodus est illa, quæ argumenta omnia fere severa syllogismi vel enthymematis forma proponit, quin tamen excludat prævias, ubi opus est, interrogationes, quibus via sternatur ad argumenta. Hæc forma disputationis scholastica vocatur, quia ea constanter adhibita est a Doctoribus Scholasticis, et adhuc viget in optimis quibuscumque scholis, quæ tantorum virorum vestigia sequi, doctrinamque sanam et solidam solide et integre addiscere student. «Nihil enim hac methodo accommodatius ad disputationis finem, nihil opportunius ad colligendos disputationis fructus, et ad vitia præcavenda, quæ in disputationem obrepere possunt, nihil necessarium magis. Crede mihi: multi qui, et voce et scripto et editis voluminibus, putant se aliquam opinionem defendisse, aut aliquem adversarium confutasse, si adduci possent, ut quæcumque disputarunt ad syllogisticam formam exigerent, statim animadverterent, se forte eloquenter declamasse, erudite scripsisse, eleganter descripsisse, at simul a scopo aberrasse, nihil demonstrasse, nihil refutasse; imo forte nec quid demonstrandum aut refutandum sibi esset, clare percepisse. Crede iterum mihi: si hæc disceptandi ratio in rebus præsertim subtilioribus et implexis, aut in his, quæ humanarum cupiditatum igniculos excitant, universim adhiberetur, multæ quæstiones, quæ hinc inde agitantur, non agitarentur; multæ nullo negotio solverentur; multæ, quæ solutæ putantur, insolutæ atque adeo insolubiles agnoscerentur; multi errores statim, ac orti sunt, extabuissent; præfidentia, clamores, iræ concertantium vix locum haberent.

(1) Exemplum socraticæ disputationis habes in Evangelio S. Matthei, cap. 22, v. 42.

(2) Tongiorgi, Op. cit., n. 350.

Hæc omnia jam a suo tempore Leibnitzius perspexerat, et aperte profitebatur» (1). Hactenus P. Salvator Tongiorgi (2).

Hæc scholastica disputandi ratio licet, quoad substantiam, et in orali explicatione et in libris scriptis adhibetur a Scholasticæ doctrinæ methodique studiosis, quibus solemne est primum rem exponere ac probare, tum argumenta contraria solvere, constanter utendo forma syllogistica; potissimum tamen usurpatur in disputationibus sive publicis sive privatis, quæ vel experimenti vel exercitationis causa inter duos instituuntur. Necesse est ergo ut, quæ sint partes et defendentis et impugnantis doctrinam propositam in hujusmodi disputationibus, breviter declaremus.

Partes defendentis.

Quid sit efficiendum defendenti. α) Et primo quidem defendens, probata vel supposita, quia jam alias probata sit, propositione, quam tuendam suscepit, debet integram adversarii argumentationem fideliter repetere. Mox ad eamdem rediens, propositiones, quibus constat, judicet, *concedendo* veras, falsas *negando*, quæ non faciunt ad rem *transmittendo* vel *permittendo*, ambiguarum *distinguendo* sensum, ita tamen ut, si Major falsa sit, ideoque neganda, non sit ulterius procedendum. Tum enim arguenti onus incumbit negatam assertionem probandi.

β) Si forma argumentationis recta non sit, negatur consequentia. Etiam cum distinctio adhibita est, negari debet consequens et consequentia.

γ) Ambiguitas, quæ distinctionem postulat, occurrere potest vel in termino medio vel in alterutro extremorum. Si hoc postremum contingat, distinctio adhibenda est tum in ea præmissa, in qua extremum æquivocum reperitur, tum in conclusione vel consequenti. Si vero ambiguitas insit termino medio, distinctio locum habet in præmissis, ita tamen ut

(1) «On trouvera plus souvent qu' on ne pense (en examinant les paralogismes des auteurs) qu' ils ont péché contre les régles de la logique, et j' ai moi-même expérimenté quelquefois, en disputant même par écrit avec des personnes de bonne foi, qu' on n' a commencé à s' entendre que lorsqu' on a argumenté en forme pour débrouiller un chaos de raisonnements.» *Nouveaux essais sur l' entendement humain:* Lib. IV, ch. XVII.

(2) Oper. et loc. cit.

membrum quod conceditur in Majori, negetur in Minori, et e converso: quare distinctio Minoris in hujusmodi hypothesi *contradistinctio* vocatur a Scholasticis. Exemplo rem intelliges. Si hæc tibi objicitur argumentatio: *Terminus significans aliquid de multis prædicabile, universalis est. Sed terminus collectivus significat aliquid prædicabile de multis. Ergo terminus collectivus universalis est;* ita respondebis.

Distinguo Major. Terminus significans aliquid prædicabile de multis *distributive sumptis*, universalis est, *conc.* Major., terminus significans aliquid prædicabile de multis *simul sumptis*, *neg.* Minor.

Contradistinguo Minor. Terminus collectivus significat aliquid prædicabile de multis *distributive sumptis*, *neg.* Minor., de multis *simul sumptis*, *conc.* Minor. Tum *nego consequens* et *consequentiam.* Videsne quomodo membrum illud *distributive sumptis*, quod in Majori conceditur, negetur in Minori; illud vero aliud *simul sumptis*, quod negatur in Majori, in Minori concedatur?

δ) Aliquando iterum et sæpius distinguere necesse est, donec omnis tollatur ambiguitas; secunda vero distinctio *subdistinctio* vocari solet. Exemplum: *Quod constat partibus pluribus, dividi potest. Sed anima humana pluribus constat partibus. Ergo dividi potest.*

Respondeo, *Dist.* Major. Quod constat partibus *re* distinctis, *conc.* Major., *ratione* dumtaxat distinctis, *subdist.* Major., dividi potest in partes *metaphysicas*, *conc.* in partes *physicas*, *neg.*

Contradist. Minor. Anima constat pluribus partibus *re* distinctis, *neg.* Minor. ratione, *conc.* Minor.

Disting. quoque conseq. Anima dividi potest in partes *metaphysicas*, *conc.* conseq. in *physicas neg.* conseq.

Consequentia porro non distinguitur, sed si non detur, negatur.

Cæterum cum distinctiones fiunt, sæpe opportunum est illas paulo uberius declarare.

ε) Et hæc quidem spectant ad solutionem *directam.* Quandoque tamen possent dari responsiones *indirecte* vel negando suppositum, vel *retorquendo*, vel *invertendo* argumentum.

Quando negandum suppositum.

Negatur *suppositum*, quando in argumentatione adversarii præter ipsam rationem, quæ objicitur, aliquid falsum vel

absurdum subauditur. Finge aliquem hoc syllogismo velle divinam omnipotentiam impugnare: *Si Deus foret omnipotens, circulum quadratum effecisset. Atqui circulum quadratum Deus nunquam fecit.* Ergo... Vides hic supponi, possibilem esse circulum quadratum; itemque Deum cogi ad ea omnia facienda, quæ potest.

Quid retorsio argumenti,

«Retorsio argumenti in hoc consistit, quod adversarius suum ipse argumentum solvere cogatur, quatenus vel ex principiis ab ipso adhibitis vel ex conclusione, quam ipse statuit, deducimus aut falsum esse, quod ipse verum putat, aut verum, quod putat falsum, aut aliquid aliud colligimus, quod ipsi utcumque molestum sit» (1). Sic scepticos negantes corpora existere, hoc pacto exagitare poteris retorto argumento: *Si corpora putas non existere, cur irruentem taurum, aut impendentem tibi declinas fustem?*

Illud tamen nota, cum aut negatur suppositum aut argumentum retorquetur, non esse dandam solam responsionem indirectam, sed addendam esse solutionem directam, qua in forma syllogistica respondeatur modo explicato.

quid inversio.

Inversio demum argumenti fit cum illud ipsum medium, quod adversarius contra nos assumpsit, ad nostram doctrinam probandam arripimus. Inversionem hujusmodi a muliere Chananea factam Christus Dominus benigne acceptavit. Dixerat illi Servator noster: *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* Cui Chananea humiliter respondit: *Etiam Domine; nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum* (2).

Partes arguentis

Quid sit præstandum arguenti.

α) Primo enuntiet contradictoriam vel contrariam propositioni, quam impugnandam assumpsit, eamque mox probet. Id autem hac fere ratione fieri assolet: *Adversus propositionem, in qua tenes* v. g. *Deum esse æternum, sic argumentor: Deus non est æternus. Ergo falsa thesis.*

β) Arguens probare debet propositiones negatas a defendente. γ) Cum vero distinctiones factæ sunt a defendente, instaurandum est argumentum: id quod triplici modo fieri

(1) Tongiorgi, Op. et loc. cit., n. 331, 5.°
(2) Matt. cap. 15, v. 26, 27.

potest: 1.° impugnando partem concessam: 2.° stabiliendo negatam: 3.° insurgendo adversus distinctionem sub quocumque sensu.

Sit exemplum: *Forma corporis nequit separata subsistere. Atqui anima humana est forma corporis. Ergo nequit a corpore separata subsistere.*

Defendens ita respondebit. *Disting.* Major. Forma corporis, *quæ sit materialis* seu dependens a materia in existendo, nequit etc., *conc.* Major, forma corporis, *quæ sit immaterialis*, vel spiritualis, seu independens a materia in existendo *neg.* Major.

Contradist. Minor. Anima humana est forma *immaterialis, conc.* Minor., *materialis neg.* Minor.

Et sub data distinctione *neg. conseq.* et *consequent.*

At arguens instaurare poterit.

1.° Impugnando partem concessam sic: *Atqui anima humana non est forma immaterialis. Ergo nulla solutio*, vel: *stat difficultas.*

2.° Stabiliendo partem negatam: *Atqui nec forma immaterialis potest separata subsistere. Ergo...*

3.° Insurgendo adversus distinctionem sub quocumque sensu: *Atqui sive anima sit forma immaterialis, sive materialis, nequit separata subsistere. Ergo.* Vel etiam: *Atqui si forma materialis non potest separata subsistere, neque etiam potest forma immaterialis. Ergo.*

δ) Si a defendente negatur disjunctiva propositio, licebit petere, ut assignet medium inter extrema proposita, illudque ab arguente repellendum est. Si negata fuerit consequentia, urgendus est defendens, ut monstret vitium argumentationis; quod si re vera detur, reformanda est argumentatio; si autem non detur, probanda est ab arguente consequentiæ rectitudo. Denique si quando negetur universalis propositio, adduci potest defendens, ut assignet exceptionem; vel etiam poterit arguens per inductionem probare universalitatem.

ε) Tandem cavendum est arguenti, ne medium terminum mutet, neve argumentis jam plene solutis inutiliter insistat.

Ambo autem, et defendens et argens, caveant, ne extra quæstionem vagentur, ac ne gravitatis et modestiæ obliti, vetularum instar, clamoribus et conviciis omnia perturbent.

LOGICA MAJOR.

Cum finis Logicæ sit normas recte disserendi tradere mentemque in assequendis scientiis dirigere ac juvare; duo genera quæstionum tractanda sunt Logicæ Majori: alterum earum, quæ abstrusiores controversias expediant, ad naturam et elementa discursus ac scientiæ pertinentes; alterum earum, quæ respiciunt existentiam et criteria certitudinis seu media, per quæ veritatem certo assequi in studio scientiarum possimus. Primum horum, quomodo in scientiarum et veritatis assecutione procedendum sit, demonstrat, completque ea, quæ in Minori Logica tractata sunt; alterum vero ipsam scientiæ possibilitatem tuetur. Nisi enim veritas certo a nobis possideri possit, nisi infallibilia cognitionum comparandarum instrumenta suppetant, criteriaque tuta verum a falso distinguendi, actum est jam de scientiis, ac frustra in earum studio tempus teramus. Et quamquam antiqui Philosophi fere nonnisi prioris generis quæstiones in Logica disputabant, nobis tamen propter temporum conditionem, cæteras omittere non licet. In quo etiam communem jam recentiorum de re logica scriptorum consuetudinem sequimur, quorum nonnulli ex hoc quæstionum genere, Logicam Majorem vocarunt *criticam*, quia nempe quæstiones istæ, in quibus aptitudo ipsa et habilitas mediorum et criteriorum cognitionis ad trutinam revocatur, criticæ revera sunt. Duobus itaque Logica Major libris absolvetur; quorum primus de criteriis, alter de natura et elementis discursus et scientiæ disputabit.

LIBER I.

DE CRITERIIS.

Plena de criteriis tractatio tradi nequit, nisi prius ipsa veritatis notio et natura enucleetur, ejusque certo comparandæ capacitas menti nostræ asseratur, tum tessera veras a falsis cognitionibus discernens, ac media multiplicia, quibus ad rerum hauriendam notitiam instructi sumus, aperiantur. De his ergo omnibus seorsim in variis disputationibus ex ordine agendum est.

DISPUTATIO PRIMA.

DE VERITATE.

Nomen veritatis multis attributum.

1. Veritatis definitionem investiganti multa statim occurrunt, quæ vera nuncupantur. *Veræ* nimirum dicuntur *cognitiones*, *vera vocabula*, *veræ* denique *res omnes*, quotquot sunt, et excogitari possunt. In his tamen omnibus veritas, ex communi intelligentia, conformitatem quamdam atque adæquationem intellectus importat. Neque enim vera dicitur cognitio, nisi quæ objecto respondet, concordatque; nec verus sermo, nisi qui fideliter conceptum exprimit mentis; nec veræ res, nisi quæ intellectui alicui conformantur, aut certe possunt conformari. Atque hæc causa fuit, cur auctores communissime veritatem generatim definierint *adæquationem rei et intellectus* (1); ejusque triplex assignaverint genus,

Generalis definitio.

(1) Vide S. Thom. 1. par. q. 16, a. 1 in corp. Hanc definitionem Angelicus tribuit cuidam Isaaco (*De Verit.* q. 1, a. 1, in corp.)

nempe veritatem in *cognoscendo*, in *significando* et in *essendo* (1). Triplex veritas:

Veritas in *cognoscendo* seu cognitionis est *adæquatio intellectus et rei* (2), vel conformitas cognitionis cum objecto. cognitionis,

Veritas in essendo est ipsa entitas rerum, *secundum quod est intellectui adæquata* (3). Etenim *verum... dicitur... de rebus, secundum quod adæquantur intellectui divino, vel aptæ natæ sunt adæquari intellectui humano* (4). Hæc veritas vocatur etiam veritas rerum *objectiva*, quia propria est cujuslibet rei; et *metaphysica*, quia ad Metaphysicæ considerationem spectat: et *transcendentalis*, quia est attributum omnis entis, ideoque tam late patens ac ipsum ens. rerum,

Demum veritas sermonis duplex esse potest: altera, quæ *signi* dicitur seu *in significando*, altera *moralis*. In casu namque sermonis duo sunt consideranda; primo vis significandi res ipsas mentisque conceptus, quam habent vocabula ex communi hominum arbitrio; et deinde voluntas vocabula illa usurpandi in ea significatione, quam loquens scit aut saltem putat illa exprimere. Itaque veritas signi seu in significando nihil est aliud, quam conformitas seu adæquatio sermonis cum animi conceptibus ac rebus, ad quas significandas ex hominum placito est ille institutus. Atque ideo vocatur signi, quia sermo est signum conceptuum ac rerum. Veritas autem moralis est voluntatis atque intentionis rectitudo in utendo vocabulis in ea significatione, quam loquens scit, aut saltem existimat illis inesse. Et appellatur *moralis*, quia ea rectitudo est virtus moralis in homine, quæ nomen habet peculiare *veracitatis*. Veritas signi opponitur *falsitati sermonis*, veritas autem moralis seu veracitas, *mendacio:* quæ duo, quantum inter se distent, nemo est, qui ignoret. Fieri enim potest, ut quis ex ignorantia vel sermonis vel rerum ipsarum, vera loqui volens, falsa loquatur, et e converso intendens mentiri, veritatem testetur (5). sermonis. Duplex veritas sermonis: altera signi, altera moralis seu veracitas.

(1) Suar. Disp. 8, *Metaph.* in procem., et alii passim.
(2) S. Thom. lib. 1.º *Contr. Gent.* c. 59; 1 p. q. 21, a. 2.
(3) S. Thom. *De Verit.* q. 1, a. 1 in corp.
(4) S. Thom. *De Verit.*, quæst. 1, art. 3.
(5) Cfr. S. Thom. *De Verit.*, quæst. 1, art. 1 sub fin.; et 1.º Dist. 19, quæst. 5, art. 1.

Conceptus veritatis analogus:

Quæ cum ita sint, plane perspicis, *adæquationem rei et intellectus*, in qua generatim reponunt Philosophi ac Theologi communem rationem veritatis, diversissime intelligi de triplici veritate, quam breviter exposuimus. Nimirum adæquatio illa *formaliter* est solum in cognitione; in rebus vero solum *fundamentaliter*, tamquam in eo quod habet vim generandi, vel terminandi cognitionem veram; in vocabulis denique, tamquam *in signo* manifestante aliis veram cognitionem. Ideo communissima est Doctorum sententia, opinantium veritatis conceptum non univocum esse, sed analogum (1). At vero analoga, cum non conveniant in uno conceptu perfecte uno, debent singillatim declarari. Quamobrem triplex hæc veritas specialem postulat tractationem. Veritas autem metaphysica propriam sedem habet in Ontologia, et moralis in Ethica; veritas vero signi ad veritatem logicam seu cognitionis revocatur, nam *voces... eodem modo recipiunt veritatis prædicationem, sicut intellectus, quos significant* (2). Itaque agendum nobis est hic solum de veritate logica seu cognitionis.

Agendum hic solum de logica veritate.

CAPUT I.

DE NATURA VERITATIS LOGICÆ

ARTICULUS I.

Quid sit logica veritas.

Quid veritas logica

2. Veritas cognitionis seu logica, ut paulo ante diximus, est *adæquatio conceptus seu intellectus cum re;* vel *conformitas cognitionis cum objecto. Nam veritas invenitur in intellectu,*

(1) Vide S. Th. *de Verit.* q. 1, a. 2 et 4, et *Periherm.* lib. 1, lect. 7: ex quibus locis habetur *veritatem* primo et principaliter competere intellectui ac cognitioni, reliquis autem analogice per attributionem, quia vel sunt causa, vel signum *veritatis logicæ*. Quam rem egregie declarat P. Gregorius de Valentia, in 1. part, disp. 1, quæst. 16, punct. 1. Cfr. P. Didacus Ruiz de Montoya, *De Scientia Dei*, disp. 85.

(2) S. Thom., *De Verit.*, quæst. 1, art. 3.; Conf. *Periherm.* lib. 1, lect. 3, vers. fin.

secundum quod rem apprehendit, ut est (1). In idem proinde recidit hæc definitio ac illa S. Augustini (2), secundum quem *veritas est, qua ostenditur, id quod est;* et altera S. Hilarii (3), qui: *Verum est,* inquit, *declarativum aut manifestativum esse* (4).

seu formalis.

Veritas logica vocatur quoque *formalis,* quia inest intellectui tamquam forma subjecto; est enim vera cognitio entitas seu forma, quæ intellectum assimilat et conformem reddit rebus, quarum veram assequitur notitiam. Nam *cum... omnis res sit vera, secundum quod habet propriam formam naturæ suæ; necesse est, quod intellectus, in quantum est cognoscens, sit verus, in quantum habet similitudinem rei cognitæ, quæ est forma ejus, in quantum est cognoscens. Et propter hoc per conformitatem intellectus et rei veritas definitur* (5).

Qualis conformitas requiritur et sufficit ad veritatem logicam?

Verum qualisnam est hæc adæquatio et conformitas? Primo non *materialis, entitativa* et *physica,* ut patet, sed *intentionalis.* Intellectio enim spiritualis est, objectum autem perceptum sæpe materiale; itemque illa finita est, et accidens menti inhærens, objectum vero sæpe infinitum et substantia (6). Non ergo alia potest esse conformitas et adæquatio, nisi intentionalis, quæ consistit in *repræsentando* et notificando menti id, quod in objecto reperitur.

Deinde conformitas, veritati competens, non opus est, ut sit *adæquata* et *totalis,* exprimens videlicet objectum totaliter; sed sufficit, ut sit *inadæquata* et *partialis,* intellectum ejusque cognitionem objecto assimilans quoad eam partem, quam hic et nunc attingit. Id quod alii significant, cum docent cognitionem, ut vera sit, debere conformari cum objecto suo *formali,* non vero cum *materiali.* Objectum namque materiale intelligitur *tota* res, ad quam intellectio terminatur, *formale* autem illa objecti pars vel respectus, sub quo apprehenditur. Quemadmodum qui in pomo cognosceret saporem dumtaxat,

---

(1) S. Th. 1, p. q. 16, art. 5. Cfr. 1, p. q. 85, a. 7, ad 2.um

(2) Lib. de *Vera Relig.* c. 36.

(3) *De Trinit.* lib. 5, ante med.

(4) De his definitionibus vide S. Th. 1, p. q. 16, a. 1; *De Verit.,* q. 1, a. 1; 1.° Dist. 19, q. 5, a. 1.

(5) S. Th. 1, p. q. 16, a. 2 in corp.; *Metaphys.* lib. 6, lect. 4. 1.° *Contr. Gentes.* c. 59.

(6) Vide S. Th. Lib. 1. *Contr. Gent.* c. 59.

pomum vere cognosceret, eique assimilaretur illius perceptio, non quidem adæquate et complete, sed inadæquate et incomplete. Ita etiam vera dicitur, et est, hominis imago, licet non totum exprimat hominem, sed faciem solum ejusdem.

Veritatis existentia.

Jam de veritatis existentia probanda non est, cur simus solliciti, est enim evidentior meridiana luce. Nam propositio existentiam veritatis negans, est una illarum, quæ intrinsece repugnantes dicuntur, seque ipsas destruentes. Fac aliquem negare, quod detur veritas: propositio ejus vel est vera vel falsa; si vera, jam adest aliqua veritas, nimirum illa propositio negans dari veritatem. Si vero falsa est ejusmodi propositio, jam verum est dari veritatem. Veritatis ergo existentia vel ipsa ejusdem negatione invicte confirmatur (1).

3. Atque his sufficienter videtur veritatis conceptus declarari. Cæterum duas hic agitabant Scholastici DD. quæstiones, ad naturam logicæ veritatis spectantes.

Quæstiones controversæ apud Philosophos circa veritatem.

Prima quæstio est, utrum habitudo illa conformitatis in qua reponitur ratio veritatis logicæ, intelligenda primario sit inter conceptum formalem et rem, an vero inter conceptum objectivum et rem, prout est in se (2). Nam in intellectu rem aliquam vere cognoscente, tria possunt distingui: conceptus formalis seu actus ipse mentis, conceptus objectivus seu res prout percepta ab intellectu per suum actum, et res eadem prout est in sua propria entitate extra intellectum. Sic in imagine Cæsaris tria facile distingues: imaginem ipsam secundum id, quod est in se, puta depictam tabulam aut molem marmoream; Cæsarem prout repræsentatum illa imagine; ac demum hominem verum et realem Cæsaris nomine appellatum.

In hac ergo controversia Durandus (3) et Hervæus (4) ac postea P. Gabriel Vazquez (5) aliique docent, veritatem logicam primario consistere in conformitate conceptus objectivi

(1) Ita in simili argumento Academicorum deliria profligavit S. Augustinus, lib. 3 *Contr. Acad.*, c. 9.

(2) Quid sit conceptus formalis et objectivus declaratum est in Logica Minori n. 20.

(3) In 1.° Dist. 19, q. 5.

(4) *Quodlibet.* 3, q. 1, art. 2, 3.

(5) In 1.am partem. tom. 1, disp. 76.

cum re: quare conceptus ipse formalis intellectus, quamquam habeat et ipse veritatem et adæquationem cum rebus, quæ cognoscuntur, sed non eam habet ratione sui primario ac principaliter, verum per derivationem a conceptu objectivo.

Multo autem communior semper fuit opposita sententia, secundum quam veritas est conformitas conceptus formalis cum re ipsa: quare ipse conceptus formalis veritate sibi propria verus est, non vero solum per denominationem provenientem ab objectivo. Ita censent, ut alios omittam, Card. Cajetan. (1), Ferrariensis, (2), Molina (3), Fonseca (4), Suar. (5), Conimbric. (6), Didacus Ruiz de Montoya (7), Hurtadus (8), Sebastianus Izquierdo (9), Thomas Carleton Compton (10), Georgius Rhodes (11), Joan. Bapt. de Benedictis (12), Mastrius (13), et P. Hieron. Fassolus (14).

Pro hac secunda sententia solent quoque laudari S. Thomas et Aristoteles in variis locis, quæ tamen nescio an satis clara sint ac manifesta. Quin ipse S. Doctor, vel quicumque sit auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis* (15) priorem sententiam aperte profitetur, quamquam et huic secundæ suam asserat probabilitatem.

Quæstio hæc subtilior forte, quam utilis, videtur, eamque propterea solum proposuisse nobis sufficiat. Si quis tamen argumenta, quibus utraque fulcitur opinio, cognoscere velit, adeat aliquem ex citatis auctoribus.

---

(1) In 1.am part. q. 16, a. 2.
(2) In Lib. 1.um *Contr. Gent.* c. 59 et 60.
(3) In 1.am partem, q. 16. disp. 1.
(4) *Metaphys.* lib. 4, cap. 2, quæst. 6, sect. 7, 8.
(5) *Disp. Metaph.* 8, sect. 1.
(6) In cap. 1.um de *Interpretat.*, quæst. 5, a. 1.
(7) De *Scientia Dei*, disp. 85.
(8) *Curs. philos. De Anima*, disp. 9, sect. 1.
(9) *Pharus scientiar.*, disp. 3, quæst. 1.
(10) *Logica*, disp. 44.
(11) *Logica*, disp. 3, q. 2, paragr. 1.
(12) *Logica*, lib. 3, quæst. 3, cap. 1.
(13) *In Organum Aristot.*, disp. 10, quæst. 2, a. 1, dub. 1, n. 5.
(14) In 1.am part., quæst. 14, dub. 1.um
(15) In tractatu *de Interpretatione*, cap. 4.

Quid sit conformitas, quam veritas importat.

4. **Altera est controversia** naturam veritatis attingens, quid sit conformitas illa intellectus vel conceptus cum re intellecta, in qua ratio veritatis reponitur, utrum aliquid absolutum, an relativum. Et quamquam nondum naturam relationis declaraverimus, aliquid tamen de hac controversia delibare breviter volumus, circa quam variæ dantur sententiæ.

Variæ sententiæ:

Prima docet prædictam conformitatem seu veritatem consistere in relatione actus ad objectum, ab utroque distincta, sive ea sit relatio rationis, ut volunt Durandus et Vazquez (1) et alii, sive realis, ut magis placet cum aliis (2) Mastrio (3). Secunda sententia tenet veritatem adæquate identificari cum actu. Ita P. Petrus Hurtado (4) aliique. Tertio alii putant in judiciis contingenter veris, veritatem constitui ex actu et objecto, at in necessario veris, adæquate identificari cum solo actu. Quarta demum est aliorum opinio dicentium veritatem stare in complexu actus et objecti, ita ut hoc nomine *veritas* importetur actus *in recto*, objectum *in obliquo*, proindeque denominationem *veri* esse partim intrinsecam, partim extrinsecam; intrinsecam, prout involvit actum ipsum; extrinsecam, prout importat objectum, quemadmodum scribit Lossada (5). Idemque est, quod alii dicunt veritatem consistere in ipsa entitate actus prout connotat objectum. Hanc tenent Eximius Doctor Suarez (6), Arriaga (7), Rhodes (8), Semery (9), Mayr (10), Lossada (11), aliique.

præfertur quarta,

Hæc mihi postrema sententia magis arridet; quam sic **Prob. 1.°** Veritas consistit in conformitate cognitionis cum objecto. Atqui conformitas hæc importat tum actum cognitionis, tum objectum, illum intrinsece, hoc extrinsece. Ergo.

---

(1) In 1.am part., disp. 75, cap. 2.

(2) Vide apud Suar., disp. *Metaph.* 8, sect. 2, n. 9; Mastr. *Logic.*, disp. 10, q. 2, art. 3, n. 25; Pont. *Logic.*, disp. 19, q. 3, n. 29.

(3) Loc. nup. cit., n. 27.

(4) Hurtad., *De Anima.*, disp. 9, sect. 3.

(5) *Logic.* tract. 5, disp. 2, c. 1, n. 3.

(6) Disp. *Metaph.* 8, sect. 2, n. 5 seqq.

(7) *Logic.* disp. 14, sect. 1.

(8) *Philos Perip.* lib. 1, disp. 3, q. 2, sect. 1, paragr. 2.

(9) *Logic.* disp. 5, q. 2, a. 1.

(10) *Philos perip.*, pars. 1, disp. 5, q. 2, a. 2.

(11) Loc. nup. cit.

Prob. 2.° Illa sunt rei cujusvis constitutiva, quibus positis, res constituta intelligitur, et quorum aliquo deficiente, nondum plene constituta intelligitur res. Atqui posito hoc actu affirmationis: *Petrus dormit*, si revera Petrus dormit, nulla alia re superaddita, satis intelligitur actum illum affirmationis conformem rei esse, ac proinde verum; non autem verum esse intelligitur, si aut desit actus ille affirmans ac repræsentans objectum eo modo, aut objectum non sit in se, prout affirmatur ac repræsentatur. Ergo utrumque dicendum est ad essentiam veritatis requiri.

Plura dabit Suarezius.

Cæterum argumenta hæc rem evincunt, non modo pro judiciis contingenter veris, sed etiam pro necessario veris; etiamsi necessaria illa veritas proveniat ex intrinseca perfectione actus, ut accidit v. g. in actu intuitionis naturali, et in supernaturali Fidei divinæ, quæ necessario postulat veritatem, ut supponimus ex Theologia. Nam etiam in his, si præscinditur ab objecto, et sola consideratur entitas actus, non adest nisi *exigentia veritatis* aut *conformitatis* cum objecto, nempe certitudo actus; at *exigentia veritatis* vel *conformitatis* seu certitudo non est *veritas formalis*, sed solum, si vis, *veritas radicalis*.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

5. **Objic. 1.°** Propositio vera differt a falsa intrinsece; differt autem per hoc quod vera sit. Ergo propositio est vera adæquate per aliquid sibi intrinsecum.

Prob. Major. Propositio diversum objectum habens, atque alia, intrinsece differt ab illa. Atqui propositio vera habet objectum, quod est, falsa vero habet objectum, quod non est: quæ diversa profecto sunt. Ergo...

Resp. *neg.* Major. Potest enim fieri, ut eadem repræsentatio, v. g. *Petri dormientis*, sit vera vel falsa, prout Petrus revera dormiat, vel non dormiat.

Ad probation. *neg.* Minor. Nam et vera et falsa propositio possunt idem objectum habere, sicut istæ duæ: *Homo est rationalis et Homo non est rationalis:* quæ non ex objecto differunt, sed ex modo tendendi.

Objic. 2.° Veritas est perfectio actus. Ergo debet illi esse intrinseca.

Resp. *dist.* anteced. Veritas radicalis, quæ consistit in exigentia conformitatis cum objecto, qualis reperitur in quibusdam actibus, *conc.* Veritas formalis actualis conformitatis cum illo, *subdist.* inadæquate sumpta, *conc.* adæquate sumpta, *neg.*; quia hoc modo sumpta importat et actum et objectum illius.

Et similiter *dist.* conseq.

Quod actualis conformatio actus cum objecto, quam importat formalis veritas, nihil intrinsecum super ipsam actus entitatem addat, patet in veritatibus contingentibus, in quibus eadem actus entitas, v. g. *repræsentatio Petri sedentis*, habet vel non habet conformitatem prædictam vel veritatem solum ex hoc, quod objectum ita sit, vel non sit a parte rei.

Instabis 1.° Actus verus secundum se perfectior est actu falso, siquidem melius est habere actum verum, quam falsum; et intellectus quoque actu vero perficitur, non autem falso.

Resp. *dist.* ant. Actus verus veritate radicali, *conc.*, veritate formali, *neg.* vel *subdist.*, intrinsece, *neg.*, extrinsece, *conc.*

Probationem simili modo *distinguo*. Id enim verum est de radicali veritate; de veritate autem formali non est verum, quod secundum totum illud, quod adæquate importat, sit perfectio intrinseca intellectus.

Neque porro repugnat cognitionem veram, si sit contingenter vera, non esse majorem perfectionem physicam intellectus, quam cognitio contingenter falsa, quia hujusmodi cognitio *ex se* non est determinata, sed indifferens ad veritatem vel falsitatem; determinatur autem ad alterutram extrinsece ex objecto. Quamquam cognitio necessario vera sit major perfectio intellectus, propterea quod excludat falsitatis capacitatem.

In aliquo tamen sensu potest etiam cognitio contingenter vera esse major perfectio intellectus, nempe: 1.° *arguitive*, quia arguit intellectum perspicaciorem, generatim loquendo. *Generatim*, inquam, *loquendo*, quia aliquando perspicacior

intellectus falli potest, ubi minus perspicax non fallitur; nam multi prudenter falluntur, et alii temere judicando divinant, et sic sæpe judicium falsum sapientius elicitur quam verum (1). 2.° etiam veritas formalis dicitur perfectio intellectus et falsitas imperfectio *moraliter*, «quia veritas est moraliter æstimabilis seu prudenter appetibilis, et quia intellectus melius cum veritate, quam cum falsitate, se habet in æstimatione prudentum, fundamento desumpto ex iis bonis, quæ præsupponuntur et subsequuntur. Hoc eodem modo, proportione servata, discurrendum est de falsitate vel errore formali, ut dicatur vel non dicatur imperfectio mentis» (2).

Instabis 2.° Falsitas est imperfectio actus intrinseca. Ergo veritas est perfectio intrinseca. Prob. ant. Secus enim non repugnaret divino intellectui actus falsus, quandoquidem non ob aliud repugnat, nisi propter imperfectionem.

Resp. *neg.* antec. et probationem. Deo enim non solum repugnat actus, qui importat imperfectionem, sed etiam qui supponat imperfectionem in cognoscente. Atqui actus falsus semper supponit intellectum fallibilem atque adeo imperfectum (3).

Objic. 3.° Actus voluntatis moraliter boni sunt adæquate ex sua intrinseca bonitate. Ergo actus quoque intellectus veri sunt adæquate ex sua intrinseca veritate.

Resp. *transmisso* anteced., *neg.* conseq. Et disparitas est, quia bonitas actus non stat in similitudine ejus cum objecto, sed in convenienti tendentia ad bonum et malum, ad bonum scilicet prosecutive et ad malum aversative; hujusmodi autem tendentia adæquate identificatur cum actu voluntatis.

Objic. 4.° Objectum est mensura veritatis. Sed mensura veritatis est extra veritatem. Ergo objectum est extra veritatem; atque adeo veritas adæquate consistit in solo actu.

Resp. *dist.* Major. Objectum est mensura intrinseca veritatis, *conc.*, extrinseca *neg.* Et *contradistincta* Minori, *nego* conseq.

---

(1) Videndus est omnino de hac re Suarez disp. 8, *Metaph.*, sect. 2, n. 15, 16. Cfr. Lossada loc. supra citato, cap. 2, n. 11 seqq.

(2) Lossada loc. cit. n. 13.

(3) Suar., loc. cit. n. 17.

Mensura extrinseca est extra rem, cujus est mensura, sicut ulna est mensura panni. Intrinseca vero pertinet ad rem, cujus est mensura: quo pacto eadem ulna est mensura æqualitatis, quæ intercedit inter ipsam et pannum. Itemque forma substantialis dicitur mensura perfectionis speciei. Simili ergo modo objectum esse potest mensura actus veri, et nihilominus pertinere ad constitutionem veritatis, ab eaque solum inadæquate distingui.

Objic. 5.° Aliqui actus sunt necessario atque essentialiter veri. Atqui quod essentialiter verum est, intrinsece ex se adæquate verum est. Ergo saltem nonnulli actus secum adæquate identificant veritatem.

Resp. *dist.* Major. Id est, ex sua essentia postulant esse veros, atque adeo habent in se intrinsece veritatem radicalem, *conc.*, id est, ex sua essentia habent actu formalem veritatem, *neg.* Nam ad formalem veritatem, ut jam probatum est, requiritur connotatio ad objectum.

Et *contradistincta* Minori, *neg.* conseq.

Objic. 6.° Ex Philosopho *verum* et *falsum* non *sunt in rebus*, sicut bonum et malum, *sed in intellectu* (1). Atqui solus actus est in intellectu, non vero objectum. Ergo in solo actu consistit adæquate veritas.

Resp. *neg.* conseq. Verum enim et falsum est in intellectu, quia sola cognitio suscipit denominationem veri vel falsi logici. Ad hoc autem, ut sola cognitio suscipiat hujusmodi denominationem, non est necesse, ut talis donominatio sit illi adæquate intrinseca. Quare veritas est quidem sola in actu cognitionis quoad *denominationem*, non autem secundum rem ipsam, in qua essentia veritatis reponitur.

Plura apud Suarez, Mayr, Semery (2), Franciscum Soarez lusitanum (3); et vide omnino Lossada (4).

---

(1) Lib. 6.° *Metaphysic.*, text. Comm. 8.
(2) Locis citatis.
(3) *De Anima.*, tract. 3, disp. 2, sect. 4, paragr. 2 et 3.
(4) Loc. cit., cap. 2.

ARTICULUS II.

Quid falsitas logica et quomodo veritati opponatur.

Triplex falsitas respondens triplici veritati.

6. Triplici veritati, transcendentali, logicæ et morali, triplex falsitas respondet; falsa porro res dicitur *quæ nata est facere quantum ad id, quod apparet exterius de ipsa, falsam apprehensionem; sicut aurichalcum dicitur aurum falsum* (1). Falsus vero est sermo, qui rebus et cogitationibus loquentis minime respondet (2): et falsa demum cognitio, quæ objecto suo minime conformatur. Quare *sicut veritas consistit in adæquatione rei et intellectus, ita falsitas consistit in eorum inæqualitate* (3).

Nos vero logicam dumtaxat falsitatem suscipimus nunc pertractandam, et reliquas duas ad propria loca remittimus.

Quid falsitas logica.

Est ergo falsitas logica *difformitas cognitionis cum suo objecto*. Sed nota duplicem esse difformitatem, alteram *negativam*, alteram *positivam*. Prima est difformitas cognitionis cum objectis, quæ aut minime attingit, aut saltem non attingit adæquate ac complete: unde cognitio ex ea parte, quam non attingit, dicitur difformis, scilicet negative. Difformitas positiva est inadæquatio cognitionis cum objecto, secundum eam ipsam partem, in quam tendit. Ejusmodi turparetur difformitate cognitio, quæ hominem repræsentaret tamquam *asinum*, vel tamquam non *risibilem*. Ad rationem ergo falsitatis non sufficit difformitas negativa.

Ad falsitatem requiritur difformitas positiva.

Neque enim quisquam falsam dixerit cognitionem ex eo solum, quod non omnia objecta unico actu attingat, aut id ipsum quod attingit, non penitus et qua late patet ejus intelligibilitas, comprehendit: secus omnes humanæ cognitiones falsitate laborarent. Ac proinde difformitas negativa ignoran-

---

(1) S. Th. 1.ª Dist. 19, q. 5, a. 1; *De Verit.* q. 1, a. 1, 2 et 10 in corp. et *ad primum ergo eorum quæ objiciebantur* etc.

(2) Cfr. S. Th. 1.ª Dist. loc. cit.; et *De Verit.*, q. 1, art. 3.

(3) S. Th., *De Verit.* q. 1, art. 10.

tia potius est dicenda, quam falsitas, ad quam omnino requiritur difformitas positiva (1).

Quid error.

Falsitas logica appellatur quoque error, qui in eo semper consistit, ut cognoscatur rem esse id, quod non est, aut non esse id, quod est.

Relate ad falsitatis naturam similis quæstio ac resolutio dari potest ac relate ad naturam veritatis, de qua in præcedenti articulo dictum est.

Quomodo veritas opponatur falsitati.

7. Veritatem opponi falsitati, apud omnes in comperto est; difficultas autem esse potest in assignando genere oppositionis, qua inter se reluctantur. Nam Magnus Albertus (2) docere videtur, inter veritatem ac falsitatem vigere oppositionem contradictoriam. At vero S. Thomas (3) aliique communissime Doctores existimant verum et falsum contrarie opponi. Hanc nos amplectimur sententiam. Sed ut clare intelligatur quæstionis status, varia sunt

Notanda: 1.°

Notanda. 1.° Sermo non est de ipsis abstractis formis conformitatis ac difformitatis, adæquationis et inadæquationis, quæ in actu vero ac falso reperiuntur; sed de actibus ipsis conformibus ac difformibus in concreto (4).

2.° Sermo item non est de veritate ac falsitate quæ actibus insit circa objecta diversa, vel circa unum idemque sub diversis circumstantiis ac respectibus. Non quærimus v. g. quomodo differant hi actus: *Homo est animal et circulus est quadratus*, etc. Et ratio est, quia ejusmodi veritas ac falsitas non proprie sunt oppositæ, sed potius se habent instar disparatarum formarum, et reperiuntur simul in eodem intellectu, cum nemo sit mortalium, qui veritatem puram omnique errore illibatam assequatur. Agimus ergo de veritate ac falsitate actuum *circa idem* et *secundum idem*.

3.° Quæstio non est de veritate ac falsitate simplicis apprehensionis, sed judicii. Etenim, ut mox videbimus,

---

(1) Cfr. Conimbr., *Dialect.* tom. 2, In Caput *De Signis*, quæst. 5, art. 4; Suarez, *Disp. Met.* 9, sect. 1, n. 14, ubi egregie res declaratur.

(2) *Summa.* 1.a p. q. 25, membr. 3.

(3) 1. p. q. 17, a. 4; et 4.° *Metaphysic.*, lect. 6, paragr. c.; et *Perihermen.* in fine cum Aristot. ibid.

(4) Cfr. S. Th. 1. p. q. 17, a. 4.

falsitas, proprie loquendo, cadere in simplicem apprehensionem nequit (1).

4.° Neque agitur de veritate ac falsitate cujuslibet judicii et quomodolibet; sed de duobus judiciis, altero vero, altero falso circa unum idemque objectum, seu de binis judiciis, quorum alterum affirmet idipsum quod alterum negat, nimirum de judiciis objective contradictoriis.

8. PROPOSITIO. **Veritas et falsitas duorum judiciorum circa unum idemque objectum contrarie opponuntur.**

Probatur. Inter veritatem ac falsitatem duorum actuum, qui idem respiciunt objectum et secundum idem, adest, ut patet, aliqua oppositio. Atqui non relativa, non contradictoria, non privativa. Ergo contraria.

Consequentia patet, non enim existit alia oppositio præter quatuor assignatas. Patet quoque Major.

Minor ergo probatur. 1.° *Non relativa*, quia nec verum refertur ad falsum, nec falsum ad verum: nec verum et falsum *dicuntur ad convertentiam;* nec sunt simul natura et cognitione: quæ sunt proprietates relativorum (2).

2.° Non *contradictoria* nec *privativa* ob eamdem rationem. Proprium enim harum oppositionum est, ut existant inter extrema, quorum alterum est negativum. Atqui veritas et falsitas sunt duo extrema positiva, nimirum positivus assensus et positivus dissensus, duo actus physici reales. Ergo... (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

9. **Obj. 1.°** Cognitionem esse difformem rei est idem ac non esse illi conformem. Atqui conforme ac non conforme contradictorie opponuntur. Ergo.

---

(1) Nec pariter controversia est de veritate transcendentali ac falsitate; idque non solum quia non pertinent ad Logicæ considerationem; sed etiam quia transcendentalis veritas non habet oppositam sibi falsitatem, quæ id nominis proprie mereatur.

(2) Revoca in mentem harum oppositionum indolem ac proprietates in *Logica Minori* descriptas, n. 37 seqq.

(3) Vide S. Thom., loc. cit.; Suarez, *Disp. Metaph.* 9, sect, 1, n. 22; Ruiz de Montoya, *de Scientia Dei*, disp. 92, sect. 6.

Resp. *Neg.* Maj. vel *dist.*: esse difformem difformitate mere negativa, idem est ac non esse conformem, *trans.*; difformitate positiva, *neg.* Conformitas et difformitas positiva circa unum idemque objectum non possunt esse nisi in duobus positivis actibus. Difformis ergo cognitio ejusmodi difformitate non solam importat negationem conformitatis (1).

Instabis. Ita se habet *falsum* respectu *veri*, sicut *non album*, v. g. respectu *albi*. Atqui album et non album contradictorie opponuntur. Ergo et verum et falsum.

Resp. *Neg.* Major. Sed potius se habent ut *album* et *nigrum* quæ significant duas formas positivas, non secus ac *verum* et *falsum*. Non est autem idem non album ac nigrum: nam non album significat immediate negationem albedinis, nigrum vero immediate significat nigredinem, et solum mediate et ex consequenti, negationem albedinis.

Obj. 2.° Doctrina exposita videtur communem Logicorum sententiam destruere. Omnes enim uno ore docent, oppositionem duarum propositionum secundum affirmationem ac negationem esse contradictoriam. Atqui oppositio propositionis veræ ac falsæ circa idem est oppositio secundum affirmationem ac negationem. Ergo.

Resp. *neg.* assert.: ad prob. *dist.* Duæ propositiones oppositæ secundum affirmationem ac negationem contradictorie opponuntur, si *objective considerentur*, seu secundum id quod enuntiant ac repræsentant, *conc.* si *subjective sumantur*, seu secundum quod tales propositiones sunt in seipsis, *neg.* Et *contradistincta* Minori, *neg.* conseq.

Nimirum objecta propositionum oppositarum secundum affirmationem ac negationem continent contradictionem, nam una earum affirmat id ipsum, quod altera negat. Sed ipsa affirmatio et negatio, in quibus consistunt illæ propositiones, sunt in se duo actus reales, ideoque non possunt inter sese contradictorie opponi. Id quod egregie declarat Cardinalis Cajetanus in commentario Aristotelis *Perihermenias* (2). Simili

---

(1) Vide P. Greg. de Valentia, in 1.a part. disp. 1, quæst. 17, punct. 3, ad 2.um

(2) Lib. 2, lect. 14 et ultima, inter Opera S. Thom. t. 18, p. 80, Parmæ 1865.

modo *mala fieri et mala non fieri* contradictorie opponuntur, at vero *velle mala fieri* ac *velle non fieri mala* non contradictoriam; sed contrariam habent oppositionem (1).

Unde vides duas propositiones objective et secundum logicam considerationem contradictorias, esse physice ac subjective contrarias.

Obj. 3.° Esse et non esse habent se contradictorie. Sed verum et falsum se habent, sicut esse et non esse. Ergo contradictorie opponuntur (2).

Resp. *dist.* Maj. Esse et non esse prout considerantur objective et extra intellectum, *conc.;* prout considerantur in intellectu, seu in actu intellectus affirmante et negante esse, *neg.*

Est eadem difficultas sub aliis terminis proposita, quæ proinde eodem modo est enodanda. «Quamvis verum et falsum, inquit Franciscus Sylvius, prout sunt in rebus, habeant se, ut esse et non esse; prout tamen sunt in intellectu, non habent se, ut esse et non esse, sed sicut *apprehendere esse* et *apprehendere non esse;* et per consequens habent contrarietatem ad invicem» (3). Vide alia apud S. Thomam (4).

CAPUT II.

DE SUBJECTO LOGICÆ VERITATIS.

Status quæstionis.

10. In cognitione vera cogitari possunt tria: facultas ipsa cognoscitiva veritatis, species intentionalis et habitus, quibus juvatur potentia ad cognoscendum, et ipsa formalis cognitio. Cum ergo subjectum inquiritur veritatis, controversia de his tribus institui posset. Verum quærere, quænam facultates seu potentiæ veritate potiantur, perinde est, ac quærere de mediis

(1) Vide S. Thomam, 1. p. q. 19, a. 9, ad 3.um

(2) S. Th. 1 p. q. 17, a. 4, argum. 1.°

(3) In 1.am part., q. 17, a. 4. Cfr. S. Th. ib. ad 1.m

(4) Loc. cit. Sed duæ aliæ difficultates, quas apud S. Doctorem invenies, facile solvuntur, quia non respiciunt veritatem ac falsitatem logicam eo modo, quo a nobis considerantur.

assequendæ veræ cognitionis: id quod in sequenti disputatione tractandum suscipimus. Quæstio vero de veritate specierum intentionalium atque habituum, cum non magnam afferat utilitatem, prætermittenda a nobis est (1). Reliquum itaque est, ut investigemus, in quibusnam cognitionibus veritas aut falsitas logica inesse valeat. Cognitio enim triplex est; simplex rei apprehensio, judicium et ratiocinium. Sed de judicio et ratiocinio nemo est, qui ambigit, quin veritatis falsitatisque sint capacia. Tota ergo controversia circa simplicem apprehensionem versabitur (2).

ARTICULUS I.

Utrum adsit veritas in simplici apprehensione.

Nota. 1.° Nomine simplicis apprehensionis intelligimus simplicem notitiam objecti absque ulla de ipso affirmatione aut negatione. Ejusmodi apprehensio potest esse et intellectualis et sensitiva, et utramque hic complectimur communi appellatione.

2.° Quæstionem ergo præsentem obscuram et non parum controversam reddidere nonnulla loca tum Stagiritæ tum Angelici Doctoris in speciem contradictoria. Modo enim scribunt veritatem *solum* esse in *compositione* ac *divisione* (3);

---

(1) Si quis tamen aliquid scire de hac re velit, legat Francisc. Suar., disp. 8 *Metaph.*, sect. 4; et Didac. Ruiz de Montoya, *De Scientia Dei*, disp. 87, sect. 6. Alia est quoque ratio, cur omittenda est hæc controversia, quia nos agimus de veritate *cognitionis;* jam vero nec species nec habitus sunt cognitio formalis, sed principia tantum cognitionis.

(2) Illa quoque posset institui disceptatio, utrum veritas sit in cognitione tantum speculativa, an etiam in practica. Vide Suar, disp. 8 *Metaph.*, sect. 5; et Ruiz, Op. cit. disp. 87, sect. 8. Et dicendum videtur non minus cognitionem practicam, seu illam, quæ opus faciendum dirigit, quam speculativam, seu illam, quæ objectum mere intelligit et contemplatur, subjectum esse veritatis: utraque enim æque conformatur objecto.

(3) Arist. lib. 1.° *Perihermen.* c. 1; 3.° *De Anima*, c. 6, textu 22; *Metaphys.* lib. 6, cap. 2, vers. fin.; S. Th. 1 p., q. 16, a. 2; *De Verit.*

modo veritatem simplicibus quoque conceptibus asserunt (1). Hinc Auctores, potissimum antiquiores, alii aliis innixi textibus illorum communium Magistrorum, in oppositas abierunt sententias. Nam Hervæus et Durandus (2) et præcipue P. Vazquez (3), docuerunt veritatem compositioni ac divisioni tantummodo inesse. Et pro eadem etiam sententia citatur Cardinalis Cajetanus (4).

Variæ Auctorum sententiæ

E contrario veritatem simplici quoque apprehensioni tribuunt, ut celebriores tantum nominem Doctores, Capreolus, Ægidius et Soncinas (5), Molina (6), Fonseca (7), Suarez (8), Ruiz (9), Valentia (10), Toletus (11), Conimbricenses (12), Ferrariensis (13), Sylvius (14), Arriaga (15), et Hurtadus (16), aliique.

Communior doctrina

Et quamquam notarunt P. Vazquez (17), Izquierdo (18), Hurtadus et Arriaga (19) controversiam hanc magis esse de nomine; nimis tamen celebris facta est in scholis, ut eam possimus hoc loco prætermittere.

---

q. 1, a. 3; ib. quæst. 14, a. 1; *Contra Gentes* lib. 1, c. 59; *Metaph.* lib. 6 lect. 4; 3.° *de Anima*, lect. 11; 1.° dist. 19, q. 5, a. 1. ad 7.um; 3.° dist. 23, quæst. 2, a. 2.

(1) Arist. 3 *de Anima*, cap. 6, text. 26; *Metaph.* lib. 9, cap. ult.; S. Th. 1 p. q. 16, a. 2; *De Verit.* q. 1, a. 3; lib. 1 *Periherm.*, lect. 3; *Metaph.* lib. 9, lect. 11.

(2) Apud Suar., disp. 8 *Metaph.*, sect. 3; et apud Ruiz. Op. cit., disp. 87, sect. 1.

(3) In 1.am part., disp. 75, cap. 2.

(4) In 1.am part., q. 16, art. 2.

(5) Apud Suarez, et Ruiz, loc. cit.

(6) In 1.am part., quæst. 16, disp. 1.

(7) *Metaph.* lib. 4, c. 2, q. 6, sect. 4.

(8) Loc. cit.

(9) Loc. cit.

(10) In 1.am part., disp. 1, quæst. 16, punct. 2.

(11) In 1.am part., quæst. 16, a. 1 sub. fin.

(12) *Dialect.* in cap. *de signo*, quæst. 5, a. 2.

(13) In lib. 1.um *Cont. Gent.* c. 59.

(14) In 1.am part., quæst. 16, a. 2.

(15) *Curs. Phil., Logic.*, disp. 14, sect. 4.

(16) *Curs. Philos., De Anima*, disp. 9, sect. 2.

(17) In 1.am part., disp. 75, c. 1, n. 1 etc., cap. 3, n. 15.

(18) *Pharus scientiar.*, disp. 3, quæst. 2, n. 49.

(19) Loc. cit.

12. PROPOSITIO. **Negari nequit aliquam inesse simplici apprehensioni veritatem.**

Prob. 1.° Simplex apprehensio cognitio quædam est, et objecto conformis esse potest. Atqui omnis cognitio conformis objecto, quod repræsentat, veritate gaudet. Ergo simplex quoque apprehensio. Ergo...

Prob. 2.° Dantur procul dubio definitiones veræ. Atqui omnis definitio spectat ad primam mentis operationem seu simplicem apprehensionem, ut suo loco notatum fuit (1). Ergo...

Prob. 3.° Apprehensio simplex est res quædam. Sed omnis res aliquam veritatem habet, saltem transcendentalem, ut ostenditur in Ontologia. Ergo aliqua veritas concedenda est simplici conceptui.

Dices hic non agi de veritate transcendentali, sed logica. Fateor ita se rem habere. Sed quoniam nonnulli auctores absque ulla distinctione omnem, saltem verbo, videntur simplici apprehensioni eripere veritatem, volui in tertio hoc argumento, veritatem, saltem transcendentalem, stabilire, ut pateat non esse probandam illorum rationem loquendi.

Crediderim itaque statutam propositionem in hoc sensu generali a nemine posse negari. Quin ipse P. Vazquez (2) cum Durando et Hervæo diserte monet simplici apprehensioni denegandam non esse, neque a se denegari, veritatem transcendentalem, sed tantum logicam.

Ut ergo quæstionem propius attingamus, videndum jam est, num simplici apprehensioni asserenda sit non solum veritas communis rebus omnibus, sed etiam cognitionis propria, seu logica et formalis.

---

(1) Vid. supra in *Log. Minor.*, n. 73.

(2) In 1.am part. disp. 75, cap. 1, n, 2.

ARTICULUS II.

Qualis veritas competat simplici apprehensioni.

Status quæstionis.

13. **Nota.** 1.° Quod veritas non sit *plena* et *perfecta consummataque* in prima mentis operatione, non eget probatione. Nimis enim patet simplicem rei apprehensionem esse cognitionem rerum inchoatam dumtaxat atque imperfectam, quæ compleri per judicium ac discursum debet. Cum itaque veritas sit dos cognitionis, imperfecta cognitio nonnisi imperfecta veritate ornetur, necesse est.

2.° Solum ergo controvertitur, conveniatne simplici conceptui veritas logica. Nam P. Suarez (1) postquam opinionem negantium conceptui veritatem acriter impugnaverat, tandem illam metaphysicam solummodo seu transcendentalem esse scribit. Itaque in ipsam recidere videtur sententiam Vazquezii, Durandi et Hervæi, quos nuper notavimus minime voluisse transcendentalem excludere veritatem. Atque hoc etiam modo videtur opinari P. Dominicus Bañez (2).

Variæ sententiæ.

At vero Ferrariensis (3), Ludovicus Molina (4), Didacus Ruiz (5), Valentia (6), Conimbricenses (7), Hieron. Fassolus (8), Hurtadus (9), Arriaga (10), De Rhodes (11), Carleton Compton (12), aliique, simplici apprehensioni logicam veritatem esse asserendam contendunt. Et hæc videtur esse vera D. Thomæ doctrina (13). Sit itaque

Vera doctrina

(1) Loc. cit., sect. 3, n. 7.
(2) In 1.am part. q. 16, a. 2.
(3) In lib. 1 *Cont. Gent*, c. 59.
(4) In 1.am part. q. 16, disp. 1, paragr. *Dubium est.*
(5) De *Scient. Div.*, disp. 87, sec. 2.
(6) Loc. cit., punct. 2.
(7) Loc. cit., quæst. 7.
(8) In 1.am part. q. 16, a. 2, *dubium* 1, *conclus.* 2, n. 7.
(9) *De Anima*, disp. 9, sect. 2.
(10) *Logic.*, disp. 14, sect. 4.
(11) *Philos. Peripat.*, lib. 1, disp. 3, quæst. 2, sect. 2.
(12) *Logic.*, disp. 44, sect. 2.
(13) Vide S. Thom. tum *in Summ. totius Logic. Arist.*, tract. *de Enuntiatione.*, cap. 5, tum in aliis locis mox citandis.

14. PROPOSITIO. **Simplici apprehensioni logica seu formalis veritas tribuenda est.**

Prob. 1.° Veritas logica stat in cognitione conformi objecto suo. Atqui simplex apprehensio est cognitio, et est conformis objecto suo. Ergo.

Major continet veritatis logicæ definitionem; et Minor est adeo vera, ut inferius probandum nobis sit, simplicem apprehensionem ita objecto suo conformari, ut difformis ipsi esse nequeat.

Prob. 2.° Ex communi doctrina veritas transcendentalis consistit in eo, quod objectum conformetur, vel conformabile sit intellectui seu cognitioni; veritas vero logica, in eo quod cognitio conformetur objecto. Atqui simplici apprehensioni non sola competit prima adæquatio. Ergo.

Revera simplex apprehensio non solum est conformis ideis divinis archetypis, non solum est conformabilis intellectui eo sensu, ut ipsa in se cognosci possit alio actu veræ cognitionis, qui est duplex modus explicandi veritatem transcendentalem, ut suo loco videbimus (1); sed præterea quia est imago repræsentans objectum aliquod, cui proinde conformis sit, oportet.

Prob. 3.° Nemo profecto negabit conceptum exhibentem *animal rationale* esse logice verum, si ad hominem a cogitante referatur. Atqui ex eo quod ad hominem referatur a cogitante, nihil ipsi conceptui in se accrescit. Ergo conceptus ille licet meram notitiam contineat, nec referatur ad hominem, eamdem in se habet veritatem. Ita imago Cæsaris, etiamsi a me non referatur ad Cæsarem, nec *advertatur* illi similis, revera non desinit *esse* similis et conformis exemplari suo.

---

(1) S. Thom. dupliciter solet declarare transcendentalem veritatem: 1.° per ordinem ad intellectum practicum divinum seu conformitatem, quam res omnis habet cum ideis divinis archetypis, a quibus assignatur unicuique rei creabili mensura suæ perfectionis atque entitatis. 2.° per ordinem ad intellectum speculativum, quatenus nimirum quælibet res cognoscibilis est, et conformare sibi potest intellectum, a quo vere cognoscatur. Vide loca supra citata. Sed de his in Ontologia.

Dixi doctrinam hanc esse Angelici Doctoris: id quod nunc probandum est.

1.° Quia ex S. Thoma, *veritas invenitur in intellectu, secundum quod rem apprehendit, ut est* (1). Et *verum intellectus nostri est, secundum quod conformatur principio, scilicet rebus, a quibus cognitionem accipit* (2).

Et intellectus prout *cognoscitivus* in tantum est verus, *in quantum habet similitudinem rei cognitæ, quæ est forma ejus, in quantum est cognoscens. Et propter hoc per conformitatem intellectus et rei veritas definitur* (3).

Atqui hæc omnia in simplicem quoque apprehensionem quadrant.

2.° Sæpe S. Thomas in iis ipsis locis, in quibus negare videtur veritatem simplici apprehensioni, docet intellectum simpliciter apprehendentem *esse verum*, licet veritas non sit nisi in judicio (4). Atqui intellectus simpliciter apprehendens ex mente Aquinatis, verus non est sola transcendentali veritate. Ergo...

Minor. Nam in omnibus illis locis ideo dicitur verus intellectus, quia rebus conformis. Atqui hæc notio est veritatis logicæ secundum Angelici doctrinam, quemadmodum supra vidimus. Ergo quando ex una parte S. Thomas concedit simplicem apprehensionem veram esse, et ex altera docet veritatem soli competere judicio, non omnem putandus est simplicibus conceptibus denegasse veritatem logicam, sed specialem aliquam, quæ sit dos solius judicii.

3.° Sed quid alia in hanc rem argumenta congeramus? Ipse D. Angelicus, sui verissimus interpres, scripsit diserte, cum dicitur veritatem solum esse in judicio, id ita intelligendum esse, ut veritas *sit* quidem in simplici apprehensione, non tamen ut *cognita*, sed ut res quædam, quia nempe solum in actu judicii advertitur, et cognoscitur veritas, quæ

(1) 1 p. q. 16, a. 5.

(2) Ib. ad 2.m

(3) Ib. art. 2. Cfr. lib. 6 *Metaph.* lect. 4, circa med.; Lib. 1.° *Contr. Gent.* c. 59.

(4) Vide inter alia loca.: 1 p. q. 16, a. 2; *De Veritate*, q. 1, a. 12; 3.° *de Anima*, lect. 11, sub fin.; *Periherm.* lib. 1, lect. 3.

jam possidetur; quemadmodum in sequenti articulo explicandum est (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

15. **Obj.** 1.° Aristoteles ac S. Thomas multis in locis negant simplicibus conceptibus veritatem.

Resp. *dist.* assertum: negant veritatem illam specialem ac propriam judiciorum, quæ mox declarabitur, *conc.*, negant *omnem* veritatem simplici apprehensioni, *nego.*

Res patet ex aliis locis in quibus aperte doctrina nostra continetur (2).

Obj. 2.° Si simplex apprehensio veritatem haberet, esset quoque falsitatis capax. Nam contraria sunt circa idem subjectum, et veritas ac falsitas contrarie opponuntur. Atqui falsitas cadere in simplicem apprehensionem non potest, ut nunc supponimus ac probabimus inferius. Ergo.

Resp. *neg.* Maj.: ac probationis distinguo primam assertionem. Contraria sunt circa idem subjectum, ita ut quodlibet subjectum capax unius formæ, capax sit etiam formæ contrariæ, *neg.* Contraria sunt circa idem subjectum, quando subjectum est aptum recipiendis formis contrariis, *subdist.* contraria tunc sunt circa idem subjectum et secundum eumdem actum, *neg.*, secundum diversos, *conc.* Nam contraria sunt, quæ in eodem genere maxime distant et eidem subjecto vicissim insunt; *nisi alterum eorum insit a natura.* Necesse ergo non est, ut quodlibet subjectum unius formæ capax, possit etiam suscipere contrariam (3). Sic divinus intellectus verissimus est, et nihilominus essentialiter falsitatem omnem repellit. Intellectus humanus capax est et veritatis et falsitatis, sed non circa eosdem actus. Nam in actu certo et evidenti, et potissimum in actu fidei supernaturalis ita veritate

(1) Vide S. Th. 1 p. q. 16, a. 2; *Periherm.* lib. 1, lect. 3; *Metaph.* lib. 6, lect, 4; *Summa totius Logicæ Arist.* tract. *de Enuntiat.*, c. 5. Cfr. 1 p. q. 17, a. 2 ad 3.um

(2) Mentem Aristotelis expendit egregie Suarez in *Indice locupletissimo*, quem fecit in Aristotelis *Metaphysicam* (lib. 6, cap. 2 circa med.), inseruitque in limine suarum *Disputationum Metaphysicarum.*

(3) Vide *Logicam Minorem*, ubi de contrariis, n. 37.

ornatur, ut errare non possit, cum error his actibus reluctetur. Idem ergo dic de simplici apprehensione (1).

Obj. 3.° Propositio ex communiter recepta definitione, est oratio verum vel falsum significans. Atqui si veritas competit simplici apprehensioni, non recta esset hæc definitio. Nam tunc non modo in propositione, sed in omni oratione atque adeo in terminis incomplexis, licet simplicium apprehensionum sint expressiones, adesset veritatis significatio. Ergo...

Resp. *Dist.* Maj. Propositio est oratio verum vel falsum significans perfecte et plene, eoque peculiari modo, qui de judicio mox exponetur, *conc.* Propositio est oratio verum quomodocumque exprimens, *nego.*

Nimirum idem dicendum est de orali cognitionum expressione, quod de ipsis cognitionibus mentis, cum veritas sermonis signum sit veritatis intellectus. Licet autem intellectus noster in omni cognitionum genere potiri veritate possit, tamen solum in actu judicii eam plene perfecteque possidet: et licet per simplicem quoque apprehensionem *habeat in se* veritatem, at vero solum per actum judicii *cognoscit se illam habere.* Quæ est Angelici doctrina eo ipso in loco, ubi allatam propositionis definitionem exponit (2). Hoc ergo sensu propositio est oratio significans verum, quod est in intellectu *tamquam cognitum.*

Obj. 4.° Si veritas logica esset in simplici apprehensione, esset etiam in speciebus intelligibilibus, atque habitibus; nam etiam hæc habent suam conformitatem cum objectis ad quorum intellectionem concurrunt. Atqui id videtur absurdum; veritas enim propria est dos cognitionis. Ergo...

Resp. *neg.* Major, quæ non bene probatur. Ad rationem enim logicæ veritatis non sufficit quælibet conformitas, sed ea quæ est inter formalem cognitionem et objectum. Species vero et habitus non sunt ipsa formalis cognitio, sed principia cognitionis.

Obj. 5.° Veritas simplicis apprehensionis saltem non videtur esse logica, sed transcendentalis. Nam transcendenta-

(1) Cfr. S. Th. *De Verit.* q. 21, a. 2, ad 1.um

(2) 1.° *Periherm.* lect. 3.

lis est ea veritas, quæ cum ipsa rerum essentia confunditur. Sed talis est veritas apprehensionis simplicis. Ergo... Et probatur Minor. Etenim ratio veritatis in prima mentis operatione ex eo petitur, quod simplex apprehensio sit essentialiter imago et repræsentatio alicujus objecti; unde cum ipso conformari necessario debet.

Resp. *nego* assertum, et probationis *distinguo* Majorem. Veritas transcendentalis est ipsa rerum essentia, prout conformis vel conformabilis intellectui, *conc.*, aliter, *neg.* Et *contradist.* Minor. Essentia ipsa simplicis apprehensionis est in hoc, quod conformetur objecto, quod exprimit hic et nunc ac repræsentat, *conc.*, essentia ipsius est, ut sit conformis vel conformabilis intellectui, a quo per alium actum apprehendi in seipsa potest, *subdist.*, et sub hac consideratione est veritas transcendentalis, *conc.*, logica, *nego.* Veritas transcendentalis est *in re*, et desumitur per ordinem ipsius ad intellectum, a quo vel mensuram habet suæ perfectionis, vel cognosci potest cognitione vera: unde consistit in *conformatione* vel *conformabilitate rei cum intellectu.* E contrario veritas logica seu formalis est *in cognitione*, et consistit in *conceptus conformitate* cum re. Unde in simplici apprehensione duplex spectari potest veritas. Eadem enim illa simplicissima entitas physica, quæ est inchoata rei notitia, pro diverso termino, cum quo potest comparari, diversam sortitur veritatem: si consideratur per comparationem ad objectum, cum quo hic et nunc adæquatur, illud idealiter in se exprimendo, veritate ornatur logica; et de hac nos loquebamur in nostra propositione. Si autem comparatur cum intellectu, quatenus est res quædam, quæ et habet essentiam suam typis divinarum idearum respondentem, et cognoscibilem vera cognitione per aliquem alium actum intellectus nostri; veritatem habet transcendentalem. Illæ ergo duæ veritates, quamvis in una re physica reperiantur, non sunt in suis conceptibus confundendæ, utpote ex diversissima consideratione ac conformitatis relatione petitæ.

Obj. 6.° Sed S. Thomas sæpe docet veritatem *proprie* esse in judicio, itemque in simplici apprehensione veritatem esse sicut *in quadam* re. Atqui hæc videntur cum nostra doctrina non posse componi.

Resp. *distinguo* 1.um membrum Majoris. S. Thomas docet veritatem modo *proprio* intellectus, nempe *cognoscibiliter*, esse solum in judicio, *conc.*, veritatem, etiam logicam, quomodocumque esse extra judicium non posse docet S. Thomas, *nego*. Et similiter *distinguo* alterum membrum; scripsit S. Thomas veritatem esse in simplici apprehensione *ut in quadam re vera*, ad denotandum illam esse veritatem transcendentalem, *neg.*, ad denotandum veritatem non esse in apprehensione simplici, tamquam *cognitum* in *cognoscente*, *conc.*

Quemadmodum cum de veritate intellectus agitur, non venit in quæstionem veritas rebus omnibus communis, sed specialis et propria intellectus, id est, logica; ita etiam quando quæritur, in quo actu intellectus reperiatur veritas logica, intelligi quæstio potest, et a multis intelligitur, de veritate, quæ insit menti secundum, naturam peculiarem ipsius, nimirum prout *intellecta* et *cognita*. Veritas enim dupliciter esse potest in intellectu, ut cognita, et ut non cognita. Et veritas, quæ est ut cognita, seu quæ et *est* et *cognoscitur*, dicitur a S. Thoma esse *proprie*, seu modo cognoscitivo ac proprio intellectus; nam solum intellectus potest ita possidere veritatem, ut cognoscat illam: veritas autem quæ non est, ut intellecta, seu quæ *est* quidem, sed *non cognoscitur*, ob oppositam rationem dicitur esse in intellectu *ut in quadam re*, quia is modus possidendi veritatem non est peculiaris intellectui. Aliud est itaque veritatem logicam quomodocumque possidere, quasi materialiter et *subjective*, et aliud eam possidere *objective* ac modo cognoscitivo. Primum asserit, alterum negat Angelicus Doctor simplici apprehensioni (1).

Obj. 7.° Nemo cum audit voces simplices, dicit *verum* esse id, quod profertur. Ergo idem sentiendum est etiam de simplici apprehensione, cujus voces simplices sunt signum. Atqui id videtur omnino significare, quod in simplicibus vocibus nulla sit veritas. Ergo.

Resp. *dist.* antec. Idque ideo accidit, quia in simplicibus vocibus nulla omnino est veritas, *neg.*, quia non est veritas plena et qualis in propositionibus ac judiciis reperitur, *conc.*

Tota hæc doctrina melius declarabitur in sequenti articulo.

---

(1) Vide S. Th. in. 1 p. q. 16, a. 2, aliisque locis supra cit.

ARTICULUS III.

Utrum logica veritas speciali aliqua ratione reperiatur in judicio.

16. Si vera sunt, quæ hactenus disputavimus, reddenda ratio est, cur Aristoteles ac S. Thomas aliique plures Philosophi nobiscum sentientes, docere tamen potuerunt veritatem logicam seu formalem in solo judicio inesse.

PROPOSITIO. **Veritas logica peculiari aliqua ratione reperitur in judicio; ideoque recte dici potest absolute loquendo illam solum inesse in compositione ac divisione.**

Prob. 1.a pars.—1.° De veritate actuum intellectus perinde ratiocinandum est, ac de veritate signorum, per quæ illi exterius manifestantur. Atqui in propositione, quæ est orale judicii signum, speciali aliquo ac proprio modo reperitur veritas præ simplicibus vocabulis, quæ simplices exprimunt conceptus. Ergo...

Minor probatur ex communi hominum sensu. Voces enim ac termini, quamvis habeant aliquam veritatem signi, non solent dici veri; nec quispiam vocabula simplicia proferenti respondet verum esse id, quod ille dicit. E converso propositiones et habent veritatem, et veræ dicuntur. Atqui hæc diversa loquendi ratio necessario supponit aliquem peculiarem veritatis modum in propositionibus. Ergo.

Prob. 2.°—Veritas per judicium cognoscitur ac proinde est in eo *objective* seu *sicut cognitum in cognoscente*; at per simplicem apprehensionem veritas ipsa non cognoscitur, unde in ea est veritas tamquam in re quadam et *subjective*, non vero sicut cognitum in cognoscente. Ergo stat propositio.

Prob. antec.—Cognoscere conformitatem cognitionis cum re est cognoscere veritatem logicam, ut constat ex ejus definitione. Atqui per actum judicii cognoscit mens cognitionem suam esse rei conformem. Ergo.

Prob. Minor.—Omne judicium eo revocatur, ut quæ mens apprehendit prius de re, seu cognoscit per simplicem apprehensionem, ea de illo enuntiet: hoc est enim prædicatum subjecto attribuere, quemadmodum docet S. Thomas (1). Ut autem mens possit prædicatum enuntiare de subjecto, oportet, ut videat cognoscatque identitatem seu conformitatem formæ apprehensæ cum re ipsa. Atqui non potest cognoscere identitatem et conformitatem formæ apprehensæ cum re nisi ex ipso quodammodo cognoscat conformitatem suæ apprehensionis seu cognitionis cum re. Hæc est doctrina S. Thomæ non uno in loco disertissime tradita (2).

Sed dices.—Contra experientiam est, ut in quocumque vero judicio cognoscamus intellectum et cognitionem nostram objecto cognito conformari. Id enim solum experimur in judiciis reflexis, quale est hoc, v. g. *Verum est hominem esse risibilem;* non autem in directis, cujusmodi est hoc: *Homo est risibilis.*

Respondeo *distinguendo* assertum. Contra experientiam est, ut in quocumque judicio vero cognoscamus *signate* seu in *actu signato* cognitionem nostram objecto esse conformem, *conc.;* ut cognoscamus exercite, seu in *actu exercito, nego.* Et eodem modo distinguo rationem allatam.

Solutio hujus difficultatis veritatem hujus secundæ probationis magis declarabit.

Quid sit cognoscere *exercite* et quid *signate.*

Cognoscere itaque veritatem *signate* seu *in actu signato* est cognitionem terminari ad veritatem sub ipso conceptu veritatis. Sic cognosco signate *veritatem*, cum cogito *veritatem ipsam*, cum ejus definitionem mente verso, cum expresse animadverto cognitionem aliquam esse objecto conformem. Cognoscere veritatem *exercite* seu in *actu exercito* est intel-

(1) *Sed quando* (intellectus) *judicat rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit et dicit verum: et hoc facit componendo et dividendo. Nam in omni propositione aliquam formam significatam per prædicatum, vel applicat alicui rei significatæ per subjectum, vel removet ab ea.* 1 p. q. 16, a. 2. Totum hunc articulum egregie felicissimeque interpretatur P. Gregorius de Valentia, In 1.am part. disp. 1, q. 16, punct. 2.

(2) Vide S. Thom. 1 p. q. 16, art. 2; *Perihermen.* lib. 1, lect. 3; *Metaphysic.* lib. 6, lect. 4, paragr. *c.*

lectum ipso suo opere æstimare veram esse suam cognitionem.

Primum itaque non contingit in omni judicio, sed tantum in reflexis. Immo non minus accidere potest in simplici apprehensione; ut quando concipio, quid sit id, quod significatur hac voce *veritas*, vel quid *sit judicium esse verum*, vel quid sit *conformitas intellectus ad rem* etc. In his enim omnibus casibus cogito veritatem sub proprio ipsius conceptu expresso et signato. In omni autem judicio etiam directo, ex natura ipsa judicii reperitur cognitio *exercita* veritatis. Nam, ut recte observat Suarezius (1), intellectus non potest uno actu totam rem adæquate cognoscere, sed pedetentim ac per partes, ita ut primo illam exhibeat in confuso per simplicem apprehensionem, deinde attributa rei singillatim apprehendit, eique tribuit; et hoc est judicare, enuntiare de re id, quod in illa mens percipit. Neque enim affirmare de homine risibilitatem possum, nisi prius risibilitatem in illo apprehendam; nec negare possum de homine naturam asininam, nisi prius cognoscam eam minime inesse in homine. Unde judicium tandem est in compositione ejus, quod cognoscitur rei inesse, cum ipsa re, vel in divisione seu remotione ejus, quod cognoscitur rei minime convenire. Et illa compositio aut divisio exprimitur per copulam. Verum non possum affirmare de homine formam aliquam, puta risibilitatem a me cognitam in ipso homine, nec negare de eodem naturam asininam, quam in ipso non apprehendo, nisi eo ipso, implicite saltem, æstimem talem conceptum meum rei esse conformem, nimirum cognitionem meam veram esse. Sicut ergo qui frigidam aquam bibit, ipso actu seu *exercite* ostendit, ac dicit se sitim habere; ita intellectus cognoscens ac judicans prædicatum subjecto convenire, eo ipso *exercite* existimat se non falli, sed cognitionem veram habere. Revera dicere: *Homo est risibilis*, æquivalet, et virtualiter idem est ac dicere: *Homo, cognitus ut risibilis, est vere risibilis;* seu *cognitio de risibilitate hominis objecto conformis est* (2). Ac

(1) Disput. *Metaph.* 8, sect. 4, n. 18.

(2) Vide Suarez, loc. cit.; Ruiz de *Scient. Dei*, disp. 87, sect. 3; Valentia, in 1.am part. disp. 1, q. 16, punct. 2; Tolet. in 1.am part. q. 16, a. 2.

proinde in omni actu judicii mens implicite atque exercite quasi protestatur et cognoscit rem esse, prout a se cognoscitur, seu se in cognoscendo rem, conformari eidem intentionaliter. Quare quoad rem ipsam idem est dicere: *Homo est risibilis*, et: *Verum est hominem esse risibilem*. Et ideo a Logicis non consideratur inter modos efficientes propositionem modalem, modus *veri* et *falsi*, ut suo loco notatum fuit (1).

Probatur 2.ª pars propositionis. Nam quando quæritur de veritate intellectus, controversia intelligitur de veritate, quæ sit in intellectu tamquam cognita. Atqui veritas solum in actu intellectus judicantis reperitur ut cognita, quemadmodum ostendimus in prima parte. Ergo.

Major. Etenim, ut argumentatur Cardinalis Toletus ex Angelici doctrina (2), «unumquodque simpliciter dicitur esse in alio, quando est secundum modum proprium illius. Sed modus proprius intellectus est cognitio. Ergo simpliciter illud verum dicetur esse in intellectu, quod est cognitum» (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES:

17. **Objicies 1.°** Si vera est allata doctrina, judicium semper erit actus reflexus; sed dantur etiam ex communi doctrina judicia directa. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Omne judicium erit reflexum reflexione cadente supra prævium actum simplicis apprehensionis, *conc.*, supra prævium aliquem actum judicii, *neg.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Judicium omne, etiam id quod *directum* appellatur, ex natura sua aliquam continet reflexionem. Judicari enim non potest, nisi præcedat apprehensio simplex, et nisi id, quod de re apprehenditur, cum ipsa re comparetur, deque ea affirmetur aut negetur. Atque hæc est expressa doctrina S. Thomæ (4). *Veritas est... in intellectu, sicut consequens actum intellectus, et sicut cognita per intellectum; consequitur namque intellectus operationem, secundum quod judicium intel-*

(1) In Logica Minori, n. 114.
(2) 1 p. q. 16, a 2.
(3) In 1.am partem, quæst. 16, a 2.
(4) *De Veritat.*, quæst. 1, art. 9. Cfr. 1 p. quæst. 16, art. 2.

lectus est de re, secundum quod est; cognoscitur autem ab intellectu, secundum quod intellectus reflectitur supra actum suum, non solum secundum quod cognoscit actum suum, sed secundum quod cognoscit proportionem ejus ad rem. Hæc est autem differentia judiciorum directorum ac reflexorum, quod in illis reflexio cadat supra præviam primam operationem, in reflexis autem supra prævium aliquod judicium: ut si ita judices: *Hominem esse rationalem, verum est.* Cæterum si in actu judicii cognosceretur veritas in actu signato, sequeretur utique omne judicium esse reflexum; id autem minime sequitur, si in actu judicii veritas exercite dumtaxat cognoscatur, quemadmodum jam explicatum est.

Obj. 2.° Etiam simplex apprehensio cognoscere potest veritatem et conformitatem sui ad objectum. Ergo etiam in simplici apprehensione potest inesse veritas ut cognita.

Resp. *dist.* ant. Semper ac necessario, *nego;* aliquando, *subdist.*, in actu signato, *conc.*, in actu exercito, sicut explicavimus de judicio, *nego.*

Responsio patet ex dictis in probatione.

Illud etiam addi potest, simplicem apprehensionem reflexam cognoscere quandoque veritatem, sed instar definitionis cujusdam, non vero instar formæ a se actu possessæ. Nimirum per simplicem apprehensionem cognoscere possum, *quid sit veritas*, quid sit cognitionem suam esse veram; non possum autem cognoscere *me possidere veritatem* hic et nunc: quemadmodum cognosco per judicium (1).

Obj. 3.° Si veritas est in judicio vero tamquam cognita, idem quoque dicendum erit de falsitate. Atqui id absurdum est, secus enim non posset intellectus falsum judicium promere. Ergo neque veritas est in judicio tamquam cognitum in cognoscente.

Resp. *dist.* Maj. Dicendum esset falsitatem cognosci per judicium *directe* et sub ratione falsi, *nego; indirecte* et sub ratione veri, *conc.* Et *contradist.* Minori, *neg.* conseq.

Non eodem modo cognosci dicenda est veritas et falsitas per actum judicii. Si enim, dum judicamus, existimaremus nos falli, seu non habere cognitionem objecto conformem, non

(1) Cfr. Sylvest. Prieras, 1 part. *Conflati*, quæst. 16, a. 3, paragr. I.

posset mens nostra ejusmodi judicium amplecti, quippe quæ ad veritatem nata est. Quare falsum admittere nequit, nisi sub specie veri; sicut etiam voluntas malum non appetit, nisi sub boni specie. Cum ergo intellectus erronea judicat, existimat se in sua cognitione objecto conformari, cum revera non conformetur. Ideo cognoscit aliquid quod falsum est, quin tamen hic et nunc cognoscat falsum esse (1).

ARTICULUS IV.

Utrum in simplici apprehensione possit esse falsitas.

Status quæstionis aperitur.

Supponimus in judiciis ac ratiociniis falsitatem adesse posse: id quod compertum nobis est quotidiana experientia, cum videmus tot erroribus misere turpari genus humanum.

Itaque controversia solummodo agitatur de simplici apprehensione. Et quamquam non una est auctorum ratio loquendi, tamen si bene perpendatur, quid sibi quisque velit, maxima, quoad rem ipsam, consensio reperietur.

18. PROPOSITIO. **Proprie ac per se loquendo falsitas in simplicem apprehensionem cadere nequit, potest tamen per accidens (2).**

Prob. 1.°—*Sicut res naturalis non deficit ab esse, quod sibi competit secundum suam formam, potest autem deficere ab aliquibus accidentalibus vel consequentibus, sicut homo ab hoc, quod est habere duos pedes, non autem ab hoc, quod est esse hominem: ita virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illius rei, cujus similitudine informatur* (3). Atqui intellectus rem simpliciter apprehendit, in quantum similitudine illius informatur, nempe specie impressa. Ergo...

---

(1) Vide Suar, disp. *Met.* 8, sect. 1, n, 17.

(2) Ita S. Th. 1 p. q. 17, a. 3; *De Verit.* quæst. 1, a. 12; 1.° dist. 19. q. 5, art. 1. ad 7.um; *Contr. Gent.* lib. 1, c. 59, *Amplius*, et 61: lib. 3, c, 108, *Item;* Auctor *Totius Log. Arist. Summæ*, tract. *de Enuntiat.* c. 5. Vid. etiam Suar., disp. *Met.* 9, sect. 1; et Conimbric., *De Interpret.* c. 1, quæst. 5, a. 4; et Ruiz, op. cit., disp. 92, sect. 2.

(3) 1 p. q. 17, a. 3.

Vis hujus probationis in hoc, ut vides, sistit, quod intellectus, accepta specie, non possit non repræsentare id, cujus habet speciem et pro gradu ac perfectione speciei: secus enim foret instrumentum vitiosum. Cum ergo simplex apprehensio non aliud faciat nisi repræsentare rem, cujus specie informatur, falli nequit (1).

Ad rem Auctor *Totius Logicæ Aristotelis Summæ: Falsum.... non intelligit intellectus in prima operatione sua, quia vel attingit naturam rei, et tunc intelligit verum; aut non attingit, et tunc ignorat, et non est sibi proprie difformitas rei intellectæ ad naturam ejus, quia nec talis res est intellecta, sed aliqua alia: et ideo non est sibi falsitas, quæ proprie importat deceptionem et non ignorantiam solam. Et inde est, quod Philosophus tertio de Anima dicit, quod intellectus comprehendens* **quod quid est,** *semper est verus* (2).

«**Dices** posse hujusmodi actum repræsentare rem, non tamen sicut est, et ideo posse respectu objecti sui esse falsum.»

«**Respondetur**, in simplici actu seu repræsentatione involvi repugnantiam, quia in hoc modo repræsentandi non attribuitur una res alteri, neque unus conceptus objectivus alteri, sed simpliciter aliqua res repræsentatur. Ergo vel repræsentatur sicuti est, vel non est illa, quæ repræsentatur; et consequenter repugnat esse objectum, et non repræsentari sicuti est. Sicut imago sensibilis simpliciter repræsentans personam aliquam, oportet ut repræsentet illam, sicut est; vel si in aliquo non repræsentat illam, sicut est, in eo non est imago ejus, et ideo non potest dici falsa imago proprie loquendo, sed imperfecta aut diminuta, vel non imago. Unde quando appellamus aliquam falsam imaginem, falsitas revera existit in attributione, vel compositione nostra, quia scilicet attribuimus talem imaginem ei, quem non repræsentat, existimantes esse imaginem ejus; et ita illa falsitas solum est objective in intellectu, seu denominative ab actu intellectus. Eodem ergo modo censendum est de simplicibus conceptibus

(1) Supponenda hic sunt, quæ alibi dicentur de speciebus intelligibilibus.

(2) *Totius Log. Arist. Summa*, tract. de *Enuntiat.* c. 5.

seu actibus cognoscendi, qui ita se habent, sicut simplices imagines» (1),

Diximus in propositione simplicem conceptum *proprie* ac *per se* seu ratione sui falsum esse non posse, posse autem per accidens.

Duplex genus apprehensionum.

19. Id ut explicetur, duplex genus apprehensionum simplicium ex Angelici Doctoris sententia distinguendum est: alterum earum, a quibus objectum vel ratio aliqua simplicissima et incomplexa exhibetur, qualis est v. g. apprehensio repræsentans *rationalitatem*, *colorem*, etc.; alterum vero earum, a quibus repræsentatur objectum compositum vel ratio aliqua complexa, ut si concipias *hominem doctum*, *animal rationale* etc.: hujusmodi sunt passim apprehensiones, quæ præ se ferunt rerum definitiones, utpote quæ fiunt per genus proximum et ultimam differentiam, ac proinde continent notionem complexam. Itaque docet Aquinas in hujusmodi apprehensionibus, complexas notiones exhibentibus, posse admisceri falsitatem *per accidens*, nempe ratione *affirmationis* vel *negationis* annexæ; quod contigit dupliciter: vel ex *comparatione definitionis ad definitum*, et tunc dicitur definitio falsa respectu alicujus, cui non recte attribuitur, licet in se verissima sit; sicut definitio *circuli* falsa est de *triangulo*: Vel secundo respectu partium complexionis ipsius aut definitionis ad invicem, in quibus implicetur aliqua impossibilis affirmatio, ut si quis hanc definitionem concipiat: *Animal rationale quadrupes* vel *alatum*, nam in hujusmodi definitione præsupponi potest hoc judicium falsum: *Animal rationale est quadrupes* vel *alatum* (2).

Quibus modis possit esse falsitas in apprehensione.

In apprehensionibus autem, rationes simplices et incomplexas repræsentantibus, docet S. Thomas cum Aristotele proprie non dari deceptionem, sed ignorantiam, quia *quicumque... non attingit ad* **quod quid est** *rei simplicis, penitus ignorat ipsam, non enim potest aliquid ejus scire et aliquid ignorare*, cum

(1) Suar. ib. n. 15.

(2) Vid. S. Th. 1, p. q. 17, a. 3; q. 85, a. 6; 1.° dist. 19, q. 5, a. 1 ad 7.um; *Cont. Gent.* lib. 1, cap. 59; *De Verit.* q. 1, a. 12; *Metaphy.* lib. 9, lect. 11, paragr. *d*, *e*; *De Anima*, lib. 3, lect. 11, circ. fin. Cfr. Did. Ruiz de Montoya, *De Scientia Dei*, disp. 92, sect. 2, n. 10.

non sit compositum: quare *non attingere mente ipsa simplicia, est ea penitus ignorare* (1). Itaque apprehensiones hujusmodi non sunt capaces falsitatis secundo loco enumeratæ, quam subeunt apprehensiones rationum complexarum; sed tantum falsæ esse possunt per accidens primo modo, nempe relative ac per ordinem ad aliquid, cujus non est talis ratio simplex, quemadmodum diserte notat Angelicus (2). Et hoc modo etiam sensus, utcumque apprehendant simplicissimas corporum qualitates, interdum dicuntur falli per accidens, quia nempe illas, repræsentationes non referunt ad proprium subjectum.

Explicatio recentiorum.

Doctrinam hanc paulo aliter exponunt recentiores, cum scribunt tripliciter posse simplicem apprehensionem falsam esse: α) *relative* seu *comparative:* β) *occasionaliter* vel *dispositive:* γ) *præsuppositive. Relative* seu *comparative*, nimirum respectu objecti non sui: sic conceptus *animal rationale*, qui verissimus est in se, esset falsa apprehensio *asini* vel *plantæ;* idea etiam, quam multi efformant audientes vocem *libertas*, est idea vera licentiæ et falsa libertatis; et prodigus habet sæpe ideam generositatis, quæ non refert generositatem, sed prodigalitatem.

Occasionaliter autem est falsa simplex apprehensio, quando præbet occasionem, ut exinde falsum judicium efformetur, conjungendo duas rationes, quæ a parte rei non sunt conjunctæ. Hoc modo aliquis simul apprehendens *animal rationale* et *quadrupes*, induci posset ad has rationes falso componendas; et videns remum in aqua mersum, inducitur ad judicandum fractum illum esse.

Tertio denique *præsuppositive* falsa esse potest apprehensio simplex ratione falsi alicujus judicii, quod præsupponit: quemadmodum qui falso judicavit Deum corporeum esse, illum sibi talem repræsentat etiam per simplicem apprehensionem, quæ proinde falsa dici potest, ratione scilicet illius judicii, quod præcessit.

---

(1) S. Thom. Lib. 9.° *Metaphys.* lect. 11, paragr. *e*; Cfr. 1.° distinct. 19, quæst. 5, art. 1, ad 7.um

(2) Lib. 9, *Metaph.* loc. cit.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

20. **Objic. 1.°** Ex communi sensu. Omnes enim dicunt dari *ideas* falsas et *conceptus* falsos. Ergo.

Resp. *dist.* ant. Intelligendo nomine idearum et conceptuum judicia, *conc.*, intelligendo simplices apprehensiones, *nego*, vel *subdist.*, per se, *neg.*, per accidens, *conc.*

Objic. 2.° Sæpe ideæ sunt objectis suis difformes. Atqui in hoc consistit falsitas. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Sunt difformes difformitate positiva, *nego*, negativa, *conced.* Et *contradist.* Minori, *nego* consequentiam.

Objic. 3.° Sæpe volumus cognoscere objectum aliquod determinatum, v. g. aurichalcum, et efformamus ideam auri. Atqui in hoc casu revera datur deceptio. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Et tunc deceptio est in voluntate, *conc.*, in intellectu, *subdist.*, si judicet illud esse aurum, *conc.*, si solum simpliciter apprehendat, *neg.*, vel iterum *distinguo* ut supra, per se *nego*, per accidens, *conc.*

Si in casu objecto mens judicet aurichalcum esse aurum, vere fallitur; si quis autem proponens sibi aurichalcum mente repræsentare, conceptum simplicem efformat auri, voluntas certe a scopo aberravit, non vero intellectus; quia voluntas quidem intendit, et imperavit conceptum aurichalci, intellectus vero hic et nunc auri simplicem habens apprehensionem, illi tamquam objecto proprio conformatur.

Objic. 4.° Sæpe etiam objectum aliter apparet, ac est in seipso. Atqui tunc apprehenditur, prout apparet. Ergo. Exemplum habes in remo, qui mersus in aqua, fractus apparet, cum tamen sit integer.

Resp. *dist.* Maj. Et cum id evenit, objectum talium apprehensionum est res, prout est in sua propria realitate, *neg.*, prout hic et nunc apparet, *conc.*

Cum ex aspectu remi in aqua ideam concipis remi fracti, conceptus tuus non habet pro objecto remum prout est in se, integrum nempe, sed remum fractum; ideoque falsus esse non potest, nisi relative ad remum integrum, qualis in se est.

Obj. 5.° Si non darentur conceptus falsi, neque darentur judicia falsa. Atqui dantur judicia falsa. Ergo etiam ideæ.

Major probatur. Quia cum judicamus, aliud revera non facimus, quam duas ideas componere aut dividere.

Resp. *neg.* assertum. Et probationem *dist.* Ita tamen, ut in solis judiciis veris componamus, aut dividamus ea, quæ revera invicem conveniunt aut discrepant, *conc.*; ita ut in omni judicio, etiam in falso, id faciamus, *neg.*

Etenim falsitas judicii non oritur ex falsitate quam habent ideæ per se, sed ex falsitate quam habent per accidens, relative. Conceptus enim prædicati semper veritatem suam retinet respectu proprii objecti, sed non semper objectum proprium conceptus prædicati est subjectum propositionis: quod ubi contingit, conceptus prædicati respectu ejusmodi subjecti, difformitate vitiatur ac falsitate.

Obj. 6.° Dantur ideæ ac conceptus, quorum objectum coalescit ex partibus aut invicem contradictoriis, ut conceptus *circuli quadrati*, *Dei injusti*, aut saltem ex membris quæ de facto non sunt copulata, ut idea *montis aurei*, *Adami nati ex aliis parentibus*, aliæque similes. Atqui in his certe inest falsitas. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Ita ut in ejusmodi conceptibus minime affirmetur ipsa unio et compositio talium partium, *conc.*, ita ut affirmetur, *neg.*

Contradist. Minor. Si unio affirmaretur talium partium, *conc.*, secus, *subdist.*, est falsitas per se, *neg.*, per accidens, *conc.*

Circa hanc objectionem distinguendi sunt conceptus compositi ex partibus absolute composibilibus, licet de facto non sint compositæ, et alii referentes membra invicem pugnantia. In primis, licet partes illæ ut unitæ concipiantur inque unum coalescentes, idea vera est omnino, si de sola possibilitate agatur; re enim vera mons aureus possibilis est, et falsæ solum dici possunt respectu actualis existentiæ, et quidem solum per accidens, donec accedat judicium, asserens actualem existentiam. In aliis autem conceptibus impossibile est partes illas, si rite concipiantur, tamquam unum quiddam concipere. Unde cum quis cogitat de circulo quadrato; aut non concipit verum circulum verumque quadratum; aut non concipit has figuras tamquam unum efficientes, sed mere apprehendit unam et alteram, ut cum duo distincta objecta unico intuitu conspicimus. Et potest etiam apprendere quid

sit eas in unum coalescere, quin tamen eas de facto in unum coalescentes sibi in mente repræsentet. Jam autem vides id non sufficere ad hoc, ut conceptus per se falsus dicatur. Theologus non potest negare Deum esse injustum, quin simul apprehendat *Deum* et *injustum*, et quid sibi velit unio duarum illarum idearum. An ideo dices theologum falli, immo in hæresim incidere ex eo, quod talem conceptum efformet? Donec ergo accedat affirmatio aut negatio, in ejusmodi conceptibus falsitas per se reperiri nequit. Itaque sola apprehensio objecti, ex partibus aut non connexis aut etiam contradictoriis coalescentis, non continet falsitatem, nisi per accidens.

Obj. 7.° Saltem conceptus universales videntur falsi, quia nullum objectum est universale, sed omnia sunt individua.

Resp. *neg.* assert., et rationem *dist.*, saltem *fundamentaliter*, *neg.*, *formaliter*, *subdist.* in rerum existentia, *conc.*, in mente, *neg.* Hæc suo loco declarabuntur (1).

CAPUT III.

DE QUIBUSDAM PROPRIETATIBUS VERITATIS LOGICÆ.

Tres quæstiones agitandæ nobis restant, quæ veritatis logicæ attributa attingunt: prima, utrum veritas essentialis sit omni actui vero; altera, utrum propositio aliqua possit de vera in falsam transire; tertia utrum veritas sit in indivisibili.

ARTICULUS I.

Utrum omnis enuntiatio vera essentialiter et ab intrinseco veritatem exigat.

Status quæstionis.

21. Controversia hæc, quamvis prima fronte pendere videatur a quæstione superius pertractata circa constitutivum veritatis; re tamen vera non est cum illa necessario ligata.

(1) Vid. S. Th. lib. 2 *De Anima*, lect. 12; Opusc. de *Potentiis animæ*, cap. 6; 1 p. q. 85, a. 1 ad 1.um; *Metaph.* lect. 10; Cfr. Arist. et S. Th. 2.° *Physic.*, lect. 3; Opusc. *De sensu respectu sing. etc.*

Nam licet quis omni enuntiationi concedat exigentiam veritatis, non ideo cogitur ad identificandam penitus cum enuntiationis actu essentiam veritatis, sed potest adhuc aliquid aliud ad illius constitutionem requirere, nihil enim prohibet aliquid essentialiter connecti cum alio, vel adæquate vel inadæquate, distincto; et sic actio connectitur cum termino, et cognitio cum effectu formali seu denominatione *cogniti*, quæ ex cognitione et objecto constituitur (1). E converso quamvis neget quis enuntiationem veram esse necessario veram, sed admittit enuntiationes contingenter veras, potest nihilominus identificare adæquate veritatis essentiam cum actu enuntiationis, ut faciunt *Connotatores*, qui relationem identificant cum solo fundamento, et ad veritatem requirunt objectum, non tamquam constitutivum essentiale, ut nos requisivimus, sed tamquam connotatum pure extrinsecum.

Variæ sententiæ: prima.

In proposita ergo controversia pauci quidam auctores cum P. Hurtado (2) censent «veritatem formalem adæquate identificari cum omni actu vero ita, ut non sit actui contingens, sed potius in ejus essentia radicetur, tamquam proprietas metaphysica» (3).

secunda communissima et verior.

Contraria tamen sententia communissima est, pro qua videri possunt præter Lossada, Franciscus Soarez lusitanus (4), Quiros (5), Pontius (6), Cardin. Aguirre (7), etc.

22. PROPOSITIO. **Non omnis enuntiatio vera exigit essentialiter aut ab intrinseco veritatem.**

Propositio, ut vides, particularis est, solumque negat omnes propositiones veras ex sua intrinseca natura postulare veritatem. Fatendum enim est multas esse, quæ illam necessario ex sua conditione requirant, quales sunt omnes propositiones supernaturalis veritatis, et omnes etiam naturales, quæ sint certæ et evidentes. Itaque

(1) Lossada, *Logic.* tract. 5, disp. 2, cap. 1, n. 10.
(2) *De Anima*, disp. 9, sect. 3, a. n. 16.
(3) Lossada, loc. cit.
(4) *De Anima*, tract. 3, disp. 2, sect. 4.
(5) *De Anima*, disp. 99, sect. 1.
(6) *Logic.* disp. 19, a. 3.
(7) *Disputat. Select., Metaphys.* disp. 2, sect. 5.

Prob. 1.° Supponamus veram hanc propositionem: *Petrus ambulat nunc in foro*, quam assero ex motivo fallibili; puta quia id mihi renuntiat amicus, qui venit ex eodem foro, vel quia novi Petrum hac eadem hora quotidie solitum esse ibi ambulare. Hæc eadem numero propositio potuit elici, Petro non ambulante. Atqui tunc falsa esset. Ergo eadem numero propositio potest esse vera vel falsa, et consequenter non est necessario vera, sed est indifferens ex sua intrinseca natura vel ad veritatem vel ad falsitatem.

Prob. Major. Petro non ambulante, possunt existere in casu eadem principia eædemque causæ in propositionem influentes, quæ nunc, currente Petro, existunt, nempe idem intellectus, eædem species intelligibiles, idem motivum. Aliunde vero ipsa realis ambulatio Petri, quando existat, in nullo genere causæ influit in actum illum, quia supponitur absens ac distans. Atqui manentibus iisdem prorsus principiis et causis, non est, cur idem numero actus elici non possit, nam *idem manens idem semper est natum facere idem*, ut fert proverbium. Ergo stat Major adductæ probationis (1).

Confirmatur 1.° Quia actus asserens ex prædictis motivis existentiam ambulationis Petri, nullo ex capite connectitur cum eadem. Non titulo alicujus influxus, quem exerceat, ut per se patet; neque etiam titulo repræsentationis, quia eadem repræsentatio dari potest, Petro non ambulante; nec denique titulo alicujus principii falsitati repugnantis, qualis reperitur, v. g. in actu elicito per habitum Fidei supernaturalis, siquidem nec intellectus humanus, nec species intelligibiles, nec motivum, ex quo supponitur elici hic et nunc actus ille enuntians Petri ambulationem in foro, ex se repugnant falsitati (2).

Confirmatur 2.° exemplis. Potest enim eadem numero imago esse nunc conformis nunc difformis prototypo per solam illius mutationem; potest similiter eadem enuntiatio vocalis vel scripta vera vel falsa esse per solam objecti mutationem. Ergo idem dicendum est de quibusdam propositionibus.

---

(1) Vid. Lossada loc. cit. n. 11.

(2) Vid. Lossada, ib., n. 12 seqq., ubi plura.

Prob. 2.° Actus verus et falsus enuntiantes Petri ambulationem ex eodem motivo fallibili ejusdem sunt speciei. Atqui si vera foret contraria sententia non essent ejusdem speciei, nam differrent prædicato essentiali. Ergo.

Major patet. Primo quia non est, unde discrepare possint specie, siquidem conveniunt in principiis, objecto et modo tendendi, nam uterque affirmat Petri ambulationem. Deinde species non sunt multiplicandæ sine necessitate. Hic autem nulla est necessitas specificam diversitatem invehendi, quandoquidem diversitas denominationum *veri* et *falsi* in prædictis actibus explicari recte potest per solam mutationem objecti in suo esse physico; quemadmodum accidit in externa imagine, ut nuper dicebamus, et etiam in denominationibus *similis* ac *dissimilis*, *æqualis* et *inæqualis*, quæ fundamento relationis convenire possunt ex sola termini mutatione, ut nunc supponimus ex materia de Relatione (1).

Quænam sint propositiones non exigentes ex natura sua veritatem.

23. **Jam si quæras** quænam sint enuntiationes veræ quæ ex sua natura non exigunt essentialiter veritatem, respondeo in primis tales esse omnes propositiones de materia contingenti. Deinde puto propositiones etiam de materia necessaria, si naturales sint, et nitantur motivo fallibili, aut careant evidentia, esse, *quantum est de se*, contingenter veras, tametsi ob immutabilitatem necessitatemque sui objecti nequeant esse falsæ. Sic judicium, quo quis ex solo magistri testimonio, quod certe fallibile est, teneat triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, necessario quidem verum est ratione objecti, quod aliter esse nequit, non tamen ratione sui, seu ab intrinseco. Et ratio est, quia ille actus nititur motivo ex se fallibili, et aliunde nullum aliud principium habet intrinsece repugnans falsitati, siquidem objectum ipsum hic et nunc, dum solum asseritur ob auctoritatem magistri, in actum illum non influit. Si ergo judicium illud deficere nequit, non est ob intrinsecam perfectionem et naturam ejus, sed solummodo propter necessitatem objecti ad quod terminatur (2).

---

(1) Vide Lossada, loc. cit., n. 15.

(2) Vide Lossada, loc. cit., n. 17. Hæc clariora fient ex his, quæ dicenda sunt de Opinione.

24. **Dices 1.°** Hæc enuntiatio: *Petrus currit*, non potest mutare objectum, nec sine objecto existere. Atqui ejus objectum est Petrus reipsa currens. Ergo non potest existere, quin Petrus reipsa currat; et consequenter nequit existere, quin vera sit, seu necessario vera est.

Resp. 1.° *Insto* in propositione vocali vel scripta, quæ pariter objectum mutare nequit, stante eadem vocum significatione, et nihilominus potest falsa esse. Item hoc judicium falsum: *Petrus reipsa currit*, quod habet pro objecto Petrum reipsa currentem, potest existere, Petro non currente. Cæterum quod propositio, falso asserens Petrum currere, idem habeat objectum, ac propositio vere enuntians Petri cursum, constat; tum quia utraque idem signate repræsentat, affirmatque; tum quia falsa præcise falsificatur per carentiam cursus existentis, nullus autem actus falsificatur, nisi per carentiam sui objecti; tum quia non potest esse objectum actus id, quod ab actu non attingitur, sed prorsus reticetur (1).

Resp. 2.° *Dist.* Major. Enuntiatio hæc: *Petrus currit*, non potest mutare objectum quoad idealem repræsentationem, *conc.*, quoad esse physicum, quatenus cursus Petri deficere non possit, dum per talem propositionem enuntiatur, *neg.* Major: neque enim connectitur necessario cum eo, quod objectum se habeat in re, sicut enuntiatur.

Et *concessa* Minori, *neg.* Conseq. Cæterum propositio illa, si cursus Petri deficeret, non maneret sine objecto *signate sumpto* et in *ratione objecti*, quia retineret eamdem repræsentationem, quam, existente cursu, habebat, et per quam objectum ejus constituitur in esse objecti; maneret tamen sine objecto *exercite* et *specificative sumpto* in esse entis, id est, secundum existentiam physice exercitam, quæ adæquate distinguitur a propositione illam enuntiante. Et in hoc sensu propositio manet sine objecto, et ideo præcise est falsa (2).

Dices 2.° Hoc judicium: *Petrus est homo*, per suam essentiam est repræsentatio sicuti est. Ergo per suam essentiam est conformis Petro, ac proinde verus.

---

(1) Lossada, loc. cit., cap. 2., n. 20, et cap. 1, n. 14.
(2) Lossada, loc. cit., cap. 2, n. 22.

Resp. *neg.* Ant. Nam illud judicium solum repræsentat Petrum esse hominem, atque adeo hoc solum est illi essentiale, repræsentare videlicet Petrum hominem; quod autem Petrus sit homo, non est essentiale judicio, sed Petro. Id quod clarius videbis in hoc alio exemplo: *Pilatus est sanctus:* hujus propositionis essentia est dumtaxat repræsentare Pilatum ut sanctum, non est autem de illius essentia, quod Pilatum sit, aut non sit sanctus (1).

ARTICULUS II.

Utrum veritas omnis propositionis sit immutabilis, seu utrum propositio semel vera possit in falsam transire.

Status quæstionis exponitur.

25. Quæstio hæc solum instituitur circa propositiones naturales de materia contingenti, habentes pro objecto aliquid quod, non intuitive, sed abstractive cognoscatur. Nam nec supernaturales nec propositiones de materia necessaria possunt a vera in falsam, vel e converso, mutari. Idemque dicendum est de actibus intuitivis, qualis est v. g. actus, quo videns Petrum currentem, judico illum currere. Actus enim hujusmodi, ut alias notavimus, existentiam realem sui objecti requirunt. Quare actus intuitivus, qui Petrum currentem enuntiat, si cursus Petri deficiat, eo ipso deficit etiam ipse.

Deinde supponendum est propositionem hujusmodi durare aliquot instantia, saltem duo; si enim unum dumtaxat instans duret, impossibile est transitus ille propositionis, nam objectum in eodem instanti nequit simul esse, ac deficere. Non tamen nostrum est nunc disputare, num mentalis propositio uno dumtaxat, an vero pluribus etiam instantibus, durare possit; sed procedit quæstio in suppositione, quod duret aliquot instantia temporis.

Neque vero putes quæstionem hanc decisam jam fuisse in præcedenti articulo, in quo ostendimus non omnes propositiones esse veras necessario atque essentialiter, sed quasdam esse contingenter veras; non enim idem est propositionem

(1) Vide Franc. Soarez lusitan., loc. cit. *De Anima*, tract. 3, disp. 2., sect. 4, n. 94, ubi plura invenies.

esse *contingenter* veram ac *mutabiliter* veram. Contingenter esse veram importat, quod potuerit non esse vera. At dubitari potest, utrum propositio, quæ in prima sui productione potuerit non esse vera, possit necne veritatem semel habitam amittere. Et ad resolvendam hanc dubitationem præsens instituitur controversia; in qua non pauci negativam tenent sententiam cum Petro Hurtado (1), Francisco Soarez lusitano (2), Pontio (3), Arriaga (4), aliisque.

Variæ circa propositam quæstionem opiniones.

At vero communior opinio est eorum, qui docent posse propositionem veram contingentem, naturalem et inevidentem, abire in falsam. Ita S. Thomas (5), cum Aristotele (6), et auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis* (7), Scotus, (8), Suarez (9), Rubius (10), Valentia (11), Sylvester Mauri (12), Semery (13), Mayr (14), Rhodes (15), De Benedictis (16), Lossada (17), Quiros (18), Joannes a S. Thoma (19), Mastrius (20), et alii.

26. PROPOSITIO. **Potest propositio contingenter vera transire in falsam.**

Prob. Supponamus hanc propositionem: *Petrus sedet*, duo instantia durare: nihil profecto vetat, quominus Petrus in

(1) *De Anima*, disp. 9, sect. 4.
(2) *De Anima*, tract. 3, disp. 2, sect. 4, paragr. 4.
(3) *Logic.*, disp. 19, q. 3.
(4) *Logic.*, disp. 14, sect. 2.
(5) 1 p. q. 14, art. 15, ad. 3.um *de Verit.* q. 1, art. 6.
(6) *De Categor.*, cap. 5, *de Substantia* versus fin.
(7) Tractat. 2, de *Prædicamentis*, cap. 4, fin.
(8) 4.° dist. 8, q. 2, V.
(9) Disput. *Metaph.* 8, sect. 2, n. 10.
(10) Logic., *De Interpretation.* seu *Perihermen.* c. 4, q. 5.
(11) Commentar. in 1 p. disp. 1, q. 16, punct. 3, fin.
(12) *Quæstion. philosoph.*, tom. 1, q. 60, *Dico* 2.°
(13) *Trienn. philos.*, t. 1, disp. 5, q. 5.
(14) *Philos. perip.*, pars. 1, disp. 5, q. 2, art. 6.
(15) *Philos perip.*, lib. 1, disp. 3. q. 2, sect. 1, *paragr.* 3.
(16) *Logic.*, lib. 3, q. 3, cap. 5. paragr. 1.°
(17) *Logica*, loc. cit. cap. 3.
(18) *De Anima*, disp. 99, sect. 2.
(19) Logic., *Illustrationes*, q. 5, art. 1.
(20) *Logic.*, disp. 10, q. 2, art. 2.

primo re vera sedeat, in altero surgat. Atqui tunc propositio illa in primo instanti vera erit, utpote conformis objecto, in altero autem falsa, quia objectum refert aliter ac est in se. Ergo stat thesis nostra.

Minor patet, quia propositio illa: *Petrus sedet*, enuntiat sessionem de præsenti, quamdiu ipsa durat, sive pro primo sive pro secundo instanti, habet enim verbum in præsenti tempore. At vero in secundo instanti jam non amplius sedet Petrus. Ergo...

Probatio hæc luce meridiana clarior videtur; tamen

Dices 1.°: illa propositione enuntiari sessionem Petri præsentem solum pro primo instanti, in quo prolata illa est, et in quo supponitur Petrus sedere.

Resp. Tunc ergo pro secundo instanti propositio illa enuntiaret sessionem de præterito, siquidem instans primum, præsente secundo, præteritum est. Atqui propositio illa sessionem absolute enuntiat de præsenti; non enim dicit Petrum *sedisse*, sed sedere; neque vero tempus præsens absolute prolatum, ex sensu communi omnium hominum, mutat significationem, ut modo rem de præsenti, modo de præterito commonstret. Pone cellam vinariam, in qua hæc legatur inscriptio: *Hic venditur vinum:* finge cellam converti in stabulum equorum, adhuc tamen inscriptionem ibidem remanere. Cui unquam in mentem venerit dicere vim et significationem illius jam non esse, *quod vinum vendatur*, sed *quod olim venderetur?* (1)

Dices 2.° cum P. Arriaga, esse de *præsenti*, *præterito* aut *futuro*, non esse differentias intrinsecas mentalium propositionum intellectus nostri, sed denominationes extrinsecas provenientes a variatione instantium, quæ variari possint, quin varietur entitas aut repræsentatio cognitionis. Ad eum modum, quo scientia divina de creaturis existentibus invariata manet, sive creaturæ existant, sive extiterint, sive adhuc extituræ sint. Quare propositionem: *Petrus sedet*, quæ pro instanti primo significat præsens, pro instanti altero significaret præteritum absque ulla sui mutatione.

---

(1) Cfr. Lossada, loc. cit.

Resp. iterum hæc esse contra sensum communem. Quisque enim experitur distinctissimas esse tendentias et significationes horum judiciorum: *Petrus sedet; Petrus sedit;* et *Petrus sedebit.* Et nisi dicamus in judiciis hujusmodi tempus intrinsece significari, numquam sciemus pro quo tempore veritatem habere dicendæ sint tales propositiones. Præterea in hunc modum arguo: Judicia hæc: *Generale dituvium extitit aliquo tempore,* et: *Generale judicium existet aliquo tempore,* vel differunt intrinsece secundum suum modum tendendi vel non. Si differunt, falsum est, quod adversarii dicunt, judicia nostra præscindere ex se a tempore; neque enim aliter duæ illæ propositiones differre possunt. Si non differunt, utrumque verum æque erit nunc, nam ex judiciis, quæ nec in objecto nec in modo tendendi discriminantur, non est, cur unum præ alio verum sit. Atqui hoc prorsus absurdum est, et contra communem omnium sensum: primum enim verissimum est, at alterum falsum.

Adde quod doctrina adversariorum contradicit S. Augustino et S. Thomæ. Nam S. Augustinus sibi probandum sumpsit discrimen scientiæ divinæ a nostra præcise ex varietate temporum. *Non enim,* inquit, *more nostro Deus vel quod futurum est, prospicit; vel quod præsens est, aspicit; vel quod præteritum est, respicit; sed alio modo quodam a nostrarum cogitationum consuetudine longe lateque diverso... Quoniam non sicut nostra, ita et ejus quoque scientia, trium temporum præsentis videlicet, et præteriti, et futuri varietate mutatur* (1).

Similia docet S. Thomas non uno in loco (2).

Plura dabunt laudati auctores, ac potissimum Lossada.

Confirmatur propositio auctoritate S. Thomæ, qui cum hanc sibi solvendam quæstionem proposuisset: *Utrum enuntiabile semel verum, sit semper verum,* sic respondit: *Dicendum quod hujus dubitationis vis in hoc consistit, ut sciatur, utrum sit idem enuntiabile, quod est de præsenti, præterito et futuro. Si enim hoc verum sit, consequens erit, quod enuntiabile, quod semel est verum, semper erit verum, licet forte*

(1) S. Aug. *De Civitate Dei,* lib. 11, cap. 21.

(2) Vide 1. p. q. 16, a. 8 ad 4.um; *De Verit.,* q. 1, a. 5 corp., et art. 6, ad 6.um, Vide Lossada, loc. cit. n. 4-8.

hoc dubitationem aliquam habere possit circa enuntiabilia de futuro contingenti; sed hoc est altioris inquisitionis.

Si vero sint diversa enuntiabilia de præsenti, præterito et futuro (est autem idem enuntiabile, quod est de præsenti, qualitercumque res se habeat), manifestum est, quod idem enuntiabile quandoque est verum, quandoque falsum, secundum quod Philosophus dicit in Peribermen., quod eadem oratio quandoque est vera, quandoque falsa. Et postquam id declaravit, hisce verbis concludit: *Et ideo dicendum est, quod non est idem enuntiabile* **Socratem sedere,** *et* **Socratem sedisse** *vel* **sessurum esse.** *Sed Socratem sedere est idem enuntiabile, quia est eadem vox et idem modus significandi. Et ideo patet, quod idem enuntiabile potest quandoque esse verum, quandoque falsum* (1). En in terminis nostram sententiam.

Similia habet alibi: *Quidam... dixerunt, quod ad unitatem rei significatæ sequitur unitas enuntiabilis, quamvis etiam cum diversa consignificatione temporis proferatur. Et secundum hoc sequitur, quod enuntiabile, quod semel est verum, semper fuit, et est verum... Sed ista positio expresse contrariatur dictis Philosophi in Prædicamentis* (cap. de *Substantia*), *qui dicit, quod eadem propositio, scilicet:* **Socrates sedet,** *quæ prius erat vera, Socrate sedente, eodem surgente, efficitur falsa...* Et post allatam aliam hujus rei rationem, pergit: *Unde ab omnibus modernis conceditur, quod sint duo diversa enuntiabilia,* **Socratem currere** *et* **cucurrisse,** *etiamsi ad eumdem cursum referantur,* etc. (2)

27. **Objicies.** Propositio: *Petrus sedet,* ut vera sit, debet objectum ejus durare toto tempore importato per copulam, seu tamdiu, quamdiu duret ipsa propositio affirmans sessionem de præsenti. Si vero Petrus non sedeat in aliqua parte temporis, quo durat propositio, jam hæc falsa omnino redditur. Atqui si Petrus supponitur sedens toto illo tempore, jam nequit sessio illius deficere, quamdiu durat propositio. Ergo si dicta propositio semel est vera, abire in falsam nequit.

Declaratur. Illa propositio: *Petrus sedet,* vel significat Petrum sedere pro omnibus instantibus, quibus ipsa existet,

(1) S. Thom. *Quodlibeto* 4, art. 17.

(2) S. Thom. 1.° dist. 41, art. 5. corp. Cfr. ib. ad 2.um et ad 4.um

vel pro aliquo determinato, primo v. g., vel denique pro aliquo disjunctive. Atqui in nullo horum casuum propositio vera in falsam abire potest. Non in primo, ut patet; quia tunc si Petrus sedeat in omnibus illis instantibus, vera erit propositio; et etiam si uno instanti desinat sedere, falsa dicenda erit: neque in secundo, quia in uno determinato instanti impossibile est propositionem veram et falsam esse; neque denique in tertio, quia tunc si vel uno instanti Petrus sedeat, vera erit propositio, licet in aliis desinat sedere. Sicut ad hoc, ut verum sit me hodie scribere, satis est, quod hac hora vel momento temporis scribam, quamvis mox per totam diem dormiam. Ergo impossibile est propositionem, semel veram, falsam fieri.

Resp. *dist.* Major. quoad primum membrum. Ut vera sit toto tempore, quo durat ipsa propositio, *conc.* Ut vera sit in aliqua parte suæ durationis, *neg.*

Alterum membrum Majoris *neg.*

Et *concessa* Minore, *neg.* conseq.

Ad declarationem dico, propositionem significare quidem sessionem Petri pro omnibus instantibus, quibus ipsa existit, non tamen ita, ut verificari non possit, nisi objectum existat in tota illa omnium instantium serie. Nam propositio illa enuntiat præsentiam vel cöexistentiam sui cum sessione Petri pro singulis instantibus suæ durationis, significando tamen solum indefinito modo præsens quantum ad particularia instantia, ita ut ex se permittat rationem præsentis temporis contrahi de facto sive per instans *A*, sive per *B;* et solum petit ad sui veritatem, Petrum currere in eo instanti, quod actu est præsens, sive sit A, sive B, sive quodvis ailud; ab hoc enim præscindit. Unde reddit æquivalenter hunc sensum: *Aliquod instans est præsens* (sive sit A, sive B, sive aliud) *et in eo Petrus sedet.* Et sic in quibuscumque instantibus datur a parte rei sessio, vera est enuntiatio; falsa vero in quibuscumque sessio non datur. Et ratio est quia illud præsens simplicissimum, quod exprimit verbum *sedet*, successive transit per singula instantia determinata, prout illa fiunt actu præsentia, ideoque propositio etiam successive verificari potest per varia instantia ita, ut si in primo instanti detur sessio Petri, statim in eo verificetur propositio, et similiter in secundo, tertio ac

cæteris, si vero in primo, vel in secundo vel quovis alio deficiat sessio, falsa est propositio pro illo instanti, licet veritatem habeat in aliquo alio instanti, in quo Petrus sedet.

Dices: secundum hanc doctrinam, propositio: *Petrus sedet*, mutaret significationem et objectum, siquidem modo significat Petrum sedere pro primo instanti, modo pro secundo etc. Atqui tunc propositio variatur essentialiter; sicut secundum nos variaretur, si modo significaret rem pro præsenti, et postea pro futuro vel præterito. Ergo non erit jam eadem propositio, quæ de vera transit in falsam.

Respond. Diversis modis solvunt auctores nostræ sententiæ hanc difficultatem. Alii concedunt propositionem illam mutare objectum materiale, quod tamen non attingitur ab illa explicite, sed implicite dumtaxat; nam explicite semper idem refert illa propositio, nempe *sessionem* nunc *præsentem*, et implicite designat successive varia instantia. Simile quiddam ajunt contingere tum in aliis, tum in hac propositione: *Homo currit*, quæ licet explicite et signate unum idemque habet objectum, unam eamdemque significationem, implicite tamen modo significat *Petrum*, modo *Paulum*, aut alium quemvis, prout cursus de facto verificetur in Petro, Paulo, vel alio quovis.

Alii vero negant significationem variari in prædicta propositione sive explicite sive etiam implicite, sed concedunt mutari verificativum propositionis. Nam propositio semper significat idem, nempe sessionem Petri, non præteritam aut futuram, sed nunc *præsentem*, seu cöexistentiam sessionis cum ipsa, quamvis illa cöexistentia verificari possit modo in uno instanti, modo in alio: unde significatio ac repræsentatio propositionis semper eadem est, sed variatur verificatio. Hoc pacto si quis dicat: *Ab hora nona ad decimam non deerit aliquis qui oret in Ecclesia;* quamvis in primo quadrante oret Petrus, in altero Paulus, in tertio Joannes et in quarto Franciscus: significatio quidem propositionis eadem est, verificatio tamen diversa pro singulis horæ quadrantibus (1). Sed vereor, ne ista subtiliora sint, quam utilia. Itaque, qui plura velit, adeat citatos auctores.

(1) Vide de his fuse disputantem Ludovicum Lossada, loc. cit. c. 4.

ARTICULUS III.

Utrum veritas et falsitas consistant in indivisibili, an vero gradus admittant.

28. Ad quæstionis resolutionem prænotandum est 1.° veritatem dupliciter spectari posse, vel *formaliter*, id est secundum suam formalem rationem adæquationis et commensurationis inter cognitionem et objectum ipsius; vel *materialiter* vel secundum alia prædicata vel attributa, quæ formalem veritatis rationem in actu vero circumstant, vel comitantur, et ad ejus majorem perfectionem spectant, sive *pure extensivam*, quæ in eo consistit quod cognitio vera magis aut minus completa sit, pluraque vel pauciora de objecto repræsentet, sive etiam *intensivam*, quæ præcipue sita est in cognitionis evidentia et infallibilitate seu certitudine: nihil enim horum est ipsa ratio formalis veritatis. Veritas spectari potest materialiter et formaliter.

2.° Jam quantum attinet materialem veritatem, patet alium actum alio veriorem esse posse, ac proinde gradus in hujusmodi veritate dari. Nam in primis, qui objectum magis complete cognoscit, magis quodammodo ipsi conformatur, et quia plura de illo attingit, melius cognoscit, ideoque verius. Hoc pacto verior dici potest cognitio repræsentans hominem ut *animal rationale*, quam ut *animal*, aut *vivens*. Materialiter sumpta gradus admittit;

Deinde actus cognitionis pro majori aut minori evidentia et certitudine seu infallibilitate, magis aut minus verus dici potest, quia nempe verior aut minus verus est *radicaliter*, cum majorem aut minorem habeat exigentiam veritatis. Sic verior est, utpote certior magisque necessario verus, actus fidei supernaturalis, quam actus quilibet naturalis, quemadmodum docent Theologi: et inter naturales judicium enuntians principium contradictionis verius est judicio affirmante cursum Petri ex sensuum testimonio.

3.° Quæstio itaque proposita non versatur circa veritatem materialem, sed circa formalem dumtaxat, et similiter circa falsitatem. non vero formaliter sumpta.

29. PROPOSITIO 1.a **Veritas formaliter considerata consistit in indivisibili** (1).

Ratio *est*, quia veritas, ut patet ex ejus notione superius data, *adæquationem et commensurationem importat* (2) actus cum objecto, secundum illud esse quod enuntiatur. Atqui in hujusmodi adæquatione et commensuratione gradus dari nequeunt.

Sane adæquatio illa in actu cognitionis non habetur, nisi objectum habeat in se *totum id*, quod de illo refert actus. At in habendo *totum* id, quod exprimit, ac refert cognitio de objecto, ut per se patet, non potest dari magis et minus.

Ad rem Angelicus: *Cum veritas consistat in adæquatione intellectus et rei; si consideretur veritas secundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis et minus, sic non contingit esse aliquid magis et minus verum. Sed si consideretur ipsum esse rei, quod est ratio veritatis, sicut dicitur in 2.° Metaphysicor.* (text. comm. 4), *eadem est dispositio rerum in esse et veritate: unde quæ sunt magis entia, sunt magis vera; et propter hoc etiam in scientiis demonstrativis magis creduntur principia quam conclusiones* (3).

Confirmatur. Quia æqualitas, quam importat veritas, non est sicut similitudo, quæ major esse vel minor, crescere ac decrescere queat; unde non magis æqualis est formaliter leuca leucæ, quam ulna ulnæ, vel linea lineæ.

30. PROPOSITIO 2.a **Falsitas non solum materialiter considerata, verum etiam secundum ipsam formalem sui rationem gradus admittit.**

Falsitas autem, etiam formaliter sumpta, gradus habet.

Probatur. Quia falsitas communiter concipi videtur non per meram veritatis negationem et carentiam, sub qua ratione profecto consisteret in indivisibili, sed tamquam positivam

(1) Ita Suarez, Disp. *Met.* 9, sect. 1, n. 24; Izquierdo, *Pharus scientiar*, disp. 3, q. 3, sect. 2; Semery, *Triennium philos.*, disp. 5, q. 6, art. 1, quæs. 3; Rub., *De Interpret.*, cap. 2, quæst. 2; Hurtad., *Logic.*, disp. 11, sect. 2; Arriaga., *Logic.*, disp. 14, sect. 3; Lossada, loc. cit., cap. 5, n. 3; Joann, a S. Thoma, *Logic.*, quæst. 5, art. 1; Roselli, *Summ. Philos.*, tom. 1, quæst. 26, art. 1.

(2) S. Thom., *de Veritat.*, quæst. 1, art. 5.

(3) S. Thom., *de Virtutibus*, q. 2, art. 9 ad 1.um

difformitatem actus cum objecto, atque adeo per modum recessus ac distantiæ a veritate. Atqui in recessu a veritate gradus certe dari possunt. Sic magis aberraret a vero, qui duo tantum esse sacramenta, quam qui sex affirmaret; quemadmodum etiam magis distat Roma ab Indiis, quam a Gallia et inæqualior est unus palmus centum leucis, quam ulnæ.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

31. **Objic. 1.°** Actus unus potest esse certior atque evidentior alio. Ergo et verior. Nam verior est ille actus, quem magis repugnat falsificari, quam minus certum.

Resp. *Conc.* antec. *Dist.* conseq. Ergo et verior esse potest, si nempe veritas materialiter spectetur, *conc.*, si formaliter spectetur, *neg.*

Et simili modo respondetur ad probationem consequentis. Neque enim formalis ratio veritatis stat in repugnantia cum falsitate, sed in actuali conformitate vel adæquatione cognitionis cum objecto.

Objic. 2.° Conclusio est vera propter præmissas. Ergo præmissæ veriores sunt conclusione. Nam secundum vulgatum illud Scholasticorum proloquium, *propter quod unumquodque tale, et illud magis*, atque adeo si conclusio est vera propter præmissas, hæ veriores sint, oportet.

Resp. *neg.*, antec. si sermo sit de formali ratione veritatis. Nam conclusio, sicut quævis alia propositio vel judicium, non est vera formaliter nisi propter conformitatem sui cum re, sive quia res est ita, ut enuntiatur.

Objic. 3.° Verior est hæc propositio: *Homo est animal rationale*, quæ totam essentiam hominis exprimit, quam hæc alia: *Homo est animal*, quæ solum partem refert essentiæ.

Resp. *neg.* assertum, intellectum de formali ratione veritatis. Nam prima propositio plura refert de objecto quam altera, et sic plenius declarat et manifestat essentiam hominis, atque adeo verior est secundum materialem rationem veritatis. Cæterum, formaliter loquendo, non minus conformatur objecto secunda propositio, quam prima; sicut non minus adæquari potest linea lineæ, quam superficies superficiei.

Objic. 4.° Veritas est similitudo cognitionis cum objecto. Sed similitudo suscipit magis et minus. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Veritas est similitudo importans qualemcumque convenientiam, *neg.*, importans adæquationem et commensurationem intentionalem, modo jam declarato, *conc.*

Et *contradistincta* Minori, *neg.* conseq.

Utrum eadem propositio vera simul et falsa esse possit.

32. SCHOLIUM. Solebant hic plures Logici antiqui et illam agitare quæstionem, utrum eadem propositio possit simul esse vera et falsa, sive respectu diversorum objectorum sive respectu ejusdem. Respectu diversorum objectorum videtur prima fronte propositio posse simul vera et falsa esse, si sit copulativa, ratione plurium membrorum, quorum aliud sit verum, aliud falsum, ut si dicas: *Magister docet ac discipuli cantant in schola.* Sit primum horum verum et alterum falsum, et habebis propositionem respectu diversorum simul veram et falsam. Nihilominus si in memoriam revoces, quæ de copulativa propositione dicta sunt, illico videbis illam veram simul et falsam esse non posse; cum enim indoles illius ac natura postulet simultaneam veritatem omnium partium, si aliqua earum falsitate laboret, tota simpliciter falsa dicenda est. At quia istæ propositiones æquivalent pluribus simplicibus, ex quarum copulatione coalescunt, sæpe considerantur quasi dissolutæ ac divisæ in illas, et hoc modo conceduntur quoad partem veram, et negantur quoad falsam.

Quid dicendum de propositionibus *insolubilibus* seu *se ipsas falsificantibus.*

Relate ad unum idemque objectum utrum possit propositio vera simul esse ac falsa, dubitari potest propter illud genus propositionum, quæ *insolubiles* dici solent ac *seipsas falsificantes*, quæ nempe falsæ videntur esse eo ipso, quod sunt veræ, et veræ hoc ipso, quod sunt falsæ. Dicat v. g. aliquis: *Ego nunc dico falsum*, nempe *in hac ipsa assertione mea.* Si vera est ista propositio, eo ipso falsa est; si enim verum est me nunc dicere falsum, ergo falsum dico, atque adeo falsa est mea illa propositio, eo ipso quod sit vera. Si autem falsum est me nunc dicere falsum, ergo verum dico; ac proinde vera est mea propositio, eo ipso quod falsa supponatur. Finge item, quod dum Petrus dicit intra se: *Paulus nunc affirmat verum*, Paulus e converso affirmat: *Petrus affirmat falsum:* ista duo judicia circa idem objectum vera simul sunt et falsa. Nam si judicium Petri verum est, vera est propositio Pauli. Sed Paulus dicit, judicium Petri falsum esse. Ergo si judicium Petri verum esse supponitur,

falsum est. Si autem judicium falsum est, falsum est quod Paulus affirmet nunc verum. Sed Paulus affirmat nunc Petrum affirmare falsum. Ergo falsum est, Petrum affirmare falsum, seu Petrus affirmat verum; nempe si falsum est judicium Petri, verum est.

Nequit eadem propositio vera simul esse et falsa.

Hisce non obstantibus, manifestum est eamdem propositionem non posse simul esse veram et falsam. Nam propositio dicitur vera vel falsa ex eo, quod objectum est, vel non est. Ergo ad hoc ut propositio sit vera simul et falsa, deberet objectum simul esse et non esse. Atqui hoc repugnat ex principio contradictionis. Ergo nequit propositio simul vera esse et falsa.

Similiter probabis propositionem quamlibet aut esse veram aut falsam. Nam si propositio est vera vel falsa ex eo, quod objectum est, vel non est, propositio eatenus nec vera nec falsa esset, quatenus objectum ejus nec esset, nec non esset. Atqui ex principio exclusi medii quodlibet aut est, aut non est. Ergo...

Cæterum non morabor in extricandis nugis propositionum illarum se ipsas falsificantium, quas ideo insolubiles dixere, quia prima specie solvi non posse videntur; nullum enim usum in scientiis habent. Si quis tamen hujusmodi technas explicatas videre velit, adeat Sylvestrum Mauri (1), vel Andream Semery (2), vel Gregorium Rhodes (3), vel Joannem de Benedictis, aut alios veteres auctores.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE VARIIS MENTIS STATIBUS IN ORDINE AD VERITATIS ASSECUTIONEM.

Quintuplex status in ordine ad verum assequendum

33. Assequi veritatem est assequi cognitiones objectis conformes. Varii autem sunt status mentis in ordine ad veritatis assecutionem: nimirum status *ignorantiæ*, *dubii*, *suspi-*

(1) *Quæstion. philos.*, tom. 1, quæst. 60, ad 2.um et 3.um

(2) *Trienn. philosoph.*, t. 1, disp. 5, quæst. ult., art. 1, *Quæritur* 2.°

(3) *Philosoph. perip.*, lib. 1, disp. 3, quæst. 2, sect. 2, paragr. 2.

cionis, opinionis et *certitudinis*. Cujus divisionis hæc reddi ratio potest. Circa objectum enim quodlibet vel habet mens aliquam cognitionem vel nullam. Si omni careat cognitione, versatur in *ignorantia*. Si aliquam habeat cognitionem; vel hæc iterum cognitio continet assensum ac judicium, vel non. Si non, adest *dubium*, quando neque adest inclinatio ad judicandum, et *suspicio* quando adest propensio aliqua impellens ad judicium. Si vero judicium contineat; vel firmum atque infallibile, vel formidolosum ac fallibile; et cum cognitio habet judicium firmum, adest *certitudo; opinio* vero, quando judicatur cum formidine oppositi ac titubatione (1).

De singulis agendum est seorsim:

CAPUT I.

DE COGNITIONIBUS INCERTIS

ARTICULUS I.

De ignorantia, dubio, ac suspicione.

Quid ignorantia:

34. **Ignorantia** importat *scientiæ privationem*. Et potest esse vel *totalis* vel *partialis*, prout vel nulla omnino, vel aliqua cognitio habeatur. Ignorantia, saltem partialis, est patrimonium commune mortalium in hac misera vita; fieri enim non potest, quin vel doctissimos homines plurima lateant.

Quotuplex.

Distingui potest a nescientia,

Ignorantia distinguitur a *nescientia* et *errore*. Nam *ignorantia* in *hoc a nescientia differt, quod nescientia dicit simplicem* **scientiæ negationem**; *unde cuicumque deest aliquarum rerum scientia, potest dici nescire illas: ignorantia vero impor-*

(1) Cfr. S. Thom. 3.a dist. 23, q. 2, a. 2; *de Veritate*, quæst. 14, art. 1; 1, 2. quæst. 67, a. 3; 2. 2. q. 2, a. 1; lib. 1.a *Poster. Analyticor.*, lect. 1.

Mentionem *fidei* nullam in hac divisione facimus, quia *fides* non distinguitur ab aliis cognitionibus nisi ex formali motivo assensus; atque indifferens est ex generali ratione ad opinionem ac certitudinem. Aliquid tamen de ipsa etiam dicetur suo loco.

tat **scientiæ privationem**, *dum scilicet alicui deest scientia eorum, quæ aptus natus est scire* (1).

et ab errore.

Ab errore autem differt, quia error, ut supra vidimus, est actus positivus, nimirum judicium objecto dissonum. Quare error contrarie opponitur veritati, ignorantia autem privative (2).

Quid dubium:

35. **Dubium** est hæsitatio mentis in neutram contradictionis partem inclinantis. Duplex est: alterum *positivum*, *negativum* alterum. Dubium negativum adest, cum neque ad assensum neque ad dissensum apparet ratio sufficiens; quare videtur in ignorantiam partialem recidere. Cum enim hujusmodi dubium occurrit, revera non habetur nisi levis quædam objecti notitia. Ita dubitamus vel potius ignoramus, num astra sint paria.

duplex est: negativum et positivum:

Dubium vero positivum adest, cum hinc inde menti objiciuntur rationes, minime tamen pares assensui aut dissensui extorquendo (3).

item prudens et imprudens.

Dubium potest quoque *prudens* esse, vel *imprudens* ac *temerarium*. Prudens est, cum adsunt rationes suspensionem judicii suadentes. Imprudens vero, si secus accidat. Sic imprudenter quis dubitaret de consecratione hostiæ, super quam videt sacerdotem solemnem consecrationis formulam pronuntiare: imprudenter etiam dubitat, num baptizatus revera sit, qui parochi sui testimonium habet de proprio baptismo.

Suspicio· differt a dubio.

36. **Suspicio** est propensio quædam mentis ad judicandum (4). Convenit proinde cum dubitatione, quia utraque carentiam importat judicii, differt autem ab ea, quia suspicio inclinat ad unam partem contradictionis amplectendam;

---

(1) S. Th. 1, 2. quæst. 76, a. 2. Cfr. *de Malo*, q. 3, a. 7.

Alia etiam divisio ignorantiæ proponitur a S. Thoma (lib. 2 *de Anim.*, lect. 11, paragr. *c.)* in ignorantiam *secundum simplicem negationem* et ignorantiam *secundum pravam dispositionem*, prout adsit mera ignorantia rei vel ignorantia adjuncta cum errore opposito. Cfr. *de Malo*, quæst. 3, a. 7.

(2) Cfr. S. Th. 4.° Dist. 30. quæst 1, a. 1. ad 1.um; *de Malo* q. 3, a. 7. Recole superius notata *(Logic. Majori*, disp. 1. cap. 1, art. 2, n. 6 seqq.)

(3) Divisionem hanc explicat Angelicus Doctor in quæst. 14 de *Veritate*, a. 1, *Sic igitur intellectus noster possibilis*, etc.

(4) Cfr. S. Th. 2. 2. q. 2, art. 1.

dubitatio autem *proprie dicit indifferentiam judicii rationis respectu utriusque partis contradictionis, ita quod neutrum præeligat alteri* (1).

Radix suspicionis. Radix suspicionis potest esse vel in subjecto vel in objecto. Aliquando enim oritur suspicio ex ipsa dispositione affectuque animi, qui etiam absque rationibus objectivis ad certum aliquod judicium inclinatur: talis enim est indoles non paucorum hominum (2). Sed hæc est imprudentissima suspicio. Sæpe autem aliæ occurrunt objectivæ rationes pro una parte contradictionis, leves quidem, sed sufficientes ad inclinandam mentem ad assensum, licet non sufficiant ad assensum de facto prudenter suadendum. Ad suspicionem vel potius ad opinionem revocari potest

Conjectura. **Conjectura** vel **conjectatio**, quæ in eo consistit, quod ex quibusdam signis non penitus infallibilibus adducimur ad aliquid judicandum vel opinandum (3).

ARTICULUS II.

De opinione et probabilitate, ubi pauca de fide.

Quid opinio. 37. Opinio est *actus intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius* (4), seu assensus vel dissensus præstitus alterutri parti contradictionis cum formidine oppositi. Ubi clara sunt omnia præter ultimam particulam *cum formidine* oppositi. Quid enim est *formido*, inquies?

Quid formido. Formido proprie ac formaliter est affectio facultatis appetitivæ, nimirum *timor*, seu affectus in appetitu genitus ex apprehensione mali propinqui et impendentis (5). Intellectui

---

(1) S. Bonavent. 3.° distinct. 17, dub. 3; Cfr. S. Th. lib. 1. *Poster. analyticor.*, lect. 1.

(2) Cfr. S. Th. 2. 2. q. 60, art. 3.

(3) Vide S. Th. 1. 2. q. 112, art. 5.

(4) S. Th. 1. p. q. 79, a. 9, ad 4.um Vide Arist. 1.° *Poster.* c. 26: et ib. S. Thom. lect. 44, et Mauri in Paraphrasi c. 24. Cfr. S. Thom. 1, 2. q. 67, a. 3. in corp.; 2. 2. q. 1. a. 5. ad 4.um; *de Veritate*, q. 14, a. 9, ad 6.um

(5) Cfr. Aristot., lib. 2 *Rhetoricor.*

ergo timor ac formido solum improprie tribui potest, in sensu videlicet causali; et significat actum aliquem, qui formidinem ac timorem generat deceptionis in voluntate. Quisnam porro actus intellectus hanc habet virtutem? Illa cognitio et apprehensio, qua existimetur rem aliter quoque posse esse, ac proinde in hoc vel illo proferendo circa illam judicio, aliquod adesse periculum errandi. *Nemo arbitratur se* **opinari**, scribit Aristoteles, *quando arbitratur fieri non posse, ut aliter res se habeat, sed tunc putat* **se scire**. *Verum quando arbitratur esse quidem rem ita, existimat autem et aliter se habere posse, nihil prohibet illum tunc opinari, quia talis quidem rei* **est opinio**, *necessaria vero* **scientia** (1). Nam cum existimat intellectus rem alitere sse posse, nequit non voluntas deceptionem formidare.

Formido prudens et imprudens,

38. Formido potest esse *prudens* et *imprudens*. Prudens est, quæ motivum habet sufficiens ad timendam falsitatem: imprudens vero, quæ non fulcitur ejusmodi motivo. Prudentis enim viri est non formidare, nisi cum adest ratio formidinem suadens. Sola autem *possibilitas* absoluta erroris non potest prudentem gignere formidinem. Prudens enim non est formidare, nisi quando adest mali periculum, periculum autem est appropinquatio mali. Atqui sola possibilitas erroris non est propinquitas erroris. Ergo sola possibilitas absoluta deceptionis non sufficit ad prudentem formidinem.

undenam gignatur.

Est autem sufficiens motivum *probabilitas* aut etiam *moralis possibilitas* erroris, ex eo quod sæpe in similibus casibus error contingat, vel ex eo quod error hic et nunc contingere possit absque læsione principiorum essentialium et absque ullius violatione legis, sive physicæ sive moralis.

Formido ita explicata quandoque est necessaria, quandoque libera. Est necessaria, quando evidens est ac manifesta fallibilitas motivi atque infirmitas; tunc enim non potest non judicari erroris periculum. Ut si quis audiat loquentem hominem, quem sæpe deprehendit mendacem, nequit absque formidine narrationi illius assentiri, nisi forte aliunde constaret impossibilitas mendacii in casu præsenti. Alias vero non est evidens infirmitas motivi, sed tantum probabilis, et tunc

(1) Arist. lib. 1., *Poster analyticor.*, cap. 26 (ad 33). Cfr. S. Th., ib., lect. 44, paragr. *e;* et alii commentatores ibid.

libera relinquitur voluntati formido, et potest imperio illius aut præcipi aut etiam impediri (1).

Formido formalis seu actualis, et radicalis seu potentialis.

Formido hactenus declarata vocatur *formalis*, quia est verus et formalis actus mentis, vi cujus advertimus et judicamus nos aliquam propositionem amplectendo in deceptionis periculo versari. Et quando hic timor existit in mente, revera duo actus ponuntur ab illa: alter, quo directe judicamus circa materiam propositam; alter vero concomitans, quo reflexe judicamus in illo directo judicio periculum adesse falsitatis: et in hoc secundo actu reflexo consistit formalis formido in superioribus explicata.

Præter hanc autem formidinem altera distinguitur a multis formido, *radicalis* seu *permissiva*, quæ est potentia formidinis formalis. Sæpe enim dantur judicia motivis incertis, aut non prorsus firmis, vel saltem non evidentibus, innixa, in quibus, licet forte de facto ob ignorantiam, temeritatem, imprudentiam aut passionem judicantis, non adsit *actualis* ac *formalis* formido, tamen adest potentia formidandi, orta ex fallibilitate aut saltem obscuritate fundamenti, quæ si pacate consideretur a mente, facere debet illam formidare (2).

Sufficit radicalis formido ad opinionem.

Et hæc formido potentialis videtur sufficere ad hoc ut assensus sit opinativus, licet intellectus ob quamcumque demum causam actu non formidet (3); quamquam nonnulli Thomistæ censeant apud Rubium et Quiros (4), formidinem actualem esse de ratione opinionis. Nihilominus probari potest formidinem actualem non esse de essentia opinionis ex manifesta experientia, quia passim docti homines in scien-

---

(1) Cfr. de his P. Haunoldus, *De Fide*, Controv. 5. n. 244-251; et Cardin. Lugo *de Fide*, disp. 6, sect. 1, n. 23; Ripalda, *de Fide*, disp. 11, sect. 3, n. 28 seqq.; De Benedictis, *Logic.*, lib. 4, quæst. 3, cap. 3.

(2) Lossada, *Logic.*, tract. ult., disp. 2, n. 35; Cardin. Ptolom. *Philosoph. mentis et sensuum*, Dissert. 37. *Logico-Physic.*, n. 7; Mastrius, *Disputationes in Organ. Aristot.* seu *Logic.*, disp. 14, quæst. 1.a Cfr. Joann. a S. Thoma., *Logica*, quæst. 26, art. 4; Mayr., *Philos. Perip.* Part. 1, disp. 6, n. 967.

(3) Vide P. Anton. Rub., *Log.*, lib. 1.o *Poster.*, tract. 3. de *Opin.* et *fid. human.*, q. 1.; Ant. Bernald. Quiros, *Curs. Philos.*, tract. 2, part. 6, disp. 35, sect. 1, a n. 3; Fonsec. lib. 6.o *Metaph.*, cap. 1, q. 1, sect. 4, ad 4.um; Mastrium aliosque AA. statim citandos.

(4) Locis citatis.

tiis propugnant opiniones absque actuali formidine de opposito, ut videre est in variis systematis, quæ magno animorum æstu solent in disputationibus librisque scriptis tractari.

Item sunt plures alii, qui res incertas, immo et manifestos errores non minori pertinacia nec infirmiori adhæsione mentis, nihil dubitantes, defendunt, quam res certissimas et necessarias, ut jam pridem notaverat Aristoteles (1): ex quo etiam colligitur de formidine tantum virtuali esse interpretanda quædam vel Philosophi vel S. Thomæ loca, in quibus docetur de ratione opinionis esse formidinem.

Est ergo opinio assensus formidolosus, seu judicium essentialiter continens oppositi formidinem, sive actualem ac *formalem*, sive saltem potentialem ac radicalem (2), quia non est infallibilis, sed errori obnoxius, ac proinde incertus. Et in hoc differt opinio ab actu *scientiæ*, nam de opinionis, quantumvis probabilis, essentia est, ut sit fallibilis, vel indifferens ad verum vel ad falsum; de ratione vero *scientiæ* est, ut repugnet natura sua falsitati, seu sit actus infallibilis (3). Quæ causa est etiam, cur sæpe S. Thomas scripserit habitum opinionis esse non posse virtutem intellectualem. Quia proprium est virtutis intellectualis esse bonam intellectus qualitatem; et quoniam bonum intellectus est verum, virtus intellectualis debet esse habitus ad verum semper inclinans. At vero opinio non est habitus hujusmodi, sed indifferenter se habet ex natura sua sive ad verum sive ad falsum (4).

Proprietas opinionis, quod possit falsa esse.

Dices 1.° Dantur assensus opinativi intrinsece ac necessario veri, illi nempe, qui versantur circa objectum necessarium aut impossibile, illudque, prout in se ipso est, enunciant. Atqui repugnat assensum intrinsece ac necessario

(1) Vide Arist. lib. 6.° *Ethicor.* c. 3; et ib. S. Thom., lect. 3.

(2) S. Thom. 1. 2. q. 67, a. 3; et vide Conimbricenses., *Dialect.* t. 2. In cap. 26 de *Scient.* et *Opin.*, quæst. 1, art. 4.

(3) Vide Fonseca lib. 6 *Metaphys.*, cap. 1, q. 1; Conimbr., Rub. Tolet. aliosque passim veteres auctores in Lib. 1.um *Posterior. analytic.*, cap. 26, cum Aristot. ibid. et S. Th. ibid. lect. 46.

(4) Vide S. Doctorem 1. 2. q. 55, a. 4; q. 57, art. 2, ad 2.um; 2. 2. q. 1. art. 3, ad 1.um; *de Verit.* q. 14, a. 8; q. 18, a. 6; *de Virtutib.*, q. 1, a. 2. Cfr. lib. 1.us *Contra Gent.*, cap. 61; lib. 6 *Ethicor*, lect. 3. initio.

verum esse falsum. Ergo verum non est omnem actum opinionis esse indifferentem sive ad verum sive ad falsum.

Resp. *neg.* Maj. quoad 1.um, videlicet quod dentur assensus opinativi intrinsece veri.

Dist. Maj. quoad 2.um membrum: dantur assensus probabiles *necessario* veri, necessitate extrinseca proveniente ab objecti necessitate naturali, *conc.*, necessitate intrinseca, orta ex exigentia ipsius actus, *neg.*

Conc. Minor. quoad 1.um membrum: quoad 2.um *contradist.:* tum *neg.* conseq.

Dices 2.° Saltem opinio prudens nequit falsa esse. Et ratio est, quia prudentia est virtus intellectualis. Virtus autem intellectualis, ut nuper notabamus cum Angelico, falsitate infici aut ad falsitatem inclinare nequit. Ergo vera generatim non est doctrina, statuens assensum opinativum indifferenter posse esse verum vel falsum.

Resp. neg. assert. Nam in opinione prudenti duplex actus distinguendus est; alter est ipse formalis assensus opinativus, quo enunciatur aliquid cum formidine oppositi, alter vero est actus prudentiæ dictans assensum hic et nunc adhiberi posse pro merito motivorum. Et hujusmodi quidem dictamen, a prudentia profectum, verum est; at assensus formalis opinionis, qui simul cum hoc actu prudentiæ, ponitur, falsus esse potest.

Quale objectum opinionis

Hinc judicari potest, qualenam sit objectum *opinabile*, seu circa quod opinio versatur, ad differentiam objecti *scibilis*, seu certo cognoscibilis. Nam quoniam actus certus et scientificus, ut mox explicabitur, infallibilis est, oportet, ut habeat objectum necessarium, seu tale, quod nequeat aliter esse, sive absolute sive hypothetice. E converso objectum opinionis, aliquo saltem modo, est contingens.

Verum quia non semper opinio versatur circa objecta, in seipsis contingentia, sed non raro terminatur quoque ad objecta in se necessaria, quæque sunt proinde, per se loquendo, objecta scibilia; videndum est accuratius, quale debeat esse objectum opinabile, atque adeo quomodo distinguatur actus scientiæ ab actu opinionis ex parte objecti.

Primum ergo, est objectum peculiare ac proprium opinionis, circa quod versari nequit actus certus et scientificus,

nempe objectum contingens seu indifferens ad utrumlibet, *quatenus tale:* Hoc pacto futura contingentia, *quatenus adhuc continentur in dispositione causarum, et nondum sunt in se ipsis*, nequeunt esse objectum scientiæ et cognitionis certæ, sed solum opinativæ cognitionis. Et in hoc sensu docet S. Thomas, et alii communissime, ut in Theologia videbimus, futura contingentia, *prout futura*, seu *spectata secundum causarum dispositionem*, ne a Deo quidem certo cognosci posse.

Deinde objectum etiam necessarium potest esse opinabile, seu non sciri, sed opinative dumtaxat attingi, si cognoscatur per medium pure probabile, seu non necessario connexum cum enuntiabilis veritate. Ut si asseras animi humani immortalitatem ex sola auctoritate viri docti; testimonium enim viri docti potest fallere, talisque est naturæ, ut non inferat necessario veritatem rei testatæ.

Denique licet objectum sit in se necessarium; et cognoscatur etiam ex medio per se infallibiliter connexo; potest adhuc esse opinabile, si desit evidentia. Objecta enim inevidentia cum non sint aciei mentis sufficienter proportionata, non repugnant illam in eorum contemplatione decipi (1).

Quare actus, qui aut objectum pure contingens attingit, aut objectum quidem necessarium attingit, non vero ex medio necessario, aut saltem non evidenter, actus opinativus est; nec certus esse potest, qui non versetur circa objectum necessarium et evidens, atque ex medio necessario et evidenti, si sermo sit de actu certo *naturalis ordinis*. Et sic patet quale sit objectum opinabile, et quomodo ab objecto scibili vel certo discriminetur.

Opinio probabilis et improbabilis.

39. Opinio dividitur in *probabilem* et *improbabilem*. Improbabilis est, cum non suppetunt, aut certe non cognoscuntur rationes sufficientes ad assensum etiam formidolosum. Probabilis est, quæ solido nititur fundamento, non tamen tam gravi, quod valeat ad expellendam omnem formidinem (2).

(1) Cfr. Tolet. in 1. p. q. 1, a. 2. *Hic unum debes notare.*; *Logic.* lib. 1.° *Posterior.* cap. 26, *Unde triplex est opinabile.*

(2) *Probabilia enim sunt, inquit* Stagirita, (1.° *Topicor.* cap. 1.°) *quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, et his, vel omnibus, vel plurimis, maxime notis et claris.* Hujusmodi autem hominibus probari nequeunt, nisi quæ solido fulciuntur pondere motivorum.

Opinio prudens et imprudens.

Cui divisioni affinis est illa alia in *prudentem et imprudentem* seu *temerarium*. Prudens est illa, quæ regulis prudentiæ conformis est, seu quæ gravi nititur fundamento attente et mature examinato. Postulant enim regulæ prudentiæ in primis ut ante assensum diligens præmittatur examen et consideratio, quantam, judicio gravium virorum, res proposita meretur. Deinde vero eadem prudentia dictat, ut firmitas assensus merito rationum ac motivorum adamussim respondeat. Imprudens vel temeraria e converso est illa, quæ legibus prudentiæ repugnat, seu quæ aut non nititur gravi motivo, aut illud non satis expendit, assensumve continet firmiorem, quam postulet rationum pondus. Potest tamen imprudens opinio vera esse, sicut e converso prudens ac prudentissima falsa esse potest.

Facile porro vides, aliud requiri ad prudenter opinandum, aliud ad prudenter suspicandum, aliud ad prudenter dubitandum. Unde circa eamdem omnino rem potest prudens haberi opinio, circa quam esset imprudentissimum dubitare. Et e converso ratio, quæ suadet prudens dubium et assensus suspensionem, potest impotens esse ad imperandam prudentem opinionem.

Probabilitas et improbabilitas.

40. **Hinc patet** quid sit *probabilitas* et *improbabilitas* opinionis. Probabilitas (1) est pondus ac robur rationum sufficiens ad suadendum prudenter assensum formidolosum: et improbabilitas est infirmitas motivorum, quæ non valent ad prudentem assensum permovere.

probabilitas intrinse a et intrinseca.

Probabilitas duplex est, *intrinseca* et *extrinseca*. Extrinseca est illa, quæ petitur ex auctoritate Doctorum, qui sententiam aliquam profitentur: et mensuranda est non tam ex *numero* quam ex *pondere* ac doctrina illorum. Intrinseca probabilitas est, quæ derivatur ex aliis motivis, quam ex auctoritate, nimirum vel ex motivis, objecto ipsi internis, vel ex ejus causis, effectibus, ac signis ipsius generatim.

Quo sensu

Dici a quibusdam solet extrinsecam probabilitatem supponere intrinsecam. Ego rem sic intelligo; extrinseca probabili-

(1) Vocatur etiam *verisimilitudo*. Hinc S. Bernardus (lib. 5. *de Consider.* c. 2) scribit: *Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potius, quam apprehendit.* Cfr. S. August., *Contra Academ.* lib. 3, c. 15.

tas supponit intrinsecam hoc sensu, ut nullus Doctor veram auctoritatem habeat fundetque probabilitatem extrinsecam, nisi generatim sententias amplectatur, gravibus nixas fundamentis objectivis; unde in re quavis proposita præsumi ac credi possit illum solidis duci motivis. Non vero extrinseca probabilitas supponit intrinsecam eo sensu, ut nunquam possim amplecti sententiam, quam tuentur graves DD., quin mihi compertæ sint et probentur intrinsece rationes, quibus illi suam stabiliunt doctrinam. Secus enim rudibus esset impossibile in multis materiis ullam prudenter sectari opinionem, cum impares prorsus sint investigandis intelligendisque rationibus intrinsecis atque objectivis.

extrinseca probabilitas intrinsecam supponat.

Dividitur etiam probabilitas in *absolutam et relativam* seu *comparativam:* unde opinio redditur *absolute* vel *relative* probabilis. Opinio est absolute probabilis si absolute ac solitario considerata probabilitatem habet: relative autem, si etiam spectata contraria opinione suam retinet firmitatem ac probabilitatem (1). Sciendum namque est, quod

Probabilitas absoluta relativa.

Major opinionis alicujus probabilitas non necessario destruit minorem, atque adeo dari opiniones relative probabiles. Et ratio est, quia ut major unius opinionis probabilitas eo ipso redderet improbabilem contrariam sententiam, oporteret, ut rationes fortiores illius vim destruerent argumentorum alterius. Atqui id non semper ac necessario evenit. Ergo...

Major non elidit minorem.

Major patet. Quia nisi rationes minus fortes elidantur fortioribus, suum retinent robur ac probabilitatem.

Minor. Quia non semper rationes unius opinionis sunt contradictoriæ aut contrariæ rationibus alterius, sed sæpe disparatæ, atque ex diversis capitibus petitæ. Tunc ergo rationes illæ se habent instar diversorum colorum, qui licet varient in intensitate, non desinunt esse visibiles.

Quin etiam, quamvis aliæ aliis rationibus contrarie aut contradictorie opponantur, fieri potest ut non *evidenter* sese

(1) Alii tamen, potissimum recentiores, rem aliter explicant, illamque vocant *absolutam* probabilitatem, quæ, spectata natura mentis humanæque voluntatis, vim habet permovendi hunc vel illum pro peculiari ejus ingenio et conditionibus personalibus. Vide P. Gury in sua *Morali Theologia*, et PP. Tongiorgi et Palmieri in *Logica*, ubi de hac materia disputant.

oppugnent. Neque tunc ergo probabilitas unius opinionis adversam probabilitatem perimet.

Dices: Oppositæ probabilitates se habent ut vires mutuo confligentes, aut pondus aliquod in opposita extrema trahere conantes. Atqui in ejusmodi virium conflictu major vincit minorem. Ergo...

Resp. dist. Major. Se habent tamquam vires idem pondus in opposita extrema trahere conantes, ita tamen, ut neutra vim habeat sufficientem ad movendum pondus, *conc.* aliter *neg.* Etenim rationes probabilitate sola gaudentes vim non habent ad extorquendum assensum, nisi accedat voluntatis imperium: ideoque non solum minor sed major etiam probabilitas nequit intellectum permovere, nisi superveniat voluntatis impulsus, quo superveniente, minor quoque probabiliter potest ad assensum inclinare.

Minorem etiam *distinguo.* In hujusmodi virium conflictu major vincit minorem, destruendo illam, *neg.* prævalendo supra illam, *conc.*

Cæterum opinio, quæ, spectatis contrariis rationibus, suam non conservat probabilitatem; haud videtur nomen mereri probabilis opinionis (1).

Opinio relative probabilis potest esse minus vel æque probabilis, probabilior et probabilissima.

41. Opinio vero relative probabilis potest esse *minus, æque* aut *magis* probabilis, quam sua opposita, imo et *probabilissima.* Opinio vero *probabilissimæ* opposita eo ipso fit *leviter* probabilis aut *improbabilis:* id quod a fortiori dicendum est de opinione opposita sententiæ alicui quomodolibet *certæ,* prudens quippe non est certæ doctrinæ reluctari. Contingere etiam potest, ut opinio aliqua, etiamsi non sit probabilissima, sit tamen unice probabilis, propterea quod non adsint rationes graves, nisi pro una parte contradictionis: quo in casu altera quidem erit improbabilis, non tamen necessario falsa. Jam enim monuimus posse opinionem, etiam probabilissimam, falsam esse, et consequenter contradictoria ejus, utcumque improbabilis, vera esse potest. Quo spectat illud effatum: *Multa sunt falsa probabiliora veris.*

---

(1) Cfr. Card. Ptolom., *Philosoph. mentis* et *sensuum*, dissert. 37. *Logico-Physica*, n. X.

Quod pondus reputandum sit grave, ut probabilitatem efficiat.

Sed quæres, quodnam tandem rationum pondus reputandum sit *grave*, ut illi subnixa opinio probabilis habeatur. Difficile sane est certam hac in re præscribere regulam, materia enim prudentialis arbitrio prudentum relinquenda est.

Dici tamen in primis potest, ad motivi gravitatem non tantum pondus requiri, quod errandi periculum omne removeat. Motivum ergo probabilis opinionis non debet esse infallibile, aut saltem non debet tamquam infallibile clare atque evidenter cognosci. Secus enim excluderet omnem formidinem; est autem essentiale opinioni esse assensum formidolosum, ut superius declaravimus.

Deinde ad probabilitatem opinionis per se non sufficiunt argumenta negativa, quæ solummodo dissolvant contrarias rationes. Sola enim objectionum solutio non alium effectum secundum prudentiæ dictamen obtinere potest, quam ut contrarius assensus suspendatur.

Illa ergo gravis ratio generatim dicenda est, cui innixus vir prudens judicare possit absque ulla levitatis temeritatisque nota. Id vero quandonam locum habeat, ubi de intrinseca probabilitate est sermo, judicio prudentum permittendum est; si autem agatur de extrinseca probabilitate, id certo statui potest, auctoritatem plurium Doctorum ingenio ac doctrina præstantium, qui res solent solide pacateque pertractare, si in eamdem sententiam conspirent, esse grave fundamentum. Verum de his plura docebit Moralis Theologia.

Non est idem probabile ac possibile.

42. **Colliges hinc**: 1.° non idem esse *probabile* ac *possibile*. Multa sunt possibilia, quæ probabilia non sunt, immo falsa esse constat evidenter.

Opinio importat aliquam improportionem objecti cum facultate, nimirum obscuritatem atque inevidentiam.

2.° Opinionem supponere in objecto aliquam improportionem cum intellectu, ideo enim *opinamur*, quia objectum respectu nostri non habet vim sufficientem ad extorquendum assensum constantem omnique carentem formidine. Si enim objectum esset rite propositum ac proportionatum viribus intellectus, hunc ad firmam adhæsionem determinaret.

Dantur nimirum objecta, quæ omnium hominum captui ac lumini intellectuali accommodata sunt, et hæc ab omnibus certo atque evidenter cognoscuntur. Alia sunt objecta pro omnibus omnino dubia et imparia ulli assensui persuadendo, et peculiari vocabulo nominantur *neutra*. Alia sunt pro omni-

bus generatim probabilia. Alia demum pro aliis probabilia, pro aliis improbabilia, pro his magis aut minus probabilia, aut etiam certa, pro majori ingenii vi, cultura, studio, meditatione, aut etiam remotione a contrariis præjudiciis, et animi affectibus, quæ non parum solent aciem mentis, ne clare videat, obnubilare (1).

Immo respectu etiam ejusdem intellectus idem objectum ex probabili reddi improbabile potest, et vicissim ex improbabili probabile, probabilius, et etiam certum.

3.° Ex hac objecti opinabilis improportione atque inevidentia procedit necessitas imperii voluntatis ad hoc, ut intellectus ponat assensum opinativum. Ipsum enim objectum sufficienter movere ac determinare nequit intellectum ad assentiendum ob suam improportionem atque obscuritatem (2). Nam *intellectus ex necessitate movetur a tali objecto, quod est semper et ex necessitate verum;* (intellige dummodo sit evidens); *non autem ab eo, quod potest esse verum et falsum, scilicet a contingenti* (3). Verum hæc eadem objecti inevidentia et periculum errandi exinde consequens efficiunt, ut nec ipsa voluntas per suum imperium, si prudenter agere velit, intellectum possit ad assensum firmum determinare, sed ad assensum dumtaxat formidolosum. Lege eumdem S. Thomam (4).

Fides.

43. **Pauca jam accipe de Fide**, quæ est assensus propter testimonium alterius. Differt proinde ab aliis assensibus in motivo, illi enim intrinsecis innituntur motivis, hæc autem extrinseco, nempe testantis auctoritate. Fidei actus habere potest certitudinem, quando nititur testimonio infallibili, ut fit in Fide divina, et in quibusdam adjunctis etiam in humana, quemadmodum suo loco demonstrabitur. Fere tamen humana fides nonnisi probabilitatem præbere potest, atque adeo assensum importat opinativum, propter fallibilitatem humani testimonii. Sed plura de his inferius (5).

---

(1) Cfr. S. Thom. 2. 2. quæst. 1, a. 5, ad 4.um

(2) Vide S. Thom. 2. 2. q. 1, a. 4; 3.° dist. 23, q. 2, a. 2, solut. 1.a; *de Veritate*, quæst. 14, a. 1.

(3) S. Thom. 1. 2. q. 10, a. 2, ad 2.um

(4) S. Thom. 3.° dist. 23, q. 2, a. 2, solut. 1.

(5) Num. 114.

CAPUT II.

DE CERTITUDINE.

Tria potissimum circa certitudinem præstanda sunt, primo conceptus illius enucleandus, tum vindicanda contra Scepticos existentia, declaranda denique quædam attributa proprietatesque.

ARTICULUS I.

Quid sit certitudo.

Certum generatim importat infallibilitatem et firmitatem.

44. Certitudo dicitur a *certo*. *Certum* autem videtur in primis infallibilitatem, immobilitatem ac firmitatem quamdam portendere (1). Sic dicitur vulgo *certus* ictus, qui scopum secure attingit; mors *certa*, quæ vitari nequit, sed infallibiliter oppetenda est; hæreditas *certa*, quæ alicui destinata irrevocabiliter est; voluntas *certa*, quæ firmiter aliquid facere decrevit. Primo tamen ac principaliter certitudo attribuitur cognitioni ac virtuti cognoscitivæ, unde in alias res derivatur eadem denominatio, quemadmodum censent communiter auctores cum Aquinate (2).

Generalissima certitudinis descriptio.

Describi autem generatim potest certitudo *firmitas adhæsionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile* (3). Tunc porro vere ac simpliciter firmitas adhæsionis habetur, quando non solum intellectus constanter ac tenaciter objecto assentitur per plenam formidinis exclusionem; sed etiam quando ipse actus ita constanter positus nequit a vero aberrare, sed infallibilitate ornatur. Ex qua definitione illud statim colligitur, certitudinem non simplicis apprehensionis, quæ adhæsionem non continet, sed judicii dotem dumtaxat

Certitudo non est dos simplicis apprehensionis, sed judicii.

(1) Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 18, a. 4.

(2) S. Thom. ibid., et 3.° dist. 26, q. 2, art. 4, in corp., et ad 1.um; et alibi.

(3) S. Thom. 3.° dist. 26, q. 2, a. 4 in corp. Cfr. *de Veritate*, q. 14, a. 1. ad 7.um

esse. Deinde firmitas hæc adhæsionis non quomodocumque accipienda est, sed ea quæ prudens sit, quæque proinde ex meritis ipsius enuntiabilis, ex motivis nempe firmis riteque perpensis enascatur. Nam certitudo ab omnibus generatim apprehenditur tamquam præstantissima perfectio cognitionis; assensus vero firmus, aut præter vim motivorum objectivorum aut inconsulte ac temere positus, certe prudens non est, nec perfectionem continet, sed vitium summopere fugiendum in scientiis. Quare firmitas illa adhæsionis, ut vere ac simpliciter certitudo nominetur, duo includat necesse est, constantiam ac tenacitatem ex parte intellectus in assentiendo per exclusionem omnis formidinis de opposito, et infallibilitatem ipsius assensus. Et sic actus simpliciter certus excludit et formidinem et fallibilitatem, quæ sunt imperfectiones actus opinativi propriæ.

Quid importet firmitas adhæsionis.

45. Verum ut in re tanti momenti distinctius et accuratius procedamus, observandum est tria in cognitione prædicari posse certa: potentia cognoscens, ipsa cognitio, et objectum, ad quod hæc terminatur: unde triplex certitudo distinguitur, *subjectiva* seu *adhæsiva*, *formalis* seu *inhæsiva* et *objectiva*. De quibus seorsim breviter est dicendum: neque enim unus idemque est trium harum certitudinum conceptus.

Triplex certitudo:

Subjectiva quid:

Certitudo subjectiva seu adhæsiva propria est potentiæ ipsius, estque firma mentis adhæsio ad objectum quod verum existimatur: et hæc videtur potissimum describi per illam Angelici definitionem, qua certitudo dicitur *determinatio intellectus ad unum* (1). Hujusmodi certitudo, ut vides, importat conditionem prorsus oppositam formidini ac trepidationi, quam adesse diximus assensui opinativo, quocirca vocatur quoque certitudo *indubitabilitatis;* nec per se necessario postulat veritatem atque infallibilitatem cognitionis, quæ sic absque formidine actuali ponitur ab intellectu. Nam constantia et tenacitas adhæsionis formidinem excludentis ex triplici capite potest existere: α) ex eo quod, rite penetratis rationibus ac motivis, firmum assensum persuadentibus, nullum detegatur erroris periculum et causa formidandi: β) ex eo quod

non postulat necessario veritatem.

(1) 3.ª dist. 23. q. 2, quæstiunc. 3, in corp.

leviter atque inconsulte motivis haud satis perpensis, judicium proferatur: γ) denique ex voluntatis imperio, sive prudenti sive imprudenti. Ita etiam, quod quis per campum gradiens, nullas formidet insidias, fieri potest, vel quia post locum bene lustratum nullæ reperiuntur; vel quia ex animi levitate ac præcipitantia non satis attenditur ad pericula, quæ latere possunt; vel demum quia voluntas non sinit aliquos excitari timoris motus, vel subortos compescit. Quare vides jam certitudinem subjectivam non postulare ex sua natura veritatem actus infallibilitatemque.

Formalis certitudo quid.

46. **Formalis certitudo seu inhæsiva** propria est cognitionis, definiturque *necessaria et intrinseca connexio actus cum objecto;* vel *infallibilitas cognitionis, cui falsum subesse nequit;* vel si mavis, *intrinseca repugnantia cognitionis cum falsitate* (1). Hæc ergo certitudo primum importat in actu cognitionis connexionem ipsius et conformitatem cum objecto, scilicet veritatem. Id tamen potest etiam actui opinativo convenire, nam sunt quoque opiniones veræ. Addit ergo formalis certitudo aliud, per quod ab opinione discriminatur, nempe ut connexio, quam habet cum objecto, *intrinseca* sit ac necessaria; nam actus formaliter certus talem habet tendentiam, ut *ex sua natura et exigentia* sit infallibilis, omnique repugnet falsitati.

Quid differant actus verus, opinativus et formaliter certus

Hinc patet, quantum distent inter se actus *verus*, *opinativus* ac formaliter *certus*. Non enim omnis actus verus est

(1) Vide Joann. Martinez de Ripalda, *de Fide*, disp. 11, sect. 2; Suar. *de Fide*, disp. 6, sect. 5; Molina in 1 p. q. 1, art. 5; Haunold., *de Fide*, Controvers. 4, n. 271; Conimbric., *Dialect.*, in lib. 1.um *Posterior.*, cap. 26, quæst. 1, art. 3; Hurtad., *de Anim.*, disp. 8, sect. 4; Izquierd., *Pharus scientiar.*, disp. 5, quæst. 1; Cardin. Ptolom., *Philos. mentis et sens.*, dissert. 35 *Logico-Physica;* Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 2, cap. 1, n. 4. etc.

Estque definitio hæc omnino ad mentem Aquinatis, qui non uno in loco certitudinem per infallibilitatem cognitionis declarat. *Est...* inquit, *aliquis rationis processus necessitatem inducens, in quo non est possibile esse veritatis defectum; et per hujus rationis processum scientiæ certitudo acquiritur.* Lib. 1.° *Poster. Analyt.*, lect. 1, paulo post initium. Cfr. 1. 2. q. 40, a. 2 ad 3.um; 2. 2. q. 18, a. 4; *de Verit.*, q. 6, a. 3; *de Virtutib.*, q. 4, art. 1. ad 10.um; 3.° dist. 26, q. 2. a. 4. in corp.; 1.° *Posterior. Analyt.*, lect 44, paragr. *c.*

certus, sed potest esse etiam opinativus. Si verus est solummodo extrinsece, propterea quod objectum ita de facto se habet, licet ipse per se indifferens sit, ex specifica sua natura modoque tendendi, sive ad veritatem sive ad falsitatem; opinionem dumtaxat constituit, neque ad formalem certitudinem pertinget, dum talis non sit, qui ex ipsis intrinsecis prædicatis suis determinatus sit ad veritatem (1).

Probatur allata certitudinis formalis definitio.

47. Ita explicata definitio certitudinis formalis probatur. Nam actus formaliter certus distingui debet ab omni actu formaliter incerto. Atqui distinguitur sufficienter per hanc intrinsecam infallibilitatem et connexionem cum veritate. Omnis enim cognitio incerta indifferens est secundum se cum objecti sui existentia et possibilitate: unde etiamsi objectum non esset aut etiam repugnaret, idem ipse actus manere posset, eodem modo referens illud.

Præterea «cognitio intrinsece affixa objecto vero, a scopo veritatis aberrare non potest. Cognitio autem suapte natura semper attingens scopum veritatis, et ex se nunquam potens errare ab illa, incerta non est» (2).

Radix certitudinis et infallibilitatis in actu.

Jam si quæras, undenam possit advenire actui certo hæc intrinseca connexio cum veritate, respondebo eam ex duplici capite oriri posse: α) ex principio *efficienti:* β) ex *principio formali* seu *motivo*. Ex principio efficienti habent absolutam infallibilitatem actus supernaturales cognitionis, eliciti ex auxilio gratiæ; repugnat enim actus productos ex concursu auxilii supernaturalis falsitate turpari, quemadmodum supponimus ex Theologia. Ratione principii formalis connectuntur intrinsece cum veritate actus illi, qui ex tali motivo seu fundamento ponuntur, quod necessario inferat enuntiabilis veritatem. Sic impossibile est cognitionem innixam auctoritati divinæ, aut motivo evidenti, falsam esse.

Quid objetiva certitudo.

48. **Tandem objectiva certitudo** aliud non est, quam ipsa objecti seu enuntiabilis necessitas. Et videtur esse denominatio, quæ ab actu *certo* derivatur in objectum ipsius. Quemadmodum enim objectum transcendentaliter seu meta-

---

(1) Vide Ripalda, qui præclare de hac re, loc. cit., sect. 1, n. 5, 6 seqq. Cfr. Hurtad. et Izquierdo locis citatis.

(2) Ripalda, ibid. sect. 2, n. 11.

physice verum est ens, quod vera cognitione cognoscibile est, ita etiam dicitur objectum seu enuntiabile certum illud, quod cognitione certa potest attingi. Ubicumque autem actus certus invenitur, objectum ejus aliquam habeat necessitatem atque infallibilitatem, oportet. Necessitas porro est impossibilitas oppositi, vel determinatio ad unum; sicut e contrario contingentia est indifferentia ad unum vel aliud. Illud quippe necessarium dicimus, quod ita est, ut aliter esse non possit.

Quid et quotuplex necessitas.

Jam necessitas hæc multiplex esse potest, primo enim dividitur in *essentialem* seu *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*. Essentialis seu metaphysica est illa, quæ derivatur ex relationibus rerum essentialibus, ideoque insuperabilis est per quamcumque potentiam, etiam divinam. Talis est necessitas horum enuntiabilium: *Homo est animal: Homo non est asinus*. Necessitas physica seu naturalis est illa, quæ efflorescit ex legibus viribusque naturalibus rerum ad certo quodam modo agendum determinatis: estque insuperabilis per omnem creatam virtutem, et solum per miraculum omnipotentiæ divinæ vinci potest. Hujusmodi necessitate determinatur ignis ad comburendum, et gravia ad ruendum in centrum, nisi fulciantur. Demum necessitas moralis propria est illa impossibilitas oppositi, quæ licet etiam per creatam virtutem et absque miraculo superari posset, tamen non solet ordinarie superari. Ita moraliter impossibile est, ut homo musicæ ignarus ita scite manus admoveat instrumento, ut integram symphoniam Rossinii sonet. In his aliisque similibus oppositum quidem nunquam contingit, sed si contingeret, non esset miraculum, multoque minus chimæra aliqua.

Necessitas moralis latior, equivalens maximæ probabilitati.

Est etiam alia necessitas moralis *latior*, quæ non est propria et stricta necessitas, et consistit in magna difficultate oppositi, quæ interdum vinci solet, licet rarius. Ita moraliter impossibile est, ut homo vitam protrahat usque ad centessimum annum, ut in diversorio dapes venenatæ ad mensam apponantur etc. Hæc latior moralis necessitas seu oppositi impossibilitas generat opinionem probabilissimam, non autem strictam certitudinem (1).

(1) Vide Card. Ptolom. Op. cit. *Dissert. Logico-Phys.* 7, sect. 2; Izquierdo, *Pharus*, disp. 2, quæst. 5, n. 281.

Necessitas absoluta et hypothetica.

Alia quoque est necessitatis distinctio in *absolutam* et *hypotheticam*. Absoluta est illa, quæ rei convenit, spectata ipsius essentia, et independenter ab omni conditione. Sic Deus necessario est immortalis, et homo est animal. Hypothetica est illa, quæ rei competit, supposita aliqua conditione. Sic mundus existere debet, supposito divino decreto de ipsius creatione. Et hanc hypotheticam necessitatem potest habere quæcumque res cæteroquin in se ipsa contingens: nam *omne quod est, necesse est esse, quando est, et omne quod non est, necesse est non esse pro illo tempore, quando non est*, inquit S. Thomas (1) cum Stagirita (2).

Quando ergo objectiva certitudo dicitur esse ipsa objecti necessitas, id videtur intelligendum de quacumque necessitate, sive absoluta, sive hypothetica, metaphysica, physica et morali stricta. Atque ita possunt conciliari diversæ auctorum rationes loquendi, aliis explicantibus objectivam certitudinem per objecti necessitatem, aliis vero per hoc, quod aliquid potest esse objectum actus certi. Quia cum certus actus ex natura sua postulet veritatem, debet terminari ad objectum aliquo saltem modo, sive absolute sive hypothetice, necessarium. Quamquam enim enuntiabile aliquod sit absolute et in se contingens, taleque, quod potuerit aliter se habere, nihilominus dum hic et nunc est certo aliquo modo, jam habet necessitatem hypotheticam, atque adeo actum certum terminare potest. Sic possem ego nunc non scribere; sed quoniam de facto scribo, jam non possum hic et nunc, dum scribo, non scribere, et ita certo cognosco scriptionem meam. Et simili modo certo cognoscimus plura facta in se et absolute contingentia, quæ experientia innotescunt, quia indifferentiam, quam ex sua natura absolute habebant, ut essent vel non essent, vel ut sic aut aliter essent, jam non amplius retinent, sed sunt ad unum determinata atque adeo hypothetice necessaria.

---

(1) Lib. 1. *Periherm.* lect. 15. Cfr. lect. 14, et 1. p. q. 14, a. 13 ad 2.um; quæst. 19, a. 3; 1. p. q. 86, a. 3; *de Verit.* q. 24, a. 1. ad 13; *Contra Gent.* lib. 2, cap. 55 in fine, et cap. 30 fin. Vide etiam Böetium, *de Consolatione Philos.*, lib. 5., prosa ult., a medio.

(2) *Periherm.*, lib. 1., cap. ult., text. 10 (alias lib. 1. cap. 9).

Comparantur invicem tres prædictæ certitudines.

49. **Jam si has tres certitudines invicem comparare velimus**, videbimus profecto: 1.° formalem esse non posse absque reliquis duabus, has vero posse sine illa. Si enim inductionem faciamus omnium actuum nostrorum intrinsece ac natura sua infallibilium, reperiemus in illis firmam quoque adhæsionem ex parte mentis, ac necessitatem, saltem hypotheticam, et consequentem ex parte objecti. Verum datur interdum firmus ac pertinax in intellectu assensus, omnem excludens formidinem, absque veritate, ac proinde sine formali certitudine; ut videre est in hæreticis, qui haud minus fortiter adhærent suis erroribus, quam catholici fidei christianæ dogmatibus; et in aliis bene multis, qui manifesta deliramenta incredibili pertinacia, securissimi nihilque titubantes sectantur (1). Quocirca recte scripsit Aristoteles: *Nonnulli... non minorem fidem habent iis, quæ* **opinantur**, *quam alii iis, quæ* **sciunt** (2). Certitudo etiam objecti potest esse sine formali, ut patet; neque enim omne objectum in se certum aut necessarium, ac certa cognitione intelligibile semper de facto formali certitudine cognoscitur, sed sæpe actus pure opinativi exercentur circa objectum in se necessarium.

2.° Certitudo objectiva minus proprie appellatur certitudo, hæc enim proprie dos est cognitionis ac virtutis cognoscitivæ; in objecto autem meram denominationem extrinsecam importat. Certitudo quoque subjectiva, nisi conjunctam habeat formalem, non meretur nomen certitudinis simpliciter, sed tantum secundum quid. Nam certitudo censetur ab omnibus tamquam perfectio cognitionis ac mentis nostræ; firmitas autem adhæsionis per se spectata, non necessario perfectionem involvit, sed potest etiam imperfectionem afferre summopere philosopho detestandam, si nimirum ex levitate atque imprudentia mentis oriatur: unde firmitas ejusmodi per se indifferens est ad veritatem vel falsitatem cognitionis. Ad rem S. Thomas: *Certitudo adhæsionis non est propria virtutis fidei. Primo quidem, quia convenit virtutibus intellectualibus, puta sapientiæ, scientiæ, et intellectui. Secundo quia convenit non solum fidei*

(1) Vide S. Thom., *Quodlib.* 6, q. 4, a. 6, in corp. et ad 1.um Cfr. 2. 2, q. 2, a. 6 ad 3.um

(2) Arist. 7.° *Ethicor.* cap. 3.

veræ, sed etiam falsæ. Sicut enim est opinio vera et falsa, ita et fides: nec minus firmiter inhæret aliquis veritati, quam falsitati, (forte contra) *ut Philosophus dicit in 7.o Ethicorum. Tertio, quia certitudo inhæsionis non semper provenit ex aliquo habitu; sed ex proprio arbitrio aliquis potest assensum suum firmare ad aliquid verum vel falsum, antequam habeat habitum* etc. (1).

3.° Certitudo adhæsiva augeri vel minui potest ex imperio voluntatis; Reliquæ vero prorsus independentes sunt a voluntatis influxa. Neque enim hæc efficere potest, ut objectum sit in se magis aut minus necessarium, vel ut cognitio aliqua magis aut minus repugnet falsitati.

4.° Denique actus formaliter certus specifice differt ab actu opinativo; actus vero tantum ex eo quod subjective certus sit, non intrinsece discriminatur ab opinione, cum infici falsitate possit, sed extrinsece dumtaxat, nimirum ratione constantiæ ac tenacitatis, quo ab intellectu ponitur absque actuali formidine ac titubatione. Quæ cum ita sint.

Nomine certitudinis simpliciter intelligenda formalis.

Nomine certitudinis simpliciter intelligenda est formalis, quæ et firmitatem in adhærendo ex parte intellectus, et infallibilitatem ex parte cognitionis ipsius complectitur, secundum illam definitionem, quam initio ex Angelico proposuimus.

Divisio certitudinis in metaphysicam, physicam et moralem.

50. Certitudo dividitur in *metaphysicam, physicam* et *moralem*. Metaphysica est illa, cujus motivum repetitur ex essentialibus rerum relationibus, aut gaudet necessitate essentiali, et impossibilitate oppositi, quæ nulla prorsus potentia superari potest. Talis est horum judiciorum certitudo: *Totum est majus sua parte: Homo est rationalis*. Physica est, cujus motivum repetitur ex legibus physicis, aut etiam ex propria sensuum experientia. Ita judico *ignem comburere; chartam hanc, in qua scribo, candidam esse, existere* etc. Moralis denique, cum sumitur per comparationem ad metaphysicam et physicam, modo declaratas, illa intelligitur, in qua motivum assensus est aliquid habens necessitatem moralem, et plerumque auctoritas humana, quæ ob constantiam legum moralium habet quandoque plenam vim gignendi assensum firmum atque infallibilitatem. Etsi enim homines pro sua libertate sæpenumero alii aliter in iisdem circumstantiis ope-

(1) S. Thom., *Quodlib.* 6. q. 4. art. 6.

rentur, tamen in pluribus casibus etiam datur in omnibus certus quidam modus agendi: hique modi constanter operandi vocantur leges morales, quarum aliqua viget, ubicumque auctoritas plenum habet robur, ut suo loco res declarabitur. Sic morali certitudine credo *existentiam Berolini*, et *bella Romanorum contra Carthaginem*, aliaque innumera facta historica (1).

Moralis ac physica certitudo in alio sensu acceptæ.

Noto interea *moralem* certitudinem ac *physicam* solere quandoque in alio sensu accipi per ordinem ad exclusionem formidinis. Nam physica dicitur illa, quæ nullam compatitur formidinem, ne imprudentem quidem. Hujusmodi certitudo habetur generatim circa prima illa principia evidentissima, quæ *axiomata* vocantur. Moralis vero est illa, quæ imprudenti aliqua formidine tentari potest, ex quocumque demum capite petantur assensus motiva. Talis adest certitudo in quibusdam demonstrationibus, quæ licet motivis metaphysicis innitantur, vel ob materiæ difficultatem vel ob minorem evidentiæ gradum, non penitus excludunt potestatem imprudentis formidinis, licet non permittant prudentem (2).

Dividitur etiam in *absolutam* et *hypotheticam*. Absoluta est illa, quæ a nulla conditione dependet, atque adeo in nullo unquam eventu fallere potest per quamque potentiam: hypothetica est, quæ conditionem aliquam subaudit, qua proinde deficiente, fallere potest. Sola metaphysica, superius descripta, est absoluta; physica vero et moralis hypotheticæ sunt, quia illa per virtutem omnipotentiæ Dei impedientis conditionem, hæc per physicam potentiam et libertatem hominis absolute deficere potest. Etenim motivum metaphysicæ certitudinis tale est, quod deficere numquam possit, etiam per virtutem divinam. Motivum autem physicæ certitudinis adhuc dependet ab aliqua conditione, nimirum ex eo

(1) Moralem hanc certitudinem indigitasse videtur Augustinus illis verbis: *Absit, ut scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum, alioquin nesciremus esse Oceanum, nesciremus esse terras atque urbes, quas celeberrima fama commendat.* Lib. 15 *de Trinit.*, cap. 12. 13.

(2) Vide Izquierdo, *Pharus scient.* disp. 5, q. 1, n. 9, 10; disp. 4, quæst. 2, n. 18; Cardin. Ptolom., *Philos. mentis et sens.*, dissert. 35 *Logico-Physic.*, sect. 3, n. 4.

quod Deus non patret miraculum, quia quamquam leges physicæ de se determinatæ sunt necessario ad unum, adhuc tamen suspendi possunt absolute. Idem dic a fortiori de motivo moralis certitudinis, quod etiam absque miraculo potest, licet dificillime, deficere.

ARTICULUS II.

De existentia certitudinis contra Scepticos.

Philosophi dogmatici et sceptici

51. Antiqua fuit ac celebris divisio philosophorum in *dogmaticos* et *scepticos*. Dogmatici contendebant omnium rerum certam cognitionem comparari posse; sceptici vero e converso nullius rei admittebant scientiam. *Videtur quibusdam, inquit Angelicus* (1), *quod nullius rei sit scientia. Quibusdam autem videtur, quod sit scientia, et quod omnium possit haberi scientia per demonstrationem. Neutrum autem istorum est verum.*

De dogmaticorum errore nihil est necesse hic dicere; unum dumtaxat notabo, contra nonnullorum calumnias, Scholasticos ac peripateticos longe abfuisse ab illa insania, ut facile per se quisque poterit scire, si veterum illorum sapientium volumina velit paulisper tractare (2).

Exponitur scepticismus.

Itaque agendum nobis hic est solummodo de scepticismo. Quamquam incredibile videatur existere potuisse Philosophos, qui omnem certitudinem ac scientiam eripere generi humano niterentur, non defuerunt nihilominus ab antiquissima ætate, qui portentosum hunc errorem acriter pertinaciterque propugnarent, *sceptici* nimirum et *academici*.

Pyrrho;

Scepticorum princeps et antesignanus habetur eleus Pyrrho, primum pictor, dein comes Alexandri Magni in bellica expeditione (3). Hic bina illa principia Socratis amplexus:

---

(1) Lib. 2.° *Posterior.* lect. 7. Vide Lactant. Firmian., *Divinarum Instit.*, lib. 3, cap. 6.

(2) Cfr. S. Thomas ibid. cum Aristotele., Lactant. Firmian. ib.

(3) Vide superius dicta in *Introductione ad univ. Philos.*, n. 29. Semina tamen Scepticismi jecisse videntur Heraclitus Ephesinus (Cfr. S. Th. 1. p. q. 84, a. 1.), et Protagoras Abderensis (Cfr. Balmes et Card. Gonzalez et Tennemann in suis Historiis Philosophiæ), et Gorgias Leontinus (ap. Gonz. ibid.)

Id solum scio, me nihil scire, et *Summum bonum est in virtute constitutum,* usque adeo progressus est, ut scientiam et inutilem et obtentu impossibilem esse contenderet.

Doctrina scepticorum est, nos apparentias solas rerum (φαίνομενα) minime vero realitatem ipsam (νοῦμενα) cognoscere (1): quævis enim propositio adversis hinc inde oppugnatur propugnaturque æqualis momenti rationibus (2): hinc ἀντιλογία et ἀντιθέσις seu etiam ἰσοσθένεια τῶν λογῶν (pugna et æquipollentia rationum) ex qua necessario consequitur ἐποχή seu retentio judicii. Quare debere sapientem sustinere seu suspendere (ἐπέχειν) judicium, et in moribus ad impassibilitatem quamdam (ἀπαθειαν) adniti. Hæc suspensio judicii vocata est (σκέψις) examen seu consideratio: Unde Pyrrhonici dicti fuerunt σκεπτικοί, ζητητικοί, et ἀπορητικοι, seu *consideratores, quæsitores, dubitatores,* quia inquirunt quidem scientiam ac certitudinem, considerant et examinant objecta cognitioni nostræ proposita, sed dubitatione contenti numquam audent judicium ferre de rebus.

Timo;

Pyrrhonis doctrinam amplexus est auxitque illius amicus et discipulus Timo, qui dicitur ad judicii suspensionem persuadendam decem celebres rationes excogitasse, quæ ἐποχῆς τροποι dictæ sunt, quamquam eas alii Pyrrhoni velint attribuere. Inter nobiliores antiquitatis scepticos recensendi sunt hic Ænesidemus, qui causalitatis principium multis sophismatibus frustra oppugnandum suscepit (3); Sextus Empiricus (4), qui libris scriptis (5) scepticismum lucide exposuit atque defendit, et alter medicus empiricus Agrippa, qui decem ἐποχῆς motiva, a Timone vel Pyrrhone inventa, ad quinque revocavit.

Ænesidemus;

Sextus Empiricus;

Agrippa.

Scepticis affines sunt Academici, quorum somnia fuse acriterque impugnavit S. Augustinus (6).

Academici:

(1) Vide sext. Emp., *Hypotypos.* lib. 1, c. 10, sect. 19, 20.

(2) Vide Diogen. Läert. lib. 9, segm. 6.

(3) Vide Illm. Gonzalez in *Historia Philos.* paragr. 93, *edit 1886*

(4) Ita dictus ex Medicorum secta, ad quam pertinebat. Vide superius dicta in Introductione n. 38.

(5) Notissima sunt ejus duo opera *Pyrrhonicarum hypotyposeon* seu *institutionum,* et *Adversus Mathematicos.*

(6) De Academicis vide dicta in *Indroductione* n. 30.

Arcesilas,

Illorum dux ac magister fuit Arcesilas Pritane in Æolide natus, novæ seu mediæ Academiæ institutor, qui cum ferre æquo animo non posset novas Zenonis Citticensis doctrinas, dogmatismum redolentes, et argumenta in Academiam ab ipso directa, cœpit adversarium suum oppugnare, stoicæ potissimum sectæ, cujus auctor ille fuerat, dogmata severissimo committens examini (1). Quo in examine, dum adversarii absurdas assertiones et contradictiones amplificaret, eo demum devenit, ut persuasam omnibus vellet imposibilitatem certæ ullius cognitionis, quam ἀκαταληψίαν dixit, seu incomprehensibilitatem (2). Negavit enim sufficiens ullum suppetere veritatis criterium ac certitudinis, unde ἐποχή seu judicii suspensio consequitur et generale dubium.

Itaque academici ne ipsum quidem principium Socratis: *Hoc unum scio, me nihil scire*, certum omnino atque indubium esse voluerunt. Admiserunt tamen verosimilitudinem ac probabilitatem (τό πιθανον), nec ipsam veritatis existentiam negarunt, sed solum contendebant eam a nobis certo percipi non posse (3).

Quæ cum ita sint, nihil mirum, si Lactantius vocarit Arcesilam *ignorantiæ magistrum*, (4), et scepticum systema *novam non philosophandi philosophiam* (5).

Carneades,

Arcesilæ vestigiis institit Carneades Cyrenensis, qui novissimæ Academiæ fundator existimatur, aliique minus nobiles antiquitatis philosophi (6).

Ex his vides, vix academicos a scepticis discriminari; ideoque illorum systema communi vocabulo scepticismus appellatur, et est illorum sententia, qui dubitandum de omnibus esse, nihilque certo a nobis cognosci posse autumant.

---

(1) Vide S. August., *Contra Academ.*, lib. 2., cap. 5 et 6.

(2) Vide Ciceron. *Academ. post.*, lib. 1, c. 12. Cfr. Balmes, *La Nueva Academia.*

(3) Vide Ciceron., *Academicor. prior.*, lib. 2. cap. 23; Sext. Empir., *Hypotypos.* lib. 2. cap. 23.

(4) *Divinarum Institut.* lib. 3, c. 6.

(5) Ib. cap. 4.

(6) De dogmatis Academicorum videri possunt S. August. et Cicero locis citatis, et Lactantius Firmianus (*Divinarum Inst.* lib. 3, cap. 3, 5.

Quamquam sunt nonnulli, qui censent hoc differre academicos a scepticis, ut illi docerent nihil unquam posse ab humana mente certo cognosci seu comprehendi, sceptici vero forte non statuebant absolutam ἀκαταληψίαν seu incomprehensibilitatem; sed tantum negabant hactenus comprehensam reapse fuisse veritatem (1).

Præterea academici, secus atque sceptici, probabilitatem seu verosimilitudinem admittebant, unde probabile sequebantur etiam tamquam regulam morum (2).

Neque vero putes has scepticismi nebulas dissipatas in perpetuum fuisse exorto lumine Evangelii. Nota enim sunt nomina Michaelis de Montaigne (3), Francisci Sanctii seu Sanchez (4), Foucherii (5), Petri Danielis Huetii (6), Petri Charron (7), aliorumque bene multorum, qui scepticismum plus minus professi sunt; ut taceam de Petro Bayle (8), Humio, Kantio, cum tota Idealistarum ac Transcendentalium turba.

Posteriores Sceptici.

Quæres autem, quam certitudinem convellere contendat sceptismus. Duplex enim certitudo hic distingui potest, *vulgaris* et *philosophica*. Vulgaris est illa, quam omnes homines habent de multis rebus sponte naturæ; philosophica vero est ea, quæ comparari nequit nisi ex accurato examine motivorum ac fundamentorum, quæ firmum postulant assensum. Hæc duplex certitudo non differt intrinsece atque essentiali-

Certitudo vulgaris et philosophica

(1) Cfr. Sanseverino, *Elementa Philos. christ.*, *Criterologia* art. 6, n. 109; Palmieri *Logica-Critica* thes, 3.ª; et Tennemann., tom. 1. paragr. 190.

(2) Cfr. Sanseverino, Op. cit. ibid.

(3) *Essai* liv. 2, c. 12. liv. 3, chap. 8, 13.

(4) In opere, *De multum nobili et prima universali scientia quod nihil scitur*. Cfr. Gonzalez t. 2.

(5) *Lettre par un Academicien et Apologie des Academiciens.*

(6) *De Infirmitate humani intellectus.*

(7) *De la Sagesse.*

(8) In *Dictionario historico-critico* passim certissima quæque cavillis ac dubitationibus evertere nititur. Vide superius *Introductionem*, nn. 82, 108, 102, 111.

Scepticis quoque jure accenseas Jouffroy, Lamenais, cæterosque Philosophos, qui, cum criteria veritatis statuant omni valore destituta, latas pandunt portas scepticorum assultibus.

ter, sed solum extrinsece. Utraque enim assensum firmum importat, sed philosophica est magis exculta, proceditque ex majori reflexione ac consideratione motivorum, quibus progignitur; dum vulgaris sponte enascitur absque studio et scientifica fundamentorum inquisitione, licet non omni reflexione careat. Præterea philosophica ad multo plura et abstrusiora objecta se extendit pro scientiarum multiplici varietate, unde *scientifica* quoque appellatur, vulgaris autem faciliora et obvia quæque respicit, quæ ad usum humanæ vitæ pertinent. Quare altera vocata est philosophica vel scientifica, quia propria est Philosophorum, scientiamque ingenerat; altera vulgaris, et naturalis, quia communis omnibus est, ipsis etiam Philosophis, cum non agunt Philosophos (1).

Sceptici ergo videntur philosophicam tantum negare et aggredi certitudinem: naturalis enim ac vulgaris tanta evidentia et necessitate sentitur ab unoquoque nostrum, ut ejus existentiam inficiari nemo possit. Huc ergo redit totum opus scepticorum, ut certitudinem illam, quam ex conscientiæ testimonio experimur omnes, rationi minime consentaneam esse velint (2). Quin antiquiores saltem sceptici ab universali certitudinis naufragio exceptas videntur voluisse propriam existentiam, affectiones subjectivas, impressiones ab objectis receptas, existentiamque proinde apparentiarum seu phænomenorum (3), et dubium restrinxisse ad naturam et objectivam rerum realitatem.

Age vero videamus, quid sit de hoc systemate, scientiæ omnis inimico, definiendum.

52. PROPOSITIO 1.ª **Cum eo, qui perfectum atque universalem profitetur scepticismum, nulla potest institui disputatio.**

Probatur: Ad ineundam quamlibet disputationem, oportet aliqua certa supponere ac concedere, ex quibus deinde

(1) Vide Jacobum Balmes, *Filosofia Fundamental*, tom. 1, cap. 3.

(2) Cfr. Balmes, Op. cit. c. 2. n. 10.

(3) Vide Illmum. Gonzalez, *Historia*, tom. 1, paragr. 91, *Escepticismo Pirrónico;* Sanseverino, Op. cit., *Criterolog.* art. 6, n. 116; Palmieri, *Logica-Critica*, thes. 3; Balmes, *Filos. Fund.* t. 1. Not. 2, supra cap. 2.um

ad alterutram partem controversiæ persuadendam fiat progressio. Atqui perfectus scepticus nihil concedit, nihilque certum supponit, utpote qui assensum in omnibus esse retinendum existimat. Ergo...

Major: Omnis namque disputatio ratiocinationes continet ac demonstrationes, cum sit ostensio alicujus ignoti per notiora. Omnis autem demonstratio debet supponere certa ac stabilia principia (1), tum illa, quæ loco præmissarum assumuntur ad concludendum, tum illa, in quibus forma ipsa rectæ argumentationis nititur: itemque supponere debet aptitudinem rationis ipsiusque demonstrationis ad verum obtinendum. Ut nihil dicam de propria existentia, deque statu vigiliæ ac sanæ mentis, quæ pariter pro certis habenda sunt, antequam instituatur disputatio.

Ad rem S. Thomas (2): *Omnis ratio et demonstratio hoc modo procedit, scilicet concedendo et exquirendo rationem alicujus dicti. Sed illi, qui nihil concedunt, interimunt disputationem, et omnem argumentativam rationem. Unde ad eos non potest haberi sententia ratiocinationis, per quam a suo errore tollantur.*

Dices: Ergo scepticismus refutari non potest, cum nihil concedatur a sceptico, unde exordiri disputatio cum ipso possit.

Respondeo negando illatum. Aliud est, quod scepticus ipse revinci non possit, et aliud est, quod ejus systema falsum ostendi nequeat. Neque lapis revinci potest, quia nullam admittit rationem, id vero non vetat, ut circa lapidem demonstrationes vere fiant pro iis, qui ratione utuntur. Itaque disputatio hæc nostra non tam dirigetur ad scepticos, quorum parva spes affulget correctionis, quam ad sanos

(1) Vide S. Thom., *Metaphysicor.* lib. 4., lect. 6; Clement. Alexandrin. *Stromat.* lib. 8., *Aut omnia egent demonstratione, aut etiam quædam ex his sunt credibilia. Sed si prius quidem verum est, uniuscujusque demonstrationis petentes demonstrationem procedemus in infinitum, et sic evertetur demonstratio. Sin autem secundum, ea ipsa, quæ sunt ex se credibilia, erunt principia demonstrationum. Jam vero philosophi fatentur esse indemonstrabilia principia universorum. Quamobrem si est demonstratio, necesse est prius esse aliquid ex se credibile, quod quidem dicitur primum et indemonstrabile.*

(2) *Metaphysicor.* lib. 11.°, lect. 6. paragr. *k*. Cfr. 1. p. q. 1, art. 8.

homines, ut cognita repugnantia intrinseca scepticismi, et vanitate argumentorum, quibus probatur, ab eo amplectendo deterreantur (1).

Ad extremum dixi in propositione, *cum eo, qui perfectum atque universalem profitetur scepticismum*, nullam institui disputationem posse. Si quis enim quædam principia ut certa et indubitata admitteret, posset ex illis revinci falsitatisque coargui.

53. PROPOSITIO 2.a **Perfectus atque universalis scepticismus naturæ humanæ physice repugnat.**

Probatur. Impossibilis est physice status ille, in quo nullius prorsus rei certitudo habetur. Ergo....

Antecedens patet experientia cujusque. Nam non modo certissime scimus nos existere (2), sentire, cogitare, famem, sitim, innumerasque alias affectiones subire; sed negare prorsus nequimus principium contradictionis aliaque bene multa, tum immediata tum mediata, judicia. Hæc enim ex principiis per se notis evidenter atque ineluctabiliter derivantur; principia vero per se nota (3) *verissima esse constat, in tantum, ut nec falsa esse possibile sit cogitare*. Possunt quidem hæc ore negari, *quia nihil est adeo verum*, inquit Angelicus cum Stagirita, *quin voce negari possit. Nam et hoc principium notissimum, quod non contingat idem esse et non esse, quidam ore negaverunt. Quædam vero adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt; et ideo in interiore ratione eis obviari non potest, sed solum exteriori, quæ est per vocem* (4).

Experire, quæso, utrum dubitare possis num circulus sit quadratus, duo et quinque conficere septem etc.

Hoc argumento sæpe usus est Magnus Augustinus. *Multa sunt*, inquit, *quæ academici in dubium revocare non possunt: quale est illud: Scio me vivere aut cogitare. Ubi nec dici*

(1) Cfr. S. Thom. 1. p. q. 1, a. 8; *Metaphysicor.*, lib. 4., lect. 6, ubi de *redarguendis* iis, qui prima principia negant.

(2) *Nullus unquam erravit in hoc, quod non perciperet se vivere.* S. Th. *de Verit.*, quæst. 10, a. 8. ad 2.um

(3) *Contra Gent.*, lib. 1. c. 21; lib. 1. *Posterior. analyticor.*, lect. 19.

(4) S, Thom., 1.a *Posterior.*, lect. 19, post initium. Cfr. ib. lect. 7.

potest: Fortasse dormis, et nescis, et in somnis vides. Quia et dormire et in somnis videre viventis est (1). Et alibi: *Omnis, qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re, quam intelligit, certus est: de vero igitur certus est. Omnis igitur, qui utrum sit veritas dubitat, in se ipso habet verum, unde non dubitet; nec ullum verum nisi veritate verum. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare* (2).

Conferri possunt, quæ Balmesius scribit de ineluctabili existentia certitudinis in mente nostra (3).

54. PROPOSITIO 3.ª **Scepticismus est systema in se intrinsece repugnans ac maxime perniciosum.**

Probatur 1.ª pars. *Intrinsece repugnans.* 1.° multiplici argumento ad hominem: α) Systema scepticum negans a nobis veritatem cognosci posse, vel est verum vel falsum. Si verum est, jam saltem hæc veritas a nobis cognoscitur, itemque probationes, quibus fulcitur scepticismus; si falsum, jam veritas a nobis cognosci potest. Ergo scepticismus intrinsece repugnat, estque una ex illis sententiis, quæ seipsas destruunt (4). *Si nihil sciri potest*, inquit Lactantius, *necesse est idipsum scire; quod nihil sciatur. Si autem scitur posse nihil sciri, falsum est ergo quod dicitur nihil posse sciri. Sic inducitur dogma sibi repugnans, seque dissolvens* (5).

β) Scepticismus dum asserit de omnibus dubitandum esse ob timorem deceptionis, jam supponit certam existentiam hominum, et facultatum cognoscitivarum, quæ, ne in omni apprehensione fallantur, timet. Ergo pugnantia continet.

Antecedens patet. *Si enim fallor, sum*, inquit M. Augustinus. *Nam qui non est, utique nec falli potest; ac per hoc*

(1) S. August., *Contra Academ.*, lib. 3, c. 11, 12, 13. Cfr. de *Civitate Dei*, lib. 11, cap. 26.
(2) S. August. *De vera religione*, c. 36, n. 75.
(3) *Filos. Fundament.*, lib. 1, cap. 3.
(4) Vide S. August., *Contra academ.*, lib. 3, cap. 9.
(5) Lactant., *Divinar. Instit.*, lib. 3, cap. 6.

sum, si fallor. Quia ergo sum, si fallor, quomodo me esse fallor, quando certum est, me esse, si fallor? (1).

γ) Qui negat dari certitudinem, aut sciri quidquam posse; vel scit quid sit certitudo, et quid sit scire, vel non. Si nescit, quomodo negat dari id, quod nescit? Si scit, jam aliquid habemus, quod sit certum, et sciatur.

Itemque qui nihil sciri posse ait, vel de omnibus esse dubitandum, ne in errorem incidat, debet scire quid sit scientia, quid sit dubium, quid certitudo, quid veritas, quid falsitas, et in quo hæc discriminentur. Ergo dum nihil se scire profitetur, multa se scire ostendit scepticus (2).

δ) Scepticus ait facultatibus cognoscitivis fidendum minime esse. Atqui idipsum undenam scit, nisi per usum facultatum suarum? Ergo dum diffidendum esse facultatibus asserit, ipse fidit illarum testimonio.

ε) Scepticus vel habet aliquam rationem, in qua fulciat suum systema, vel non. Si non habet, audiendus non est. Si vero habet, jam illa veritas cognoscitur (3).

Prob. 2.° Absurdum est illud systema, quod docet id abjiciendum esse, quod naturaliter abjici nequit. Atqui certitudo naturaliter abjici non potest, ut in præcedenti propositione ostensum est. Ergo...

Prob. 3.° Homo appetitu naturali veritatis cognoscendæ perpetuo urgetur. Atqui prorsus repugnat ineptum aliquid

---

(1) S. August., De *Civit. Dei*, lib. 11, cap. 26.

(2) *Non solum qui dicit:* **Scio**, *et verum dicit, necesse est, ut quid sit scire, sciat; sed etiam qui dicit:* **Nescio**, *idque fidenter et verum dicit, et scit verum se dicere, scit utique quid sit scire, quia et discernit a sciente nescientem, cum veraciter se intuens dicit:* **Nescio**: *Et cum id se scit verum dicere, unde sciret, si quid sit scire nesciret?* S. August., *de Trinit.*, lib. 10, cap. 1, n. 3. Cfr. *Contra academ.*, lib. 3, cap. 14, n. 32, et lib. 2, cap. 12, n. 27.

Ita etiam Lucretius, lib. 4:

Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit,
An sciri possit, cum se nil scire fatetur.
Hunc igitur contra nitar contendere causam,
Qui capite ipse suo insistit vestigia retro.
Et tamen hunc quoque ubi concedam scire; at idipsum
Quæro, cum in rebus verum nil viderit ante,
Unde sciat, quid scire et nescire vicissim.

(3) Vide S. August., *de Trinit.*, lib. 15, c. 12. Clem. Alex. *Strom.* 8.

esse ad id assequendum, ad quod natura ipsa perenniter impellitur. Ergo... (1).

55. **Probatur 2.ª pars.** *Scepticismus est systema perniciosum.*

1.° Scepticismus divinam fidem, quæ summam continet certitudinem, destruit, et sacrosanctæ religionis nostræ dogmata convellit.

Dices, continendum esse scepticismum intra limites cognitionum naturalium, et fidem divinam sartam, tectam, servandam cum infallibili sua certitudine, quæ ex auctoritate sapientissimi ac veracissimi Dei derivatur.

Resp. Atqui impossibile est, fidei divina dogmata certo tenere, nisi tamquam certæ admittantur nonnullæ veritates, quæ præambulæ dicuntur ad fidem, et sine quibus fides esse non potest. Nam quomodo credet ob auctoritatem Dei, qui nescit Deum, aut nescit sapientem veracemque, aut ignorat revelationem ipsius? Hæc autem ipsa certo sciri nequeunt, nisi alia bene multa lumine naturali certissime cognoscantur.

Præterquam quod non semel decrevit Ecclesia contra Traditionalistas posse rationem humanam plura certo cognoscere.

2.° Præterea qui de omnibus dubitandum esse existimaverit, negaveritque veritatem a nobis cognosci posse, dubitabit etiam, num bonum sit faciendum, malum fugiendum, virtusque exercenda. Verbo, in dubium revocabit prima moralitatis principia, primaque legis naturalis præcepta: hoc vero si semel admittatur, nullo jam freno compesci poterit homo, ne vitiis indulgeat, moresque suos principiis moralitatis accommodet. Ordo enim moralis certa et immutabilia fundamenta supponit; certamque recti conscientiam in singulis actibus habeat quisque, oportet, ne vitio aliquo polluatur (2).

Etiamsi quis vellet scepticam doctrinam intra limites ordinis dumtaxat speculative continere, quantopere tamen ordo speculativus in mores influat experientia quotidiana nimis

---

(1) Vide Conimbricenses., *Comment. super Octo libros Physicorum.*, *Procem.*, quæst. 2. art. 3.

(2) Cfr. S. August., *Contra Academ.*, lib. 3, cap. 16.

demonstrat innumerorum scelerum, quæ aliud non sunt nisi consequentia practica totidem errorum, quibus imbuta mens improborum erat. Si sæpe homines cæteroquin recte sentientes, contra redarguentis conscientiæ stimulos calcitrant, intimisque persuasionibus reluctantes, tot criminibus vitiantur, quid fieret si persuasum cuique foret, sciri non posse quid sit bonum, quid malum, quænam utriusque differentia, quænam præcepta servanda?

Concludendum itaque est cum Magno Augustino: *Quod autem attinet ad illam differentiam, quam de academicis novis Varro adhibuit, quibus incerta sunt omnia, omnino Civitas Dei* (bonorum nimirum societas) *talem dubitationem tamquam dementiam detestatur, habens de rebus, quas mente atque ratione comprehendit, etiamsi parvam propter corpus corruptibile, quod aggravat animam, quoniam sicut dicit Apostolus:* **Ex parte scimus** (1), *tamen certissimam scientiam: creditque sensibus in rei cujusque evidentia, quibus per corpus anima utitur; quoniam miserabilius fallitur, qui nunquam putat eis esse credendum. Credit etiam Scripturis Sanctis, et veteribus et novis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipsa concepta est, ex qua justus vivit, per quam sine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur a Domino; qua salva atque certa, de quibusdam rebus, quas neque sensu, neque ratione percepimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam pervenerunt, sine justa reprehensione dubitamus* (2).

SCEPTICORUM ARGUMENTA DISSIPANTUR.

56. **Objic.** 1.° Maxima cernitur apud diversos populos et homines opinionum varietas. Immo vero apud ipsos Philosophos innumeræ fuere sectæ contradictoriæ. Atqui hoc ostendit certo a nobis res cognosci non posse. Ergo...

Resp. *dist.* Maj. In omnibus rebus etiam evidentibus, *neg.*, in obscuris, *conc.* Et *contradistincta* Minore, nego consequentiam. Res clara est (3).

---

(1) 1 Cor. c. 13, v. 9.

(2) *De Civitate Dei*, lib. 19, cap. 18.

(3) Vide S. Thom., lib. 2. *Metaphys.*, lect. 1, paragr. *c.*

Obj. 2.° Nihil certo admitti potest, quin demonstretur. Atqui aliunde nihil potest vere demonstrari. Nam ut quidquam sufficienter demonstraretur, vel abeundum esset in infinitum in probatione præmissarum, vel probanda præmissarum aliqua per aliam propositionem, quæ vicissim per primam foret demonstranda, vel sistendum tandem in aliquibus principiis, quæ tamquam vera assumantur. Primum horum impossibile est, alterum inducit vitiosum circulum, tertium absurdum est, secus enim principia illa sine ratione admitterentur. Ergo impossibilis est quæcumque demonstratio (1).

Resp. *neg.* Major. et Minor. Ad hujus probationem respondeo concedendo majorem et negando ultimum membrum Minoris.

Nihil certo admitti debet absque ratione; sed non omnis ratio petenda est extrinsecus ex alio objecto, sed ratio sufficiens, immo fortissima omnium est illa, quæ in ipsa re, de qua sermo est, immediata intuitione atque evidentia deprehenditur. Sic etiam nullum corpus visibile est absque lumine, sed opus non est semper aliunde emendicato lumine ad videnda corpora, sunt enim quædam proprio lumine visibilia.

Obj. 3.° Illa doctrina est amplectenda, quæ omnium remotissima est ab omni errandi periculo. Atqui tale est scepticum systema. Ergo...

Et probatur Minor. Nam error est vel assensus falso præstitus, vel dissensus a vero. Scepticismus autem cohibendum esse in omnibus assensum docet.

Resp. *neg.* vel *dist.* Maj. Amplectendum est systema quod id solum præstat, ut nos ab erroribus revocet, *nego;* quod non modo revocat ab erroribus, sed insuper ad veritatem ducit cognitionum, *conc.* Secus enim lapis versaretur in longe præstantiori conditione respectu veritatis assequendæ, quia errare nullo modo potest.

Contradistinguo Minorem. Scepticismus ducit ad veram rerum cognitionem, *neg.* Revocat ab erroribus, *subdist.*, ab aliquibus, impingendo in alios longe turpiores, *conc.*, ab omnibus *nego. Miserabilius enim fallitur, qui nunquam putat*

(1) Hic continentur duo ex quinque argumentis, quibus Agrippa scepticismum confirmabat.

facultatibus cognoscitivis esse credendum, quam qui illis credendo, nonnunquam fallitur, quemadmodum docet S. Augustinus (1).

Ad probationem Minoris respondeo, *distinguendo* Minorem. Scepticismus docet cohibendum esse in omnibus assensum, ita tamen ut per intrinsecam et ineluctabilem contradictionem multis assentiatur, *conc.*, secus, *neg.*

Ad rem S. Augustinus: *Non solum puto eum errare, qui falsam viam sequitur, sed etiam eum, qui veram non sequitur* (2). Idque deinceps pulchre atque eleganter exemplo declarat.

Obj. 4.° Sufficit errores cavere, cum veritas obtineri non potest. Atqui reapse obtineri veritas nequit. Nam ratio nostra fallibilis est.

Resp. *neg.* Minor., et probationem *distinguo:* in omnibus, *neg.;* in aliquibus, *conc.*

Obj. 5.° Sæpe dum rem nos vere percepisse putabamus, decepti fuimus. Ergo nunquam certi esse possumus de veritatis assecutione.

Resp. *nego* consequentiam. Nam contingere utique potest aliquando, ut per accidens quis fallatur, existimans rem certo quodam modo esse; sive id eveniat ob ignorantiam latentis alicujus exceptionis in legibus physicis aut moralibus factæ, sive ob inconsiderationem, sive ob affectuum illecebras, quæ objecta sub apparenti quadam claritate perperam repræsentent. Ejusmodi autem causæ deceptionis in plurimis aliis cognitionibus meridiana luce manifestioribus locum habere nequeunt. Non est ergo ideo neganda facultas assequendi veritatem, sed caute semper procedendum, ubicumque subest aliquod erroris periculum.

Objic. 6.° Cognitiones nostræ relativæ sunt essentialiter: nimirum, exprimunt objecta secundum quod certo quodam modo nos afficiunt. Atqui ejusmodi cognitiones nequeunt referre nisi apparentiam rerum, non vero ipsam objectivam realitatem. Ergo saltem de hac nihil certi a nobis sciri potest.

Respondeo 1.° retorquendo argumentum. Quia si verum est hoc scepticorum argumentum, non minus probat hanc

(1) Loc. nuper cit. *De Civit. Dei*, lib. 19, c. 18.
(2) *Contra academ.* lib, 3. c. 15.

ipsorum ratiocinationem realitatem objectivam ac veritatem, prout in se est, minime referre.

Resp. 2.° *Negando* Majorem. Licet enim sint in nobis cognitiones, quæ referunt objecta secundum quod certo quodam modo nos afficiunt; at vero sunt etiam aliæ innumeræ cognitiones detegentes objectivam realitatem, prout est in se ipsa.

Objic. 7.° Ut mens quidquam certo teneret, deberet illius naturam atque attributa omnia perfectissime cognoscere; secus enim semper dubium suboriri posset, ne non aliquod attributum latens aliis, quæ cognita rite videbantur, repugnaret. Atqui nullius rei possumus omnia attributa cognoscere. Ergo...

Respondeo: *nego* Major. ejusque probationem. Revera sufficit circuli naturam novisse, licet multæ proprietates ejusdem ignorentur, ut certo possit judicari circulum non esse quadratum.

Objic. 8.° Res, quæ cognosci possent vel sunt æternæ, vel factæ, vel possibiles. Atqui æternas nequimus cognoscere, cum ignoremus, quid sit æternitas; nec temporales seu factas, quia motui ac variationi subjacent, scientia vero est de inmutabilibus. Unde a fortiori ignoramus res possibiles.

Resp. *neg.* Minor. Nam scimus quid sit æternitas, et res quoque æternas aliquo modo scire possumus. Res etiam temporales, licet quoad existentiam mutationi subjaceant, non tamen quoad notas essentiales. Denique ex rebus existentibus possumus etiam aliqua possibilia intelligere (1).

Objic. 9.° Res non cognoscimus nisi per sensus. At sensus non attingunt, nisi externas modificationes. Ergo...

Resp. Præter sensus habemus intellectum, qui ex sensuum relatione pervenit ad notitiam eorum, quæ sensum effugiunt (2).

Difficultates, quæ ex facultatum nostrarum cognoscitivarum fallibilitate depromuntur a scepticis, suo loco dissipabuntur.

---

(1) Vide Rosell., *Summa Philos.* t. 1, q. 29, a. 1.
(2) Id. ib.

ARTICULUS III.

De proprietatibus certitudinis.

Ad enucleandam certitudinis naturam, valde juvant nonnullæ quæstiones, quæ attributa illius affectionesque respiciunt, quales sunt connexio ejusdem cum evidentia, et graduum varietas ac principium: de quibus proinde breviter agendum est.

57. PROPOSITIO 1.a **Non est de essentia certitudinis evidentia, sed actus certus esse potest, quin sit evidens, aut ex objectiva rei evidentia procedat.**

Supponimus hic notionem evidentiæ, quæ mox exponetur.

Certitudo non postulat necessario evidentiam.

Probatur 1.° Nam actus divinæ Fidei supernaturalis certissimus est, ut supponimus ex Ecclesiæ doctrina. Atqui tamen evidentia minime gaudet.

Idem dicendum est de conclusionibus theologice certis. Atque inde exoritur quæstio, an Theologia dogmatica sit scientia, et utrum ad veri nominis scientiam requiratur evidentia, an vero sufficiat certitudo: qua de re alibi disputandum est.

Prob. 2.° Non repugnat dari motivum assensus, quod non solum sit firmissimum in se prorsusque infallibile, sed etiam tamquam rationabiliter indubitabile proponatur intellectui, quamvis non tam evidenter appareat ejus existentia, ut non possit saltem imprudentissime in dubium revocari. Atqui motivum hujusmodi assensum gignere debet certum simul et inevidentem. Ergo...

Major manifesta est in revelatione divina, cujus existentia ita irrefragabilibus argumentis ostenditur, quæ nullum relinquant locum rationabili ac prudenti dubio, licet nequeant impedire, ne imprudens aliqua formido vel scrupulus pulset animum. Vix enim ullum est factum historicum tamquam certum communiter admissum, quod tam invicte demonstretur, ac revelationis existentia.

Minor etiam patet. Quia motivum hujusmodi revera firmissimum est, et nequit non assensum quoque gignere

infallibilem. Quod si ob defectum evidentiæ non sufficiat per seipsum ad extorquendum assensum ab intellectu; at certe meretur, ut voluntas defectum illum suppleat imperando firmissimam adhæsionem: et si voluntas id non faciat, imprudenter atque inhoneste aget. Etenim evidens est, ubicumque irrefragabilibus argumentis convincitur existentia divinæ revelationis, voluntatem posse ac debere imperare, ut illam intellectus teneat, et propter illam etiam veritati revelatæ assentiatur credendo, quia id exigit obsequium Deo revelanti debitum.

Apposite S. Thomas: *Voluntas determinat intellectum ad aliquid, quod neque per seipsum videtur, neque ad ea, quæ per se videntur, resolvi posse determinat ex hoc, quod dignum reputat illis esse adhærendum propter aliquam rationem, qua bonum videtur ei, illi rei adhærere: quamvis illa ratio ad intellectum determinandum non sufficiat propter imbecillitatem intellectus, qui non videt per se hoc, cui assentiendum ratio judicat, neque ipsum ad principia per se nota resolvere valet: et hoc assentire proprie vocatur* credere (1).

In actu Fidei divinæ non adest evidentia veritatis;

Nota autem bene, in ejusmodi assensu fidei *certo* et *inevidenti*, quo *credimus* aliquid propter revelationem Dei, deesse quidem *evidentiam veritatis*, sed adesse *evidentiam credibilitatis*. Deest evidentia *veritatis*, tum quia res, quæ creditur non perspicitur in se neque immediata neque mediata evidentia, tum quia etiam motivum propter quod creditur, revelatio Dei, non est evidens proprie, licet irrefragabilibus argumentis certo demonstretur: quare veritas ipsa, quæ creditur, caret in se omni evidentia, sive intrinseca sive extrinseca; et ideo formalis actus fidei obscurus et inevidens est, licet certissimus.

sed adest evidentia credibilitatis.

Adest autem *evidentia credibilitatis*, quia evidens est veritatem, pro qua amplectenda militat argumentum ita propositum ac demonstratum, sicut proponitur ac demonstratur existentia divinæ revelationis ex signis, quæ vocant credibilitatis, *posse* ac *debere* credi, seu *credibilem et credendam* esse (2).

---

(1) S. Th. 3.° dist. 23, q. 2, a. 2, solut 1. Cfr. de *Verit.* q. 14, art. 1; 1. 2. q. 9, a. 1.

(2) Cfr. S. Th. 1. *Contra Gentes*. cap. 6.

Unde licet actus ipse credendi formalis obscurus sit, *evidens* tamen est judicium præcedens, quo veritatem revelatam credibilem et credendam esse ratio decernit, qui actus, ut patet, distinctus est ab ipso formali actu credendi seu Fide. Nam illi judicio succedit liberum imperium voluntatis *(piam affectionem* vocant Theologi) præcipientis actum fidei, ac postea ex determinatione hujus imperii sequitur tandem actus ipse formalis fidei, quem ponit intellectus.

Dices. Ex motivis credibilitatis non minus evidens reddi videtur existentia revelationis divinæ, quam facta historica, quæ aliorum testimonio cum certitudine novimus. Atqui in hujusmodi factis adest evidentia saltem moralis. Ergo etiam evidens moraliter est revelationis divinæ existentia. Cum vero aliunde divina veracitas evidenter cognosci lumine naturali possit, verum non est in Fide divina certitudinem absque evidentia dari.

Resp. Difficultas hæc in Theologia melius dissolvenda est. Nunc tamen breviter dici potest, quamvis facta naturalia ex aliorum testimonio evidentiam sortiri possint, id tamen non accidere in facto divinæ revelationis. Ratio vero esse potest arduitas divinæ revelationis, quæ est factum supranaturale, ac sublimitas revelatæ doctrinæ, humanum captum superantis, ac non pauca affectibus corruptæ naturæ contraria præcipientis, quæ efficit, ut imbecillis ratio nostra nequeat revelationis existentiam ea claritate percipere, qua experimur nos percipere alia facta intellectui nostro proportionata.

Quæ cum ita sint, plane cernitur, quomodo possit Fides divina, ut sæpe solet, tentationibus ac perturbationibus obnoxia esse in animis fidelium, ob defectum nempe evidentiæ (1); evidentia tamen credibilitatis minime patitur, ut quis moveri se sinat hujusmodi perturbationibus, si rationabiliter agere velit. Nec potest quispiam deliberate admittere formidinem hujusmodi ullam de rebus a Deo revelatis, quin peccet contra virtutem Fidei.

---

(1) Vide Suar., *de Fide*, disp. 6, sect. 5, n. 12; Ripald., *de Fide* disp. 11, sect. 2, n. 16; Haunold., *Controv.* 5, n. 254; Card. Franzelin, *De Divina Traditione et Scriptura*, Append. 1. 3. Cfr. P. Sanctus Schiffini, *Principia philos. ad mentem Aquin.* n. 303, 304.

Sed hæc delibasse satis superque nobis est, ad Theologos enim spectant.

58. PROPOSITIO 2.ª **Certitudo nequit resultare ex mera probabilitatum summa vel accumulatione.**

Certitudo non resultat ex summa probabilitatum.

Nota. Propositio hæc est contra Genuensem (1), aliosque (2) putantes certitudinem secari posse in varios gradus probabilitatis, velut in totidem fracciones, et ex illorum complexione posse certitudinem coalescere, sicut unitas numerica ex congerie plurium fractionum.

Probatur: Si certitudo coalesceret ex mera probabilitatum summa seu accumulatione, formidinem non posset excludere. Atqui certitudo, quæ omnem formidinem non excludat, vera certitudo non est, ut constat ex ejus definitione. Ergo.

Major. Nam probabilitas, dum remanet intra suos limites, adnexam semper habet formidinem. Ergo etiam complexio plurium probabilitatum per se sufficere nequit ad penitus expellendum timorem ac dubietatem. Nam ubi non aliud habetur, quam summa probabilitatum, non est undenam existat infallibilitas et firmitas assensus, quas vindicat sibi certitudo. Probabilitas namque importat grave quidem momentum, sed non infallibile, quod si infallibilitatem nacta fuerit, desivit esse probabilitas.

59. **Objic.** 1.° Unius viri testimonium, saltem plerumque, non præbet nisi probabilitatem. Si vero alia accedant testimonia, quæ similiter singillatim inspecta, probabilia tantummodo sint, ex omnium complexu resultat motivum firmum atque infallibile assensus moraliter certi. Ergo ex congerie probabilitatum existere potest certitudo.

Resp. Revera ubi collecta sunt plura de eadem re testimonia in certis quibusdam adjunctis, desinunt esse probabilia, evidens quippe est in ejusmodi adjunctis veracitas singulorum testium, quæ vere aderat, sed patere nobis aliter non poterat. Itaque in illis adjunctis, de quibus dicetur inferius, jam non adest mera probabilitatum congeries, sed evidentia veracitatis cujusvis testis.

---

(1) Antonius Genuensis, *Logica ital.* lib. 3, cap. 2.
(2) Apud Sanseverino, *Logica Criterol.* art. 1, n. 3.

Objicies 2.° Sumatur urna, in qua decem includantur numeri, successive extrahendi. In prima extractione est probabilitas expressa per fractionom $^1/_{10}$, ut exeat certus numerus; in secunda extractione est probabilitas alia expressa per fractionem $^1/_9$, et ita porro usque ad decimam extractionem, in qua certum est jam, qualis numerus exire debeat. Atqui hic est casus certitudinis exortæ ex probabilitatum summa. Ergo.

Respondeo *neg.* Minor. Nam certitudo, quæ adest in ultima extractione exprimitur per conclusionem hujus ratiocinii. In hac urna erant inclusi 10 numeri mihi noti. Ex illis extracti sunt novem, quos pariter novi. Ergo cum præter illos novem non sit nisi alius, hic debet tandem egredi. Ut vides, hæc conclusio certa non est, nisi quia fluit ex certis præmissis. Unde transeat, quod in singulis extractionibus ante ultimam non adsit nisi probabilitas, in ultima vero pervenitur ad certitudinem non propter accumulationem illarum probabilitatum, sed propter certitudinem illius ratiocinii, quod institui tunc potest.

60. PROPOSITIO 3.a **Certitudo proportionalis est tum perfectioni subjecti intelligentis, tum motivo cui assensus innititur.**

Probatur 1.° Effectus proportionalis est causæ, a qua progignitur. Sed certitudo est effectus, in quem tum intellectus ipse tum motivum influit.

Quia intellectus ut certo judicet, motivum habere debet, eoque permotus assensum firmum ponit: hujus proinde firmitas etiam in motivum refundenda est.

2.° Duo consideranda sunt in certitudine; firma adhæsio subjecti, seu constantia intellectus in ponendo actu, et ipsa formalis hujus infallibilitas. Et duo hæc proportionem servant cum intellectus perfectione ac fundamentorum robore.

Nam intellectus sive perfectior natura sua, sive excultior studio, meditatione, doctrina, vividius concipit, ac penetrat intimius vim motivorum: unde major sequetur firmitas in intellectibus diversæ perfectionis circa idem ipsum motivum. Deinde in eodem intellectu fortior aut minus fortis est adhæsio pro diversitate motivorum. Profecto magis adhæret quilibet

iis, quæ ipse expertus est, quam iis, quæ ex aliorum relatione accepit; et si par sit in utrisque evidentia, magis firmat intellectum ratio fundata in inmutabilibus rerum essentiis, quam in legibus naturalibus, quæ suspensionem in aliquo casu possunt per divinam omnipotentiam subire.

Jam si formalem certitudinem respiciamus, potest actus majorem habere repugnantiam cum falsitate pro majori perfectione intelligentiæ, a qua eliciendus est. Et hoc modo actus supernaturalis, positus ab intellectu adjuto atque elevato supernaturalis luminis illustratione, magis infallibilis est, cæteris paribus, quam actus naturalis. Ex parte autem formalis motivi variam quoque sortitur certitudo infallibilitatem, quandoquidem metaphysicæ certitudinis tanta est repugnantia, ut contrarium contingere absolute non possit; reliquarum vero non tanta, cum physica certitudo deficere per miraculum possit absolute, ac moralis etiam absque miraculo, per summum libertatis abusum, aut per victoriam de aliqua difficultate moraliter insuperabili.

Unde scripsit Angelicus Doctor: *Certitudo nihil aliud est, quam determinatio intellectus ad unum: tanto autem major est certitudo, quanto est fortius, quod determinationem causat* (1).

61. COROLLARIUM. Certitudo fidei supernaturalis quamlibet naturalem certitudinem excedit (2). Rationem sic egregie reddit Eximius Doctor: «Ratio autem proprie sumitur ex altioribus causis, quibus nititur certitudo Fidei. Fundatur enim in prima Veritate, quam fallere vel falli impossibilius est, quam naturalem scientiam hominis errare. Item pendet certitudo Fidei ex lumine infuso et divino, quod longe excellentius est, quam lumen naturale intellectus. Hujusmodi ergo lumen etiam confert excellentiorem certitudinem... Denique quatenus Fides pendet ex voluntate, ut jam dicam, nititur in speciali motione Spiritus Sancti, quæ efficax est ad præstandam excellentiorem certitudinem. Unde etiam fit, ut certitudo Fidei non admittat deliberatam dubitationem in intellectu, etiamsi mille argumenta occurrant, quibus homo

Certitudo Fidei supernaturalis naturalem certitudinem excedit.

(1) 3.° Dist. 23, quæst. 2, a. 2, solut. 3.ª
(2) S. Thom. ib.

satisfacere nesciat, nisi ad Fidem confugiendo, quod est etiam apertum signum majoris certitudinis» (1).

Sed hæc ad Theologos spectant.

62. PROPOSITIO 4.a **Certitudo, licet quoad partem negativam, seu exclusionem formidinis, consistat in indivisibili, quoad partem tamen positivam varios gradus admittit.**

Probatur prima pars. Certitudo quoad partem negativam continet totalem dubii ac formidinis exclusionem. Atqui in exclusione totali formidinis non datur graduum varietas. Nam si quævis certitudo, vel infima, totam expellit formidinem, non remanet ulla formido, quæ per aliam majorem certitudinem excutiatur (2).

Probatur altera pars. 1.° ex præcedenti propositione. Quia si certitudo proportionalis est tum perfectioni subjecti intelligentis, tum objecto formali, crescere aut minui certe potest ex alterutro capite. Dari ergo procul dubio possunt in certitudine diversi gradus.

2.° Præterea idem patet experientia: Quisque enim experitur se non eadem firmitatis et adhæsionis intensitate judicia hæc certa pronuntiare: *Nihil potest simul esse et non esse; Animus humanus est spiritualis; Ignis comburit; Existit Constantinopolis.*

ARTICULUS IV.

Utrum certitudo metaphysica, physica et moralis specie differant inter se.

Status quæstionis.

63. **Nota** 1.° Ne putes otiosam hanc esse controversiam. Quamvis enim ex postrema præcedentis articuli propositione illud consequatur, tres istas certitudines gradu aliquo inter se differre, nequit tamen illico inferri, illis totidem distinctas species constitui. Non enim omnis graduum diversitas mutat speciem, sed intra eamdem speciem varii existere gradus possunt.

---

(1) Suar., *de Fide*, disp. 6, sect. 3, n. 14.

(2) Cfr. Suar., loc. cit. n. 8.

2.° Gradus ergo diversos in certitudine nemo negat; negant autem nonnulli esse plures species diversas. Dicunt enim certitudinem omnem veri nominis metaphysicam esse, sive absolutam sive hypotheticam; illam vero, quæ vulgo physica vel moralis audit, nisi reducatur ad metaphysicam hypotheticam, propriæ ac strictæ certitudinis dignitatem non pertingere, sed intra limites maximæ dumtaxat probabilitatis contineri (1). Contra istam doctrinam sit

64. PROPOSITIO. **Triplex illa certitudo, metaphysica, physica et moralis, specie distinguitur, et una alteri præstat (2).**

Probatur. 1.° Certitudo proportionalis est motivo, cui innititur. Ergo motivo specifice distincto respondere debet distincta specifice certitudo. Atqui motiva certitudinis metaphysicæ, physicæ ac moralis specifice distinguuntur. Ergo...

Probatur subsumpta Minor. Nam motivum assensus metaphysice certi *essentialiter* connectitur cum enuntiabilis veritate, motivum autem physicæ certitudinis *physice* ac *naturaliter*, et moralis *moraliter* dumtaxat. Unde omnes quidem hæ certitudines gaudent necessitate atque oppositi impossibilitate; alia tamen atque alia. Etenim metaphysica certitudo potitur necessitate atque oppositi impossibilitate per quamcumque potentiam, etiam divinam, insuperabili; physica possidet necessitatem insuperabilem pro quacumque virtute naturali, et solum superabilem virtute Dei omnipotentis; ac demum moralis necessitas etiam per creatas vires vinci absolute potest. Quapropter omnes quidem illæ tres certitudines sunt infallibiles, sed solum metaphysica habet infallibilitatem in quocumque ordine et hypothesi, physica vero solum in ordine naturali, et moralis in morali. Quæ causa est, cur sola metaphysica dicatur proprie absoluta, quia omnino ineluctabilis, reliquæ vero

(1) Vide Palmieri, *Logica Critica*, thes. 9.

(2) Certitudinem physicam distinctam a cæteris procul dubio docuit Aquinas, lib. 1. *Periherm.* lect. 14; 1. p. q. 86, a. 4; q. 57, a. 3; 2. 2. q. 105, a. 1; 1.° *Contra Gent.* cap. 67, *Amplius;* lib. 3, cap. 154, *Non autem per hoc; De Verit.* q. 8. art. 12; *De Malo.* q. 16, a. 7; 1.° dist. 38, q. 1, art. 5.°; 2.° dist. 7, q. 2, a 2; *Compend. Theol.* cap. 136. Quibus in locis S. Thomas scribit posse creatum intellectum *certo* cognoscere futura, quæ continentur in virtute causarum necessariarum.

dici possint hypotheticæ, quia ut non fallant, debet adimpleri ac supponi hæc conditio, quod nulla facta fuerit exceptio per miraculum in ordine naturali, vel in ordine morali per exercitium potentiæ, quæ adest in ipsa rerum physica natura, licet ob summam rei difficultatem non soleat in actum redigi.

Prob. 2.° Motiva triplicis hujus certitudinis omnia et singula firmissimum exquirunt assensum, eumque producunt intrinsece ac natura sua infallibilem. Atqui assensus firmissimus ac natura sua infallibilis certus procul dubio est. Ergo non solum motiva metaphysica, sed physica etiam et moralia veri nominis pariunt certitudinem.

Probatur prima pars Majoris. Assensum firmissimum ex prudentiæ dictamine postulant illa motiva, quæ omne removent errandi periculum. Atqui non modo metaphysicum motivum, sed physicum quoque ac morale removent errandi periculum. Nam periculum non est in sola possibilitate absoluta mali alicujus, sed in probabilitate ac proximitate ejusdem. At ubicumque militat motivum legum physicarum et moralium, nisi adsit specialis aliqua ratio, eaque prudens, suspicandi exceptionem a generali lege, nullum imminet periculum proximum ac probabile falsitatis. Ergo.

Secus timendum mihi foret, ne flatu oris mei eum cum, quo loquor, interficiam, vel ne panis, quem manduco, in lapidem convertatur, etc.; nam hæc omnia absolute possibilia sunt.

Probatur secunda pars Majoris. Motivum necessario connexum cum objecti seu enuntiabilis veritate, non potest non eamdem connexionem intrinsece necessariam refundere in actum cognitionis, qui ob tale motivum ponitur. Tum quia illud motivum est principium cognitionis; tum quia cum ordo intentionalis sit reproductio ordinis idealis, objectivæ necessitati, si rite proponatur menti, debet etiam in cognitione similis respondere necessitas; tum denique quia etiam necessaria et intrinseca connexio cum veritate, seu intrinseca infallibilitas certitudinis metaphysicæ, quam adversarii unice agnoscere volunt, præcise ex hac motivi necessaria connexione cum objecti veritate efflorescit. Atqui motiva etiam physica et moralia vere habent necessariam connexionem cum enuntiabilis veritate. Ergo illam communicant actibus. Ac proinde cum

intrinseca connexio actus cum veritate objecti sit illius infallibilitas, sequitur actus cognitionis motivo physico et morali innixos intrinseca præditos esse infallibilitate.

Cæterum quoniam gradus infallibilitatis in actu respondet gradui necessitatis objectivæ, infallibilitas certitudinis metaphysicæ, physicæ, ac moralis specifice distinguatur necesse est, sicut distinguitur necessitas motivorum.

Prob. 3.° Nisi admittatur certitudo physica a metaphysica distincta, fere numquam sensuum relatio certam præbebit cognitionem; et nisi admittatur moralis certitudo a reliquis duabus distincta, vix ullum factum historicum indubium remanebit. Atqui hæc duo prorsus absurda sunt, et contra communem omnium sensum et experientiam, qua quisque sentit se firmiter adhærere hujusmodi judiciis. Ergo.

Prob. Majorem per partes, et primo quoad physicam certitudinem, haustam ex sensibus. Quia communiter loquendo, non repugnat absolute ac metaphysice in singulis casibus, cum aliquod factum per sensus apprehendo, me falli. Deus enim in singulis casibus posset, absolute loquendo, reali corpore non existente, illius illusionem gignere. Sic Tobia juvenem videre atque audire videbatur, qui nuspiam existebat. Quodque tunc Dominus per suam misericordiam fecit, potest quoque alias facere, quin prius nos de miraculo moneat. Num ergo perpetuis anxietatibus inanique formidine turbari debeamus, cum amicos alloquimur, cum cibos edimus, cum alia sexcenta phænomena experimur? Dic mihi, sodes, an non amentem existimares eum, qui hanc chartam vel librum cernens exclamaret: *Hic probabiliter*, vel si vis *probabilissime, adest coram me charta vel liber?*

Probo similiter alteram Majoris partem de morali certitudine. Nam in singulis factis historicis, saltem plerumque, non est impossibile metaphysice, nec etiam physice, falsum narratum a pluribus testibus, etiam fide dignissimis, fuisse.

Dices. Ad providentiam divinam spectat, ne deceptiones ejusmodi contingant, potissimum si illas homines detegere ac corrigere nequeant.

Respondeo, verum id esse generatim loquendo, non vero de aliquo casu particulari. Neque enim divinæ quidquam detrahitur providentiæ; sed e converso, maxime commenda-

tur potentia et gloria Summi Conditoris, si quandoque ob justas causas altissimæ suæ sapientiæ notas miracula operetur.

Neque necesse est, ut Deus nobis prius declaret, quidnam facturus sit, sed sufficit, ut post factum de miraculo moneat, quemadmodum contigit, cum Archangelus Gabriel specie formosi juvenis tot præstitit beneficia Tobiæ. Jam si Deus facere potest, per aliquod miraculum, ut in sensuum relatione decipiamur in aliquo casu, etiam nobis non monitis, ex adversariorum sententia in singulis casibus non possumus habere veram certitudinem, sed magnam solummodo probabilitatem de eventu, qui nobis obversari videtur. Timendum enim jure esset, in singulis casibus particularibus ne non tunc præcise per potentiam divinam contingeret exceptio illa absolute possibilis.

Atque idem cum proportione dici potest de divina providentia circa facta historica.

Itaque cum perspectis adjunctis, nulla occurrit ratio dubitandi de aliqua exceptione miraculosa aut monstrosa in constantia ordinis sive physici sive moralis; licet adhuc metaphysice non repugnaret ejusmodi exceptio, nulla formido rationalis, et non prorsus amens atque sceptica, locum habet, neque ulla etiam suspicio, quippe quæ, ut prudens sit, aliquam saltem levem postulat rationem. Ideoque prudenter supponitur, immo vero prudenter agendo, nequit non supponi, quod nulla detur hic et nunc exceptio in legibus physicis ac moralibus, licet dari absolute potuisset. Hac vero conditione supposita, patet, assensum non posse non esse firmissimum.

Exponitur relativa præstantia prædictarum trium certitudinum.

65. COROLLARIUM. Vides jam, in quo reponenda sit relativa præstantia atque excellentia triplicis hujus certitudinis. Nam differunt tres prædicti gradus inter se in majori aut minori infallibilitate ac repugnantia cum falsitate, ex parte actus ipsius certi; ex parte vero intellectus in adhæsione *appretiative* majori aut minori, ratione cujus in conflictu trium harum certitudinum deberet physica morali, salvo casu miraculi, utrique vero metaphysica præferri. Sicut amor Dei appretiative summus dicitur, quia cæterarum omnium rerum amori præferendus est, ut si aut Deus aut bonum

aliquod creatum deserendum sit, omnium potius jacturam facere, quam Deum amittere malimus. Necesse autem non est adhæsionem metaphysicæ certitudinis majorem quoque *intensive* esse, quam physicæ aut moralisad hæsionem. Intensio namque adhæsionis pendet ex majori aut minori evidentia et vivacitate apprehensionis, et crescere aut minui potest etiam in eodem gradu specifico certitudinis, pro majori aut minori attentione cæterisque adjunctis, ac proinde accidentalis est. Sic etiam amor Dei potest *appretiative* summus esse, licet *intensive* sit minor amore filii, patris vel amici.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

66. **Objicies 1.°** Certitudo vel est metaphysica vel nulla est. Nam «certitudo tunc solum habetur, cum omnis formido erroris est exclusa; formido autem erroris tunc solum excluditur, cum manifesta est impossibilitas oppositi, sive cum apparet rei necessitas, sive absoluta sive hypothetica. Ergo tunc solum habetur certitudo, cum rei necessitas apparet, sive absoluta sive hypothetica. Atqui tunc obtinet certitudo metaphysica. Ergo vel certitudo metaphysica habetur, vel nulla est certitudo» (1).

Resp. *neg.* assertum. Probationis primam Minorem *distinguo:* formido tunc solum excluditur, cum manifesta est impossibilitas oppositi, metaphysica vel absoluta, ea nimirum, qua judicetur oppositum hic et nunc per nullam prorsus potentiam fieri posse, *nego;* cum manifesta est impossibilitas saltem physica vel moralis, *conc.*

Simili modo *dist.* primum consequens. Minorem alteram subsumptam *distinguo:* si nomine necessitatis absolutæ et hypotheticæ intelligatur necessitas per quamcumque potentiam ineluctabilis, *conc.* secus, *nego.*

Duplicis generis est hypothetica seu conditionalis necessitas, altera quæ continet hypothesim vel conditionem solum naturaliter inferentem conditionatum: talis est necessitas ignis ad comburendum, si *applicetur combustibile* sufficienter dispositum; sic etiam tormentum bellicum exploditur, *si ignis admoveatur*. Altera est hypothetica necessitas, quæ continet

(1) P. Palmieri, *Logic. Critic.* cap. 1. thes. IX.

hypothesim seu conditionem prorsus ineluctabiliter inferentem conditionatum, dantur enim conditiones metaphysice connexæ cum conditionato. Ita hypothetice ineluctabiliter necessarium est me *sedere, si* et *dum* sedeo: Petrum moveri pariter necesse est, si supponatur quod currat. Et similiter adest in igne necessitas hypothetica ineluctabilis ad comburendum, positis omnibus requisitis, *si Deus non faciat miraculum* derogando legibus physicis et retrahendo suum concursum, his enim omnibus suppositis, nulla est potentia, quæ impedire possit combustionem ignis.

Jam prima illa necessitas hypothetica non est absolute ineluctabilis, nec fundare proinde potest metaphysicam certitudinem. Altera quidem ineluctabilis est, et fundare potest metaphysicam, semper tamen ita pendentem ex conditionis illius positione, ut si cui non omnino pateat positam illam conditionem esse, ille metaphysicam certitudinem habere non possit. Itaque si cui constaret omnimoda evidentia, hic et nunc non fieri a Deo miraculum, neque exceptionem in legibus physicis, ille haberet certitudinem metaphysicam hic et nunc insuperabilem, quoniam de facto ponitur conditio talis, qua posita, impediri nequeat conditionatum. Communiter autem cum, accurate perpensis omnibus adjunctis, nulla deprehenditur ratio patrandi miraculi, non adest proprie *positiva* et *omnimoda* evidentia de legum physicarum observantia in particulari. Non enim repugnat, dum a me nulla cernitur ratio, vel levem injiciens suspicionem de miraculo, fieri reapse miraculum ob rationes Deo soli compertas, quæ mihi postea patebunt, ut sæpe contigit in miraculis, quæ narrant historiæ. Sed quoniam stultum est et imprudens absque ulla ratione miracula suspicari, ideo in casibus particularibus, cum nulla suppetit ratio suadens suspensionem aliquam in physicis legibus, prudentissime supponitur nullum fieri miraculum: qua posita conditione, adest certitudo de re non tamen absoluta et metaphysica, sed physica et defectibilis per omnipotentiam Dei.

Instabis 1.° Necessitas absolute superabilis nomen necessitatis non meretur.

Resp. *nego* assert. Id enim est contra communem modum loquendi omnium. Quam enim, quæso, necessitatem habent

causæ illæ naturales, quæ ab omnibus vocantur necessariæ, nisi physicam? Cæterum, ut in probationibus animadvertimus, existimamus necessitatem physice et moraliter insuperabilem, seu impossibilitatem physicam et moralem sufficiens suppeditare certitudinis fundamentum.

Inst. 2.° Atqui certitudo physica et moralis supponunt necessitatem prorsus hic et nunc ineluctabilem. Nam physice aut moraliter, ut dicunt, certus esse non possum, nisi constet mihi leges, sive physicas sive morales, hic et nunc exceptionem minime passas esse. Atqui si leges ejusmodi servatæ sunt, jam omnimoda necessitate verum est enuntiabile. Ergo incassum fingitur, saltem ad praxim quod spectat, necessitas absolute fallibilis.

Resp. *dist.* Major. Nisi constet id evidentia præcise metaphysica, *nego;* minori, *transeat.*

Et *contradistincta* Minori, *nego* conseq. Etenim metaphysice non repugnat, imo evidenter possibile est, Deum patrare miracula posse, me prius non monito, et in eo ipso momento, in quo ego non possum ullam deprehendere rationem patrandi miraculum. Quis enim tantopere suo fidat ingenio, ut scire se posse existimet, quandonam oporteat, et quandonam non oporteat Deum omnipotentiam suam extra consuetum ordinem eventu aliquo manifestare?

Objicies 2.° Certitudo esse nequit, ubi non plene dubium omnisque formido non excluditur. Atqui in certitudine physica et morali, prout vulgo admittuntur, nequit omnis formido excludi. Nam cum harum fundamentum absolute deficere possit, semper relinquetur locus formidini, aut saltem suspicioni alicui de opposito.

Resp. *nego* Minor. et *distinguo* probationem ejusdem: relinquetur locus formidini aut saltem suspicioni imprudentissimæ, *transeat,* prudenti, *nego.*

Formidare enim aut etiam suspicari de falsitate cognitionis, quando, mature perpensis adjunctis, nulla deprehendi potest ratio exceptionis a legibus constantissimis, non animi prudentis, sed aut insanæ aut absurdæ mentis indicium est.

Instabis. Ut sit vera certitudo, debet excludere etiam imprudentem formidinem. Nam certitudo immobilitatem cognitionis firmæque adhæsionis importat. Atqui ubi est locus for-

midini, licet imprudenti, non adest hujusmodi immobilitas. Ergo.

Resp. *neg.* assert. Ad probat., *dist* Major. Certitudo importat immobilitatem adhæsionis, quæ nequeat saltem prudenter turbari, *conc.;* quæ ne imprudenter quidem turbari possit, *nego.*

Objic. 3.° Vis ac processus certitudinis, quæ physica dicitur et moralis ad hanc propositionem velut ad formulam generalem revocatur: *Hoc ita est, si nulla fiat exceptio in legibus sive physicis sive moralibus:* v. g. *Hic ignis nunc comburet, nisi fiat miraculum;* vel: *Existit Constantinopolis, nisi testes id narrantes, per summam legum moralium violationem, mentiti sint.* Et ob eam causam *hypotheticæ* vocantur prædictæ certitudines. Atqui hæ propositiones metaphysica gaudent certitudine. Ergo.

Resp. *neg.* Major quoad utramque partem. Nam vis ac tendentia physicæ ac moralis certitudinis non est illa, quæ in objecta propositione exprimitur, sed hæc: *Quoniam leges physicæ aut morales constantes sunt, et nulla hic et nunc apparet ratio prudenter formidandi exceptionem, hoc ita est,* v. g.: *Hic ignis comburet,* vel: *Constantinopolis existit.*

Objic. 4.° Propositiones certæ certitudine physica vel morali æquivalent conclusioni fluenti ex duabus præmissis, quarum Major hæc est: *Res ita est, si nulla fiat in legibus physicis et moralibus exceptio:* Minor autem hæc: *Atqui hic et nunc nulla fit ejusmodi exceptio.* Jam vero Major illa certa quidem est. Minor vero tantum probabilis est aut probabilissima. Conclusio itaque exinde consequens pejorem sequatur partem, oportet, ac proinde certa non est, sed tantum probabilissima.

Resp. *neg.* Major. Nam assensus physice aut moraliter certus non ponitur vi illius discursus, sed immediate, ut nuper dicebamus, hoc pacto: *Quoniam leges naturæ ac morales sunt constantes, nec violari possunt, nisi illæ quidem per miraculum, hæ autem per abnormem abusum libertatis; in hoc autem casu particulari, perpensis omnibus adjunctis, nulla detegi potest ratio prudenter timendi exceptionem, res ita est.* Unde quod nulla hic et nunc detur exceptio, non assumitur tamquam ratio ad concludendum, sed simpliciter supponitur tamquam conditio ante assensum.

Objic. 5.° Ea specifice non differunt, quæ solum extrinsece inter se discriminantur. Atqui certitudo metaphysica, physica et moralis solum extrinsece discriminantur, nempe per ordinem ad objectum formale, seu motivum assensus. Ergo...

Resp. *neg.* Minor. Nam licet a nobis per ordinem ad aliquid extrinsecum declaretur distinctio trium istarum certitudinum, at illæ non extrinsece dumtaxat distinguuntur, sed secundum intrinsecam perfectionem modo jam explicato (1). Cum enim objectum formale seu motivum influat in assensum, necesse est perfectionem entitativam actus certi proportionalem esse ipsi objecto (2).

Objic. 6.° Negationes ac privationes specie differre nequeunt. Atqui certitudo negationem importat, videlicet impossibilitatem oppositi. Ergo....

Resp. *dist.* Maj.: secundum se, *trans.*; ratione sui oppositi, *neg.* Sic cæcitas et surditas specifice discrepant, non secundum solam rationem negationis, sed secundum positivas formas, quibus privant (3).

Dist. etiam *Minor*. Certitudo solam negationem importat, *neg.*; negationem simul cum positiva perfectione cognitionis, natura sua infallibilis, *conc.* (4).

CAPUT III.

DE EVIDENTIA.

Quæstio circa evidentiam intime conserta est cum quæstione circa certitudinem. Quamquam enim possit esse certitudo absque evidentia, ut accidit in actu Fidei supernaturalis, quæ obscuritatem habet (5); non tamen potest e converso evidentia esse absque certitudine. Atque hæc causa fuit, cur ethnici Philosophi, qui Fidei divinæ notitia destituebantur, non aliam certitudinem agnoscerent præter eam, quæ cognitionum

Quanta connexio evidentiæ cum certitudine.

(1) Superius, n. 65.
(2) Vide supra n. 55.
(3) Confr. S. Thom. 1 p. q. 11, art. 4 ad 1.um
(4) Vide superius dicta, n. 62.
(5) Vide supra n. 53.

evidentium patrimonium est. Unde quemcumque actum obscurum atque inevidentem, eo ipso incertum, ideoque natura sua fallibilem, existimabant. Operæ pretium itaque est certitudinis tractationi disputationem de evidentia subnectere.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex evidentia.

Quid evidentia generatim.

67. Evidentiæ nomine, cum agitur de cognitionibus nostris, omnes intelligunt claritatem et perspicuitatem, qua objectum menti contuendum proponitur ab eaque perspicitur (1). Habetque vox metaphoram a visu desumptam. Quemadmodum enim inter cæteras sensuum cognitiones clarissima et perspicacissima est visio; ita etiam *evidentia* ad cognitiones intellectuales designandas translata, illis dumtaxat tribuitur, quæ perspicua claritate velut totidem *visiones* refulgent (2). Etenim, docente Angelico, *de aliquo nomine dupliciter convenit loqui: uno modo secundum primam ejus impositionem, alio modo secundum usum nominis. Sicut patet in nomine visionis, quod primo impositum est ad significandum actum sensus visus; sed propter dignitatem et certitudinem hujus sensus extensum est hoc nomen, secundum usum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum sensuum, dicimus enim:* Vide, *quomodo* sapit, *vel quomodo* redolet, *vel quomodo* est calidum (3). *Et ulterius etiam ad cognitionem intellectus, secundum illud* Matt. cap. V, v. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum* videbunt (4).

Evidentia objecti et cognitionis

Cæterum non solum *cognitio*, sed *objectum* etiam cognitionis denominari solet *evidens*, ut constat ex communi omnium sensu.

---

(1) Unde Tullius: *Nihil*, inquit, *clarius* ἐνάργεια, *ut græci, perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus.* (*Academ. quæst.* lib. 4, n. VI, 17.)

(2) Cfr. S. Th. 3.ª dist. 23, q. 2, art. 2, solut. 1.ª; dist. 24, q. 1, a. 2, solut 1.ª; 2.º *Contra Gent.* c. 53. Vide etiam S. August. lib. 11 *de Trinit.* cap. 1.

(3) Ex opposita ratione, quia fidei cognitio habet obscuritatem, solet *auditioni* comparari. Vide S. Th. loc. cit.

(4) 1 p. q. 67, art. 1.

Incipit declaratio evidentiæ objectivæ per analogiam ad objectum clare visibile.

Quid autem sit, detractis metaphoris, *perspicuitas* et *claritas* hæc, quæ nomine venit *evidentiæ*, facilius forte sentitur, quam explicatur. Ut tamen res aliquo modo declaretur, exordiendum est ab evidentia objecti seu *objectiva*. Et quoniam objectum *evidens* ita se habet respectu intellectus sicut *visibile* respectu visus, ex analogia visionis ratio desumenda est evidentiæ.

Visibile igitur objectum non est, nisi et lumine perfusum sit, et in justa proportionataque distantia positum, ut videri distincte possit; nihil quippe videtur in tenebris; neque etiam, vel lucente sole meridiano, quæ nimis distant, perspici queunt. Objectum autem lumine collustratum et visivæ potentiæ proportionatum secundum distantiam clare *visibile* est, quantum est de se, ac porro videbitur, si oculus in ipsum intendatur. Unde clare *visibile* redditur objectum aliquod ex lumine ac proportionata distantia. *Claritas*, inquit S. Thomas, *vel limpiditas visionis contingit ex tribus: primo ex efficacia virtutis visivæ, quia qui sunt fortioris visus, magis limpide vident. Secundo ex claritate lucis, sub qua claritate visibile videtur: sicut clarius videtur aliquid in lumine solis, quam in lumine lunæ. Tertio ex comparatione visibilis, vel ejus in quo aliquid videtur, ad videntem: quia quod a remotiori videtur, minus clare videtur* (1).

Quid lumen respectu intellectus.

Jam si hæc ad visionem intellectivam applicemus, notandum in primis est, *quod lumen secundum quod ad intellectum pertinet, nihil est aliud, quam quædam manifestatio veritatis* (2), *dicitur enim* lux *in spiritualibus, quod ita se habet ad manifestationem intellectivam, sicut se habet lux corporalis ad manifestationem sensitivam* (3). Quo sensu motiva etiam objectiva assensus evidentis, et argumenta, quæ rem aliquam intellectui patefaciunt, *lumen* dici possunt ac solent. Sæpissime vero *lumen intellectuale* sumitur potius subjective nempe pro aliquo manifestativo subjectivo, pro aliqua forma, quæ se tenet non ex parte objecti, sed ex parte ipsius intellectus, pro ipsa nimirum virtute atque efficacitate cognoscitiva mentis,

(1) 3.° dist. 14, q. 1, a. 2, solut. 3.ª, et art. 3, solut. 2.ª

(2) S. Th. 1, p, q. 106, a. 1. Cfr. 1. p. p. 67, a. 1. Commentar. in lib. *de Causis*, lect. 6, med.

(3) S. Th. 2.° dist. 13, q. 1, a. 2. Cfr. 2.ª *Contra Gent.* c. 53.

sive naturali et ingenita, sive supernaturali et superaddita. Et sic vulgo solemus dicere: *Lumen* rationis, *lumen* intellectus agentis (1), *lumen* fidei, *lumen* gloriæ (2).

Quid distantia respectu intellectus

Deinde distantia justa inter objectum et potentiam, respectu intellectus, aliud esse non potest quam talis proportio et applicatio objecti, ut mens per lumen ac virtutem suam cognoscitivam perspicere illud in se ipso possit, ac debeat, si aciem suam eo convertat. Quæ cum ita sint

Definitio evidentis objecti

68. **Illud dicendum est objectum evidens,** quod est conspicuum et manifestum intellectui: illud porro est conspicuum et manifestum, quod ita applicatum et proportionatum est capacitati ac lumini mentis, ut determinare per se ipsum valeat assensum illius. Et proinde evidentia est talis applicatio objecti et proportio cum capacitate intellectiva, ut illud sufficiat se solo, si acies mentis in ipsum dirigatur, firmum assensum determinare.

Probatur autem hæc definitio 1.° ex analogia cum visione. Nam ubicumque adest copia lucis objectum collustrantis in proportionata distantia positum, oculus ad hujus veracem perceptionem determinatur, et sic dicitur objectum clare *visibile*. Ergo tunc quoque dicendum est objectum *evidens*, cum non excedit capacitatem intellectus, sed ita hujus virtuti attemperatur, ut per *seipsum* moveat ac determinet assensum. Illa nimirum **videri** *dicuntur,* inquit Angelicus, *quæ per seipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui assensum* (3).

Comparatio objecti evidentis et credibilis

Probatur 2.° ex oppositione objecti *evidentis* cum *credibili* dumtaxat et *opinabili*, quæ obscura sunt atque *inevidentia;* et non ob aliud, nisi quia deest illis ea sufficiens applicatio

---

(1) Nomine *intellectus agentis* venit virtus quædam productiva specierum intelligibilium, quibus informata et fœcundata mens objecta cognoscit: de quo in Psychologia.

(2) Vide S. Thomam 1. p. q. 1, a. 5; q. 12, a. 2; 3.° *Contra Gent.* c. 53 vers. fin.; lib. 3.° *de Anima* lect. 10, initio ex Aristot. ib. text. Comm. 18; 3.° dist. 23, q. 2, a. 2. sol. 1.a et 3.a; dist. 24, q. 1, a. 2, solut. 1.a; *De Verit.* quæst. 11, a. 1; quæst. 12 art. 1; et quæst. 14, art. 9, in corp. et ad 2.um; *De sens.* et *sensat.* initio; *de spirit. creat.* art. 10; Opusc. *de Trinit. sup. Böet.* quæst. 1, art. 1.

(3) S. Th. 2. 2. quæst. 4. Cfr. *de Verit.* q. 14, *de Fide* art. 1.

et commensuratio cum facultate cognoscitiva, qua perspici in se possint, firmumque assensum determinare. Objectum enim credibile non *coram adest*, ut ita dicam, sed procul distat, ut non possit per seipsum movere ac determinare intellectum, ac proinde non inspicitur in seipso, sed solum affirmatur ob testimonium et auctoritatem alterius, accedente etiam, saltem plerumque, liberæ voluntatis imperio ut ponatur assensus: quæ doctrina est Sanctorum Augustini ac Thomæ Aquinatis.

Secundum Augustinum in libro de Videndo Deum (1) creduntur illa, quæ absunt a sensibus Nostris, si videtur idoneum testimonium, quod eis perhibetur: videntur autem quæ præsto sunt vel animi vel corporis sensibus. *Quæ quidem differentia evidens est in iis, quæ præsto sunt corporeis sensibus, in quibus manifestum est,* quid præsto sit corporis *sensibus, et quid non. Sed in sensibus animi, cum quid* præsto esse dicatur, *magis latet, illa tamen* præsto esse *dicuntur intellectui, quæ* capacitatem ejus non excedunt, ut intuitus intellectus in eis *figatur: talibus enim aliquis assentit* non propter testimonium alienum, sed propter testimonium proprii intellectus (nimirum quia ipse intellectus videt, ac per se intuetur). *Illa vero, quæ facultatem intellectus excedunt, absentia esse dicuntur a sensibus animi, unde intellectus* in eis figi non potest: *unde eis non possumus assentire* propter proprium testimonium, *sed propter testimonium alienum. Et hæc proprie* credita *dicuntur* (2).

Oppositio objecti opinabilis et evidentis.

Simili modo objectum *opinabile*, licet percipiatur ac teneatur ab intellectu ex propriis rationibus, et non solum ex aliorum testimonio, sicut pure *credibile*, nihilominus ideo est opinabile atque inevidens, quia non est satis attemperatum et commesuratum intellectivo lumini, ut illud determinare per se solum ad assensum valeat. Quamobrem sicut objecta procul posita non satis discernuntur, nec possunt per se satis determinare visionem nec assensum intellectus, ut quid vel qualia sint, definiri queat; ita etiam opinabilia, utpote

(1) Epist. 147 (al 112) cap. 2. et 3.

(2) S. Th. *de Verit.* q. 14, a. 9. Cfr. 3.° dist. 24; q. 1, a. 2. solut. 1.ª in corp. et sol. 3.ª ad 4.um

nimis a captu et intelligentia remota, nequeunt per se sola movere et extorquere assensum, nisi accedat voluntatis imperium. Ergo e contrario ideo dicendum est objectum evidens, quia sufficit se solo determinare intellectum ad judicium, ita ut assensus gignatur ex solis meritis et objectivo influxu illius absque ullo voluntatis impulso, ideoque recte explicatur evidentia per aptitudinem et capacitatem objecti ad determinandum et extorquendum assensum intellectus.

Confirmat totam hanc doctrinam Angelicus his verbis: Determinatur *intellectus ad unum tripliciter... In intellectu enim principiorum* causatur determinatio ex hoc, quod aliquid per lumen intellectus sufficienter inspici per ipsum potest. *In scientia vero* conclusionum causatur determinatio *ex hoc, quod conclusio secundum actum rationis in principia per se visa resolvitur. In fide vero* (idem dic de opinione) *ex hoc quod voluntas intellectui imperat. Sed quia voluntas* hoc modo non determinat intellectum; ut faciat inspici quæ creduntur, sicut inspiciuntur principia per se nota, *vel* quæ in ipsa resolvuntur, *sed hoc modo ut intellectus firmiter adhæreat; ideo certitudo, quæ est in* scientia *et in intellectu*, est ex ipsa evidentia eorum, quæ certa esse dicuntur: *certitudo autem fidei ex firma adhæsione ad id, quod creditur* (1). Et alibi: *Assentit intellectus alicui dupliciter: uno modo, quia ad hoc* movetur ab ipso objecto, *quod est vel per se ipsum cognitum; sicut patet in principiis primis, quorum est intellectus, vel per aliud cognitum, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non* quia sufficienter *moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam aliam. Et si quidem hoc sit cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio; si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. Illa autem* videri *dicuntur, quæ* per seipsa movent *intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem* (2).

Maneat ergo evidentiam in tali objecti proportione cum capacitate intellectiva consistere, ut possit *inspici* in seipso

(1) 3.ª dist. 23. q. 2, a. 2. solut. 3.ª Cfr. ibid. ad 2.um et solut. 1.ª et loc. sup. cit.

(2) S. Thom. 2. 2. q. 1, art. 4. Cfr. *de Verit.* q. 14, a. 1.

et cognosci, et sic assensum mentis determinare per seipsum (1).

Undenam ratio evidentis in objecto resultet.

69. Ex quo sequi videtur evidentiam in objecto præcipue desumi per ordinem ad intellectum. Et ratio est, quia evidentia enascitur ex lumine, lumen autem in cognitionibus et objectis intellectualibus tandem ad virtutem intellectus revocatur, illa enim est, quæ abstrahendo species a phantasmatibus objecta reddit intelligibilia in actu, si sermo sit de enuntiabilibus, quæ immediatis judiciis exprimuntur. Conclusiones vero evidentes illæ sunt, quæ ab intellectu per applicationem ac lumen principiorum videri possunt. Unde videtur sequi omnem tandem evidentiam objectivam per ordinem ad virtutem ac lumen intellectuale dici (2). Sicut etiam objectum, supposito lumine, dicitur clare visibile per ordinem ad visivam virtutem ac perspicacitatem, quæ objectum illud in se distincte attingere valeat. Et hæc videtur etiam causa, cur unum idemque objectum, quod uni est obscurum et inevidens, alteri sit evidens, ob potentiorem nempe virtutem intellectus, sicut unum idemque objectum visibile sub eodem lumine externo, ab aliis clare videtur, ab aliis vero non, pro varietate visivæ virtutis.

Evidentia subjectiva seu cognitionis.

70. Explicata ratione evidentiæ objectivæ, jam nullius est negotii evidentiam cognitionis declarare. Nam cognitio evidens alia esse non potest, nisi ea, quæ paritur ab objecto evidenti, ad illudque terminatur; vel cognitio, qua objectum ita in se ipso inspicitur, ut ad illius assensum mens non aliunde determinetur. Et quoniam cognitio vel est simpliciter apprehensiva vel judicativa, illa est apprehensio evidens, quæ ita repræsentat terminos alicujus enuntiabilis, ut illico pronuntiari possit absque alio motivo judicium certum de illorum identitate ac discrepantia; illud vero est judicium evidens, quod aut ex sola terminorum apprehensione determinatur,

(1) Hæc est etiam mens Eximii Doctoris, ut colligitur ex his verbis: *Intellectus non determinatur ex necessitate ad judicium, nisi media evidentia rei cognitæ, ut experientia ipsa docet et ratio; quia absque evidentia objectum non perfecte applicatur potentiæ, ut eam ad se ex necessitate trahat ac determinet* (disp. 7. *Metaph.* sect. 2, n. 6).

(2) Vide S. Thom., *de Verit.* quæst. 11, art. 1.°, 3.ª dist. 23 q. 2, a. 2. solut. 1.

aut ex necessaria connexione cum aliis judiciis evidentibus, nimirum prout judicium sit immediatum vel mediatum.

Discrimen inter evidentiam et certitudinem.

71. Quæ cum ita sint, vides jam discrimen inter certitudinem et evidentiam. Nam certitudo ex suo conceptu importat firmitatem atque infallibilitatem vel necessitatem, evidentia vero claritatem: quæ duo diversa plane sunt, ut per se patet. Et sic multa sunt objecta, in se quidem certa, id est necessaria, et nihilominus obscura respectu intellectus nostri, et actus etiam fidei divinæ certissimi sunt, at simul obscuri, quemadmodum docent Theologi.

Quid prius evidens dicatur, objectumne an cognitio.

72. SCHOLION. Solet a quibusdam disputari, quid prius *evidens* dicatur, objectumne an cognitio (1). Ego rem breviter sic expedio. Quod attinet denominationem ipsam *evidentis*, ea videtur derivari ex actu cognitionis in objectum, quod non appellatur evidens nisi quia *videtur* seu in se perspicitur, aut certe *videri* potest. Nihilominus res per illam denominationem significata, perspicuitas nimirum adest in objecto antecedenter ad actum cognitionis evidentis: non enim objectum in ratione luminosi vel perspicui constituitur per ordinem ad evidentem cognitionem, sed per ordinem ad intellectum, qui abstrahendo species intelligibiles a phantasmatis reddit objecta clare intelligibilia, ex quo deinde consequitur, ut actu clare intelligantur. Nimirum si vera sunt, quæ hactenus exposuimus, illud quod correspondet in intellectu lumini corporeo, objecta illustranti, clareque *visibilia* reddenti, videtur se tenere ex parte virtutis intellectualis, quæ spirituali suo lumine illuminat objecta, et sic ante actualem cognitionem evidentem jam præsupponuntur illa perspicua et luminosa, seu evidentia (2). Brevi, objecta quædam ex sua natura sunt proportionata, ut ab intellectu agente abstrahantur ex illis species vividiores, quibus abstractis, objecta illa *applicata* sunt

(1) Cfr. quæ erudite disputat in hanc rem cl. P. Mendive, *Elementos de Logica, Segunda parte*, cap. 3, art. 4, n. 568 seqq. Vide Sylvest. Mauri, *Theolog.* tom. 2. quæst. 127; Arriaga, *Logica*, disp. 16, n. 59; Izquierdo, *Phar. scient.*, disp. 4, quæst. 2, n. 37; Ulloa, *de Anima*, disp. 2, cap. 8, n. 105, Anton. Mayr., *Philos. peripat.*, part. 1, disp. 6, q. 2, art. 1, n. 965, aliosque ab eodem P. Mendive laudatos.

(2) Vide S. Thom., *de Verit.*, q. 11. a. 1.

jam intellectui possibili (nimirum jam evidentia et luminosa sunt), ut *clare* illa percipiantur.

Quotuplex evidentia: immediata et mediata:

73. Evidentia dispescitur in *immediatam* et *mediatam*. Illa inest in principiis per se notis, hæc in conclusionibus. Principia namque per se nota circa tale versantur objectum, quod statim lumine intellectus agentis fiat intelligibile, ac firmissimum determinet assensum: in conclusionibus autem objectum ipsum ratione sui manifestum ac proportionatum non est, sed vi argumenti aut motivi alias clare noti redditur aptum, ut constans certumque judicium extorqueat (1). Quare principia per se nota se habent tamquam corpora luminosa, conclusiones vero mediate evidentes tamquam corpora lumine alieno illustrata.

metaphysica. physica et moralis:

Secundo dividitur evidentia in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*. Metaphysica est apparentia seu perspicuitas enuntiabilium innixa fundamentis metaphysicis, id est, essentialibus relationibus subjecti et prædicati; qualis est v. g. evidentia horum judiciorum: *Totum est majus sua parte: Homo est animal*. Physica est perspicuitas enuntiabilium innixa fundamentis physicis; talis est ea, quæ inest in his judiciis: *Video hanc chartam; Petrus currit: Ubi fumus egreditur, est ignis*. Moralis evidentia duplici sensu sumi potest: α) pro perspicuitate enuntiabilium, innixa fundamentis moralibus, quæ licet absolute pendent a libertate humana, morali tamen gaudent necessitate atque infallibilitate: et ejusmodi evidentia certus es de existentia Constantinopoleos, si eam urbem non vidisti: ita etiam persuasum habes fore, ut probus rex non patiatur fame perire matrem suam. β) Sumitur præterea evidentia moralis pro ea enuntiabilis perspicuitate ac proportione cum intellectu, quæ omnem quidem prudentem formidinem excutere valeat, non vero imprudentem, quacumque tandem gaudeat objectum in se necessitate, sive metaphysica, sive physica, sive morali (2). Hanc si quis renuat appellare

(1) Cfr. S. Th. 3.° dist. 23, q. 2. a. 2. sol. 1; quæst. 24, q. 1. a. 2; *de Verit.*, q. 11. a. 3. et q. 14. a. 1.

(2) Vide Cardin. Ptolom., *Phil. mentis et sensuum*, dissert. 35 *Logico Physica*, sect. 3, n. 4; Izquierdo, *Pharus scient.*, disp. 4, quæst. 1, n. 26; Cfr. Ant. Mayr., *Philos. peripat.* Part. 1, disp. 6, quæst. 2, art. 1, n. 966. Cfr. superius dicta n. 50 de certitudine morali.

evidentiam, contendatque esse meram certitudinem absque stricta et propria evidentia; quæstio solum erit de nomine.

intrinseca et extrinseca:

Dividitur præterea evidentia in *intrinsecam* et *exrinsecam*, seu in *attestante*. Evidentia extrinseca seu in attestante est illa, quæ fundatur in alterius testimonio evidenter noto et connexo cum rei veritate. Intrinseca vero est quæcumque alia, quæ nimirum fundatur in aliquo motivo objectivo (1).

subjectiva seu formalis et objectiva:

Rursus dividitur in *objectivam* et *subjectivam* seu *formalem*. Objectiva est evidentia objecti, et subjectiva cognitionis. Porro subjectiva proprie reperitur in actu judicii ex communi usu loquendi (2); quamquam S. Thomas etiam apprehensioni simplici videtur eamdem tribuere (3).

veritatis et credibilitatis:

Tandem omissis aliis divisionibus, quæ declaratione non egent, evidentia dispescitur in evidentiam *veritatis* et evidentiam *credibilitatis*, cujus partitionis haud exiguus est usus in Theologia. Evidentia veritatis, ut ipsum nomen indicat, facit objectum ipsum *evidenter verum;* et evidentia credibilitatis facit objectum *evidenter credibile:* non est autem idem credibile ac verum; multa enim falsa sunt credibilia, quin et evidenter credibilia, assensu nimirum opinativo. Itaque non est confundenda hæc divisio evidentiæ cum illa alia in *intrinsecam* et *extrinsecam*. Etenim evidentia veritatis potest esse vel intrinseca vel extrinseca; evidentia vero credibilitatis stare potest non solum cum obscuritate veritatis, ut accidit in Fide divina; quæ juxta communissimam Theologorum doctrinam *evidenter credibilis* est, non vero *evidenter vera;* sed etiam cum probabilitate atque adeo cum falsitate. Evidentia quippe credibilitatis non aliud importat, nisi quod evidens sit judicium, quo judicamus rem aliquam credi posse aut debere.

consequentiæ et consequentis.

Illa quoque consideratu digna est partitio, qua evidentia distribuitur in evidentiam *illationis* seu *consequentiæ*, et consequentis. Evidentia consequentiæ adest, cum ex aliquo antecedente vel conditione manifeste fluit aliud. Evidentia vero consequentis adest, cum id quod ex alio fluit vel colligitur,

(1) Cfr. de hac divisione Izquierdo, Op. cit. disp. 4, quæst. 2, n. 35 seqq.

(2) Id. ibid. n. 20.

(3) 3.ª Dist. 24, quæst. 1, a. 2.

est in se ipso evidens. Differunt hæ duæ, quia evidentia illationis vel consequentiæ, præscindit ab evidentia antecedentis ac consequentis, et potest esse etiam cum antecedente ac consequente probabilibus, atque adeo etiam falsis: ut si ita inferas: *Homo est lapis: ergo nequit cogitare.* E converso evidentia consequentis præscindit ab evidentia nexus et consequentiæ, ut si sic concludas: *Homo est substantia. Ergo est animal rationale.*

Exposita jam evidentiæ ratione, restat ut in ejus proprietates inquiramus. Omnes tamen persequi necesse non est, ac nominatim capacitatem gradus diversos recipiendi. Ex iis enim quæ in simili argumento de certitudine diximus, facile patet evidentiam quoque gradibus augeri minuique posse. Itaque duas tantum circa evidentiæ proprietates controversias attingam; alteram, quæ ipsius cum veritate connexionem, alteram, quæ virtutem ejusdem ad extorquendum ab animo assensum respicit.

ARTICULUS II.

Quæ et quanta sit evidentiæ connexio cum veritate.

74. PROPOSITIO 1.a **Quod evidens est, verum est.**

Propositio intelligi potest tum de objectiva, tum de subjectiva; et de utraque simili modo.

Probatur 1.° Objectum evidens in tantum esset falsum, in quantum dum rite proportionatum atque applicatum est potentiæ, aliter appareret ac est in se, vel generaret cognitionem sibi difformem. Cognitio vero evidens in tantum esset falsa, in quantum objectum sibi maxime attemperatum applicatumque perperam repræsentaret. Atqui id manifeste absurdum est, et contradictorium. Idem enim est, ac ponere facultatem ineptam ad objectum sibi maxime proprium attingendum.

Prob. 2.° Ex sensu communi omnium. Omnes enim cum aliquid tamquam verum atque indubitabile haberi volunt, evidentiam invocant, tamquam tutissimam rationem veritatis.

Prob. 3.° Si quidquid evidens est, verum non est, lata via scepticismo sternitur. Tunc enim de evidentissima quaque

propositione rationabiliter formidari poterit, neque ulla prorsus scientifica certitudo secundum prudentiæ dictamen consistet.

Itaque infallibilis veritas evidentiæ intime conserta est cum infallibilitate facultatum nostrarum cognoscitivarum, seu potius in idem videtur recidere, ac ipsa earum veracitas aut aptitudo naturalis ad rite percipienda propria objecta.

75. PROPOSITIO 2.a **Principium hoc evidentiæ, quod in præcedenti assertione stabilitum est, evidentissimum est atque indemonstrabile.**

Prima *pars* hujus propositionis est contra clarissimum Jacobum Balmesium, qui quamquam fateatur, quidquid evidens est, verissimum quoque esse ita, ut, hoc principio non admisso, ipsum contradictionis principium ruat (1) tamen ex altera parte contendit evidens non esse ejusmodi principium (2).

Prob. 1.° Ex argumentis nuper adductis pro prima propositione, quæ videntur rem manifeste conficere.

2.° Evidenter absurda est hæc propositio: Evidentia secum patitur falsitatem: Ergo evidens est ipsius contradictoria: Evidentia repugnat falsitati.

Consequentia patet.

Antecedens probatur. Illud est evidenter absurdum, ex quo evidens absurdum sequitur. Ex vero enim falsum sequi non potest. Atqui posita indifferentia evidentiæ ad falsitatem, perit omnis cognitio certa, atque adeo ipsa facultas cogitandi et ratiocinandi; quod absurdissimum est. Ergo.

Secunda *pars:* Omnis demonstratio supponit principia certa atque evidentia, et conclusionem habet evidenter ex præmissis fluentem. Neque quisquam demonstrationem ullam tamquam veram admittit, nisi quia existimat evidentia principia evidentem illationem ad falsam conclusionem adducere non posse. Ergo quæcumque demonstratio principii evidentiæ supponit repugnantiam evidentiæ cum falsitate, quæ proinde indemonstrabilis est (3).

---

(1) *Filosofia elemental*, lib. 1, cap. 22, n. 223.
(2) Ibid., n. 221 seqq.
(3) Balmes, loc. cit. n. 222.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

76. CONTRA PRIMAM PROPOSITIONEM.

Objicies 1.° Sunt enuntiabilia quædam evidentia, quæ vera sunt, supposita conditione aliqua, et falsa secus. Atqui fieri potest, ut quis illam conditionem abesse invincibiliter ignoret. Ergo in eo casu habebitur enuntiabile falsum, quod sit evidens.

Sic cum Tobias loquebatur cum Raphäele, evidens illi erat se videre et alloqui juvenem quemdam, et tamen falsum erat ratione miraculi. Atque idem dic de mysterio Sacrosancto Eucharistiæ.

Resp. *dist.* Major. Et ejusmodi enuntiabilia sunt evidentia, supposita illa conditione, *conc.;* illa non supposita, *nego.*

Et *concessa* Minori, *distinguo* eodem modo conseq.

Eadem esto responsio ad miracula adducta pro rei confirmatione. Evidens enim est physice experientiæ oculorum nostrorum respondere vera et realia corpora, quæ videmur videre, itemque accidentia inesse actu in propriis ipsorum subjectis. Verum in casibus particularibus evidentia, quam nobis experientia suppeditat, *hypothetica* est, subaudit enim hanc conditionem, quod nimirum nullum fiat miraculum, et stante hujusmodi conditione, deficere nequit. Si vero miraculum adsit et lateat, dicendum est, aut nullam adesse revera evidentiam, sed tantum apparentem, quæ tamen per accidens fallit, et habetur ut vera, quia ignoratur adesse miraculum; aut, si mavis, concede dari eo in casu evidentiam, quæ tamen quia physica est, potest per divinam omnipotentiam fallere, licet nequeat naturaliter (1); sicut dictum est certitudinem physicam per miraculum deficere posse, seu actum positum ex motivo legum physicarum posse quandoque falsitate infici, interveniente miraculo.

Obj. 2.° Evidens est solem moveri. Id tamen falsum esse docet Astronomia. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Evidens est solem moveri motu absoluto ipsius solis, *neg.* motu relativo, *conc.*

Et *contradistincta* Minori, *nego* conseq.

(1) Cfr. Suar., disp. *Met.* 9, sect. 2., n. 7.

Motus absolutus est motus realis et verus alicujus corporis: relativus autem est mutatio positionum ac distantiæ corporis alicujus respectu alterius. Quare fieri potest, ut corpus aliquod quiescat absolute, et moveatur relative, si alterum corpus absolute moveatur. Et hoc accidit in solari motu, qui nobis apparet. Evidens est dari inter solem ac terram variationes in mutuis relationibus localibus, ideoque evidens est motus relativus solis. Ex evidentia vero hujus motus relativi nequit inferri evidenter motus absolutus. Quia eædem variationes in relationibus localibus existent, stante terra, et movente se sole ab Oriente versus Occidentem., ac si stante sole, terra moveatur ab Occidente versus Orientem.

Objic. 3.° Si baculum sub aqua immergatur, evidens est illud esse fractum. Atqui hæc est mera illusio optica. Ergo...

Resp. *neg.* Major. vel *dist.* Est evidens evidentia vera, *neg.*, apparenti, *trans.* Non enim potest esse vere evidens objectum, quod potentiæ non est rite applicatum propter impedimentum aliquod ex parte medii interjecti existens. In hac ergo aliisque similibus illusionibus opticis, evidens est tantum *apparentia et veri similitudo.* Evidens porro non est rem semper talem esse, qualis apparet, neque eam, cujus gerit similitudinem.

77. CONTRA ALTERAM PROPOSITIONEM objicit Balmes. Illa est evidens propositio, cujus prædicatum cernitur contineri in idea subjecti. Atqui hæc propositio: *Quod evidens est, verum est,* non est ejusmodi. Ergo evidens non est (1).

Resp. 1.° *distinguo* Majorem. Etiam, *conc.*, solum, *neg.* Diminuta enim est illa evidentiæ notio, quæ non convenit evidentiæ physicæ ac morali, sed solum metaphysicæ; nec omni metaphysicæ, sed alicui. Revera in propositionibus negativis de materia impossibili, prædicatum non continetur in idea subjecti, sed repugnat eidem, ut cum dico: *Homo non est equus.* Præterea distinguendæ sunt propositiones enuntiantes quidditatem rei, ab aliis, quæ enuntiant solam existentiam. In primis locum habet Balmesii definitio, non vero in secundis. Sic evidens est animæ meæ existentia, quæ tamen non continetur in ejus idea. Et cum primum quis

(1) Loc. cit.

agnoscit divinam existentiam, non eam perspicit in Dei essentia atque idea. Nec prius possumus cognoscere existentiam Dei esse revera de essentia ipsius, quam evidenter cognoscamus aliunde Deum existere; nisi forte quis velit amplecti Cartesianum argumentum ad probandam divinam existentiam, quod tamen communissime rejicitur.

Præterea dantur propositiones evidentes, quæ ideo pro veris admittuntur, quia ex earum negatione evidenter sequuntur evidentia absurda. Et in his quoque deficit allata a clarissimo adversario definitio.

Respondeo 2.° *nego* Minor. Sive enim evidentia sumatur objective sive subjective, ejus connexio cum veritate videtur evidenter patere ex mera terminorum explicatione, ut satis declaravimus in probationibus.

ARTICULUS III.

Utrum evidentia cogat intellectum ad assensum (1).

78. **Nota 1.°** Duplex est necessitas: altera quoad *specificationem*, altera quoad *exercitium*. Necessitas specificationis seu contrarietatis adest, cum potentia necessitata est ad certam speciem actus ita, ut non possit ponere actum oppositum. Ita voluntas necessitaretur ad amorem alicujus objecti, si non posset illud odio habere: vel e converso. Necessitas vero exercitii seu contradictionis adest, cum potentia ita ad aliquem actum adigitur, ut non possit illum omittere. Hoc

Necessitas specificationis seu contrarietatis, et exercitii vel contradictionis.

(1) De hac materia videri possunt Fonseca, *Metaph.*, lib. 6, cap. 1, q. 4, sect. 4; Conimbric., in lib. 1.um *Posterior. analyticor.*, cap. 1, q. 4, art. 4; Rub. in lib. 1.um *Posterior.* q. 8; Complutens. In *Arist. Dialect.*, disp. 17, q. 4; Francis. Soar. Lusit., *Logic.*, tract. 8, disp. 2, sect. 4, paragr. 5; Hurtad., *de Anima*, disp. 7, sect. 4.a; Arriaga, *Log.*, disp. 15, sect. 6; Rhodes, *Philos. Perip.*, lib. 1. disp. 4, quæst. unic. sect. 4, paragr. 3; Quiros, *Log.*, tract. 2, part. 6, disp. 32, sect. 2; Joann. a S. Thoma, *Logic.*, quæst. 24, art. 3; De Benedictis, *Logic.*, lib. 4, q. 1, cap. 5; Mayr., *Philos. Perip.*, part. 1, disp. 6, art. 3, 4; Lossada, *Logic.* tract. 6, disp. 1, cap. 2; Mauri, *Quæstion. philos.*, vol. 1, quæst. 63, *Dico* 3.°; Semery, *Trienn. philos.*, vol. 1.um disp. 6, q. 1, a. 1 et 2; Pontius, *Logic.*, disp. 20, q. 3; Mastrius, *Logic.*, disp. 11, q. 5.

modo cogitur ad videndum oculus apertus, proposito sibi sufficienter objecto; neque enim potest visionem ponere vel compescere pro lubitu. Utraque hac necessitate beati in cælo Deum amant, quia non modo nequeunt ipsum odisse, verum neque ab amore illo suavissimo cessare. Et huic duplici necessitati e converso duplex libertas respondet.

Quæstio itaque præsens institui potest de duplici hac necessitate; utrum nimirum evidens objectum ita pelliciat ad assensum, ut intellectus nequeat dissentire, vel e converso; et utrum ita ad assentiendum præcise vel dissentiendum determinet, ut, objecto proposito, actum ipsum assensus vel dissensus nequeat suspendere.

De qua evidentia agatur.

2.° Quæstio intelligenda est de illa evidentia, quæ nullum locum relinquat dubio ac formidini, vel imprudentibus.

3.° Itemque de evidentia tum immediata tum mediata.

79. PROPOSITIO 1.a **Verum evidenter apparens intellectum necessitat quoad specificationem.**

Ita sentit communis auctorum opinio:

Prob. 1.° Nequit intellectus amplecti enuntiabile evidenter falsum. Sed si intellectus posset dissentire vero evidenti, amplecteretur enuntiabile evidenter falsum. Ergo...

Minor patet, quia enuntiabile oppositum alteri evidenter vero, evidenter falsum est. Et si primum ut verum cognoscitur, etiam alterum ut falsum cognoscatur, necesse est.

Major patet: α) experientia, quia quantumvis aliquis possit mentiendo negare evidenter vera, vel affirmare evidenter falsa, intus tamen in animo id fieri a nemine posse experimur (1); β) ratione, quia nulla potentia tendit in malum suum, quod nullam habeat boni speciem; secus enim vitio ingenito turparetur, illudque proinde in ipsum Auctorem naturæ refundendum foret. Jam vero falsum est malum intellectus, sicut verum est ejusdem bonum; cumque falsum evidens est, nullam potest habere veri speciem. Fieri ergo non potest, ut intellectus falsum evidens, seu evidenter apparens, prout tale amplectatur.

---

(1) Vide S. Thom., 1.ª *Posterior.*, lect. 19 post. initium. Cfr. superius dicta n. 49.

Prob. 2.° Nequit intellectus quidquam amplecti absque sufficienti motivo. Atqui vero evidenter apparente, nullum potest suppetere motivum ad oppositum assensum. Ergo...

Major patet, quia intellectus est facultas rationalis et cognoscitiva, ideoque cognoscere debet idipsum, quod enuntiat.

Neque dicas, ita quidem se rem habere, si sibi relinquatur intellectus, posse tamen hunc aliquid etiam absque ratione sectari, si nimirum imperium voluntatis accedat.

Respondebo enim imperium voluntatis esse in bonum aliarum potentiarum, quibus imperat. Nequit ergo voluntas intellectum adigere ad aliquem assensum, vel dissensum, pro quo nullam videat rationem. Neque alia est causa, cur non possim, etiam per imperium voluntatis, judicare, v. g. stellas esse pares aut impares, quia nimirum nulla existit ratio alterutrum suadens.

Prob. 3.° Intellectus respuere nequit id, in quo nullam videt speciem falsitatis. Atqui in objecto evidenter apparente nulla est species falsitatis. Ergo....

Major. Quia simili modo se habet intellectus circa verum, ac voluntas circa bonum. Voluntas autem refugere nequit bonum purum, in quo nulla apprehenditur ratio mali (1). Ergo idem dicendum de intellectu circa verum, quod nulla obscuratur umbra falsitatis (2). Apposite S. Thomas: *Sicut... voluntas movetur ex necessitate ab objecto, quod est omnifariam bonum, non autem ab objecto, quod potest accipi secundum aliquam rationem ut malum, ita etiam intellectus ex necessitate movetur a vero necessario, quod non potest accipi ut falsum, non autem a vero contingenti, quod potest accipi ut falsum* (3).

Atque hæc pariter valent in præmissis probabilibus. Et ratio est, quia qui concedit præmissas, simul virtualiter concedit conclusionem. Ac proinde qui assentiens præmissis, licet probabilibus, negaret conclusionem, duo simul contradictoria saltem virtualiter admitteret. Secus enim tenderet extra proprium objectum: id quod ne per imperium quidem voluntatis facere potest ulla potentia.

---

(1) Vide S. Thom. 1. 2, q. 10, a. 2; 2.ª dist. 25, q. 1, a. 2.
(2) Vide S. Thom., *de Verit.*, q. 14 art. 1.
(3) Qq. disp., *de Malo*, quæst. 6, ad 10.um

80. PROPOSITIO 2.a **Verum evidenter apparens ita necessitat intellectum quoad exercitium, ut non possit voluntas directe impedire assensum, quamvis possit indirecte.**

Intellige in primis, quid sit impedire *directe* et *indirecte*. Ille impedit directe aliquam actionem, qui potest efficere, ut causa, positis omnibus ad agendum prærequisitis, non agat. Ille autem impedit indirecte, qui facit, ut non ponatur aliquod prærequisitum necessarium, quo proinde deficiente, actio fluere nequit.

Propositio est contra P. Antonium Rubio (1), Aversa (2), Quiros (3) et quosdam alios apud ipsum, qui concedunt intellectum evidentia necessitari quoad specificationem, negant vero quoad exercitium. At nostra sententia longe communior, pro qua etiam adducuntur S. Thomas, Scotus, et alii antiquiores (4).

Prob. 1.° Ea est conditio potentiarum necessariarum, ut positis omnibus ad agendum prærequisitis, nequeant actionem cohibere, neque a voluntate directe impediri. Atqui intellectus est potentia necessaria, et vero evidenter apparente, præsto ipsi adsunt omnia prærequisita ad agendum. Ergo...

Minor patet, et Major inductione probari potest.

Prob. 2.° Simili modo se habet intelligibile evidens respectu intellectus, ac visibile respectu visus. Atqui impossibile est, ut oculus etiam per imperium voluntatis abstineat a visione, cum adest objectum sufficienter propositum et applicatum. Ergo idem dicendum est de intelligibili evidenti.

Et re quidem vera in assensu, qui præstatur objecto evidenti, omnia principia agunt independenter a voluntate. Nam neque intellectus ipse, nec objectum, nec motiva cum suo lumine subsunt voluntatis imperio, ac directo influxui.

Prob. 3.° Experientia: Quisque enim testis est ineluctabilis vis, qua intellectus adigitur ad assentiendum cuilibet

---

(1) 1.° *Poster.*, cap. 1, q. 8.
(2) *Logic.*, q. 25, sect. 9.
(3) Loc. cit.
(4) Vide eos apud Fonseca, Conimbricenses et alios, locis citatis.

enuntiabili, quod sibi sufficienter propositum et applicatum contemplatur (1).

Porro quod voluntas possit indirecte impedire assensum erga enuntiabile, quantumvis evidens, extra dubium est. Potest enim voluntas *permittere* aut etiam *præcipere*, ut mens ad alia cogitanda divertatur, ne satis objectum evidens consideret. Sic etiam impedit indirecte, ne oculus videat, claudendo illum, vel caput alio convertendo. Ejusmodi vero impedimentum indirectum facilius potest voluntas apponere in evidentia mediata, potissimum si longior et abstrusior sit argumentatio, majoremque postulans mentis attentionem.

Tota hujus propositionis doctrina Angelici Doctoris est: *Attendendum est*, inquit, *quod actus rationis potest considerari dupliciter: uno modo quantum ad exercitium actus; et sic actus rationis semper imperari potest, sicut cum indicitur alicui, quod attendat, et ratione utatur* (en imperium et subjectionem indirectam). *Alio modo quantum ad objectum, respectu cujus duo actus attenduntur: primo quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat; et hoc non est in potestate nostra, hoc enim contingit per virtutem alicujus hominis vel naturalis vel supernaturalis. Et ideo quantum ad hoc actus rationis non est in potestate nostra, nec imperari potest. Alius autem actus rationis est, dum his, quæ apprehendit, assentitur. Si igitur fuerint talia appræbensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia; assensus talium vel dissensus non est in nostra potestate, sed in ordine naturæ. Et ideo proprie loquendo naturæ imperio subjacet. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo convincunt intellectum, quin possit assentiri vel dissentire, vel saltem assensum vel dissensum suppendere propter aliquam causam: et in talibus assensus ipse vel dissensus in potestate nostra est, et sub imperio cadit* (2).

Utrum autem hæc propositio intelligenda sit etiam de præmissis probabilibus, vide apud Lossada (3), qui affirmative respondet contra P. De Benedictis.

---

(1) Cfr. de hac materia Conimbric., lib. 1.° *Posterior.* In cap. 1, de *Præcognitis*, q. 4, a. 2, et Cursus antiqui passim in materia de Scientia et de Demonstratione.

(2) 1, 2, q. 17, a. 6.

(3) Loc. sup cit.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

81. **Objic. 1.°** Sicut se habet intellectus respectu veri, ita se habet voluntas respectu boni. Sed nullum est bonum creatum, quod voluntatem necessitet, saltem quoad exercitium. Ergo nec erit ullum objectum creatum, quantumvis evidens, quod intellectum necessitet.

Resp. *dist.* Major; id est, intellectus habet pro objecto verum, et voluntas bonum, *conc.* eodem modo suum quæque respicit objectum hæc duplex potentia, *neg.*

Transmitto Minorem, et *neg.* consequent.

Nimirum intellectus est potentia necessaria et voluntas libera, quæ proinde nequeunt omnino æquiparari in tendentia ad suum objectum. Secus enim sicut voluntas potest amplecti evidens malum, ex eo quod sub quadam ratione conveniens sit, v. g. turpis delectatio, vel vindictæ desiderium; ita posset etiam intellectus assentiri objecto evidenter falso, eo quod sub aliqua levi ratione videatur verum.

Cæterum Minor quoque universaliter sumpta non videtur vera: nam ex doctrina S. Thomæ (1) voluntas necessitari potest etiam erga objectum quod licet creatum ac finitum sit, necessario connectitur cum bono increato.

Obj. 2.° Voluntas potest impedire etiam directe actionem potentiæ locomotivæ. Ergo cur non possit etiam actionem potentiarum cognoscitivarum?

Resp. *neg.* conseq. Nam paritatem nullam esse in hoc inter potentiam locomotivam et cognoscitivam evidenter probat experientia sensuum nostrorum, quorum actionem certissime impedire nequit voluntas. Et ratio est, quia potentia locomotiva non habet objectum a quo determinetur, unde dirigi debet a voluntate. Potentiæ vero cognoscitivæ propriis objectis determinantur. Accedit, quod locomotiva potentia, nisi a voluntate dirigeretur; sæpe ageret in malum subjecti, quemadmodum accidit lunaticis. Id vero incommodi timendum non est in potentiis cognoscitivis (2). Ideo

(1) 1 p. q. 82, art. 2.

(2) Vide P. Ant. Mayr., *Philos. Perip.* Part. 1, disp. 6, q. 2, a. 4, n. 1001.

solent Philosophi docere voluntatem exercere in potentiam locomotivam imperium tyrannicum ac despoticum, quatenus illam movere possit tam in bonum, quam in malum ejusdem, in potentias vero cognoscitivas imperium dumtaxat politicum ac regale, quod ordinetur ad bonum ipsarum, non vero ad malum.

Objic. 3.° Non experimur revera nos necessitari quoad exercitium ad assensum etiam principiorum evidentium. Ergo.....

Resp. *dist.* antec. Si termini propositionis non bene penetrentur, aut si animus alio distrahatur, *conc.*, secus, *neg.* De hac enim experientia testantur plurimi et gravissimi Doctores, qui nostram tuentur doctrinam.

Instabis. Sæpe fit, ut quis, concessis præmissis evidentibus, neget conclusionem evidentem, aut hæreat saltem circa ipsam. Ergo non est vera experientia, quam nos jactamus.

Resp. *dist.* antec. Id fit, quia non adsunt requisita ad assensum conclusionis, *conc.*, secus, *nego.*

In iis enim casibus vel præmissæ non sunt evidentes, nec fluit evidenter conclusio; vel saltem licet omnia sint *in se* evidentia, tamen non *apparent talia*, quacumque demum causa id contingat, vel ex defectu ingenii, vel attentionis, vel doctrinæ, vel ex eo quod forma argumenti non sit adeo evidens.

Objic. 4.° Si assensus objecti evidentis non penderet a directo voluntatis imperio in prima sui productione, neque penderet in sui continuatione: eadem quippe militat ratio pro initio actus et pro ejus permanentia in duratione, sunt enim ejusdem speciei. Atqui certissime dependet assensus in continuatione a voluntate, quæ pro lubitu potest facere ut mens cesset prorsus vel perseveret in aliquo assensu. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Si paria supponantur utrobique adjuncta, *conc.*, secus, *neg.*

Contradist. Minor. Si paria supponantur adjuncta, *neg.*: si adjuncta mutentur, *conc.* vel *subdist.*; et voluntas tunc imperat aut impedit indirecte continuationem actus, *conc.* directe, *nego.*

Postquam semel intellectus alicui veritati assensus fuit, voluntas non aliter præcipit continuationem aut cessationem illius judicii, quam divertendo attentionem, vel proponendo

aliud objectum, nimirum indirecte. Itaque quando ratione defatigationis, aut fastidii, aut distractionum cessatur ab actu jam incœpto, mutantur jam omnino adjuncta, et revera non adsunt omnia prærequisita ad assensum necessaria.

Objic. 5.° Dantur habitus circa conclusiones, nimirum habitus scientificus. Atqui habitus non dantur in potentiis circa actus necessarios, circa quos non habent potentiæ insitam a natura facilitatem. Ergo....

Resp. *dist.* Major. Et ejusmodi habitus conclusionum ponuntur ad facilitandum ipsum assensum evidentium principiorum, et conclusionis inde evidenter fluentis, *neg.;* et ejusmodi habitus ponuntur ad alios fines, *conc.*

Assensus conclusionis multa prævia supponit, quæ intellectui naturaliter præsto esse nequeunt. Nimirum requirit apta principia et præmissas evidentes et rite ordinatas ac distributas secundum rectam formam argumentationis. Habitus ergo scientiæ ac conclusionum mentem juvat atque habilitat, non ut facilius evidentiæ cedat, sed ut facilius habeat in promptu notitiam principiorum ac præmissarum ceterorumque omnium, quæ notas ac manifestas reddunt conclusiones: aut etiam ut possit conclusioni assentiri, non consideratis præmissis, ex memoria rationum et argumentorum, quæ olim perceperat, et quorum vim probandi certam esse atque evidentem recordatur.

Objic. 6.° Si intellectus necessitaretur ad assensum enuntiabilis vere evidentis, etiam necessitaretur ad assensum enuntiabilis tantum apparenter evidentis. Atqui hoc absurdum est. Ergo...

Major patet, quia evidentia vera ideo necessitat, quia excludit omne dubium ac suspicionem de opposito. Idem autem præstat evidentia putata, cum repugnet aliquid *putari* evidens, et simul adesse suspicionem de opposito: Præterquam quod si evidentia fucata non necessitaret, jam haberemus discerniculum ad illam a vera evidentia distinguendam.

Minor vero non minus videtur constare. Quia tunc intellectus natura sua ad malum necessitaretur, falsum enim, ut sæpius diximus, est malum potentiæ cognoscitivæ.

Resp. *Concessa* Majori, quam tamen nonnulli negant, *nego* Minorem.

Et probationem Minoris *distinguo:* necessitaretur ad malum suum per accidens, *conc.*, per se, *neg.*

Aliter enim a vera evidentia et aliter a putata necessitatur intellectus, ab illa nimirum per se et ratione solius motivi; a putata autem solum per accidens et ratione erronei judicii circa existentiam evidentiæ. Unde fit, ut cessante judicio ejusmodi erroneo, cesset quoque necessitas, et sic ea quæ fucata dumtaxat evidentia imbuuntur, attentiori ac maturiori meditatione, sedatiori studio, progressu temporis et mutatione ipsius subjecti, possunt corrigi ac falsa deprehendi. Id vero in sincera evidentia locum habere nequit.

Et sicut in usu sensuum possunt per accidens accidere errores, et etiam necessarii fortasse, saltem antequam accedat experientiæ vel rationis disciplina; ita etiam non videtur esse inconveniens, ut quandoque intellectus adigatur ad aliquid amplectendum, quod solum apparenter est evidens. Cum potissimum ejusmodi error corrigi possit, et non contingat in fundamentalibus scientiarum principiis et præcipuis conclusionibus, quæ lucidissima solent splendere perspicuitate (1).

Objic. 7.° Ex iisdem præmissis evidentibus erui potest illatio tum directa tum indirecta. Ergo voluntas determinare debebit, quænam ex illis colligenda sit.

Resp. *dist.* antec.: eodem modo, *neg.*, altera immediate et altera mediate, nimirum media conversione, *conc.*

Ordinarie prima elicitur directa, quia eam prius manifestat instituta in præmissis comparatio extremorum cum termino medio. Si autem comparatio illa prius manifestaret indirectam conclusionem, hæc immediate ac prius inferretur. Si demum comparatio extremorum cum medio æque immediate manifestet conclusionem tum directam tum indirectam, utraque simul necessario sequetur.

Objic. 8.° Fieri potest, ut quis habeat habitum erroris radicatum circa aliquam materiam. Atqui tunc impossibile foret, ut etiam positis præmissis evidentibus, assensus verus conclusionis sequeretur contra talem errorem. Ergo...

---

(1) Cfr. De Benedictis, *Log.*, lib. 4, q. 1, cap. 5, paragr. 1, obj. 3.°; Mayr. *Philos Perip.*, Part. 1, disp. 6, n. 1004, 1005.

Et prob. Min.; quia quomodo posset mens assentiri vero, cujus contrarium errorem habet, nisi prius expellat illum habitum? At hujusmodi habitum nequit mens statim expellere uno præmissarum assensu.

Resp. *neg.* Minor. Quia error ille per evidentiam præmissarum vinceretur, ac deponeretur.

Objic. 9.° S. Thomas videtur nobis adversari. Nan sic scribit: *Voluntas movet intellectum, quantum ad exercitium actus; quia et ipsum verum, quod est perfectio intellectus, continetur sub universali bono, ut quoddam bonum particulare* (1).

Itemque: *Quantum ad exercitium actus... actus rationis semper imperari potest* (2).

Resp. *nego* assertum. Neque S. Thomas vult voluntatem semper et quomodolibet posse imperare assensum, et movere quoad exercitium: sed aut solum in probabilibus, aut in evidentibus, solum indirecte.

Res patet ex ipsis objectis locis aliisque, quæ inter probationes laudavimus.

DISPUTATIO TERTIA.

DE CRITERIO VERITATIS.

Ratio, qua generatim sceptici ad suam dubitationem universalem adstruendam utuntur, est hæc, quia videlicet nullum suppetit homini satis fidum criterium, ut verum a falso secernat. Atque hæc causa fuit, cur Philosophi recentiores sollicite quæstionem hanc pertractatam voluerint, ut nempe solidum objicerent propugnaculum contra grassantes errores cujuscumque generis scepticorum. Quamquam enim admittenda prorsus sit veritatis ac certitudinis existentia, veracitasque facultatum nostrarum; quoniam per has ipsas facultates sæpe non pauca absurda mentes hominum pervaserunt et scientiarum splendorem commaculant; operæ pre-

(1) 1. 2. q. 9, a. 1 ad 3.
(2) 1. 2. q. 17, a. 6,

tium est de criteriis agere, per quæ possimus verum a falso discernere. Cæterum quæstio hæc de criterio potissimum spectat ad certitudinem reflexam seu philosophicam.

CAPUT I.

DE NOTIONE ET EXISTENTIA CRITERII.

Quid criterium generatim:

82. *Criterium* vox græca est, quæ, si etymon attendas, a κρινω judico derivata, generatim significat quidquid ad judicium spectat, a Philosophis autem adhibetur ad exprimenda principia, quibus homo regitur in veritatis assecutione, ut verum a falso secernat, et sic in sua certitudine obfirmetur. Sed verum a falso secernere non possumus, nec certum assensum vel judicium obtinere, nisi ex concursu physico ipsius intellectus, et objectivo motivi; siquidem, licet intellectus est revera, qui assensum *efficit*, et judicat, non tamen certo judicat, nisi quia perspicit motivum aliquod, in eoque detegit indicium quoddam, et quasi sigillum veritatis. Hinc divisio enata est in criterium *a quo*, *per quod*, *et secundum quod* (1). Criterium *a quo* est ipse judex vel homo judicans; criterium *per quod* est intellectus, per quem tamquam per instrumentum elicit actum judicii: et criterium *secundum quod* est norma illa objectiva, quam Tullius vocavit *propriam veri ac certi notam*, et *regulam veri ac falsi* (2), atque *insigne veri* (3) quaque mens ad firmum assensum inducitur, et secura redditur de veritatis possessione.

quotuplex.

De quo criterio agendum.

Verum quoniam de intellectu seu criterio *per quod* satis, quantum spectat ad Logicam, inferius dicetur, cum veracitatem facultatum nostrarum tuebimur; restat nobis nunc declarandum ac stabiliendum criterium, *secundum quod* fertur judicium, seu illud, quod homo in judicando respicit tamquam regulam et insigne veritatis.

(1) Eamdem hanc criterii divisionem jam diu proposuisse dicitur Sextus Empiricus (Lib. 2 Hypotypos. 4).

(2) *Academ. quæst.* lib. 4 (al. 2) n. XI, 33.

(3) Ibid. n. XI, 36.

Quid criterium secundum quod.

Est ergo criterium nota veritatis, seu norma et indicium, quo veritatem a falsitate discernimus: quare non merum motivum assensus importat, sed motivum impressam in se gerens notam et characterem veritatis. Duoque sunt ejus munia, quorum alterum ex altero sequitur: primum, ut sit tessera quædam et signaculum ad cognoscendas quasi de facie cognitiones veras, ac deinde ut gignat in mente firmum assensum. Est enim aliquid quod in quacumque cognitione mens nostra deprehendat, illico certa securaque redditur de illius veritate.

Proprietates criterii.

Ex quo facile concludes, criterii proprietates. Debet enim esse primo *immutabile*, sicut ipsa veritas; ac deinde *infallibile*, neque enim criterium veritatis esse potest, id quod sive ad verum sive ad falsum indifferenter se habet, sed debet esse nota propria veri.

Criterium internum et externum: proximun et remotum.

Divisiones criterii *secundum quod* plures distingui possunt: aliud enim est *internum*, aliud *externum;* aliud *partiale*, aliud *generale;* aliud *proximum*, aliud *supremum* seu *remotum*. Internum criterium est illud, quod vel in ipso objecto, vel intra ipsum subjectum inest; externum repetitur ex aliorum circa objectum testimonio. Partiale respicit unum ordinem cognitionis, generale autem omnes humanas cognitiones. Proximum est illud, ultra quod datur adhuc alia norma veritatis motivumque certitudinis, a quo prius illud dependeat; et supremum, quod non habet aliud superius, a quo dependeat.

83. PROPOSITIO 1.ª **Admittendum est necessario aliquod veritatis criterium.**

Existentia criterii vindicatur.

Propositio evidens est ex iis, quæ contra scepticismum disputavimus. Itaque breviter

Probatur 1.° *A posteriori*. Revera intellectus noster non omnibus temere assentitur, sed alia constanter amplectitur tamquam vera, alia tamquam falsa respuit, vera proinde a falsis secernit. Atqui nequeunt duo diversa discerni, nisi adsit in promptu aliqua nota vel indicium, quo invicem discriminentur. Ergo...

Prob. 2.° Si nullum adest criterium, logice vitari nequit scepticismus. Atqui scepticismum et physice et metaphysice absurdum ostendimus. Ergo...

Certe si datur aliqua certitudo, debet quoque dari motivum firmum, in quo illa fulciatur.

84. PROPOSITIO 2.ª **Admittendum quoque est aliquod internum veritatis criterium.**

Ratio est in promptu, quia ipsum criterium externum supponit necessario usum interni alicujus criterii, siquidem ut aliquid ob aliorum auctoritatem certo teneamus, necesse est, præter alia multa, scire alios homines esse, illosque loqui, ac fidem mereri. Atqui hæc ex auctoritate sola cognosci nequeunt. Ergo admittendum necessario est criterium aliquod internum.

Verum hæc perspicua sunt. Illud jam quærere oportet, in quonam reponendum sit criterium: quam quæstionem ita tractabimus, ut prius falsa criteria refellamus, deinde verum stabiliamus.

CAPUT II.

FALSA CRITERIA REFUTANTUR.

Errores omnes in assignando criterio ad tres classes revocantur. Alii enim normam veritatis, ac motivum ultimum reflexæ certitudinis statuunt in ipso subjecto, alii in objecto, alii in sola auctoritate.

ARTICULUS I.

Refutantur falsa criteria subjectiva.

Protagoræ criterium.

85. Primus occurrit ordine temporis Protagoras (1), qui docuit omnium rerum mensuram esse hominem, criteriumque omnis veritatis, *quasi esse rei sequatur apprehensionem in-*

(1) Fuit Abderensis, circa ann. 450 ante Christum natum. Vide *Introduction.*, n. 17.

tellectus et sensus (1): illud quippe existit, quod homini videtur, illud vero non existit, quod homini non videtur (2). Cum hac opinione non exiguam gerit affinitatem doctrina Kantii, Fichtii, aliorumque Rationalistarum Germanorum, de quibus suo in loco agendum nobis est (3).

Criterium sensus communis et affectionis. Thomas Reid cum schola Scotica.

Recentioribus temporibus duæ extiterunt satis notæ scholæ, subjectivum criterium sectantes, altera *sensus communis*, altera *sentimentalis*. Primum enim Thomas Reid, natione scotus (4), ut Humii scepticismum profligaret, docuit inesse animæ nostræ facultatem quamdam *inspirationis* ac *suggestionis*, independentem ab omni humana institutione, quæ *cogit* nos admittere quædam principia indemonstrabilia, quibus nemo refragari valeat, et si refragaretur, merito *rideretur* ab omnibus (5). Etenim revera mens sentit se ad nonnulla judicia, statim ac apprehenduntur termini, pronuntianda determinari, cæce tamen, et quin horum inter se connexionem aut repugnantiam videat (6).

Ejusmodi facultas *inspirationis* vel *suggestionis*, vocatur etiam ab ipsius patronis *sensus communis*, *facultas intuitionis*, et *instinctus naturæ*. Instinctus autem hic cæcus, inspiratio vel suggestio naturæ habenda est tamquam lex ac norma suprema omnis certitudinis, cum per eam enuntientur cæca necessitate judicia quædam prima atque indemonstrabilia, super quæ deinde surgit integra fabrica cognitionum, humanarum. Hæc porro judicia vocantur *axiomata*, *prima principia*, *principia sensus communis*, *communes notiones*, *veritates per se evidentes* (7), quas amplectitur humana mens per *fidem quamdam primitivam* (8).

---

(1) S. Thom., *Metaphys.*, lib. 11, lect. 5.

(2) Sextus Empiricus, *Hypot.*, c. 32 apud. Illmum. Gonzalez. Cfr. Tennemann (t. 1, paragr. 110).

(3) Vide *Introduction.*, n. 110 et 111.

(4) Vide *Introduction.* n. 104.

(5) Tennemann. 1. 2, paragr. 371; Poli *Supplement. al Manuale della Storia della Filos. di Guglielmo Tennemann.*, paragr. 49; Balmes, *Filosofia fundament.*, lib. 1, cap. 32, n. 324.

(6) Cfr. Balmes, Op. cit. lib. 1, cap. 15, n. 155 seqq. et cap. 32.

(7) Vide Poli in suo Supplemento nup. cit. paragr. 49, ubi varia reperies horum judiciorum exempla.

(8) Cfr. Illmum. Gonzalez, Historia tom. 3, paragr. 79.

Inter sensus communis patronos nobilissimi omnium sunt præter Thomam Reid, Jacobus Beattie (1), Jacobus Oswald (2), Thomas Brown (3), Dugald Stewart (4), et Theodorus Jouffroy (5).

Jacobi et schola sentimentals.

Fridericus Henricus Jacobi parum fidens rationi humanæ, quam sæpe turpissimos in errores prolapsam videbat, existimavit admittendam esse internam quamdam animi affectionem ac *sensum (sentimiento)*, qui instar basis et fundamenti cognitionis omnis habeatur. Atque ita demum auctor fuit *Scholæ sentimentalis*. Si *Sentimentalistas* audiamus, innatus hic affectus præit operationibus intellectus, quem impellit imperio suo ad agnoscendum Deum, providentiam, libertatem, moralitatem, et reliquas veritates, sensilem perceptionem transcendentes. Unde ratio dein his assentiens veritatibus, *fidem* quamdam exercet spontaneam atque irresistibilem *illius affectionis* inspirationibus. Quamobrem omnis persuasio

(1) Jacobus Beattie *Essays on the nature and immutability of truth in opposition to sophistry and skepticism.*

(2) Jacobus Oswald, *Appeal to common sense in behalf of Religion.*

(3) Thomas Brown, *Lectures on the Philosophy of human mind.*

(4) Dugald Stewart, *Elements of the Philosophy of the human mind.*

(5) Theodorus Jouffroy, *Curs de droit naturel, Melanges phylosophiques; Histoire de la Philosophie*, pragr. III de Scepticismo. In primo Opere t. 1, lect. 9 sic habet: *Le principe de toute certitude et de toute croyance est d' abord un acte de foi aveugle en la veracité naturelle de nos facultés.* Quam doctrinam in aliis quoque operibus repetit.

Non parum favet etiam Scoticæ Scholæ in amplectendo sensu communi Balmesius aliique recentiores. Clarissimus hic hispanus philosophus in relatis nuper locis huic *sensus communis* facultati tribuit in primis principia *immediate evidentia*, quæ sunt prorsus necessaria ad vitam intellectualem alendam *(Fil. Fund.* lib. 1, cap. 32 n. 317); deinde judicia *mediate evidentia* (Ibid. n. 318); tum judicia et cognitiones necessarias ad ordinem moralem voluntatisque nostræ directionem (Ib. n. 319); præterea judicia, quæ spectant ad objectivam realitatem sensationum (Ib. n. 320), inclinationem ad fidem auctoritati habendam (Ib. 321); denique propensionem ad alia varia judicia proferenda, quorum magnus est usus et utilitas in vita humana (Ib. n. 322-325) Cf. eumdem Balmesium in eodem Opere lib. 1, cap. 15, n. 155 seqq.

certa rationis innititur prævio affectionis hujus instinctui, eumque supponit tamquam basim ac fundamentum suum unicum, viamque ad veritatem rationalem et scientificam assequendam (1).

Huic Scholæ sentimentalium accensendi sunt Fridericus Kœppen, Jacobus Salat, Hemsterhuis aliique (2).

Denique Paschalis Gallupius (3) et alii criterium veritatis in conscientiæ testimonio reponunt. (4).

Confutatur Protagoras.

86. PROPOSITIO 1.ª **Absurda et prorsus sceptica est doctrina, quæ asserit humanum intellectum esse veritatis omnis regulam atque mensuram.**

Probatur. (5) *Qui dicit hominem esse mensuram omnium, nihil aliud dicit quam hoc esse verum, quod videtur unicuique. Quo posito, sequitur, quod idem sit et non sit, et quod idem simul sit bonum et malum: et simile est in aliis oppositis. Eo quod multoties videtur hominibus aliquibus aliquid esse bonum, et aliis videtur contrarium; et ipsum videri est mensura rerum secundum opinionem Protagoræ, ut scilicet in tantum sit verum rem esse, in quantum videtur.*

Hinc logice sequitur scepticismus, ut patet.

Confutatur Schola Scotica.

87. PROPOSITIO 2.ª **Instinctus animi cæcus, quocumque tandem nomine appelletur, non potest esse criterium veritatis, multo minus unicum seu generale ac supremum certitudinis motivum.**

Prima pars. *Instinctus cæcus nequit esse veritatis criterium.* **Prob. 1.º** Nam vel cognoscitur veracitas hujus instinctus, vel

---

(1) Nihil ergo mirum, si Jacobi dicere solitus erat, se vi intellectus sui gentilem esse, vi autem *affectionis* ac *sensus* (sentimiento) christianum fervidum atque addictissimum, Hemsterhuis autem dictitabat vel unum affectum animi ad res futuras ac perfectionem esse *une demonstration plus que géometrique de la nature de la Divinité.* (Apud Illmum. Gonzalez, t. 3, paragr. 104).

(2) Vide Tennemann (t. 2, paragr. 406, 407) et Illmum. Gonzalez, Historia de la *Filos.*, tom. 3, parag. 104 seu ultim.

(3) Gallupi, *Lez. di Log.* e *Metaf.*, lez. XXXVIII et alibi.

(4) Testimonium hujusmodi conscientiæ inferius declaratur; vide num. 98.

(5) S. Th. *Metaphysicor lib.* 11, *lect.* 5.

non cognoscitur. Si cognoscitur, jam desinit esse cæcus, jam enim objectum cognosceretur evidentia ipsi extrinseca, non secus ac solent quædam judicia certa proferri ex testimonio aliorum evidenter veraci. Si non cognoscitur, non potest esse veritatis criterium. Quis enim assumat pro duce ac norma veritatis indagandæ id, quod nescit an perducat ad veritatem?

Prob. 2.° Videtur esse omnino contra naturam intellectus. Intellectus enim est facultas cognoscitiva. Ergo sicut oculus absque lumine videre non potest, sic nec intellectus judicare certo, quin motivum aliquod præfulgeat. Atqui cæcus instinctus caret omni objectiva ratione assensus. Ergo...

Prob. 3.° Id quod experientia quoque confirmat. Cur enim invincibili constantia principiis non adhæremus, donec termini cognoscantur eorumque identitas luce meridiana clarius perspiciatur? Cur conclusiones, cum per modum quæstionis nobis proponuntur, non prius amplectimur, quam evidens argumentum perceperimus? Cur ante omnem, assensum prudentem quærimus rationem objectivam, quæ mentem convincat; et nisi illam invenerimus, dubitamus aut opinamus?

Prob. 4.° Hinc est, quod cæci hujus instinctus patroni ultro largiuntur scepticis, quod ipsi volunt. Si enim fundamentum omnis certitudinis caret evidentia et ratione assensus, sequitur profecto nos invincibili quidem persuasione cogi ad certa quædam admittenda, ejusmodi vero certitudinem rationalem minime esse, utpote quæ non ex objecti intuitione proficiscitur, sed ex cæca naturæ necessitate.

Secunda pars. *Non est criterium unicum seu generale.* Nam etiamsi daretur esse nonnullos assensus firmos, qui naturæ sponte absque objectiva ratione ponerentur (1), certum nihilominus est ex conscientiæ testimonio, multos alios, sive immediatos, sive mediatos, suis fulciri motivis objectivis vivissimo lumine splendentibus. Ergo etiamsi quis vellet criterium instinctus cæci admittere, alia quoque præterea admittat necesse est.

---

(1) Vide S. Th. 1.°, *Physicor.*, lect. 10, paragr. *c.*

Tertia pars. *Non est supremum.* Etenim ut instinctu tamquam veritatis criterio possim uti, duo saltem oportet certo prænoscere, existentiam instinctus, et ejusdem veracitatem. Atqui hæc duo nequeunt prænosci per ipsum instinctum, sed aliunde. Ergo aliquod aliud criterium prævium est agnoscendum, a quo instinctus criterium dependeat.

Major patet, et Minor facile suadetur. Nam existentia instinctus in animo est factum quoddam seu phænomenum internum, quod per conscientiæ dumtaxat testimonium nobis manifestatur.

Quod autem instinctus ejusmodi cæcus ad veritatem me ducat, solo instinctu scire non possum. Instinctus enim solus per se potest quidem spontaneo modo potentiam impellere ad assensum, sed intellectum minime illuminat circa necessariam sui veracitatem. Ut ergo impulsum instinctus tamquam veracem acceptemus, aliunde cognosci debet instinctum et suggestionem naturæ ad falsum esse non posse. Secus mens *sentiret* quidem se *necessitari*, sed non *videret* verum esse id, ad quod necessitatur.

Confutatur Gallupius: itemque Schola sentimentalis.

88. PROPOSITIO 3.a **Conscientiæ testimonium nequit esse supremum ac generale veritatis criterium: multoque minus interna animi affectio.**

Prima pars manifesta est. Nam supremum ac generale veritatis criterium est ultima ratio nos securos reddens de veritatis assecutione, et quietans in parta jam certitudine. Atqui testimonium conscientiæ solum refferre potest affectiones proprii subjecti, prout actu præsentes, ac proinde nequit nos certos reddere de veritatibus ad ordinem subjectivum spectantibus. Ergo...

Dices. Ut certi philosophice simus de quavis veritate, necesse est, ut noverimus nos eam recte evidenterque percepisse. Atqui id nonnisi ex conscientiæ testimonio novimus. Ergo...

Resp. Id solum probat conscientiæ testimonium præsupponendum esse instar conditionis vel medii manifestantis evidentiam cognitionum nostrarum. Ipsa vero hæc manifestatio non est motivum certos nos reddens de veritate. Secus dicendum foret conscientiæ testimonium pariter esse motivum et

criterium etiam ad aliquid tenendum ut incertum, siquidem ad hoc etiam necesse est, ut consci simus nos illud non evidenter percipere. Si quid ergo valet objectio, conscientiæ testimonium erit criterium certorum pariter et incertorum. Verum, ut aptius loquamur, argumentum non aliud probat, nisi quod conscientiæ testimonium sit conditio necessaria ad reflexe judicandum de certitudine vel incertitudine nostrarum cognitionum.

Secunda pars. Probatur 1.° Criterium immutabile esse oportet. Atqui affectio animi in horas mutatur, ut experientia notum omnibus est. Ergo....

Prob. 2.° Criterium veritatis idem pro omnibus esse debet. Affectiones vero animi circa eamdem rem variant pro subjectorum diversa indole, constitutione physica, educatione, præjudiciis, moribus, cæterisque conditionibus personalibus.

Prob. 3.° Affectio ejusmodi cæca est, et a ratione sæpe deprehenditur ut veritati repugnans, ideoque corrigi ab illa debet. Nihil autem ejusmodi assumi potest pro norma veritatis motivumque certitudinis.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

89. **Objicies 1.°** Sentimus irresistibilem vim, qua ad principia immediata evidentesque conclusiones amplectendas adigimur. Sed ejusmodi judiciis falsum subesse nequit. Ergo instinctus admitti potest tamquam criterium.

Resp. *dist.* Major.: et hæc vis irresistibilis est fructus evidentiæ, de quo superius locuti sumus, *conc.;* est instinctus cæcus, de quo nunc agimus, *neg.*

Conc. Minor., et *distinguo* eodem modo conseq. Instinctus cæcus, *neg.*, non cæcus, sed aliunde illuminatus, *subdist.;* admitti potest tamquam ultimum ac supremum motivum certitudinis, *neg.*, aliter *transeat.*

Necessitatem assensus, quam verum evidenter propositum parit, appellet sane quis *instinctum*, vel *sensum communem*, aut alio quocumque nomine, de vocibus enim non disputamus; sed ne dicat cæcam ejusmodi propensionem, nec eam cum instinctu cæco Reidii confundat. Secus in ipsa visione, in summa quaque evidentia, cæcitas agnoscenda foret.

Objic. 2.° Ad hoc ut judicium aliquod, etiam evidentissimum, tamquam certum assumamus, oportet præsupponere veracitatem facultatum nostrarum, cognoscitivarum. Atqui evidens non est veracitas facultatum nostrarum, vel saltem non evidenter cognoscitur ab ullo, priusquam judicia certissima proferat. Ergo restat, ut tamquam fundamentum omnis certitudinis objectivæ cæca quadam necessitate assentiamur facultatum nostrarum veracitati.

Resp. *dist.* Major. Si sermo sit de reflexa, *philosophica* seu scientifica certitudine, *conc.* si de vulgari, spontanea, ac naturali, *subdist.;* oportet præsupponere implicite et tamquam conditionem, *transeat,* tamquam motivum objectivum assensus certi, *nego.*

Nego primam partem Minoris; alteram *dist.* Non est evidens priusquam judicia certa proferat certitudine vulgari, *trans.*, certitudine philosophica, *nego.*

Et *negatur* consequentia,

Aliud est aliquid præsupponere instar *conditionis,* aliud præsupponere instar *motivi* assensus. Illud enim quod præsupponitur tamquam *motivum* assensus, oportet ut prius cognoscatur, et in se affirmetur, secus enim influere nequit in assertionem, cujus est motivum. Quod vero tamquam conditio præsupponitur, necesse non est, ut prævie cognoscatur, multoque minus, ut affirmetur. Sic ut possim judicium quodlibet ponere, conditio necessaria est, ut existam, et habeam intellectum. An vero non possum cognoscere et affirmare v. g. *totum esse majus sua parte*, quin existentiæ meæ subnitar tamquam assensus illius motivo? Certe judicium illud logice seu in ordine cognitionis minime pendet a cognitione propriæ existentiæ, neque enim ratio me movens ad judicandum quod *totum est majus sua parte,* est existentia mea, et evidentia intellectus mei. Hæc necessaria sunt tamquam physicæ conditiones, ut actus quilibet cognoscitivus esse possit, non vero tamquam motiva cognitionum ipsarum.

Simili modo se habet veracitas facultatum nostrarum respectu judiciorum directorum circa alias veritates. Quod vel exinde patet, quod nemo soleat in iis proferendis judiciis afferre pro motivo assensus veracitatem facultatum, de qua nec cogitatur, nec dubitatur, donec examen philosophicum

instituatur cognitionum nostrarum. Quando vero examen hujusmodi instituitur, veracitas facultatum nostrarum vivacissima evidentia fulgens agnoscitur. Itaque quæstio non est, an et qualis adsit in nobis naturalis inclinatio, ad asserendam facultatum veracitatem, sed an ea tamquam motivo innitatur certitudo; et an, quando veracitas illa loco motivi assensum aliquem certum generat, asseratur dumtaxat ex impetu instinctus cæci.

Objic. 3.° Multa certo tenent rudes, quorum tamen rationem nec aliis reddere, nec ipsi videre possunt, ut circa ordinatam vicissitudinem temporum, aliaque sexcenta similia. Ergo admittendus est instinctus cæcus.

Resp. *conc.* primam partem antecedentis, *nego* secundam. Multa enim sentiunt et experiuntur rudes, quæ nequeunt penitus declarare; nec tamen, quia reflexam et explicatiorem evidentiam non habeant, omni prorsus evidentia carere dicendi sunt. Certitudo vero exempli allati et aliorum bene multorum produci potest vel per experientiam et inductionem sufficientem, vel per aliorum relationem et auctoritatem.

Deinde aliud est, quod homines, sive rudes, sive sapientes, natura duce, inclinentur ad certo quodam modo judicandum in quibusdam rebus, et aliud est, quod in illis judiciis nullum habeat motivum assensus præter instinctum nuturæ cæcum.

Objic. 4.° Aliud exemplum hujus instinctus est, in propensione insita, quam homines habent, ut aliorum hominum testimonio fidant. Ergo iterum instinctus quidam tamquam certitudinis motivum admittendus est.

Resp. *dist.* ant. Et fidunt de facto propter hanc animi propensionem tamquam motivum, *neg.*: fidunt propter auctoritatem, quam vere vel falso putant inesse aliorum testimonio, *conc.* vel *subdist.*; et fidunt semper plena certitudine, *neg.*, sæpe, *trans.*

Non negamus insitas esse ab Auctore providentissimo naturæ propensiones quasdam ingenitas seu instinctus, qui ad omnem vitam alendam et conservandam requiruntur. Hoc unum negamus, propensionem hujusmodi, eamque cæcam, esse criterium, quod nos in amplectenda veritate respiciamus.

Objic. 5.° «Constitutio ipsa naturæ instinctu quodam nos adducit ad tribuendas toti speciei qualitates, quas in individuis experti sumus. Vi instinctus hujus nos citissime scimus ignem comburere, aquam refrigerare, corpora decidere, panem nutrire.» Ita Thomas Reid (1).

Resp. neg. hæc instinctui naturæ cæco tribuenda esse. Nam hujusmodi judicia, aliaque similia universalia, ope inductionis et experientiæ colliguntur modo partim declarato (2), partim declarando (3).

ARTICULUS II.

Utrum generale ac supremum veritatis criterium in auctoritate reponendum sit.

Status quæstionis.

90. Attende, quid quæratur in hoc articulo: non quæritur, an auctoritas sit criterium, possitque in aliquo cognitionum ordine motivum suppeditare certitudinis; sed an sit *unicum* et *supremum* pro qualibet certa cognitione.

Traditionalistæ.

Turpissimi Rationalistarum errores eam inter alias perniciem genuerunt, ut Traditionalistis in alios periculosissimos errores labendi occasionem ansamque præbuerint. Dum enim illi rationem plus æquo extollunt, hi contra plus æquo deprimunt, inhabilem illam per se reputantes ad veritatis assecutionem (4).

---

(1) *Œuvres complètes*, t. 4. *Essais sur les facultés de l' esprit humain*, Essai 5, chap. 6, trad. par Jouffroy.

(2) Vide quæ de inductione dicta sunt supra in Logica Minori.

(3) Vide dicenda circa modum colligendi principia, inferius n. 207.

(4) *Cette raison hautaine*, scripsit Felicitas de Lamennais, *osera vanter sa grandeur, et s' enorgueillir insolemment, au milieu de ses domaines fantastiques et de ses richesses imaginaires.* **Faisons lui donc** *sentir sa prodigieuse indigence; dépouillons-la, comme un roi de théâtre de ses vêtemens empruntés, et que se voyant telle qu' elle est, nue, défaillante, elle apprenne à s' humilier, et à rougir de son extravagante présomption. Essai sur l' indifference en matière de Religion*, tom. 2, ch. 13.

Verum ne traditionalismum nunc ex integro aggrediamur, ea tantum attingemus, quæ veritatis criterium spectant.

Sunt itaque, qui generale ac supremum veritatis criterium in auctoritate constituunt. Auctoritas porro vel divina vel humana est. Et Petrus Daniel Huetius, episcopus Abrincensis in Gallia, vir cæteroquin non uno nomine clarissimus, in Opere posthumo de *Imbecillitate spiritus humani* (1) docuit, mentem humanam sibi relictam absque revelationis divinæ præsidio nullius veritatis posse certitudinem comparare. Unde sequitur divinam auctoritatem, sicut est fidei supernaturalis motivum, ita quoque naturalis omnis cognitionis esse criterium. Huetius.

Postea vero Felicitas de Lamennais contendit humanam rationem, quin accedat aliorum hominum consensus, de nulla prorsus re certam esse rationabiliter posse, quamobrem «unicum medium certo veritatem a falsitate discernendi esse auctoritatem vel consensum judiciorum ac testimoniorum» (2). Lamennais.

Qua in re eo progresus est infelicissimus hic scriptor, ut ne veritatum mathematicarum et geometricarum, et quod incredibile prorsus videretur, ne ipsius quidem existentiæ propriæ certam nos cognitionem assequi posse autumaverit, præciso consensu generis humani (3). Hinc natura insitum habemus instinctum fidei adhibendæ aliorum testimonio, sine qua necesse est nos in profundo ineluctabilis scepticismi

---

(1) Scripsit inter alia *Demonstrationem evangelicam; Censuram Philosophiæ Cartesianæ; Quæstiones Alnetanas de concordia rationis et fidei; ac Tractatum de infirmate rationis humanæ.*

(2) *Le seul moyen de discerner avec certitude le vrai du faux est l' autorité ou l' accord des jugements et des temoignages* (*Essai* etc., t. 2, ch. 14). *Si ce que tous les hommes croient être vrai, est vrai, il s' ensuit que l' uniformité des perceptions et l' accord des jugements est le caractère de la vérité. Defense de l' Essai*, ch. 17.

(3) *Ce n' est assez, comme on l' a vu, pour ne pouvoir rigoureusement affirmer quoi que ce soit, pas même nostre propre existence* (*Essai* etc., t. 2, ch. 13). *Nosotros nos obligamos á tener tales principios* (matemáticos) *por ciertos; y á cualquiera que se niegue á creerlos sin demostracion, le declaramos culpable de rebeldia contra el sentido comun, que no es más que la autoridad del gran número.* (Ap. Balmes, *Histor. de la Filosof.*, paragr. 60).

barathro mersos hærere (1). Ideoque primus actus rationis nostræ est: *Ego credo*, qui nisi prius supponatur, numquam posset mens, ne ipsam quidem propriam existentiam affirmare (2).

Itaque fides, generi humano præstita, initium est cognitionum nostrarum, fundamentum autem omnis certitudinis et criterium veritatis est consensus universalis generis humani, vel *sensus communis*, vel *ratio generalis*, vel *generalis auctoritas*, vel *conformitas perceptionum* et *conformitas judiciorum*, quæ manifestatur per testimonium: his enim aliisque nominibus passim describitur consensus ille Lamennesianus.

Sententiam hanc plus minusve modificatam propugnarunt alii quoque juniores Philosophi, quorum non est necesse nunc vel nomina, vel temperamenta minutatim referre.

91. PROPOSITIO 1.a **Divina revelatio nequit esse criterium generale ac supremum veritatis, motivumque naturalis certitudinis.**

Prob. 1.° Sunt innumeræ veritates certissimæ, de quibus divina revelatio prorsus silet. Ergo...

Prob. 2.° Divina revelatio nequit esse generale ac supremum veritatis criterium, si ejus usus supponit aliarum plurium veritatum certitudinem. Atqui ita se res habet.

Nam, ut uti revelatione divina possim, oportet ut ejus constet evidentia et summa infallibilitas; ut vero hæc pateant, certo tenenda prius est existentia et infinita perfectio Dei. Denique ipsa Dei existentia et infinita perfectio, unde ejus omniscia sapientia, et erroris nescia veracitas efflorescit, multarum aliarum rerum cognitionem certam subaudit, quemadmodum in Theologia demonstratur. Jam hæc omnia

---

(1) *Incapable naturellement de parvenir à la certitude, contrainte de douter de tout et de lui même, la raison l' entraîne invinciblement dans le pyrrhonisme absolu; de sorte que la plus noble de ses facultés lui serait une cause de mort, s' il n' existait en lui je ne sais quel principe énergique de foi qui le conserve, en le forçant de déférer à l' autorité générale (Essai* etc., t. 2, ch. 15).

(2) *Le premier acte de la raison est nécessairement un acte de foi et aucun être créé s' il ne commençait par dire:* **Je crois**, *ne pourrait jamais dire:* **Je suis**. *Essai* etc., t. 2., ch. 17.

undenam, quæso, certo cognoscuntur? Ex revelatione ipsa non. Ergo aliunde. Secus usus revelationis impossibilis est, et fides ipsa divina locum habere nequit (1). Unde sententia hæc, dum fidei divinæ tantopere deferre in speciem videtur, ipsam revera perimit, nisi secum pugnare velit.

Prob. 3.° Nequit esse generale veritatis criterium, quod solam præbere fidem potest. Nam præter fidem adest certitudo experimentalis et scientifica. Atqui divina revelatio nequit gignere nisi fidem. Ergo...

Prob. 4.° Denique sententia hæc contradicit ecclesiasticis documentis, quæ humanæ rationi plurium rerum certam independenter a revelatione cognitionem asserunt.

Audi Vaticani Concilii sententiam: *Eadem sancta Mater Ecclesia tenet ac docet, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse...* (2).

Et: *Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum per ea, quæ facta sunt, naturali rationis humanæ lumine certo cognosci non posse; Anathema sit* (3).

Adde has propositiones Bautainio, argentoratensi Presbytero ac professori, subscribendas oblatas: 1.ª *Ratiocinatio Dei existentiam cum certitudine probare valet. Fides donum cæleste, posterior est revelatione; proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum allegari convenienter nequit* (4). 5.ª *Rationis usus fidem præcedit, et ad eam ope revelationis et gratiæ conducit* (5). 6.ª *Ratio cum certitudine authenticitatem revelationis, Judæis per Moysen, et Christianis per Jesum Christum factæ, probare valet* (6).

---

(1) Cfr. S. Basil. Epist. 135 (al 401) n. 1. *In fide, quæ circa Deum versatur, præit illa cognitio, Deum esse; hanc autem ex creaturis colligimus Sapientiam, namque et potentiam, et bonitatem, et omnia ejus invisibilia ex mundi creatione intelligentes, sic cognoscimus... Cognitionem istam fides sequitur.*

(2) Concil. Vatican. Const. dogmat. *De Fide Cathol.*, cap. 2.

(3) Ibid. can. 1, *De Revelatione.*

(4) Apud Denzinger *Enchiridion Symbolorum* et *Definitionum* etc., 1488.

(5) Denzinger ib. n. 1492.

(6) Ib. n. 1493.

Item hanc ex decreto Sacræ Indicis Congregationis a SS. D. Pio IX approbato subscriptam inter alias a D. Bonnetyo, auctori Ephemeridum: *Annales de Philosophie chretienne. 2.ª Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione: proindeque ad probandum Dei existentiam contra atheum, ad probandum animæ rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit* (1).

92. PROPOSITIO 2.ª **Auctoritas vel consensus generis humani non potest statui ut supremum et generale veritatis criterium.**

Nota. Non negamus consensum universalem hominum posse esse criterium; qua de re inferius agendum est; sed negamus consensum illum esse *unicum* et *supremum* criterium.

Probatur ergo propositio. 1.º Contraria opinio supponit facultates omnes nostras cognoscitivas rationemque individualem fallibiles semper esse. Sed hoc suppositum falsissimum est, ut per se satis patet, et mox declarabitur in sequenti disputatione. Ergo.

Prob. 2.º Juxta adversarios nostros, consensus humani generis criterium est veritatis, ideoque indubium est quidquid consensus ejusmodi testatur. Atqui universalis consensus hominum testatur rationem individualem per facultates cognoscitivas posse sibi multarum rerum certam comparare notitiam. Ergo ex ipso consensu generis humani convincitur erroris Lamennesianum systema.

Prob. 3.º Nequit esse unicum ac supremum veritatis criterium id, quod ante se aliud criterium supponit. Consensus vero communis, ut possit motivum alicujus certitudinis suppeditare, prævium aliud criterium supponit. Nam ut consensus ejusmodi ad ullum actum movere possit, oportet, ut certo constet ejus existentia, et vis persuadendi; hæc autem supponunt existentiam hominum aliorum, eorum locutionem, veracitatem, aliaque similia. Hæc porro undenam nobis constant? Profecto non ex ipso consensu hominum,

(1) Ibid. n. 1506.

sed aliunde, ideoque præter auctoritatem generis humani, aliquod aliud requiritur criterium, a quo illa dependeat. Enimvero quomodo cognoscam adesse consensum plurium in aliqua doctrina, nisi prius sciam esse plures homines, eosdemque loqui, atque eadem dicere? etc...

Præterea consensus plurium ut possit tamquam norma adhiberi, oportet, ut notus nobis sit, nec aliunde notus esse potest, nisi ex testimonio et usu facultatum nostrarum. Et quid si hæ fallerentur in percipiendo ipso consensu generis humani? Atqui adversarii essentialem facultatum nostrarum fallibilitatem tuentur, præciso consensu generis humani. Ergo contradictoria loquuntur. Et præter consensum, admittendum est aliud criterium, saltem veracitatis facultatum nostrarum.

Prob. 4.° Ridiculum et ineptum prorsus est existimare, neminem certum esse posse de sua existentia nisi audito aliorum testimonio. Si enim se non cognoscit, quomodo cognoscet alios?

Præterea de actibus ac phænomenis internis, quæ per conscientiam ac sensum intimum nobis renuntiantur, testimonium aliorum nihil referre potest. An ego aliorum expectare debeam relationem, ut sciam me dolere, cogitare, famem aut sitim pati?

Prob. 5.° Testimonia singillatim dubia aut fallibilia, nequeunt infallibilia fieri, cum in unum cöeunt, nisi ex ipsa collectione aliquid accedat, unde omne deceptionis periculum procul arceatur. Atqui secundum Lamennaisium consensus generis humani non est nisi mera collectio testimoniorum singillatim fallibilium. Ergo fallibilatem suam non exuit, ac proinde criterium esse nequit.

Prob. 6.° Tandem, cum consensus communis asseritur veritatis criterium, quorumnam hominum, quæso, consensus intelligendus est præsentiumne, an etiam futurorum et transactorum? Præsentium, inquies. Et quid si præsentes a posteris et majoribus discrepent? an veritas perpetuo temporum flexu variabitur?

Præterea quis possit præsentium omnium voces audire, sententiam exquirere? Dices non omnes consulendos esse. Quisnam ergo, inquam, numerus sufficit, et cur?

Et an omnes testes ex eadem regione seligendi? Quid vero si alii aliarum nationum dissentiant? Contradictoriane, vera simul erunt?

Id vero, in quo affirmando certus hominum numerus convenit, cur non falsum esse possit? Imo, quænam est in eo repugnantia, quod omnium etiam hominum consensus decipiatur in aliqua re?

Nonne omnes decepti sunt circa motum solis, existentiam antipodum etc.?

Dices, etiam nos admittere tamquam certum in nonnullis adjunctis testimonium plurium hominum. Profecto, sed non tamquam *unicum* veritatis criterium, neque admittimus illud nisi in certis quibusdam adjunctis; neque solum quia plures sunt testes, sed quia singulorum illorum testimonium constat eo in casu immune esse ab omni errandi periculo (1).

Quæ cum ita sint, systema quod Lamennaisius validissimum omnium contra scepticismum putavit, nisi veracitatem facultatum amplectatur, in ipsum scepticismum rectam sternit viam.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

93. **Objicies 1.°** Illud est criterium veritatis, quod summam præbet certitudinem. Atqui divina revelatio talis est. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Illud quod summam præbet certitudinem est *aliquod* criterium, *trans.;* est universale seu unicum et supremum, *subdist.:* si extendatur ad omne cognitionum genus, et nullum aliud subaudiat, *conc.*, secus, *neg.* Patet solutio.

Objic. 2.° Experientia compertum est, quot quamque turpes errores admiserit genus humanum divinæ revelationis lumine destitutum.

Resp. *dist.* antec. In rebus difficilioribus minusque evidentibus, *trans.*, in rebus evidentibus ac facilioribus, *neg.*

Itaque objectio non probat revelationem divinam esse *generale criterium*, sed solummodo esse summe utilem aut

---

(1) Cfr. de hac re Balmes, *Filos Fundam.*, lib. 1, cap. 33, et *Histor. de la Filos.*, paragr. 60, *Lamennais*.

etiam moraliter necessariam humano generi; id quod ultro concedimus cum communi Theologorum sententia.

Objic. 3.° Cum videmus cæteros homines a nostra sententia discrepare, aut nescimus, an sentiant nobiscum, dubitamus, aut etiam mutamus mentem. E converso, cum cernimus alios nobis consentientes, tum demum omni repulsa erroris formidine, firmiter adhæremus objecto. Id vero demonstrat nos in comparanda certitudine normam sequi auctoritatis. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Semper, *nego;* aliquando, *subdist.;* in dubiis et obscuris, *conc.*, in evidentibus, *neg.*

Revera ubi affulget evidentiæ lumen, nunquam exspectamus aliorum suffragia, ut rei certo adhæreamus; neque aliorum auctoritate permovemur, ut sententiam nostram deseramus. Hoc unum contingere quandoque potest, ubi aut evidentia satis manifesta non est, aut fucata quædam species evidentiæ mentito lumine decipere potest, ut contrarium aliorum audientes judicium, illusionem aliquam jure timeamus. Id quod potissimum habet locum in usu sensuum nostrorum, in quibus per accidens falsitas inesse potest; et in illis objectis, in quibus aut partium studium aut affectiones facile se in animum insinuare possunt, ut illud clare videamur videre, quod reapse obscurum est.

Objic. 4.° Ipsa natura docet nos auctoritatem aliorum proponere nobis normam veritatis. Nam α) pueri ac rudes, in quibus sincerior ac purior cernitur naturæ inclinatio, non aliud sequuntur criterium; β) ipsi adulti ac docti homines cum dissident inter sese, arbitrum eligunt, cujus stent judicio.

Resp. *dist.* assertum. Natura docet nos exquirere consensum *generalem omnium*, eamque nobis proponere normam veritatis, *neg.;* consensum unius aut alterius, *subdist.;* aliquando, *trans;* in omnibus et tamquam supremum motivum, *neg.*

Ad probationem α) similiter respondeo *distinguendo;* in omnibus, *neg.;* in multis, in quibus ob imbecillem ætatem et nondum evolutam vim ingenii, non sunt idonei ad veritatem per seipsos detegendam, *conc.* Id enim sapientissime providit Deus, ut in prima illa ætate, in qua parentum aut aliorum educatio et magisterium tantopere requiritur ad

vitam omnem conservandam et promovendam, majorem indiderit animo docilitatem et propensionem; ut aliorum dictis fidem adhibeat. Id quod etiam in adulta ætate deprehenditur in eo hominum genere, qui, cum pueris ob suum statum magis assimilentur, minus habiles existunt, ut ipsi per se habeant justam rerum cognitionem.

Cæterum neque pueri neque rudes adulti unquam expectant *generalem consensum* aliorum hominum, ut credant, sed unius aut alterius, quem fide dignum putant, contenti sunt testimonio. Neque hoc in evidentibus, sed in rebus, quas ipsi scire nequeunt per se. Vidistine unquam puerum, qui exspectaret matris consensum, ut certo existimaret se famem pati, videre amicum suum, dolere capite etc.?

Ad probationem β), *dist.;* in dubiis, *trans.*, in evidentibus, *subdist.;* quasi sola non sufficeret evidentia, *neg.*, ad melius revincendum pertinacem adversarium *conc.*

Objic. 5.° Ipsa amentia ex hoc tandem dignoscitur, quod quis a communi hominum sensu abhorreat.

Resp. *dist.* assert.; ex hoc solum, *neg.*, potest quoque ex hoc dignosci, *conc.* Neque enim attendendum præcise est ad communem modum agendi aut sentiendi, ut quis amens judicetur. Sufficit experiri constantem in aliquo perturbationem idearum et verborum, absentiamque reflexionis atque advertentiæ, ut illico impos sui agnoscatur.

Objic. 6.° Doctrina tenens aptitudinem rationis individualis ad assequendas certas cognitiones independenter a consensu generis humani, revera rationem statuit judicem veritatis. Atqui hoc profecto sapere videtur aliquid de spiritu privato Protestantium. Ergo rejicienda prorsus est illa doctrina.

Adde quod secundum illam, mens nostra esset judex veritatis, eamque produceret; quod absurdum videtur.

Resp. ad primum, *neg.* Minor. Quid enim habet commune spiritus privatus Protestantium cum nostra doctrina? Illi in rebus fidei et in sensu Sacrarum Litterarum investigando, propriam cujusque inspirationem ac placitum autumant esse sequendum, semota omni Ecclesiæ auctoritate; nos vero in cognitionibus naturalibus posse contendimus rationem nostram aliquid certi assequi, etiam non audita cæterorum hominum sententia. Quæ duo toto cœlo distare, quis est, qui non videat?

Ad alterum respondeo nihil esse incommodi in eo quod ratio nostra sit judex veritatis, aut gignat etiam veritatem logicam, seu cognitionem veram. Veritatem autem ontologicam mens non producit, sed detegit, seu invenit.

Reliqua, quibus adversarii essentialem in omnibus fallibilitatem facultatum cognoscitivarum probare contendunt, inferius dissipanda sunt.

ARTICULUS III.

Statuitur verum criterium.

Investigatur criterium pro cognitionibus dumtaxat ordinis naturalis.

94. Illud ante omnia præ oculis est habendum in hac materia, nos minime quærere criterium *omnis* prorsus veritatis cujuscumque ordinis. Philosophi enim est de rebus et cognitionibus dumtaxat agere, quæ lumen naturale non excedunt; cognitiones vero supernaturales lumine fidei elicitas Theologis relinquit tractandas, in quibus generatim universale criterium veritatis est revelatio Dei summe sapientis summeque veracis.

Quotuplex genus cognitionis.

Cognitiones vero naturales ad triplicem ordinem omnino revocantur; vel enim continent notitiam rerum ex solo aliorum testimonio acceptam, vel proprio marte usuque propriarum facultatum acquisitam; et hæc vel facta dumtaxat concreta refert, vel naturas rerum universaliter contemplatur. Et primæ istæ cognitiones nomine *fidei* naturalis designantur, secundæ autem ordinem *experimentalem*, ac *rationalem* vel *scientificum* tertiæ constituunt.

95. PROPOSITIO 1.a **Tum relatio facultatum cognoscitivarum, tum auctoritas aliorum, tum etiam sensus naturæ communis seu consensus humani generis partialia sunt veritatis criteria pro variis ordinibus naturalium cognitionum.**

Criteria partialia.

Ratio patet 1.o Quia supponimus nunc id, quod mox ostendendum est, tum facultates cognoscitivas respectu suorum propriorum objectorum, tum etiam auctoritatem aliorum et consensum generis humani in quibusdam adjunctis fallere non posse. Ergo evidens est in ejusmodi adjunctis,

quæ cæteroquin facile est cognoscere, et facultatum cognoscitivarum relationem et aliorum testimonium esse normam infallibilem atque indicium veritatis.

Sunt autem partialia criteria, quia nec aliorum testimonium inservit nisi pro cognitione fidei naturalis, nec relatio sensuum et conscientiæ nisi pro cognitionibus experimentalibus.

2.° Atque idem confirmatur ex communi usu hominum, qui passim pro vario cognitionum ordine aliquod ex relatis criteriis afferunt tamquam motivum ac veracem normam cognitionum assertionumque propriarum. Sic cœlum stellis ornari, serenum vel nubilum esse certo tenemus, quia nostris oculis videmus; urbem Constantinopolim existere, quia ita narrant plurimi testes irrefragabili testimonio: et idem dic de innumeris aliis certis judiciis.

96. PROPOSITIO 2.a **Evidentia est generale ac supremum veritatis criterium pro quacumque cognitione certa naturalis ordinis.**

Generale criterium ac supremum.

Probatur. Ut aliquid sit hujusmodi criterium, requiruntur ac sufficiunt tria: 1.° ut sit nota propria et exclusiva veritatis: 2.° ut valere possit pro quacumque cognitione: 3.° demum, ut sit ultima ratio, quam reddere possimus pro veritate cujusvis certi assensus in ordine naturali. Atqui tribus hisce proprietatibus gaudet evidentia. Ergo...

Probatur Minor per partes: 1.° *Evidentia est nota propria veritatis.* Etenim, ut ex alibi dictis constat, quidquid evidens est, verum est, et error evidens esse nequit.

Quin immo usque adeo evidentia est signum veritatis, ut ubi ea non adsit, mens nequeat, si prudenter agere velit, assensum præbere enuntiabili absque formidine, ut cernere est in objecto mere probabili atque opinabili, in quo semper inest periculum errandi propter evidentiæ defectum, et insufficientem applicationem vel improportionem objecti cum lumine rationis. Nullum quippe quietare mentem potest, nec securam reddere, de veritate, nisi evidentia illustretur.

Secunda pars Minoris: *Evidentia valere potest pro quocumque ordine cognitionis naturalis.*

Nam vel est interna, vel externa. Et externa quidem locum habet in assensu fidei naturalis, qui eatenus firmus est

et constans, quatenus evidens est moraliter scientia veracitasque testium.

Interna vero evidentia influit in omnem cognitionem certam sive experimentalem sive rationalem. In experimentalem; quia quid evidentius objecto sensuum et conscientiæ, ubicumque nullum est impedimentum eorum, quæ facultates illas inducere per accidens in falsitatem queunt? Ergo experientia omnis certa et indubia respicit semper objectum evidens.

Sed non minus influit evidentia in omnem cognitionem certo veram ordinis rationalis. Siquidem cognitiones ejusmodi vel sunt mediatæ vel immediatæ. Atqui immediatæ veræ non censentur nec certo tenentur, nisi quia ex ipsis terminis enuntiabilis rem ita esse apparet; cognitiones vero mediatæ, nonnisi quia ex evidentibus præmissis evidenti ratiocinandi forma derivantur, nimirum quia objectum conclusionis per evidentiam principiorum illuminatum in seipso perspicitur. Ergo cognitio quævis rationalis certa existit ex lumine evidentiæ.

Ad rem Angelicus Doctor: *Assentitur... intellectus alicui dupliciter: uno modo, quia ad hoc* movetur ab ipso objecto; *quod est vel* per se ipsum cognitum, *sicut patet in* principiis primis, quorum est intellectus, *vel* per aliud cognitum, *sicut patet de* conclusionibus, *quarum est scientia. Alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quamdam electionem voluntarie declinans in unam partem magis quam in aliam. Et si quidem hoc fiat cum dubitatione et formidine alterius partis, erit opinio, si autem sit cum certitudine absque tali formidine, erit fides. Illa autem* videri *dicuntur, quæ per seipsa movent intellectum nostrum vel sensum ad sui cognitionem* (1).

Tertia pars Minoris: *Evidentia est ultima ratio assensus certo veri in naturalibus cognitionibus.*

Quia sicut nullum motivum, nisi evidentia donetur, gignere valet assensum certum, ita quæqumque tandem ratio producatur in medium in confirmationem veritatis, semper restat ulterius aliquid inquirendum, donec ad evidentiam fiat

(1) 2. 2, q. 1, art. 4.

recursus; semel autem ac pro ratione veritatis afferatur evidentia, nequit amplius exquiri, tum quia ipsa sufficit, tum quia nulla est ratio, quæ, præcisa evidentia, animum sollicitudine ac formidine liberare valeat in naturalibus, etiamsi voluntatis imperium accedat, dummodo prudenter agere velit.

Id quod confirmat experientia quotidiana sive rudium sive doctorum virorum. Nam in ratiociniis, cognita evidentia tum illationis tum præmissarum, nihil amplius requiri solet; in propositionibus autem immediatis sive ordinis experimentalis sive rationalis, omnes acquiescunt veritati, ex eo quod et per se res ipsa patet, et patet etiam facultates cognoscitivas in tali eventu falli non posse. Quamobrem cum duo inter se de quavis re contendunt, si alter eorum evidentiam pro se invocet, alter aliud non solet facere nisi aut tacere manusque dare victas, aut evidentiam negare; quia nimirum evidentia est ultima ratio, quæ ubicumque adest, nihil amplius remanet desiderandum.

Mens Angelici Doctoris.

Atque hæc est magni Aquinatis doctrina:

Qui assentit, intellectum ad alteram partem contradictionis determinat. Quod quidem contingit tripliciter secundum triplicem nostri intellectus considerationem. Potest enim intellectus noster considerari uno modo secundum se, et sic determinatur ex præsentia intelligibilis, *sicut materia determinatur ex præsentia formæ; et hoc quidem contingit in his, quæ* statim lumine intellectus agentis intelligibilia fiunt, sicut sunt prima principia, quorum est intellectus; et similiter determinatur judicium sensitivæ partis ex hoc, quod sensibile subjacet sensui, quorum principalior et certior est visus. *Et ideo prædicta cognitio intellectus vocatur* visio. *Alio modo potest considerari intellectus noster secundum ordinem ad rationem, quæ ad intellectum terminatur, dum resolvendo conclusiones in principia per se nota, earum certitudinem efficit: et hoc est assensus scientiæ. Tertio modo consideratur intellectus in ordine ad voluntatem, etc.* En quomodo S. Doctor certitudinem seu determinationem intellectus ad unum in naturalibus cognitionibus attribuat evidentiæ.

Alibi etiam sic scribit idem Aquinas: *Deetrminatur... intellectus ad unum tripliciter... In intellectu enim principiorum*

causatur determinatio ex hoc, quod aliquid per lumen intellectus sufficienter **inspici per ipsum** *potest. In scientia vero conclusionum causatur determinatio ex hoc, quod conclusio secundum actum rationis in principia per se visa resolvitur; in fide vero ex hoc, quod voluntas intellectui imperat. Sed quia voluntas hoc modo non determinat intellectum, ut faciat* **inspici** *quæ creduntur, sicut inspiciuntur principia per se nota, vel quæ in ipsa resolvuntur, sed hoc modo ut intellectus firmiter adhæreat;* **ideo certitudo quæ est in scientia et intellectu est ex ipsa evidentia eorum, quæ certa esse dicuntur** (1).

Quænam evidentia sit criterium supremum, subjectivane an objectiva.

97. SCHOLION. Solent hic recentiores multi quærere utrua evidentia dignitatem hanc supremi ac generalis criterii obtineat, subjectivane an objectiva, et variant auctorum opiniones; aliis objectivam, aliis subjectivam tuentibus. Equidem censeo in primis controversiam hanc non magni esse momenti, dummodo evidentiæ nomine non quævis apparentia et fucata claritas intelligatur, sed vera serenaque tum objecti, tum cognitionis perspicuitas, quam fuse supra declaravimus.

Falsa quorundam ratio, ob quam subjectivæ evidentiæ denegatur dignitas criterii.

Deinde arbitror evidentiæ subjectivæ non recte denegari conditionem criterii ex eo solum, quod illa erroribus illusionibusque ansam præbeat; non enim minus hallucinationi patere potest objectiva, quam subjectiva evidentia, nisi ratio multum vigilet. Profecto capere non possum, cur facilius decipi possim falso existimans *cognitionem* aliquam meam esse *evidentem*, quam existimans *objectum* ipsum *cognitionis evidens* esse.

Addo præterea inter duas opiniones oppositas in proposita controversia non magnum, quoad rem ipsam, intercedere discrimen, quandoquidem et patroni objectivæ evidentiæ fatentur objectum evidens normam veri esse non posse, nisi *clare percipiatur*, et e contrario illi qui criterium in subjectiva evidentia reponendum esse judicant, ultro concedunt evidentiam subjectivam, ut vere talis sit, ac proinde valere pro indicio veritatis possit, esse debere partum objectivæ evidentiæ:

(1) 3.° dist. 23, q. 2, a. 2, solut. 3.° Cfr. de Verit. q. 14, a. 1.

Quare, ad praxim quod spectat, nequit evidentia ut criterium adhiberi ad judicandum de veritate cognitionum nostrarum, quin utraque evidentia interveniat.

Utraque evidentia potest habere rationem criterii.

In hac controversia crediderim ego utramvis evidentiam posse esse ultimum criterium veritatis. Et primo quidem id patet de subjectiva evidentia ex sensu communi, quia passim affertur evidens cognitio rei tamquam ultima ratio, cur res se habeat prout a nobis cognoscitur vel affirmatur. Enimvero quid sibi volunt illæ voces: *Res ita est, quia clarissime video aliter esse non posse: Tale enuntiabile verum est, quia video prædicatum in idea subjecti contineri: Talis conclusio verissima est, quia manifeste video a præmissis evidentibus fluere.* Hujusmodi rationes solent passim afferri, nec vero a talia oggerenti exquiritur ulterior causa suæ certitudinis, sed vel negatur allegata ratio, vel simpliciter res admittitur. Quamquam enim cognitio mea evidens non sit causa vel ratio, cur res *in seipsa sit;* sed est apta ratio, cur ego firmus et constans sim in judicando rem ita esse.

Ratio vero hujus assertionis a priori est, quia cognitio vere evidens certa est natura sua, ac proinde necessario vera. Ubicumque ergo animus in se reflectens deprehendat cognitionem evidentem alicujus rei, jam potest omnem formidinem erroris deponere et quiescere securus de talis cognitionis veritate. Nam quamvis possit aliquis adhuc physicas causas actus evidentis investigare, quæ sunt virtus intellectualis et objectum evidens, non tamen afferre potest rationem superiorem, propter quam cognitio evidens vera necessario sit, id enim spectat ad ejus naturam. Evidentia ergo cognitionis dicenda est infallibilis tessera necessariæ veritatis illius.

Dixi præterea etiam evidens objectum obtinere dignitatem supremi criterii. Idque simili modo probatur primo ex sensu communi hominum, nam passim etiam solemus evidentiam rei afferre in disputationibus pro supremo argumento veritatis, ita ut si evidens sit objectum, eo ipso quilibet arbitretur se liberum onere probandi suam assertionem, adversarii vero aut victas dent manus, aut evidentiam negent, numquam tamen detrectent rem, quam evidentem agnoscant, illico tamquam verissimam accipere.

Præterea ratio hujus rei me plane convincens hæc est, quia, ut superius dicebamus (1), objectum evidens est objectum proportionatum riteque applicatum, ac proinde propriissimum potentiæ cognoscitivæ, quod penitus illam ad ineluctabilem assensum determinat. At objectum hujusmodi, nisi velimus facultates nostras prorsus fallaces esse atque ad finem suum ineptissimas, nequit non verissime apprehendi. Ergo ubicumque coram adest objectum vere evidens, certissimi esse debemus, quod cognitio, ad illud terminata, necessario verissima sit.

Neque vero hic etiam ulterius patet recursus ad aliam superiorem rationem. Poteris quidem interrogare, quodnam sit dicendum objectum evidens, et responderi poterit esse illud, quod lumine intellectus agentis illustratur, quemadmodum nuper declaravimus ex Angelici Doctoris sententia, vel etiam illud, ad quod actus evidens terminatur. Non tamen poteris inquirere, cur objectum evidens sit in seipso tale, quale ab intellectu nostro enuntiatur; quia *quidquid evidens est, verum est* (2), idque evidentissimum atque indemonstrabile esse superius probavimus (3).

Dices. Secundum hanc doctrinam videtur ultima ratio et criterium veritatis ac motivum reflexæ certitudinis esse potius veracitatem facultatum cognoscitivarum.

Resp. *neg.* assertum, quia veracitas facultatum nostrarum non impedit, quominus sæpe erremus; quare hæc sola nequit afferri tamquam ratio veritatis cognitionum nostrarum. At quia facultates nostræ circa objectum evidens deficere nequeunt, ideo non generatim veracitas facultatum, sed objectum evidens, circa quod illa locum infallibiliter habet, est criterium ultimum veritatis.

Dicendum itaque videtur veri nominis evidentiam, sive objectivam sive subjectivam, esse criterium. Nam objectum evidens, licet cum evidentia subjectiva connectatur, adhuc præcisive ab illa, gerit in se veritatis signaculum, sicut v. g. objectum revelatum in se ipso habet necessariam veri-

(1) Num. 67, 68.
(2) Supra n. 74.
(3) Num. 75.

tatem, ut satis sit nosse aliquid revelatum esse, ad hoc ut certissime illud teneamus. Simili modo sufficit attendere ad objecti evidentiam, ut illud tamquam prorsus indubium amplectamur. Itemque subjectiva evidentia, quamvis connectitur cum objecto evidenti, ipsa tamen sufficit, quin ad illud attendamus, ut intellectum securum reddat (1). Sicut si quis sciret actum aliquem cognitionis esse supernaturalem, præscindendo a natura objecti ejusdem, posset certissimus esse de illius veritate, secundum sententiam Theologorum, qui docent actum supernaturalem falsum esse non posse. Et sic patet, quomodo evidentia sit generale criterium certitudinis pro omni cognitione naturali; nam nulla est cognitio certa naturalis ordinis, quæ non sit evidens, quæque non terminetur ad objectum evidens; nec est objectum evidens, quod non pariat certitudinem, dum evidenter menti proponitur; nec denique evidens cognitio, quæ non sit certa et infallibilis.

Quid cavendum in usu criterii hujus.

Quare in usu criterii hujus id unum curandum est, ut ne larvatam et apparentem evidentiam pro vera sumamus. Et in judiciis quidem immediatis, et etiam in multis mediatis, quæ ex immediatis proxime consequuntur, nullius negotii est id vitare; in aliis vero facile fieri potest ut hallucinemur. Quare vigilandum est, et abjicienda præjudicia, jubendumque silere affectus animi, ut sincere veritatem quæramus, nec quod magis placet, sed quod solidissimis argumentis fulcitur, sequamur. Nec semel dumtaxat rem considerasse sufficiat, sed iterum et sæpius attentissime meditando propositam controversiam quaquaversus circumspiciamus, et severissimæ rationis trutina pensemus. Id si fiat, quæ vere evidentia sunt, magis magisque clarescent; quæ autem talia non sunt, licet prima fronte, quacumque tandem causa, talia apparuerint, mentitum illum splendorem mox amittent, deque errandi periculo experrectam mentem admonebunt.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

98. **Objic. 1.°** Multi, cum errant, evidentiam jactant. Ergo evidentia nequit esse veritatis criterium.

(1) Fuse de hac materia cl. P. Mendive (*Elementos de Lógica*, 2.a part., cap. 3, art. 4 et 5), qui criterium generale unice in evidentia subjectiva reponit (ib. art. 5, n. 579 seqq.)

Resp. *dist.* ant.; quam vel mentiuntur, vel ex hallucinatione quadam putant se habere, *trans.;* quam vere habeant, *neg.* Vera namque evidentia stare cum errore nequit. Hoc tamen sæpe contingere potest, ut ex æstu inordinatarum affectionum, vel ex præcipitantia quadam censeant aliqui se habere evidentiam, quam non habent. Itaque pacate res consideranda est, et exuendus animus, quantum fieri potest, ab omni præjudicio et affectione, ut veritas sincere quæratur.

Illud etiam notari potest, eos, qui evidentiam falso jactant, quandoque aliquid evidenter percipere, et nihilominus errant; quia non id ipsum, quod evidenter perceperunt, affirmant, sed aliud cum eo connexum, vel illud ipsum ultra eos limites perperam extendunt, intra quos veritatem atque evidentiam habet (1).

Objic. 2.° Si evidentia falso jactari potest; ergo datur vera ac fucata evidentia. Itaque necessarium erit aliud criterium, quo illæ inter se discernantur, ac proinde saltem evidentia nequit esse ultimum veritatis criterium.

Resp. Vera evidentia a falsa distinguitur per ipsam evidentiam, sicut ad discernendum solem a cæteris objectis, non opus est alio lumine. Vera namque evidentia, quo magis res consideratur, attentius ac pacatius circumspicitur, eo vividius aciem mentis perstringit, et omnem errandi formidinem expellit. At contrarium accidit larvatæ evidentiæ.

Obj. 3.° Criterium evidentiæ, saltem subjectivæ, huc tandem revocatur, ut judicemus rem ita esse, quia sic nobis videtur. At hoc quid tandem differt a criterio Protagoræ superius rejecto?

Resp. *dist.* Major. Criterium evidentiæ huc revocatur, ut judicemus rem ita esse, quia sic nobis lubet enuntiare, *neg.*; quia sic nobis enuntiandum esse clarissime videmus, *conc.*

Et *neg.* Minor.; in sententia enim Protagoræ cognitio nostra est mensura veritatis objectivæ; at vero in nostra sententia cognitio, eaque vere evidens, est index veritatis rerum, ipsa autem dos evidentiæ in cognitione resplendens, dum objectum prout est in se manifestat, est quoque tessera necessariæ conformitatis cognitionis cum objecto, seu infallibilitatis co-

(1) Vide Tongiori, *Logic.*, n. 701.

gnitionis. Ipsum proinde objectum evidens non mensuratur a cognitione, sed potius e converso mensurat illam.

Objic. 4.° Si evidentia veritatis criterium foret: α) veritas rerum ab evidentia penderet; β) quidquid verum est, evidens esset; γ) aut saltem quidquid certum est, propter evidentiam certum foret, cum tamen multa sint certa, quæ evidentia non sunt.

Resp. ad α) *dist.:* veritas rerum ab evidentia penderet in seipsa, *neg.;* quoad certitudinem de illis a nobis habendam, *conc.*

Ad β) *neg.* assert Nam, ex eo quod, quidquid evidens est, sit verum, vetant regulæ conversionis inferre, quidquid est verum, esse quoque evidens.

Ad γ) *dist.* Major. Quidquid certum est, propter evidentiam certum est in ordine naturalium cognitionum, *conc.;* in omni ordini cognitionum, etiam supernaturalium, *neg.*, vel *subdist.;* quidquid certum est propter evidentiam saltem *credibilitatis*, *conc.;* propter evidentiam præcise veritatis, *neg.*

Et revoca in mentem superius dicta (1).

DISPUTATIO QUARTA.

DE MEDIIS ASSEQUENDÆ VERITATIS.

Media cognoscendi alia sunt interna, externa alia.

99. Media cognoscendæ veritatis alia sunt cujusque hominis propria, alia vero externa et aliena. Propria facultatibus ac potentiis cognoscitivis continentur, per quas, velut per totidem instrumenta et fidelissimos nuntios, rerum omnium mens notitia potitur. Externa revocantur ad auctoritatem testium, qui facta, etiam in dissitissimis locis temporibusve contingentia, nobis coram, ut cognoscere possimus, proponunt. Et quamquam disputatio de facultatibus cognoscitivis, quantum earum naturam, modum operandi, aliasque abstrusiores quæstiones attinet, ad tractatum de Anima, tamquam ad

(1) Num. 94 et n. 73. Vide etiam Tongiorgi, *Logic.*, n. 697 seqq.

propriam sedem reservanda sit; nihilominus etiam Logica de illarum saltem veracitate silere nequit, si nefarios velit scepticorum conatus retundere, qui humanæ mentis ad veras cognitiones hauriendas habilitatem aut inficiantes, aut in dubium revocantes, omnem vitam intellectualem interimere nituntur, scientiamque omnem impossibilem reddunt.

CAPUT I.

DE MEDIIS INTERNIS COGNOSCENDI.

ARTICULUS I.

Brevis descriptio facultatum cognoscitivarum.

100. Duplicis ordinis sunt in homine potentiæ cognoscitivæ, sensitivæ et intellectivæ (1).

Quid sensus.

Sensus generatim describi potest *potentia* vel *facultas organica, per quam objecta corporea percipiuntur.*

Quid organum,

Dicitur *potentia organica*, in quo convenit sensus cum potentiis vegetativis, ac differt ab intellectu; nam et insidet in organo, et per organum exercet actum suum. *Organum* autem dicitur pars vel membrum corporis ad aliquam vitæ functionem destinatum, ut oculus ad visionem, cor ad generandum distribuendumque sanguinem. Et organum, quo sensationes peraguntur, proprium nomen sortitur apud Philosophos *sensorii* vel *sensiterii*, quamquam sæpissime generico vocabulo nuncupatur simpliciter *organum*.

Sensorium.

Additur deinde in definitione, sensum esse potentiam, *per quam objecta corporea percipiuntur*, ut distinguatur tum a potentiis vegetativis, appetitivis et locomotivis, quæ apprehensivæ seu cognoscitivæ non sunt, tum etiam ab intellectu, cujus actus non ad objecta dumtaxat corporea restringitur,

(1) Fuse de his omnibus S. Thomas, opusculo *de Potentiis animæ.*

sed etiam ad spiritualia se porrigit, per quæ totam, qua late patet, entis latitudinem quodammodo spatiatur.

Quid sensatio. Operatio sensus vocatur *sensatio*, quæ proinde generatim definitur *perceptio organica*.

Quid sensibile proprium, 101. Objectum sensus denominatur *sensibile*, ac dividitur in *proprium*, *commune et per accidens*. Sensibile proprium est, *quod ita sentitur uno sensu, quod non potest alio sensu sentiri... sicut visus proprie est cognoscitivus coloris, et auditus soni, et gustus humoris, id est saporis* (1).

commune, Sensibile commune est id, quod non ab uno, sed a pluribus sensibus percipitur. *Communia sensibilia sunt ista quinque: motus, quies, numerus, figura et magnitudo* (2). *Hæc enim nullius sensus unius sunt propria, sed sunt communia omnibus. Quod non est sic intelligendum, quod omnia ista sint omnibus communia, sed quædam horum, scilicet* **numerus, motus,** *et* **quies** *sunt communia omnibus sensibus; tactus vero et visus percipiunt omnia quinque* (3).

Utrumque hoc sensibile, proprium et commune pulchre et eleganter illustrat S. Augustinus in opere *de Libero arbitrio* (4).

per accidens. Tandem sensibile per accidens est, quod per se non movet sensum, nec aliter sentitur, nisi quia est conjunctum cum eo, quod per se cadit sub sensum; ut si quis dicat se videre *filium Petri*, aut *dulce*, videt enim id quod est dulce, et quod est *filius Petri;* sed non quatenus *dulce* vel quatenus *filium Petri;* sed quatenus *album* vel *coloratum*. Sensibile per accidens, est in duplici genere; alterum enim est tale in particulari et respectu unius dumtaxat sensus, puta *visibile* per accidens, *audibile* per accidens, *gustabile* etc. per accidens. Alterum est sensibile per accidens universaliter respectu sen-

(1) S. Thom. Lib. 2.° *de Anima*, lect. 13, paragr. *b*.

(2) Additur his a quibusdam *distantia;* sed hæc facile revocatur ad magnitudinem, ut explicat. Suarezius (lib. 3 *de An.*, cap. 8, n. 8); idemque dicendum de aliis sensibilibus communibus, quæ solent adjungi, ut videre est apud eumdem Eximium Doctorem, Conimbricenses *(De Anim.*, lib. 3, cap. 9, quæst. 4), et alios.

(3) S. Th., lib. 2.° *de Anim.*, lect. 13, paragr. *e*. Cfr. Suar., loc. cit. n. 8, et Conimbric., lib. 2.° *de Anim.*, cap. 6, q. 4.

(4) Lib. 2, cap. 3.

suum omnium; quod nimirum a nullo sensu per se potest percipi; quo pacto ratio *substantiæ* v. g. et *viventis* dicuntur sensibilia, quia nullus est sensus, sive interior sive exterior, qui valeat per se rationem substantiæ ac viventis apprehendere, sed intellectus dumtaxat (1).

Conditiones ad sensibile per accidens requisitæ.

Sed probe nota, ut aliquid vere dici possit sensibile per accidens, tres requiri conditiones: α) *quod accidat ei, quod per se est sensibile; sicut accidit albo esse hominem, et accidit ei esse* dulce; β) *quod sit apprehensum a sentiente; si enim accideret sensibili, quod lateret sentientem, non diceretur per accidens sentiri; oportet igitur ut per se cognoscatur ab aliqua alia potentia cognoscitiva sentientis* (2).

γ) Requiritur præterea, ut statim apprehendatur sine dubitatione ac discursu, ad occursum qualitatis per se sensibilis. Ut enim observat Aquinas, *non... omne quod intellectu apprehendi potest in re sensibili, potest dici sensibile per accidens; sed quod statim ad occursum rei sensatæ apprehenditur intellectu. Sicut statim, cum video aliquem loquentem vel movere seipsum, apprehendo per intellectum* vitam *ejus; unde possum dicere, quod video eum* vivere (3). Quamobrem *Deus* non est sensibilis per accidens, cum nequeat sine ratiocinatione cognosci ad aspectum rerum sensibilium (4).

Sensus externi et interni.

Quot externi, et quænam illorum objecta.

102. Sensus alii sunt *externi*, *alii interni*. Externi quorum organa patent extrinsecus, sunt *quinque illi notissimi sensus, quorum partitio vetustissima est, et fere in concionibus celebrata*, inquit Augustinus (5), nimirum *visus, auditus, odoratus, gustus et tactus* (6). Visus residet in oculis,

(1) Vide S. Thom. *de Anima.*, loc. cit.; et 4.° Dist. 49, q. 2, art. 2, in corp., ubi triplex hoc sensibile lucide explicatur; sicut etiam in 1 p. quæst. 17, art. 2.

(2) S. Thom., loc. cit. lib. 3, lect. 13, paragr. *d.*

(3) S. Thom., ib. Cfr. 4.° dist. 49, q. 2, a. 2, in corp.

(4) Suar., lib. 3.° *de Anim.*, c. 8, n. 2; Cfr. de his Toletus, Conimbricenses, Rubius et reliqui Aristotelis commentatores in lib. 2, *de Anima*, cap. 6, text. 63, seqq.

(5) *De Quantitate animæ*, cap. 23.

(6) Ita communis opinio cum S. Augustino, trat. 15 *in Joann.*; lib. *de Quantit. anim.* c. 23, Lib. 3 *de Liber. arbitrio*, cap. 3, 4 seqq.; *De duab. animab. adversus Manichæos*, cap. 2; *de Genes. ad litt.* lib. 2; S. Hieron., *in Ps.* 14, S. Gregor., M. *homil.* 17 *in Ecechiel; homil.*

habetque proprium objectum *lucem cum coloribus;* auditus est in aure ac sentit *sonos;* odoratus affixus est naso ad percipiendos *odores;* gustus sedem habet in lingua et palato, gustatque *sapores;* tactus demum per totum corpus diffunditur, perque ipsum apprehenditur *calor, frigus, humiditas, siccitas, durities* et *mollities, asperitas et levitas* (1).

Sensus interni quot:

Sensus interni sunt illi, quorum organa latent interius; tales sunt *sensus communis, imaginatio, æstimativa et memoria.*

sensus communis.

Sensus communis est illa potentia, per quam percipimus objecta sensuum externorum, ea inter sese discernendo (2).

Quia discernimus aliqua virtute non solum album a nigro, vel dulce ab amaro, sed etiam album a dulci, et unumquodque sensibile discernimus ab unoquoque, et sentimus, quod differunt; oportet quod hoc sit per sensum, quia cognoscere sensibilia, in quantum sunt sensibilia, est sensus; cognoscimus autem differentias albi et dulcis, non solum quantum ad quod quid est *utriusque* (id est, quantum ad essentiam) *quod pertinet ad intellectum; sed etiam quantum ad diversam immutationem sensuum: et hoc non potest fieri nisi per sensum* (3). Unde ejusmodi sensus discernens inter diversas sensationes earumque objecta in brutis etiam reperitur, quippe qui non solum distinguunt inter varias impressiones unius ejusdemque sensus, verum etiam inter impressiones diversorum, gustus v. g. et tactus, si quando, dum aliquid edunt, fuste aut verbere abiguntur.

Nec dicas ad ejusmodi impressiones discernendas externos sensus sufficere. Nam discernere inter varias sensationes nequit sensus, nisi omnes illas in se experiatur; nullus autem est sensus externus, qui experiri possit aliorum sensuum impressiones, cum singuli habeant sua quique objecta propria. Necesse est ergo, ut adsit alius quidam sensus ab

---

9.a in Evang.; S. Gregor. Nyssen. orat. 6. *in Cantic.;* S. Joann. Damasc. lib. 2, de *Fid. orthod.* c, 18; S. Thom. 1. p. quæst 78, a. 3 et locis ib. citatis.

(1) S. Thom. Opusc. *de Potentiis anim.* Satis commune est apud recentiores perceptionem voluptatis ac doloris attribuere sensui interno. Id nunc permittimus. In tractatu autem de Anima videndum est, an non potius dolor et voluptas corporea ad tactum spectent ex doctrina S. Thomæ aliorumque plurium Doctorum.

(2) Vide Suar., *de Anima*, lib. 3, cap. 31.

(3) S. Th., *de Anim.*, lib. 3, lect. 3, paragr. 6.

omnibus externis distinctus, qui horum in se colligat impressiones, atque inter illas dijudicet, et propterea etiam nomen sortitur *sensus communis* (1), tum quia est terminus communis omnium immutationum externorum sensuum, tum quia ex illo, tamquam ab una communi radice, procedit vis sentiendi, ac per quinque organa diffunditur (2), ut alibi fusius dicetur.

imaginatio,

Imaginatio vel *phantasia* est vis reproducendi etiam in objectorum absentia sensiles repræsentationes olim habitas. Quamobrem imaginatio dicitur a S. Thoma, *thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum* (3).

æstimativa,

Æstimativa est facultas apprehendendi etiam quasdam rationes, quæ sensus externos effugiunt, ex eo quod utilitatem aut nocumentum afferunt subjecto. Nam *necessarium est animali, ut quærat aliqua vel fugiat, non solum quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates et utilitates sive nocumenta; sicut ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris vel figuræ, sed quasi inimicum naturæ; et similiter avis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali, quod percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior; et hujus perceptionis oportet esse aliquod aliud principium* (4), nimirum *æstimativa*.

memoria.

Tandem *memoria* est facultas reproducendi olim habitas impressiones recognoscendo illas: vel, si mavis, eam aliter cum S. Thoma intelligere, est facultas conservandi intentiones vel impressiones per æstimativam perceptas. Ad apprehendendum enim *intentiones, quæ per sensum non accipiuntur, ordinatur vis æstimativa; ad conservandum autem eas vis memorativa, quæ est thesaurus quidam hujusmodi intentionum; cujus signum est, quod principium memorandi fit in animalibus ex aliqua hujusmodi intentione, puta quod est nocivum vel con-*

(1) Vide S. Thom. ibid paragr. *c*, *d*., cum Arist. Lib. 3 *de Anim.* text. 146 seqq: et item S. Thom. 1 p. q. 78, a. 4, ad 2.um

(2) S. Thom., *de Anim.*, lib. 3, lect. 3, paragr. *h;* 1 p, q. 78, a: 4 ad 1.um et 2.um

(3) 1 p. q. 78, a. 4 in corp.

(4) S. Thom. 1 p. q. 78, a. 4 in corp.

veniens. Et ipsa ratio præteriti, quam attendit memoria, inter hujusmodi intentiones computatur (1).

Internos hosce sensus in brutis agnoscit S. Augustinus, sic eleganter scribens; *Et per loca nota sine errore jumenta pergunt; et cubilia sua bestiæ repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant, et in latratum aliquando erumpunt; quod nullo modo possent, nisi in eorum memoria, visarum, vel certe per corpus utcumque sensarum, versarentur imagines.* (2). Sed hactenus de potentiis sensitivis.

Quid intellectus. 103. Intellectus est facultas inorganica objecti cognoscitiva, eamque necessario admittendam esse in nobis nemo negaverit, si mentem paulisper applicet ad considerandas innumeras rerum cognitiones, quæ cadere in sensum nequaquam possunt. Sensus enim *sistit circa exteriora accidentia rei* (qualitates sensibiles); *intellectus vero penetrat usque ad rei essentiam, objectum enim intellectus est* quod quid est, *ut loquitur Angelicus* (3). Et ideo etiam, eodem docente, *nomen intellectus quamdam intimam cognitionem importat; dicitur enim intelligere, quasi intus legere. Et hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus et sensus. Nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei, objectum enim intellectus est* quod quid est, *ut dicitur in 3.° de Anima* (text. 26). *Sunt autem multa genera eorum, quæ interius latent, ad quæ oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rei substantialis; sub verbis latent significata verborum; sub similitudinibus et figuris latet veritas figurata (res enim intelligibiles sunt quodammodo interiores respectu rerum sensibilium, quæ exterius sentiuntur), et in causis latent effectus: et e contra. Unde respectu horum omnium potest dici* **intellectus** (4).

---

(1) Ibid. Vide Suar., disp. 1 *Metaph.* sect. 6, n. 16 fin.

(2) S. August. contra *Epistol. Fundamenti*, cap. 17.

(3) S. Thom. 1. 2. q. 31, a. 5.

(4) 2. 2. q. 8, a. 1. Cfr. 3.a dist. 35, q. 2, a. 2. s d 1.a Pulchre etiam intellectum describit M. Augustinus (lib. 11 *de Civit Dei*, cap. 27): *Omnia corporalia latentes in natura causas habent; sed formas suas, quibus mundi hujus visibilis structura formosa est, sentiendas*

Verum multiplicem habet actum intellectus, unde variis etiam designatur nominibus. Nam et ex una cognitione in aliam procedit per discursum; ac sub eo respectu vocatur *ratio;* et olim cognita, retentis eorum speciebus, recordatur, ac sic denominationem sumit *memoriæ;* præterea in seipsum consideratione regreditur, ut suos proprios actus et affectiones contempletur; et quatenus ejusmodi reflexionem exercet, appellatur *conscientia vel etiam sensus intimus:* ac denique tum res simpliciter apprehendit, tum judicia quædam immediata pronuntiat ex sola terminorum intuitione atque invicem comparatione, tunc vero nomen sortitur *intelligentiæ* vel etiam simpliciter *intellectus*. Non ergo sunt hæ diversæ realiter facultates, sed ratione dumtaxat (1); unus enim idemque intellectus ob præstantiam naturæ suæ fecunditate pollet, ut unica et simplici virtute sua cognoscat omnia, quæ pars sensitiva multis potentiis apprehendit, et alia præterea multa (2); actus etiam eliciens specifice diversos, non secus ac si multiplex esset, et multiplici uteretur virtute. Verum hæc nunc supponenda, alibi demostranda sunt.

Multiplex actus intellectus, unde varia sumit nomina: ratio; memoria intellectualis; conscientia vel sensus intimus; intelligentia

Intelligentia itaque vocatur ipse intellectus quatenus simpliciter apprehendit, atque immediata profert judicia. Et duplex est ejus actus, *simplex apprehensio* et *judicia prima*, illa nempe quæ non per discursum et ratiocinationem, sed ex mera terminorum inspectione efformantur (3). Quare ad ipsum spectant prima scientiarum principia, unde omnis processus discurrendi exordium repetit. Judicia vero immediata intelligentiæ propria, vel sunt *rationalia* vel *experimentalia*. Experimentalia pronuntiantur ope experientiæ, sola

Quid intelligentia.

Judicia experimentalia et rationalia,

---

sensibus præbent, ut, pro eo quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. Sed nos ea sensu corporis ita capimus, ut de his non sensu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longe præstantiorem, quo justa et injusta sentimus. etc.

(1) Vide S. Thom., 1 p. q. 79, a. 7, 8; *de Veritat.*, q. 10, a. 3.

(2) S. Thom. 1.°, *contr. Gent.*, c. 31 vers. fin.

(3) Non ergo sumitur hic *intelligentia* pro *actu intelligendi*, ut sæpe ab antiquis sumebatur (Vide S. Thomam, 1 p. q. 79, a. 10) sed pro potentia intellectiva, ut habetur apud eumdem S. Thomam, 1.° disp. 3, q. 4, a. 1 in corp. et ad 4.um et 7; itemque *de Verit.* q. 10, art. 3.

enim experientia monstrat in illis prædicatum subjecto convenire aut non convenire, ut cum judicamus *hunc hominem existere, ignem hunc comburere, Petrum loqui vel currere.* Judicia vero rationalia sunt illa, quæ pronuntiantur ex comparatione naturalium relationum inter subjectum et prædicatum, independenter ab omni experientia. Talia sunt hæc: *Idem non potest simul esse et non esse: Totum est majus sua parte: Non datur effectus sine causa etc.* Experimentalia denominantur etiam *synthetica*, et *a posteriori vel empirica*, quia in eis prædicatum non derivatur ex natura subjecti, sed potius exprimit aliquid, quod adjungendum et componendum illi esse docet experientia, atque adeo non pronuntiantur nisi *post* hanc. E converso rationalia dicuntur *analytica* et *a priori*, quia efflorescunt ex analysi idearum, ac, semel cognitis terminis, illico proferuntur, quin expectandum sit testimonium experientiæ. Judicia vero experimentalia vel respiciunt experientiam externam, quæ per sensus obtinetur, vel experientiam internam alicujus phænomeni, quod intra nos contingit.

synthetica vel a posteriori, et analytica vel a priori.

Quæ cum ita sint, judicia intelligentiæ, cujuscumque tandem sint ordinis, sive rationalis sive experimentalis, evidentiam, qua gaudent, non aliunde participant, sicut judicia rationis, quæ non nisi mediata evidentia fulgent, ab immediatis judiciis derivata.

Quid ratio.

Ratio deinde est idem intellectus, quatenus, ope ac beneficio unius cognitionis, progreditur ad aliam novam cognitionem comparandam. Et proprius ejus actus est *ratiocinium* vel *deductio* aut *discursus*. Discursus porro bifariam potissimum haberi potest; vel comparando inter se plura judicia rationalia, ex quibus inferatur conclusio similiter rationalis, et tunc dicitur *purus;* vel applicando principia rationalia ad judicium experimentale, ut novæ exinde veritates detegi valeant; et discursus ejusmodi vocatur *mixtus*. Exemplum primi; *Ens necessarium est actus purus. Sed actus purus omnem respuit compositionem. Ergo ens necessarium compositum non est.* Exemplum alterius: *Entia contingentia existere nequeunt sine ente aliquo primo ac necessario. Sed existunt entia contingentia. Ergo existit quoque ens primum ac necessarium:* quæ conclusio non est pure rationalis, utpote fluens ex altera præmissa empirica. Si autem judicia fuerint omnia experi-

Ratiocinia pura, experimentalia et mixta.

mentalia, ratiocinium quoque est empiricum: v. g, *Æstati succedit autumnus. Sed nunc est æstas. Ergo mox adveniet autumnus.*

De memoria intellectiva nihil nunc occurrit specialiter explicandum.

Conscientia quid.

Conscientia hic non sumitur in sensu *morali* pro dictamine practico circa honestatem vel malitiam nostrarum actionum (1), sed pro ea facultate, *qua in nos plene redimus, et actus quos elicimus nosque ipsos ut eorum subjectum ac principium apprehendimus.* Nam *qui videt, sentit se videre*, inquit Philosophus (2); *qui audit, sentit se audire, qui ambulat, sentit se ambulare: atque sic etiam in cæteris est aliquid, quod sentit nos actione quapiam fungi. Sic sentire etiam possumus, quod sentiamus, item intelligere, quod intelligamus.*

Actus proprius conscientiæ.

Actus ergo proprius conscientiæ, prout hic sumitur, est intuitio quædam reflexa et experimentalis, qua nostras operationes actu præsentes animadvertimus, *ut aliquid ad nos pertinens*, ut modificatio vel affectio proprii nostri subjecti, vel ut phænomenum, quod hic et nunc intra nos contingit. Nequit autem sic conscientia operationes subjecti in concreto referre, quin ipsum etiam subjectum talibus modificationibus affectum renuntiet (3). Unde S. Augustinus ex conscientiæ testimonio propriam existentiam patescere adversus Academicorum deliramenta arbitratur (4).

Objectum.

Ex iis determinatur *objectum* conscientiæ, quod porrigit se ad ea omnia, quorum *conscii* esse, quæque intra nos experiri possumus. Conscii autem sumus non omnium prorsus, quæcumque intra nos accidunt, ac nominatim operationum vitæ vegetativæ (5); sed operationum dumtaxat cognoscitivarum atque appetitivarum utriusque ordinis tum sensibilis tum intellectivi, itemque proprii nostri esse, ac proprii τοῦ

(1) Actus hujus conscientiæ moralis describuntur a S. Thoma, 1 p. q. 79, a. 13.

(2) *Ethicor. ad Nicomach.*, lib. 9, cap. 9.

(3) Cfr. Arist. ibid.; et S. Thom., *de Veritat.*, q. 10, a. 8.

(4) Lib. 4 *de Civit. Dei*, cap. 26.

(5) Saltem nisi forte operationes ordinis vegetativi perturbate fiant; tunc enim sensum sui excitare possunt, ut patet ipsa experientia communi, et sic fiunt per accidens conscientiæ objectum.

ego. Hæc tamen omnia refert conscientia non abstracte ac præcise, verum concrete, quia modificationes proprias renuntiat prout subjectum afficientes, et subjectum prout modificationibus affectum.

Quæ cum ita sint, vides cur animus noster per conscientiam *plene in se redire* dicatur, quod fieri nequit per sensus. Nam licet sensus plures affectiones proprii subjecti referat, puta varias corporis nostri dispositiones, ipsasque sensuum externorum immutationes ac diversas operationes; nihilominus innumera facta sunt ordinis intellectualis, ad quæ sensus ob suam limitationem convertere aciem suam non potest: immo in ipso etiam ordine sensitivo nequit sensus in proprium subjectum et in proprios actus reflectere, quemadmodum alibi ostendetur.

Quænam autem sit natura tum internarum modificationum, tum subjecti easdem experti, non ipsa conscientia, sed ratio decernere debet, factum a conscientia relatum accuratissime perpendens: in quo certe decipi potest, si id, quod conscientia testatur, perperam interpretetur. Et ideo ex Angelico Doctore, *scientia de Anima est certissima, quod unusquisque experitur se animam habere, et actus animæ sibi inesse; sed cognoscere quid sit anima, difficillimum est* (1).

Actus conscientiæ reflexus est reflexione psychologica.

Actus conscientiæ essentialiter reflexus est. Verum nota duplicem distingui posse reflexionem, *ontologicam* et *psychologicam*. Ontologica, quæ proprio vocabulo dicitur *recogitatio*, est illa, qua objectum prius cognitum, iterum contemplamur ac meditatione relegimus; psychologica vero est ea, qua prævium aliquem actum tamquam *affectionem nostram* cogitamus (2). Et conscientiæ proprius actus est reflexio non ontologica sed psychologica,

Distinctio conscientiæ in directam et reflexam.

Nihilominus plures Philosophi recentiores conscientiam dividunt in *directam* et *reflexam:* quam divisionem dilucide atque eleganter more suo exposuit Jacobus Balmes (3). Con-

(1) S. Thom., *de Verit.*, q. 10 *(de Mente)* a. 8 ad 8.um eorum quæ *in* contrarium. Cfr. lib. 1.° *de Anim.*, lect. 1 initio et paragr. *d.*

(2) Vide. S. Thom., 3.ª dist. 23, q. 1, a. 2, ad 3.um; Cfr. Opusc. 29 *de Princip. individuat.*

(3) *Filosofia fundamental*, lib. 1, cap. 23, n. 226 seqq.

scientia directa vocatur ipsa præsentia actualis phænomeni cujuscumque in animo nostro, sive ordinis sensibilis sive intellectualis; reflexa vero est advertentia phænomeni præsentis hic et nunc in animo. *Audio sonum;* auditio ipsa in nobis existens constituit conscientiam *directam;* si autem *adverto me sonum sentire,* habeo conscientiam *reflexam:* unde conscientia directa videtur identificari cum ipso phænomeno præsenti quoad rem ipsam ex illorum auctorum sententia; vel non est nisi modus ejus, præsentia nimirum illius, ac proinde est prorsus inseparabilis a quocumque actu ejusmodi: dum e converso conscientia reflexa est actus distinctus ab illo phænomeno, qui habet pro objecto idem ipsum, nec semper comitatur præsentiam interni alicujus phænomeni, neque enim semper *advertimus* ad ea, quæ facimus, vel accidunt nobis (1).

Judicium de hujusmodi distinctione.

Equidem sentio in primis divisione hac non duas designari *facultates* seu virtutes reflectendi, sed potius duo actuum genera. Addo etiam conscientiam, quam isti auctores vocant directam, non esse actum virtutis reflexivæ, quam modo sub nomine conscientiæ descripsimus, cum non habeat pro objecto præcedentem aliquam affectionem subjecti, quæ tamquam nostra nobisque intime præsens apprehendatur. Nempe non possumus proprie dici *experiri* et *conscii* esse illorum, quæ, licet intra nos versentur, actu tamen non advertuntur. Si enim idem est *experiri* affectionem aliquam, et eam in nobis utcumque habere, etiamsi non animadvertatur; cur non dicemus quoque habere conscientiam directam omnium prorsus actuum nostrorum, etiam ordinis vegetativi? Itaque arbitrarie et absque ulla necessitate imponi videtur nomen conscientiæ meræ præsentiæ phænomeni alicujus intra nos.

Tandem noto conscientiam illam directam inutilem esse prorsus ad Logicæ considerationem. Logica enim non agit speciatim de conscientia, nisi ad tuendam veracitatem atque extensionem testimonii facultatis reflexe cognoscitivæ, quam sub eo nomine designat. Neque arbitror distinctionem conscientiæ in directam et reflexam ullum afferre commodum,

(1) Vide Balmesium, loc. cit.

sed potius confusionem generare posse in mentibus incipientium (1).

Itaque, quamquam nolim de voce contendere, meram affectionis præsentiam in subjecto, quæ solum est objectum actus reflexi conscientiæ, non appellabo conscientiam, etiam *directam;* sed sub nomine simpliciter conscientiæ hic semper intelligam facultatem illam seu virtutem, cujus actus est advertentia reflexa phænomenorum intra nos contingentium.

Sensus intimus. Conscientia hæc vocari etiam solet *sensus intimus*, non quia sit falcultas ordinis sensitivi; sed quia ejus actus affinitatem habet cum actu sensationis, cum sit experientia et intuitio facti alicujus concreti. Nihilominus sunt, qui sensum intimum inter et conscientiam plura notent discrimina (2); quæ, licet subobscurius proposita, huc tandem revocari videntur, ut *sensus intimus* sit idem, quod alii nominabant directam conscientiam, conscientia vero, quod iidem dixere *reflexam* conscientiam. Unum autem omnino reprehendendum puto, quod quidam sensum intimum *animæ* essentialem esse doceant: id quod absurdam Cartesii doctrinam sapit, essentiam animæ in cogitatione reponentis (3).

Et hæc fusius dicta fuerint, ut morem gereremus usui communi recentiorum auctorum, qui ad plures adversus veram Philosophiam revincendos errores, longas texunt de conscientia disputationes, quæ nuspiam reperiuntur apud antiquos scriptores.

---

(1) Cæterum conscientia ista directa recentiorum videtur in idem recidere ac reflexio *virtualis et in actu exercito*, quam veteres Philosophi potentiis cognoscitivis, etiam sensitivis, tribuebant, identificatam cum ipso actu proprio et directo directione earum: secundum quam doctrinam dicebant v. g. dum vidit rosam, *quodammodo in actu nempe exercito ac virtualiter* sentire suam visionem, licet ad eam expresse ac reflexe non advertat. Sed de his agendum est in Psychologia. Vide Suar., *De Anima*, lib. 3, cap. 11; Lossada, *Curs. Philos., de Anim.*, disp. 5, cap. 5, n. 147 aliosque veteres AA.

(2) Vide Tong., *Instit. Log.*, n. 446; Palmieri, *Log.*, thes. XI, part. II.

(3) Quæret quispiam, num habeatur conscientia omnium affectionum nostrarum ordinis sensibilis et intelligibilis. Et responsio patet ex dictis: nimirum negatur, supposito quod non admittenda sit conscientia directa. Si quis vero illam velit admittere, concedet inesse directam omnium conscientiam; negabit reflexam.

ARTICULUS II.

Utrum veraces sint facultates cognoscitivæ.

104. Negant Sceptici, aut saltem id a nobis sciri certe non posse contendunt; atque exinde rationem repetunt insani perniciosissimique systematis. Contra quos sit:

PROPOSITIO. 1.a **Facultates omnes cognoscitivæ veraces per se ac natura sua sunt circa proprium cujusque objectum, possunt tamen per accidens decipi.**

Veritas facultatum proprie probari nequit sed tantum reflexe explicari.

Notandum in antecessum est propositionem hanc unam ex iis esse, quæ nec probari possunt sine petitione principii, nec probatione indigent ob summam, qua fulgent evidentiam. Omnis namque veri nominis probatio, ut quidpiam demonstret, supponere tamquam certam debet veracitatem facultatum cognoscitivarum, quarum usu et exercitio fit demonstratio. Nisi enim veraces sint et esse cognoscantur, quisnam, quæso, earum testimonio fidem adhibeat? Non ergo *demonstranda* est propositio ista, sed reflexe dumtaxat explicanda per attentam considerationem terminorum. Itaque

Prima pars declaratur 1.o Quævis potentia naturaliter tendit ad suam perfectionem, nihil quippe naturaliter quærit malum suum, sed bonum; bonum autem cujusque est perfectio ejus; et ideo bonum definitur id, quod omnia appetunt (1). Atqui perfectio propria facultatum cognoscitivarum est veritas; siquidem cum facultas cognoscitiva destinata sit ad cognoscendum, tunc vere perficitur, cum habet cognitiones conformes objectis, nimirum veras, sicut e converso magna turparetur imperfectione, si res aliter, ac sunt in seipsis, ex interno vitio apprehenderet (2). Ergo facultates cognoscitivæ natura sua tendunt ad verum, ac proinde veraces per se sunt.

Apposite S. Thomas: *Nulla potentia cognoscitiva deficit a cognitione sui objecti, nisi propter aliquem defectum aut corru-*

(1) Hæc alibi exponentur, quamvis satis per se patent. Cfr. interea S. Thom. 3.a *contra Gentes*, cap. 3, 16.

(2) Cfr. S. Thom. lib. 6, *Metaph.* lect. 4, paragr. *c.*

ptionem suam, cum secundum propriam rationem ad cognitionem talis objecti ordinetur; sicut visus non deficit a cognitione coloris, nisi aliqua corruptione circa ipsum existente. Omnis autem defectus et corruptio est præter naturam, quia natura intendit esse ad perfectionem rei. Impossibile est igitur, quod sit aliqua virtus cognoscitiva, quæ naturaliter deficiat a recto judicio sui objecti. Proprium autem objectum intellectus est verum. Impossibile est igitur, quod sit aliquis intellectus naturaliter circa cognitionem veri oberrans (1).

2.° Vel, si mavis, hoc alio pacto rem declara. Omnis potentia cognoscitiva ex propria natura sua ordinata est ad verum assequendum, unaquæque intra suam sphæram, et circa proprium objectum. Atqui nequeunt potentiæ cognoscitivæ natura sua esse ad verum assequendum institutæ, nisi per se veraces sint. Ergo....

Major manifesta est omnibus, quicumque non negant, hominem ad veri assecutionem naturaliter eniti. Neque enim aliæ nobis suppetunt facultates ac præsidia, quibus potiri veritate possimus. Quare sicut ignis ad comburendum et aqua ad refrigerandum, sic potentiæ cognoscitivæ ad verum cognoscendum factæ sunt.

Minor etiam per se innotescit. Quia secus natura homini instrumenta suppeditasset ad finem suum ex ingenito vitio inepta. Unde tandem vitium ejusmodi Deo ipsi tribuendum foret, utpote naturæ auctori (2).

Ad proprium objectum, scribit Angelicus, *unaquæque potentia per se ordinatur, secundum quod ipsa: quæ autem sunt hujusmodi, semper eodem modo se habent. Unde, manente potentia, non deficit ejus judicium circa proprium objectum* (3).

3.° Præterea homo certissime ad veritatem assequendam tendit ex ipsa naturæ inclinatione. Quid enim sibi volunt scientiæ artesque et indoles, qua præditi sumus, curiosa et irrequieta res cognoscendi, et non quomodolibet cognoscendi, sed prout sunt in seipsis? Igitur debuit facultatibus instrui aptis ad veras cognitiones obtinendas.

(1) Lib. 3.°, *Contr., Gent.* cap. 108, *Adhuc. Nulla potentia.*

(2) Vide S. Thom., 1 p. q. 17, a. 2 et 3, in corp. et ad 2.um; *de Verit.*, q. 1, a. 12, *de Anim.*, lib. 3, lect. 11, parag. *c.*

(3) 1 p. q. 58, a. 6.

Nec dicas sufficere unam aliquam esse potentiam fidelem veracemque natura sua, quamvis reliquæ falli queant. Nam par pro omnibus ratio est. Ergo vel omnes sunt veraces, vel omnes sunt fallaces, quin unquam scire possimus, quandonam vere res cognoscamus: et sic homo, præstantissimum opus hujus mundi visibilis, erit monstrosa infelicissimaque omnium natura, utpote instrumentis prædita prorsus ineptis ad id, quod inexplebili siti perpetuo sectatur.

4.° Accedit, quod sicut res omnes perfectionesque creatæ sunt imitationes, utcumque limitatæ, perfectionum divinarum; ita facultates hominis cognoscitivæ participatio quædam sunt divinæ mentis omnisciæ atque infallibilis. Ergo debent et ipsæ per se infallibiles esse, licet in gradu restricto, nempe circa propria cujusque proportionataque objecta.

5.° Denique dubitare de naturali veracitate facultatum cognoscitivarum est evidenter contra naturam hominis. Nam evidens est ejusmodi dubium in universalem scepticismum adducere. Scepticismus autem humanæ naturæ repugnat, ut alibi exposuimus.

Quæ cum ita sint, nihil mirum, si hæc sit communis generis humani persuasio, ipsis etiam scepticis non exceptis, qui operibus suis eamdem sibi penitus inhærere animi sententiam manifeste produnt. Quamobrem, ut cum Aquinate concludamus, *falsa judicia in operationibus intellectus* (eademque est ratio de cognitionibus cæterarum facultatum) *sunt sicut monstra in rebus naturalibus, quæ non sunt secundum naturam, sed præter naturam; nam bonum intellectus et ejus finis naturalis est cognitio veritatis. Impossibile est igitur quod aliquis intellectus sit, qui naturaliter in judicio veri decipiatur* (1).

105. **Altera pars** propositionis non minus perspicua est, et primo quidem experientia. Sæpe namque fallimur in usu facultatum nostrarum. Quare si id fieri nequit ex innato ipsarum vitio atque ineptitudine, ut vidimus; reliquum est, ut per accidens contingat, prout jam declarabitur.

Deinde id patet etiam ex eo quod alia quoque instrumenta, tum naturalia tum artificialia, utcumque perfectissime elaborata, quandoque imperfecte ac vitiose operari videmus,

(1) Lib. 3.° *Contra Gent.*, cap. 107, *Præterea. Cum voluntas.*

non quidem ex proprio defectu, sed ex defectu aut materiæ aut artificis etc. Quidni ergo etiam facultates cognoscitivæ, quæ instrumenta sunt natura nobis donata, interdum, vel circa proprium objectum, ratione alicujus impedimenti a scopo veritatis aberrent?

Et hæc quidem in genere dicta fuerint de facultatum cognoscitivarum veracitate: nunc pauca speciatim addere necesse est de quibusdam, ut præjactum hoc universale principium rite applicetur ad varia objecta.

106. PROPOSITIO 2.a **Sensus externi, si nullum adsit impedimentum, decipi nequeunt circa sensibile proprium; licet possunt circa commune et per accidens.**

Doctrina hæc communissima est, ac fere in eisdem terminis traditur ab Angelico Doctore sic scribente: *Sensus judicium de sensibilibus propriis semper est verum, nisi sit impedimentum in organo vel in medio; sed in sensibilibus communibus et per accidens interdum judicium sensus fallitur* (1).

Status quæstionis declaratur.

Sed prius quam ad hujus asserti declarationem accedamus, intellige bene, quid evincere velimus. Sensatio est actus quidam vitalis organo inhærens, per quem objectum aliquod subjecto sentienti innotescit, ut cernere est v. g. in visione, quæ dum organo inest, facit cognoscere colores, et similiter in auditione, tactu et reliquis sensibilibus perceptionibus. Quare bifariam considerari sensatio potest: *subjective* seu quatenus est *modificatio* vel affectio quædam in organo recepta, et *objective* seu terminative, nimirum quatenus est imago quædam objecti ac repræsentatio. Sub primo respectu adverti potest, ac porro advertitur, per conscientiam seu reflexum actum intellectus, ut cum adverto me nunc habere *visionem chartæ albæ in oculis*, vel *impressionem caloris* in *manu* vel demum *experientiam* tactus *aut alicujus resistentiæ in quovis membro*. Et sic dicitur a S. Thoma sensationem hoc modo comparari ad intellectum velut *rem quamdam*, nempe quia ipse actus sensationis intellectui objicitur cognoscendus, sicut objiciuntur aliæ res in aliis actibus (2). Et

(1) *De Verit.*, q. 1, art. 11.
(2) Cfr. S. Thom., *de Verit.*, q. 1, a. 11.

secundum hanc considerationem sensus falli nullo modo possunt, *quia secundum quod sensus disponitur* (id est afficitur), *secundum hoc dispositionem suam intellectui demonstrat: unde Augustinus dicit in auctoritate inducta* (1), *quod non possunt omnino enuntiare nisi affectionem suam* (2). Cum enim v. g. ægroto amare sapiunt dapes, sive illæ amaræ in se revera sint, sive non, verum semper erit, eum experiri sensationem amari saporis. Judicium tamen de sensatione sub hoc respectu, non ad sensus spectat, sed ad conscientiam, per cujus actum percipitur a nobis sensatio, prout est certa modificatio nos hic et nunc afficiens.

Agimus ergo hic de veracitate sensuum in sensatione objective spectata. Sed adhuc sub hoc respectu sensatio considerari potest vel absolute et abstracte, nimirum quatenus est mera quædam simplex apprehensio et intentionalis imago alicujus objecti sensibilis, quin referatur ad hoc vel illud. Et quoniam sensationem sub hac consideratione falsam esse non posse jam ex superius probatis, cum generatim simplicis apprehensionis cum falsitate repugnantia tractaretur, sufficienter colligatur; non est hic iterum eadem quæstio agitanda. Agimus ergo de veracitate sensuum, quatenus eorum operatio spectatur *relative* ad hoc vel illud objectum, ad quod terminatur, in quantum sit imago illius rei, ad cujus præsentiam habetur; quo pacto sensatio dicitur *umbram quamdam referre judicii*. Sensus quidem formale judicium, quod uni intellectui convenit, non elicit; verum, quoniam non percipit qualitates sensibiles, puta colorem, saporem etc. in abstracto et præcisas a corporibus, sed concrete propriisque subjectis affixas apprehendunt, nimirum v. g. *rosam coloratam, cibum sapidum, lapidem durum ac resistentem;* sensatio implicite atque æquivalenter dici potest continere judicium, quo affirmetur *talem colorem esse in hac rosa, talem saporem in hoc cibo, duritiem in hoc lapide*. Quæ causa est, cur canis

(1) En verba S. Augustini hic ab Angelico laudata: *Ipsi oculi non fallunt nos, non enim enuntiare possunt omnino nisi affectionem suam: quod si omnes corporis sensus ita enuntiant, ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus, ignoro.* S. August., *de Vera Relig.* cap. 33. Cfr. cap. 36.

(2) S. Thom., *de Verit.*, q. 1, art. 11.

procul videns carnem, ruit, ut illam dentibus arripiat, quasi ipsa sua visione *exercite* judicans coram adesse objectum sapidum sibique conveniens. Cum ergo investigamus de sensuum veracitate, quærimus num fideles sint in repræsentandis ac referendis objectis, quatenus objecta revera talia sint, qualia renuntiantur per sensus, unde intellectus talia judicando, qualia relucent in sensili apprehensione, in errorem falsamque rerum æstimationem non inducatur. Itaque

Prima pars propositionis suadetur 1.° ex rationibus in thesi præcedenti adductis.

2.° Si sensus per se falleretur circa proprium sensibile, nulla foret certitudo in scientiis ac potissimum in Philosophia, omnis enim scientia et ars ex experientia singularium sensibilium ducit exordium, ut recte docet Aristoteles (1). *Nam principium cujuslibet nostræ cognitionis est in sensu, quia ex apprehensione sensus oritur apprehensio phantasiæ, quæ est motus a sensu factus, ut dicit Philosophus, a qua iterum oritur apprehensio intellectiva in nobis, cum phantasmata sint intellectivæ animæ ut objecta, ut dicitur 1.° de Anima. Sed terminus cognitionis non semper est uniformiter: quandoque enim est in sensu, quandoque in imaginatione, quandoque in solo intellectu. Quandoque enim proprietates et accidentia rei, quæ sensu demonstrantur, sufficienter exprimunt naturam rei; et tunc oportet, quod judicium de re vera, quod facit intellectus, conformetur his, quæ sensus demonstrat de re. Et hujusmodi sunt omnes res naturales, quæ sunt determinatæ ad materiam sensibilem; et ideo in scientia naturali terminari debet cognitio ad sensum, ut scilicet hoc modo judicemus de rebus naturalibus, secundum quod sensus eas demonstrat, ut patet 3.° Cœli et mundi. Et qui sensum negligit in naturalibus in errorem incidit* (2).

Accedit, quod ipsæ Sacræ Litteræ doctrinam hanc confirment, cum S. Evangelista Joannes, quasi ad majorem conciliandam fidem suis dictis, testimonium sensuum invocaverit:

---

(1) Lib. 2, *Poster.*, cap. ult. Cfr. ibid. S. Thom., lect. 20, paragr. *l*; et Arist., lib. 1.°, *Metaphysic.*, cap. 1. Cfr. S. Thom., ibid. lect. 1.

(2) S. Thom., Opusc. *super Boëtium de Trinit.*, quæst. 6.ª *De modis*, quos speculativæ scientiæ attribuit, art. 2.°; Cfr. Tertullian., *de Anima.*, cap. 5, ubi illud etiam addit, *Fidem ipsam christianam periclitari, si fallaces sint sensus, Fides enim ex auditu.*

Quod fuit ab initio, inquit, *quod* **audivimus**, *quod* **vidimus oculis nostris**, *quod* **perspeximus**, *et* **manus nostræ contrectaverunt** *de Verbo vitæ.... Quod* **vidimus** *et* **audivimus**, *annuntiamus vobis* (1).

Lege, si lubet, S. Augustinum de veracitate sensuum fuse disserentem (2).

107. Diximus in thesi sensus veraces per se esse circa proprium sensibile, *nisi adsit impedimentum:* unde concedimus per accidens falli posse.

Impedimentum duplex: alterum ex parte organi:

Impedimentum *duplex obstare* potest, ne sensus fideliter objecta demonstrent; alterum ex parte organi, alterum ex *parte* medii inter subjectum sentiens et objectum diffusi. Et primo ex parte organi; cum enim sensus sit facultas organica, vitium organi et alteratio vitiare ac variare poterit sensationem, ut patet, quemadmodum vitium instrumenti corrumpit opus aut imperfectius efficit. *Sic gustus febricitantium dulcia judicat amara, propter hoc, quod lingua malis humoribus est repleta* (3): et oculi colore aliquo suffusi objecta vident eodem respersa. Simili modo sensus, quamvis sanus, si tamen non est apte dispositus, apteque ad objectum applicatus, potest a vero aberrare. Sic manus sordidæ palpandis objectis tenuioribus minus habiles reperiuntur, et palatus acri sapore delibutus ad alios sapores gustandos male dispositus est; nec visus ad res minus distantes percipiendas, sufficienter proportionatus atque applicatus (4).

alterum ex parte medii.

Medium etiam inter subjectum et objecta sensibilia diffusum, variare poterit sensationem, si varium fuerit aut perturbatum. Ideo propter interpositos vapores, qui radios diversimode refringunt, in ortu et occasu astra oculis apparent

(1) S. Joann., Epis. 1.ª c. 1, v. 1, 3; Cfr. Evang. Joann. c. 19. v. 35.

(2) *Contra Academicos*, lib. 3, cap. 11, 12, 13.

(3) S. Thom., 1.ª p. q. 85, a. 6.

(4) *Causa, quare distantia impediat visum, est, quia omne corpus videtur sub quodam angulo cujusque trianguli, vel magis pyramidis, cujus basis est in re visa, et angulus est in oculo videnti.... Manifestum est autem, quod quanto latera trianguli vel pyramidis sint longiora, dummodo sit eadem basis, tanto angulus est minor, et ideo quanto a remotiori videtur, minus videtur; et tanta potest esse distantia, quanta omnino non videatur.* S. Th., *de Anim.*, lib. 2, lect. 15, paragr. *de.*

subrubra; et baculus in aqua mersus videtur fractus, et objecta, quæ per vitrum coloratum perspiciuntur, eodem cernuntur colore perfusa.

Ratio cur hæc impedimenta vitient sensationem.

Cæterum horum omnium ratio in eo sita est, quod, ut in Psychologia videbimus, percipere quidpiam nequeunt sensus, nisi prius ab objectis ipsis impressionem aliquam *(speciem* vocant *sensibilem)*, qua ad sentiendum determinentur, in se recipiant; et illi impressioni adscribenda est ratio imaginis ac similitudinis objecti, qua sensatio insignitur (1). Quare quidquid ad actionem atque impressionem hujusmodi vitiandam vel alterandam concurrat, in causa erit, cur jam sensibilis perceptio sincera fidelisque sui objecti repræsentatio esse nequeat.

Quæ cum ita sint, ut fidem adhibeamus sensuum perceptioni circa proprium sensibile, sana sint organa, oportet, apte disposita et rite applicata; medium vero uniforme, tranquillum, omnibusque generatim liberum causis perturbationum.

Sed jam veniamus ad alteram propositionis partem.

108. **Secunda pars de communibus sensibilibus.**

Patet 1.° experientia.

2.° Ratione, quia mirum non est, si potentia decipiatur interdum circa ea, quæ non per se primo, sed ex consequenti apprehendit. Talia autem sunt communia sensibilia. Nam nullum eorum sensus aliquis attingit, quasi ex prima sui institutione, sicut propria sensibilia, sed solum quatenus habent in se qualitatem aliquam, quæ sit objectum cujusque sensus proprium, puta visus non percipit *magnitudinem*, aut *figuram* etc. nisi prout *coloratam;* et tactus, nisi prout *resistentem*, et idem dic de reliquis.

109. **Tertia pars de sensibilibus per accidens.**

Patet pariter 1.° experientia, ut notum cuique est.

2.° Ratio idem etiam suadet. Nam sensibilia per accidens apprehenduntur solummodo ratione qualitatum sensibilium propriarum. Atqui fieri potest, ut res etiam diversissimæ secundum naturam, conveniant in aliquo sensibili proprio, puta colore. Ergo facile quoque fieri potest, ut quis, dum sen-

(1) Cfr. S. Thom., 1 p. q. 17, a. 2.

sibile aliquod proprium apprehendit, circa sensibile per accidens decipiatur. Sic aurum cum auricalcho sæpe confunditur, et saccharum cum sale ob similitudinem coloris. Quamobrem ad cavendos errores in hac parte, consulere oportet plurium sensuum testimonium, ut variorum sensibilium propriorum perceptione, melius possit sensibile quoque per accidens patescere, vel alias adhibere cautiones, quas intellectus, pro sua sagacitate, aptissimas ad eum finem judicabit (1).

Apposite Doctor Angelicus: *Circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem nisi per accidens et in pauciori-bus, ex eo scilicet quod propter indispositionem organi non convenienter recipit formam sensibilem* (nimirum speciem ab objectis immissam); *sicut et alia passiva propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium. Et inde est, quod propter corruptionem linguæ, infirmis dulcia amara esse videntur. De sensibilibus vere communibus et per accidens potest esse falsum judicium etiam in sensu recte disposito, quia sensus non directe refertur ad illa, sed per accidens vel ex consequente, in quantum refertur ad alia* (2).

110. SCHOLION. Non est infrequens apud recentiores sententia docens sensus etiam circa sensibile commune infallibiles esse, si conjunctim adhibeantur, nimirum si attendatur testimonium omnium eorum sensuum, a quibus ea referri possunt.

Utrum testimonium omnium sensuum circa sensibile commune infallibile sit.

Equidem doctrinam hanc, saltem prout a quibusdam propugnari videtur, novam censeo, nec omnino veritati conformem. Nova est, quia, quantum ego noverim, nemo est inter antiquos, qui eam teneat. Videantur S. Thomas (3),

Judicium auctoris.

(1) Exemplum habes apud Macrobium (Lib. 7 *Saturn.*, c. 14.) *Si eminus pomi, quod malum dicitur, figura visatur, non omni modo id malum est, potuit enim ex aliqua materia fingi mali similitudo. Advocandus est igitur sensus alter, ut odorem judicet. Sed potuit inter congeriem malorum positum auram odoris ipsius concepisse: hic tactus consulendus est, qui potest de pondere judicare. Sed metus est, ne et ipse fallatur, si fallax opifex materiam, quæ pomi pondus imitaretur, elegit. Confugiendum est igitur ad saporem, qui, si formæ consentiat, malum esse, nulla dubitatio est.*

(2) 1 p. q. 17, a. 2. Cfr. *de Anim.*, lib. 3. lect. 6, paragr. *b.*

(3) 1 p. q. 17, a. 2; q. 85, a. 6; *de Verit.*, q. 1, a. 11.

Suarez (1), Complutenses (2), et Joannes a S. Thoma (3) aliique, et nullum reperietur hujus sententiæ vestigium.

Præterea supponunt recentiores sic loquentes, sensus plures ac varios ex ipso naturæ instituto ordinari ad sensibilium communium cognitionem, ita ut ex omnibus illis exsurgat revera integra et adæquata facultas, sicut e converso, singuli sensus seorsim sumpti, sunt respectu propriorum sensibilium completa virtus ac potentia. Atqui hoc admitti nequit. Nam tunc in illis sensibilibus communibus, quæ ab omnibus quinque sensibus percipi possunt, numero nempe, motu et quiete, expectandum foret testimonium omnium illorum, ut omne periculum erroris arceretur. Quis autem credat judicari secure non posse de numero, motu et quiete, nisi audiatur relatio etiam auditus, gustus et odoratus?; aut quis credat ex horum trium sensuum relatione majorem accrescere vim ad testimonium visus aut tactus, ad judicandum de iisdem illis sensibilibus communibus? Ad ipsam magnitudinem rite apprehendendam, licet sæpe tactus applicetur ad visum juvandum, hic tamem illius revera subsidio non eget. Sufficit, ut quis magis appropinquet, ac solo visu poterit recte judicare de magnitudine, quamvis non applicet manus ad eam tangendam; nec magis certificabitur præcise ex tactus testimonio.

Verum est, ad errorem vitandum in numerando adhiberi plerumque tactum. Sed si bene res perpendatur, id non tam fit, ut tactus testimonio suo fulciat et confirmet relationem oculorum, sed ut objectum manu melius applicetur, nimirum separando invicem res numerandas, ut sic possint melius discerni. Id quod adeo verum est, ut perinde sit, ut ipse tuis manibus, vel alius quivis res a te numerandas loco separet; si vero separatæ jam sint, omnino supervacaneum est subsidium tactus. Atque idem dic de aliis: unde constat, si quando unus sensus alio juvatur ad melius judicandum de aliquo sensibili communi, id per accidens esse, et nullo modo propterea quod ex pluribus sensibus confletur integra quædam facultas,

(1) *De Anim.*, lib. 3, cap. 10.
(2) *De Anim.*, disp. 9, quæst. 5.
(3) *De Anim.*, q. 4, art. 2 et 4.

quæ ex ipso naturæ instituto perinde se habeat respectu communium sensibilium, sicut se habent singuli seorsim sensus respectu propriorum.

Itaque potius dicendum est, errores sensus circa sensibilia communia, sicut et circa alia, detegi emendarique posse ope aliarum facultatum, ac nominatim intellectus, cujus erit aptissima quæque ad id obtinendum præsidia seligere, prout rerum adjuncta suadebunt.

111. PROPOSITIO 3.ª **Imaginatio et memoria, licet absolute atque in se consideratæ circa proprium actum et objectum veraces sint, possunt tamen intellectui multorum præbere occasionem errorum.**

In se quidem et absolute consideratæ veraces sunt. Nam actus proprius imaginationis est reproducere aliorum sensuum repræsentationes, atque intellectui easdem exhibere tamquam materiam, circa quam hic suam exerceat activitatem. Et simili modo ad memoriam spectat recordatio ac recognitio sensationum olim habitarum. Jam autem vides, deceptionem in ejusmodi actu contingere aliter non valere, quam vel ex errore aliorum sensuum, quorum repræsentationem imaginatio reproducit, vel ex vitio hujus ipsius facultatis; primum autem horum præcedit actum imaginationis, nec proinde tribuendum illi est, alterum vero contradicit experientiæ, quæ testatur imaginationem minime corrumpere aut infideliter referre sensationes externorum sensuum, sed easdem tantummodo ingeminare variatas secundum intensitatem claritatemque.

Atque idem fere dicendum est de memoria.

Nihilominus tum imaginatio, tum memoria proclives ad errorem dicuntur, quia ipsarum actus occasio sæpe sunt deceptionum. Nam quoniam imaginatio percipit objecta in eorum absentia exprimendo imagines eorum ac repræsentationes similes illarum, quæ per sensus externos habitæ sunt, præsentibus ipsis objectis, facile fieri potest, nisi ratio vigilet, ut objecta, quæ absunt, præsentia existimentur ob imaginationis relationem, potissimum si vividior fieret. Hoc modo in morbis, in somnis, in mediis tenebris, in silvis, locisque solitariis facile excitatur phantasia, ut fingat imagines multarum rerum, quæ non sunt, quasi essent reapse.

Memoria etiam sæpe fallax est, quatenus obscuriorem vel levem, aut incompletam contineat recordationem, vel etiam simul referat facta diversorum temporum, locorum ac personarum. Quare, nisi caveat diligenter mens, attente memoriæ testimonium considerans, sæpe aut poterit negare, quæ illa non refert, aut quæ obscure refert, perperam interpretari, aut denique loca, tempora, personas, facta confundere, quemadmodum experientia docet.

112. PROPOSITIO 4.a **Intelligentia falli nequit per se tum in simplici apprehensione, tum in judiciis immediatis.**

Explicatur, nam probari nequit ut jam monuimus.

1.° Si facultates nostræ veraces per se ac natura sua sunt, id præcipue convenit intellectui, quæ præstantissima est inter omnes potentias. Intellectus autem in illis actibus potissimum infallibilis sit, oportet, qui solent intelligentiæ attribui, nimirum in simplici apprehensione immediatisque judiciis, tum quia horum actuum objecta sunt per se evidentia maximeque intellectivæ virtuti proportionata, tum etiam quia iis continentur scientiarum omnium principia, quæ, nisi veritatem habeant, ratiocinia in iis fundata firmitate ac certitudine careant, necesse est.

Si quando igitur deceptionem patitur intelligentia, non ex vitio suæ naturæ id evenit, sed per accidens, vel quia sensus non recte referunt ipsi objecta externa, quæ acie sua contempletur, vel quia ex inconsideratione, re non satis perspecta, immaturum temere profertur judicium ex meris apparentiis.

Audi Aquinatem: *Manente potentia, non deficit ejus judicium circa proprium objectum. Objectum autem proprium intellectus est quidditas rei. Unde circa quidditatem rei, per se loquendo, intellectus non fallitur, sed circa ea, quæ circumstant, rei essentiam vel quidditatem; intellectus potest falli, dum unum ordinat ad aliud vel componendo vel etiam ratiocinando. Et propter hoc etiam circa illas propositiones errare non potest, quæ statim cognoscuntur, cognita terminorum quidditate; sicut accidit circa prima principia, ex quibus etiam accidit infallibilitas veritatis secundum certitudinem scientiæ circa conclusiones. Per accidens tamen contingit intellectum decipi circa quod quid est in rebus compositis, non ex parte organi, quia intellectus, non est*

virtus utens organo, sed ex parte compositionis intervenientis circa definitionem, dum vel definitio unius rei est falsa de alio, sicut definitio circuli de triangulo; vel dum aliqua definitio est in se falsa implicans compositionem impossibilium, ut si accipiatur hæc ut definitio alicujus rei: **Animal rationale alatum.** *Unde in rebus simplicibus, in quarum definitionibus compositio intervenire non potest, non possumus decipi; sed deficimus in totaliter non attingendo, sicut dicitur in 9.° Metaph. (text. 22)* (1).

Et alibi: *Intellectus dupliciter accipi potest. Uno modo, secundum quod se habet ad hoc tantum, a quo primo nomen impositum fuit, et sic dicimur proprie intelligere, cum apprehendimus quidditatem rerum, vel cum intelligimus illa, quæ statim nota sunt intellectui, notis rerum quidditatibus, sicut sunt prima principia, quæ cognoscimus, cum terminos cognoscimus: unde et intellectus principiorum dicitur.* (En id, quod recentiores, intelligentiam vocant.) *Quidditas autem rei est proprie objectum intellectus. Unde sicut sensus sensibilium propriorum semper est verus, ita et intellectus in cognoscendo quod quid est, ut dicitur in 3.° de Anima (text. Com. 26.) Sed tamen per accidens potest ibi falsitas accidere, in quantum videlicet intellectus falso componit et dividit; quod contingit dupliciter: vel in quantum definitionem enim unius attribuit alteri, ut si Animal rationale mortale conciperet quasi definitionem asini; vel in quantum conjungit partes definitionis ad invicem, quæ conjungi non possunt, ut si conciperet quasi definitionem asini Animal irrationale immortale, hæc enim est falsa:* **Aliquod Animal irrationale est immortale.** *Et sic patet, quod definitio non potest esse falsa, nisi in quantum implicat affirmationem falsam: hic autem duplex modus tangitur in 5.° Metaphysicor.*

Similiter nec in primis principiis ullo modo decipitur. Unde patet, quod si intellectus accipiatur secundum illam actionem a qua nomen intellectus imponitur, non est in intellectu falsitas.

Alio modo potest accipi intellectus communiter, secundum quod ad omnes operationes se extendit, et sic comprehendit opinionem et ratiocinationem; et sic in intellectu est falsitas, nunquam tamen si recte fiat resolutio in prima principia (2).

(1) 1 p. q. 85, a. 6.

(2) *De Verit.*, q. 1, a. 12. Cfr. 1 p. q. 17, a. 3 ad 2.um

Quare pulchre alibi idem Angelicus cum Aristotele veritatem primorum principiorum cum *janua*, et veritatem *conclusionum* ex illis derivatarum cum *interioribus* domus penetralibus comparavit. *Interiora enim domus*, inquit, *difficile est scire, et circa ea facile est hominem decipi; sed, sicut circa ipsum introitum domus, qui omnibus patet, et primo occurrit, nullus decipitur; ita etiam est in consideratione veritatis. Nam ea, per quæ intratur in cognitionem aliorum nota sunt omnibus, et nullus circa ea decipitur. Hujusmodi autem sunt prima principia naturaliter nota, ut* **Non esse simul affirmare et negare**, *et* quod **Omne totum est majus sua parte**, *et similia. Circa conclusiones vero, ad quas per hujusmodi quasi per januam intratur, contingit multoties errare* (1).

113. PROPOSITIO 5.a **De Veritate conscientiæ ambigi nequit.**

1.° Nam ipso dubio affirmatur. Videlicet qui dubitat de conscientiæ veracitate, is vel scit se dubitare vel non. Si nescit, stulte ac mendaciter id affirmat; si autem scit, undenam scit, nisi ex ipso testimonio conscientiæ? Huic ergo fidem habet eo ipso, quod de ejus veracitate dubitat.

2.° Eatenus decipi conscientia posset, quatenus vel referret aliquam affectionem, quæ revera non adesset in proprio subjecto, vel eam aliter referret, quam in eo reperiretur. At neutrum horum stare potest.

Primum quidem, quia contradictionem implicat. Conscientia enim aliquid refert, ut quævis alia facultas cognoscitiva. Proprium autem ejus est referre interna phænomena, quæ nos afficiunt, prout actu nobis præsentia. Ergo impossibile prorsus est, ut conscientia referat affectionem, quam reapse non experimur; sicut impossibile est, ut non coram adsit objectum, quod oculi referunt.

Sed neque etiam alterum fieri potest. Nam alteratio illa et infidelis relatio affectionis alicujus undenam, quæso, procedere posset in conscientia? An ex essentiali ejus inhabilitate ad interna facta notificanda? At id dici nequit sine injuria Creatoris. An ex perturbatione medii? Atqui nullum hic in-

(1) Lib. 2, *Metaph.*, lect. 1, paragr. *d*.

tercedit medium, cum facultas cognoscens et objectum cognitum intime sibi præsentia conjunctaque sint. An ex accidentali aliqua alteratione vel indispositione facultatis ipsius? Verum conscientia facultas spiritualis est ac simplicissima, quæ alterationem in sua physica entitate non patitur. An denique ex vitio ac deceptione aliarum potentiarum cognoscitivarum, quarum actus, ut nobis præsentes et ut modificationes proprii subjecti testatur conscientia? Sed neque ex hac parte timenda est falsitas. Nam ad conscientiam minime spectat referre valorem objectivum actuum cognoscitivorum aliarum potentiarum, sed solam *præsentiam testari talium actuum*, quos hic et nunc intra nos habemus. Jam vero, sive illi actus vere ac fideliter objecta sua repræsentent, sive non; verum est, quod a nobis hic et nunc eliciantur, et sint intra nos. Ergo conscientia, quæ solum debet referre præsentiam ejusmodi actuum, minime decipitur, ex eo quod illi actus falsi sint, ac perperam repræsentent sua objecta ex deceptione nimirum facultatum, a quibus eliciti sunt. Sicut non est mendax, aut hæreticus ille, qui mere historice narrat hæreses vel mendacia ab altero prolata (1).

In conscientia objectum reale et apparens confunditur.

Et hæc causa est, cur quemadmodum communiter solet notari, in conscientia objectum reale et apparens in unum confundatur; quia cum proprium ejus sit experiri ac testari cognitiones subjective spectatas, non debet judicare, num res aliqua ita in se sit, sed quomodo hic et nunc appareat mihi, vel reluceat in cognitione quam habeo. Sic v. g. ægrotus ex indispositione oculorum omnia videns flavo colore perfusa, falleretur si talia esse illa in seipsis judicaret; non autem falleretur, si falsa sibi apparere hic et nunc assereret (2); quod unice spectat ad conscientiam.

Circa naturam et proprietates actuum, quos conscientia refert, falli ratio potest.

Hæc, ut vides, dicenda sunt de actu conscientiæ in se spectato, cujus tuemur veracitatem. Neque vero cum his pugnat, quod circa naturam affectionum internorumque phænomenorum, quæ conscientia fidelissime testatur, ratio possit falli, perperam eadem interpretans. Quæ causa est, cur de

(1) Vide Angelicum Doctorem, 1 p. q. 17, a. 2 ad 1.um; et *de Veritate*, quæst. 1, a. 11.

(2) Cfr. Jacob. Balmes, *Filosof. fundam.*, lib. 1, cap. 15, n. 148.

natura et proprietatibus ejusdem interni facti, quod omnes æque intra se experiuntur ope conscientiæ, diversæ interdum existant hominum opiniones ac judicia. Et ideo etiam ex Angelici doctrina, quamvis *scientia de Anima est certissima, quod unusquisque experitur se animam habere, et actus animæ sibi esse; sed cognoscere, quid sit anima, difficilissimum est* (1).

114. PROPOSITIO 6.a **Quamquam ratio humana sæpe fallatur, falli tamen omnino nequit, si veras assumat præmissas, rectasque servet argumentandi formas in Dialectica tradi solitas.**

Prima pars. Constat experientia. Et suadetur etiam, quia multa occurrunt passim errorum pericula rationi, partim ex erroribus aliarum facultatum, quarum actus præcedere rationis actum necesse est, partim ex eo, quod ipsa non semper satis vigilet, ut discursus suos exigat ad normam recte ratiocinandi. Unde pronum est, ut sæpe in plures impingat errores.

Secunda pars. Etiam per se patet. Nam actus proprius rationis est discursus; error vero in discursum irrepere nequit, nisi vel ex parte materiæ, nimirum præmissarum, vel ex parte formæ argumentandi, vel denique ex innato vitio ejusdem facultatis. Cum ergo ultimum admitti nequeat ex dictis in prima propositione, reliquum est, ut si veræ sint præmissæ ad concludendum assumptæ, formaque legitima secundum ea, quæ declarata et probata manent in Dialectica, decipi nullo modo queat ratio in suis deductionibus (2).

ARTICULUS III.

Solvuntur difficultates.

§ I.—CONTRA VERACITATEM NATURALEM FACULTATUM COGNOSCITIVARUM GENERATIM.

115. **Objic. 1.°** Allatæ in præcedenti articulo explicationes non solum non sunt veri nominis demonstrationes, ut nos ipsi concessimus, sed neque etiam quidpiam valent ad

(1) S. Thom., *de Verit.*, q. 10, a. 8, ad 8.um, *eorum quæ in contrariorum.* Cfr. lib. 1, *de Anim.*, lect. 1 initio et paragr. *d.*

(2) Vide S. Thom., *de Verit.*, q. 1, a. 12 fin.

certitudinem philosophicam assequendam de facultatum nostrarum veracitate.

Nam in tantum valere possent, in quantum ratiocinia, ad rem declarandam instituta, vera sint, et vera esse nobis constet. Atqui vera esse illa ratiocinia constare nobis nequit, nisi supponendo idipsum, quod cognoscere et explicare intendimus, nimirum veracitatem facultatum; vera quippe ratiocinia institui non possunt sine veracibus facultatibus. Ergo allata ratiocinia nullius quietare animum possunt, quandoquidem supponunt illud ipsum, ad quod explicandum, instituuntur.

Resp. *neg.* assert. Ad probat. *conc.* Major., *dist.* Minor. Id constare nobis nequit, nisi supponendo *reipsa* veracitatem facultatum, nimirum nisi revera facultates *sint* veraces, *conc.;* nisi supponendo *in mente nostra* veracitatem earumdem, nimirum supponendo, quod alio prævio actu, cognitam habeamus hujusmodi veracitatem, *nego.*

Minoris probation. pariter *distinguo:* vera ratiocinia institui nequeunt sine veracibus facultatibus, id est, nisi *sint* veraces facultates, *conc.*, nisi *cognoscatur* prius eas esse veraces, *neg.*

Tum *neg.* conseq.

Itaque aliud est facultates esse veraces, et aliud est earum veracitatem *cognoscere.* Ac certe ratiocinia explicationesque nihil valent, nisi facultates, per quas fiunt, *sint* veraces; non autem opus est, ut id *cognoscatur* ante illas explicationes, sed potius vi illarum cognoscitur; quia veracitas facultatum ad veracia ratiocinia ponenda concurrit *effective*, non *objective* (1).

Tum simili modo *dist.* conseq.

Objic. 2.a Si facultates nostræ circa propria earumdem objecta falli nequeunt, infallibiles dicendæ sunt. Atqui infallibilitas est propria solius Dei.

Resp. *dist.* Major.: infallibiles dicendæ sunt infallibilitate participata et limitata, *conc.*, imparticipata et illimitata, quæ ad omnia objecta cognoscibilia se extendat, *neg.*

Et *contradistincta* Minori, *neg.* conseq.

Nam, præcise quia facultates nostræ cognoscitivæ imaginem, utcumque deficientem, referunt divinæ mentis, aliquam ab ipso Deo sibi communicatam infallibilitatem habeant

(1) Cfr. cl. Sanctus Schiffini, *Principia phylosophica*, 282.

necesse est, restrictam tamen ad objecta cuique proportionata. Itaque adhuc in immensum distant a perfectione infiniti atque omniscii intellectus Dei.

Instabis 1.° Quod semper et essentialiter fallibile est, in omnibus falli potest. Atqui facultates nostræ semper et essentialiter sunt fallibiles. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Quod semper et essentialiter est fallibile respectu quorumcumque objectorum, *conc.;* quod semper et essentialiter est fallibile respectu quorumdam dumtaxat objectorum, *neg.*

Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Nimirum semper et ubique et ex propria sua conditione retinent facultates nostræ naturam illam, per accidens et respectu objectorum non propriorum sibique proportionatorum, fallibilem: unde timendum non est, ne in omnibus fallantur, sed solum in iis, in quibus fallibiles sunt.

Instabis 2.° Causa, cur facultates nostræ decipiuntur, est quia finitæ sunt, si enim forent infinitæ, falli nunquam possent. Atqui semper et in omnibus finitæ sunt. Ergo semper et in omnibus falli possunt.

Resp. *dist.* Major. Causa remota et inadæquata, *conc.;* proxima et completa, *neg.*

Et *concessa* Minori, *neg.* conseq.

Licet enim verum sit infinitatem solam sufficere ad expellendam omnem errandi possibilitatem, at vicissim verum non est, solam finitudinem facultatis satis esse ad hoc, ut illico fallatur in omnibus. Nam quantumvis sit limitata potentia cognoscitiva, non desunt objecta capacitatem illius non excedentia: in quibus proinde nullus esse potest locus deceptioni.

Objic. 3.ª Facultates appetitivæ in homine proclives sunt natura sua in malum. Ergo simili modo nihil vetat facultates cognoscitivas, natura sua in falsum inclinari. Nam sicut se habet appetitus ad bonum, ita se habet cognitio ad verum.

Resp. *neg.* ant. et conseq.; et probationem *dist.* Id est, appetitus objectum est bonum, et cognitionis verum, *conc.*, eodem modo respicit appetitus bonum, atque cognitio verum, *neg.* Nam nulla facultas natura sua tendere absolute in malum potest, sed solummodo in bonum. Ideo tamen sæpe dicitur

appetitum hominis in malum esse propensum, quia duplex est in ejus natura pars, altera corporea et animalis, spiritualis et rationalis altera. Et quoniam suus cuique parti competit appetitus, suaque respondent bona, fieri sæpe potest, ut quod bonum est ac conveniens parti animali, conveniens ac bonum non sit parti rationali, quæ principalis est et propria hominis, quatenus homo est. Et ideo, dum pars animalis appetit, quæ contra rationem sunt, licet sibi præcise spectata convenientia, dicitur simpliciter tendere in malum, quia tendit in id, quod non dece thominem, utpote qui rationalitate præcipue constituitur. Quare tendentia sensitivi appetitus in bonum sensibile, ita seorsim considerata, non importat vitium naturale per se.

Inde tamen non sequitur cognoscitivas facultates ullo modo tendere in falsum. Et ratio est, quia diversimode se habet ratio boni respectu appetitus, et ratio veri respectu cognitionis. Bonum enim constituitur per hoc, quod aliquid sit *conveniens* subjecto: quare nihil repugnat, ut una eademque res pro varia potentiarum natura, bona sit uni, quia conveniens, malaque alteri, quia non conveniens; et sic homo per appetitum animalem quærit sæpe id, quod malum est parti rationali, et per appetitum rationalem id, quod malum est animali. At ratio veri in cognitionibus desumitur ex earumdem conformitate cum objecto, seu ex eo quod illud, prout est in se, repræsentet; ratio vero falsi ex difformitate cum objecto. Quare tendentia naturalis in falsum concipi aliter nequit in cognoscitiva facultate, nisi quia vel inepta est natura sua ad objecta, prout in se sunt, repræsentanda, vel etiam ad eadem perperam referenda et corrumpenda ex nativa sua conditione propendet. Atqui utrumque absurdissimum est.

§ II.—CONTRA VERACITATEM SENSUUM EXTERNORUM.

116. **Objic. 1.°** Cognitiones, quæ relationi sensuum innituntur, falsas esse passim ostendunt scientiæ naturales, Astronomia, Physica etc.

Itemque innumeras esse sensuum illusiones quotidiana cuivis experientia demonstrat. Ergo nulla est sensibus fides adhibenda.

Resp. *distinguo* antec. Cognitiones, quæ relationi sensuum innituntur circa sensibilia communia et per accidens, *trans.;* circa sensibilia propria, *subdist.;* scientiæ naturales ostendunt falsas esse hujusmodi cognitiones per accidens, quia nimirum rectæ perceptioni obstabat impedimentum aliquod sive ex parte organi sive ex parte medii, *conc.*, per se *neg.*

Et ad alterum eadem esto responsio.

Objic. 2.° Sensus referunt inesse corporibus calorem, saporem, odorem cæterasque qualitates sensibiles. Atqui hæ revera non sunt in corporibus, sed in ipso sentiente, nam quidquid ad sensationem spectat, in sentiente est. Ergo sensus aliter objecta referunt, ac sint in seipsis, ideoque falluntur.

Resp. *dist.* Major. Sensus referunt inesse corporibus calorem, saporem, odorem etc. id est sensationem seu perceptionem caloris, saporis etc. *neg.*, qualitates ipsas caloris, saporis etc. quæ sunt terminus perceptionum sensibilium, *conc.*

Et *contradist.* Min., *neg.* conseq., ejusque probationem, *distinguo;* quidquid spectat ad sensationem *subjective* consideratam, *trans.*, objective seu terminative consideratam, *neg.*

Nam terminum et objectum sensationum nostrarum non esse aliquid reale extra nos positum, ille solus negaverit, qui mundi hujus corporei veritatem atque existentiam inficiatus, purum putum idealismum amplectatur. Itaque, nisi velimus cum idealistis contra sensum communem omnium sanamque rationem, dicere sensationes esse totidem illusiones mentis nostræ, quibus nihil extra respondet, fatendum est qualitates sensibiles esse realiter in ipsis corporibus.

Nota autem realitatem qualitatum sensibilium, quæ in ipsis corporibus existant, apprehendanturque a sensibus, posse bifariam propugnari; primo quatenus ita sint in seipsis, prout nobis apparent, ac relucent in ipso actu sensationis; secundo quatenus, licet non sit formaliter seu eo modo quo nobis apparent, sint tamen *causaliter* et *effective*, quia sunt aliquid reale, quod in sensibus nostris excitet impressiones illas, quas vocamus sensationes. Primum tenent Scholastici; alterum Atomistæ ac Pyhsici complures, docentes qualitates sensibiles reapse non esse nisi motus varios atomorum ac molecularum, quibus corpora coalescunt, quamvis nobis non appareant tamquam motus. Scilicet colores, inquiunt, non

sunt nisi certus quidam motus corporearum particularum, qui ad organum visionis transmissus determinat in potentia visiva modificationem atque affectionem illam, quam dicimus sensationem seu visionem coloris; itemque sapores, soni etc.

Harum duarum explicationum prima omnino videtur tenenda, quamvis eam nunc supponimus solummodo, nec tueri pro dignitate possumus, sed ad Cosmologiam reservamus. Altera enim nec potest satis Idealismum vitare, nec declarare, quomodo sensationes sint imagines ac repræsentationes corporum corporearumque qualitatum. Si enim id, quod nobis apparet tamquam toto cælo diversum a motu, revera non est, nisi purus putus motus, dicet Idealista, id quod tamquam motus manifestatur, forte non esse motum, et id quod tamquam corpus certæ cujusdam naturæ objicitur obtutui nostro, forte non esse corpus. Quo autem jure negabimus paritatem et consequentiam in Atomistarum sententia? Sed hæc alterius sunt loci; tenemus autem interea tamquam verum, qualitates, quæ sensibiles dicuntur, esse aliquid distinctum a motu, quod a sensibus apprehenditur, et in sensatione tamquam in imagine relucet (1).

Objic. 3.° De objectiva realitate nihil potest intellectus certo cognoscere ex sensuum testimonio. Nam idem objectum diversimode afficit diversa animalia, ut quod homini placet, alia refugiant. Immo inter homines ipsos magnam in hoc cernere est varietatem: sic in cibis v. g. et in aliis bene multis, quod uni arridet, alteri displicet.

Resp. *neg.* assert.

Ad primam probat. *dist.* Et hæc diversitas contingit in sensatione *subjective* spectata, *conc.*; in sensatione objective spectata, *neg.*

Ad secundum similis esto responsio.

Videlicet mirum non est, si eadem ipsa res diversam gignat affectionem jucundam vel ingratam in diversis subjectis pro natura ipsorum, inclinationibus, educatione, habitudine ac dispositione. Quoties videmus unum eumdemque colorem vel opus arte factum rite et eodem modo percipi a

(1) Cfr. cl. P. Matt. Liberatore, *Instit. Philos.*, *Logic.* Pars alt., n. 43, objic. IV edit. 1881., pag. 128.

pluribus in sua objectiva realitate, quamquam non æque omnibus placeat? unde varietas gustuum ac judiciorum tota pendere ex varia impressione subjectiva, quam perceptio ejusdem rei in subjectis diversimode dispositis efficiat, dicenda est.

Objic. 4.° Sensationes non sunt nisi modificationes subjecti sentientis. Atqui modificationes ejusmodi nihil valent ad manifestandum ea, quæ extra ipsum subjectum fiunt. Ergo sensus nequeunt vera referre circa propria etiam sensibilia.

Resp. *dist.* Major. Sunt puræ modificationes subjectivæ, *neg.*; sunt modificationes objectivæ ac relativæ, tales nempe, quæ dum sensibus inhærent, aliquid aliud repræsentant, ac subjecto ipsi demonstrant, *conc.*

Et *Contradist.* Min., *neg.* conseq. Hæc partim nota sunt ex dictis, partim uberius declarabuntur in Psychologia, ubi discrimen exponendum est, quod inter cognitionem et reliquas actiones intercedit.

Instabis. Quamvis imaginari nequeamus corpus, quod extensione aut figura careat, possumus tamen mente præscindere in corporibus a colore, sapore, odore etc. Ergo istæ qualitates non insunt corporibus, sed subjecto ipsi sentienti, nec aliud sunt, quam meræ modificationes ejusdem.

Resp. *neg.* conseq. Ex eo enim solum, quod possumus unum ab alio mente præscindere, perperam negatur unum esse in alio, vel cum alio, vel unum esse idem prorsus quam aliud, quod attinet ipsam physicam rei entitatem.

Objic. 5.° Si sensus veraciter propria sensibilia referrent, nullo negotio natura et ratio qualitatum sensibilium explicaretur. Atqui id difficillimum est explicatu. Ergo.

Resp. *neg.* Major. Difficultas enim explicandi naturam intimam sensibilium qualitatum non probat infidelem sensuum relationem, sed ingenii nostri dumtaxat imbecillitatem.

Objic. 6.° Sensus quandoque non referunt propria objecta, ut si quis cubiculum ingrediatur certis odoribus suffitum aut calidum, initio quidem percipit odores et calorem, at elapso aliquo tempore non amplius illos sentit. Ergo fidendum non est sensibus.

Similiter non referunt calorem, vitam, aliaque.

Resp. *neg.* conseq. Ex eo quod sensus certa objecta non referant, non sequitur illos falli, mendax quippe non est, qui

tacet. Ratio vero, cur sensus in adductis exemplis non referunt objecta sua, est quia organa illorum non amplius excitantur et patiuntur impressionem ab objectis ex assuetudine; *ab assuetis enim non fit pasio*, ut fert effatum. Cum ergo necessaria sit ad sentiendum impressio ab objecto proveniens et in organo recepta, species nimirum sensibilis; ea deficiente, deest quoque sensatio. Et idem dic de aliis exemplis in objectione adductis, nam phænomena citata ideo non referunt, quia in communi et ordinario statu nullam excitant immutationem in organismo, ideoque non sentiuntur. Si vero non sentiuntur, referri a conscientia nequeunt. Cæterum pressio äeris sentitur interdum, et advertitur a conscientia, quando nimirum abrumpitur æquilibrium inter äerem circumstantem ac fluida intra corpus existentia: et similiter circulatio sanguinis et vitalis calor, cum alterationem patiuntur in suo cursu ordinario.

Alias objectiones solvemus, cum Idealismus erit confutandus.

§ III.—CONTRA VERACITATEM CONSCIENTIÆ SENSUSQUE INTERNI.

117. **Objic. 1.°** Cui crus vel brachium amputatum est, is sæpe dolorem in crure vel brachio persentiscit. Atqui in hoc evidenter decipitur. Ergo.

Resp. *dist.* Major.; dolorem revera persentiscit in crure vel brachio, *neg.;* arbitratur ibi persentiscere ob illusionem imaginationis, *conc.*

Dolor enim ille sentitur in extremitate nervorum, qui in crus vel brachium protendebantur. «Sed imaginatio supplet partem amputatam, et infirmus propter præviam habitudinem et novitatem status, in quo versatur, ad erroneum judicium adducitur. Idque eo facilius intervenit, quod sensus doloris interni per se valde confusus est, et non bene determinatus quoad limites loci, quibus adstringitur» (1). Quæcumque igitur deceptio in objecto casu eveniat, ad conscientiam minime spectat.

Objic. 2.° Amentes ac somniantes nultas experiuntur sensationes, quas non habent. Præterea credunt se esse, quod non sunt, et agere ac pati, quæ non agunt nec patiuntur. Ergo.

(1) Liberatore, *Instit. Philos., Logic.* Pars altera, cap. 2, art. 2, n. 49, objic. III.

Resp. ad primum, *dist.;* experiuntur sensationes, quas non habent, eo modo quo experiuntur, *neg.;* quas non habent eo modo, quo judicant, *conc.*

Ad alterum *distinguo:* et non habent illam persuasionem intimam, qua revera credunt se esse, quod non sunt, vel agere aut pati, quæ nec agunt nec patiuntur, *neg.;* falso judicant, cum ita credunt, *conc.*

Videlicet in amentibus ac dormientibus deceptio non est, in experiendo internam illam affectionem rerum, quas ex perturbata imaginatione veras arbitrantur. Licet enim falsæ sint ejusmodi persuasiones, verum tamen est illas existere in mente amentium dormientiumque. Atqui judicia illa et persuasiones falsæ non spectant ad conscientiam, sed solum experientia illarum. Ergo error non est conscientiæ, sed rationis dumtaxat, quæ ludibriis imaginationis adducitur ad plura comminiscenda figmenta, non minus ridicula sæpe quam falsa (1).

Objic. 3.° Sæpe dubitamus de affectione, quam habemus, num sit hæc vel illa, quin possimus discernere illam. Immo dubitamus de ipsa etiam existentia in nobis alicujus affectionis. Ergo fidele atque indubium non est conscientiæ testimonium.

Resp. *dist.* ant. quoad 1.am partem; dubitamus de natura vel qualitate affectionis, *trans.;* de ipsa ejus actuali præsentia, *neg.*

Ad 2.am pariter *disting.;* dubitamus de existentia præterita, quæ spectat ad memoriam, non ad conscientiam, *trans.;* de existentia hic et nunc præsentis affectionis, *neg.*

§ IV.—CONTRA VERACITATEM INTELLIGENTIÆ AC RATIONIS.

118. **Objic. 1.°** Multi erronea docent contra ipsa principia scientiarum per se evidentia, ut illi qui negant, aut in

(1) Quare verissime scripsit Jacobus Balmesius: «El sueño y la vigilia, la demencia y la cordura son indiferentes para el testimonio de la conciencia: el error puede estar en el objeto, mas no en el fenómeno interno. El loco que cree contar numerosas talegas, no las cuenta ciertamente, y en esto se engaña; pero tiene en su espíritu la conciencia de que lo hace, y en esto es infalible. El que sueña haber caido en manos de ladrones, se engaña en lo tocante al objeto externo, mas no en lo perteneciente al acto mismo con que lo cree». (*Filos. fundam.*, lib. 1, cap. 15, n. 148).

dubium vocant corporum existentiam, principium causalitatis, immo et ipsum contradictionis principium, quemadmodum fecit ex veteribus philosophis Heraclitus, et recentioribus temporibus Hegel. Atqui hæc omnia spectant ad objectum intelligentiæ proprium. Ergo...

Resp. Ore docent talia, vel etiam forte opinantur insigni quadam temeritate, vel quia ex præjudiciis vel ex prava educatione mentisque præcipitantia, ipsam terminorum vim ac significationem non satis percipiunt, *trans.* Si vim terminorum probe norint, *neg.*

Ut enim bene notavit cum Aristotele Angelicus (1), *non est necessarium, quod quidquid aliquis dicit, hoc mente suscipiat, vel opinetur.* Quod si quis sincere persuasum habeat id, quod ore pronuntiat, contra evidentissima hujusmodi principia, ideo est, quia terminos perperam intelligit. Etenim *proprium... est horum principiorum, quod non solum necesse est, ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri, quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contraria eorum* (2), ut scribit Angelicus. Nam certe, *nihil est adeo verum, quin voce possit negari. Nam et hoc principium notissimum, quod non contingat idem esse et non esse, quidam ore negaverunt. Quædam vero adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt* (3).

Objic. 2.° Qui iterum iterumque fallitur, mendax est, et fidem non meretur. Atqui talis est ratio. Ergo...

Resp. *distin.* Major.; si fallitur per se atque ex vitio intrinseco, *conc.;* si per accidens, *subdist.;* non meretur fidem in eo genere rerum iisque adjunctis, in quibus numquam solet falli, *neg.;* in aliis, *trans.*

Et *contradist.* Minor.; *neg.* conseq.

Objic. 3.° Ratio in errorem plurimos semper induxit, absurda omnis generis ratiocinando invenit ac tutata est, veritatesque certissimas non raro impugnavit. Ergo fidendum ipsi non est.

---

(1) Lib. 4.° *Metaph.*, lect. 6, paragr. *c.*

(2) S. Thom., Lib. 1.° *Posterior. analyticor.*, lect. 19, statim post initium.

(3) S. Thom., ibidem paulo inferius.

Resp. *dist.* ant.; idque fecit ratio ex abusu ac temeritate et violatis legitimæ ratiocinationis legibus, *conc.;* secus, *neg.*

Instabis. Sed nonne passim in scholis ratio et ratiocinium in diversas opiniones de eadem re Philosophos scindunt? An ergo et illi abuti ratione dicendi sunt, legesque ratiocinandi violare, quotiescumque varie opinantur?

Resp. *dist.* assertum. Id passim evenit in scholis in re evidenti, *neg.;* in obscura et incerta, *conc.*

Objic. 4.° Mens nostra mutabilis est in judiciis ac ratiociniis suis, ut compertum omnibus experientia est. Atqui mutabilitas ejusmodi evidens argumentum est fallibilitatis.

Resp. *dist.* Major. Simili modo: in re certa atque evidenti, *neg.;* in obscuris, *trans.*

Instabis. Atqui etiam in evidentibus decipi ratio facile potest. Nullum quippe est adeo evidens principium, ex quo conclusiones invicem pugnantes nequeant derivari. Ergo...

Resp. *neg.* Minor., ac probationem ejus *distinguo;* servata legitima forma, *neg.;* non servata, *trans.*

Ex vero enim non sequitur nisi verum in bona consequentia (1).

Objic. 6.° Ratio humana quandoque fallitur. Ergo vel cognoscit se falli vel non. Si cognoscit, nunquam falletur, nam errorem suum agnoscit. Si vero non cognoscit, timendum semper illi erit, ne forte ignorans decipiatur.

Resp. *dist.* conseq. In dubiis atque inevidentibus, *trans.;* in certis atque evidentibus, *neg.*

Consequens oppositæ argumentationis, nisi sub hac distinctione benigne velimus interpretari revera, latius patet quam antecedens. In antecedente enim assumitur, quod ratio *interdum* fallitur, et in consequenti concluditur, quod *semper* timenda falsitas sit. Nimirum ratio in evidentibus et est infallibilis, et cognoscit, vel cognoscere potest se non falli. Dilemma ergo Lamennaisianum stare nequit nisi in materia inevidenti, in qua mens secura non est de veritate, ideoque nonnisi cum formidine falsitatis ducit conclusionem. Quamquam enim cognoscere possit nullum esse in discursu vitium dialecticum, ideoque periculum erroris nullum imminere ex

(1) Vide in *Logic. Minor.* reg. 1.am bonæ consequentiæ, n. 144.

parte formæ, at vero incertitudo præmissarum sola sufficit, ut conclusio, utcumque recte derivata, infici falsitate possit. Quod si quis, absque ullo examine sive materiæ sive formæ, discurrens in errorem labatur, id, non rationi ipsi, sed ratiocinantis oscitantiæ attribuendum est. Cæterum, quandocumque mens ob hujusmodi oscitantiam errorem aliquem admittit etiam in re evidenti, non potest non advertere saltem confuse periculo se errandi exponi ob defectum satis accurati examinis.

Inst. Atqui neque in evidentibus securi omnino esse possumus. Nam multi ex illis, qui errant, arbitrantur et rem esse evidentem, et rectam argumentandi formam.

Deinde veritas ac rectitudo ratiocinii alicujus cognoscitur alio ratiocinio, et sic abeundum erit in infinitum.

Resp. *neg.* assertum. Ad primam probat. *dist.*, arbitrantur ita', vel quia non satis reflectunt, vel quia se sinunt affectibus abripi ac partium studio, *conc.*, aliter, *neg.*

Ad secundum, *neg.* prorsus; nam veritas ac rectitudo ratiocinii cujusvis patescit ex attentione ac reflexione, quæ non in discursu sita est, sed in simplici intuitione.

Objic. 7.° Ratiocinando memoria utimur. Atqui memoria valde est fallax. Ergo...

Resp. *dist.* Major.; sæpe, *conc.*, semper, *neg.*

Minorem pariter *dist.*; et non possunt præcaveri errores, quibus occasionem præbet quandoque, *neg.*, et possunt præcaveri, *conc.*

Quot enim sunt ratiocinia, in quibus aut memoria locum non habet, aut adeo est clara, ut dubitari de ejus fidelitate nequeat? Quod si aliquando memoria præteritarum rerum levior est, aut etiam pæne oblitterata, non desunt apta remedia, quibus succurri huic defectui possit, vel alios interrogando, vel legendo libros, vel iterum rem oblivione deletam addiscendo etc.

Objic. 8.° Si non foret fallax ratio, quomodo tot ac tanti errores scientias deturparent? Nam scientiæ per actum rationis comparantur.

Resp. *dist.* ant. Si non foret per se fallax, *neg.*, si non foret fallax per accidens, *conc.*

Et responsio patet ex dictis, magisque patebit, cum ignorantiæ atque errorum causas distinctius enumerabimus.

CAPUT II.

DE MEDIO EXTERNO

VERITATEM ASSEQUENDI SEU DE TESTIMONIO ALIORUM.

ARTICULUS I.

Quid testimonium, auctoritas et fides.

119. Non possumus omnia per nos ipsos immediate cognoscere, sed in multis ad aliorum testimonium confugere necesse est, nisi velimus rerum penitus cognitione destitui. Quare, facultatibus cognoscendi hactenus declaratis, medium hoc externum nunc adjungendum est.

Quid testis et quotuplex.

Testis generatim dicitur is, qui rem sibi notam alteri refert. Et potest esse *oculatus* vel *auritus*, *immediatus*, vel *mediatus*, prout rem narret a seipso perceptam, vel ab aliis sibi relatam. Potest item testis esse *cœvus*, si eodem tempore vixerit, quo factum contigit; *suppar*, si non multo post; et *remotus*, si serius.

Testificatio vel testimonium et hujus species.

Actus, quo testis rem alteri significat, vocatur *testificatio* vel *testimonium:* quod, respectu habito ad testantem, dividitur in *divinum* et *humanum;* respectu vero rei narratæ, in *historicum* ac *dogmaticum*, prout res, quæ narratur, sit factum vel doctrina aliqua. Respectu denique habito ad modum narrationis, testimonium potest esse *scriptum* vel *orale* potissimum.

Fama vel rumor.

Huc etiam revoca *famam* vel *rumorem*, qui est testimonium plurium sermone percrebescens, incerto teste immediato, a quo sumpserit exordium.

Traditio, documenta, monumenta,

Cum vero testimonium non inter æquales tantummodo divulgetur, sed ad posteros etiam transmitti possit ac porro transmittatur, pro varietate instrumenti, cujus beneficio ea fiat transmissio, dividitur in *oralem traditionem*, *documenta* et *monumenta*. Oralis traditio est narratio per continuam testium successionem, memoriam facti posteris ore transmittens. Documentum est facti testimonium scripto consignatum. Ad

documenta spectat *historia*, quæ est facti narratio scriptis commendata. Denique monumentum est opus quodvis artis durabile ad facti memoriam retinendam: talia sunt v. g. *statuæ, inscriptiones, picturæ, arcus, numismata, templa*, atque alia id genus. historia.

120. Testimonio respondet in audiente *fides;* fides vero, relictis aliis acceptionibus (1), in hac materia intelligitur assensus, quo tenemus vera esse, quæ narrantur, ob testantis auctoritatem: et hujusmodi assensus vocatur etiam actus *credendi*. Fides.

Auctoritas autem, licet generatim est jus imponendi aliquid, hic tamen sonat vim testimonii ad obtinendum ab audientibus assensum, ex eaque testis redditur *fide dignus*. Cæterum patet auctoritatem hujusmodi plerumque ex duobus coalescere, ex veracitate nimirum et scientia testis. Nam, *quod alicui non credatur, ex duobus contingit, aut quia est, vel reputatur ignarus, aut quia est, vel reputatur mendax* (2). Potest nihilominus in aliquo casu fides gigni etiam ex fidelitate vel potentia rem aliquam promittentis, unde sequatur in mente magis aut minus firma persuasio et in voluntate spes obtinendi promissam rem. Auctoritas coalescit ex veracitate ac scientia testantis.

Ex his manifestum fit, quantum distet inter cognitionem fidei, et inter cognitionem sive experimentalem sive scientificam. Nam *in iis, quæ vidimus, aut videmus,* inquit S. Augustinus, *nos ipsi testes sumus; in iis autem, quæ credimus, aliis testibus movemur ad fidem, cum earum rerum, quas nec vidisse nos recolimus, nec videmus, dantur signa vel in vocibus vel in litteris vel in quibuscumque documentis, quibus visis, non visa credantur* (3). Quam doctrinam præclare, ut solet, interpretatur Doctor Angelicus (4).

(1) Solet enim fides quandoque sumi pro fiducia, quæ actus est voluntatis. Alias, potissimum apud arabes scriptores, nomen *fidei* extenditur ad omnen actum judicii, ut testis est S. Thomas, *de Verit.*, q. 14, art. 1 etc. Notæ denique sunt latinæ linguæ peritis aliæ plures *fidei* acceptationes

(2) S. Thom., Comment. in Opusc., *de Divinis Nominib.*, cap. 1, lect. 1.

(3) S. August., Epit. 147, ad 112, cap. 2. Lege etiam, quæ ibidem præcedunt.

(4) *De Verit.*, q. 14. art. 9 superius relato, pag. 511.

Nimirum nemo est, qui nesciat, quantum distent inter sese videre Romam, et ejus descriptionem audire, vel legere; dolorem amputati membri sentire, atque illum ex alterius narratione cognoscere; assentiri conclusioni vel doctrinæ alicui, quia ita sentiendum esse præcipit magister vel vir doctus, et eamdem amplecti ex propria persuasione, post rite perceptas ac penetratas rationes, quibus veritas illius fulcitur.

Duplex habitudo distinguenda in fide.

Ut vero jam propius naturam fidei attingamus, unum ante omnia notatum velim: in fide duplicem distinguendam esse habitudinem, alteram ad rem seu objectum, *quod* creditur, alteram ad testem vel testimonium ipsius personæ, *cui* vel *propter quod* res creditur; primum horum habet rationem objecti materialis, alterum formalis. Nam cum credimus, ita enuntiabile aliquod amplectimur, ut simul aliquo modo, implicite saltem ac virtualiter, profiteamur auctoritatem illius, *cui* credimus vel cujus dictis adhæreamus, scientiam, ejus ac veracitatem eo ipso agnoscentes ac protestantes (1). Quare omnis qui credit, obsequium facto ipso exhibet atque honorem testanti, nec est quispiam, qui non arbitretur injuriam sibi irrogari, si fides testimonio suo denegetur.

Actum fidei præcedit judicium credibilitatis.

Quamobrem ante, ac præter actum ipsum formalem fidei, admittendus est alius actus, quo cognoscamus rem narrari vel narratam esse ab aliquo teste, hujusque testimonium auctoritate potiri, seu dignum esse fide; nimirum, ante formalem actum fidei prænoscere oportet existentiam et auctoritatem testimonii, hoc enim est objectum formale seu motivum

(1) Ad rem Angelicus: *Objectum fidei* (loquitur de fide Divina) *accipi potest ex parte ipsius intellectus, vel ex parte voluntatis intellectum moventis. Si quidem ex parte intellectus, sic in objecto fidei duo possunt considerari, sicut supra dictum est* (2. 2. q. 1, a. 1): *quorum unum est materiale objectum fidei; et sic ponitur actus fidei credere Deum, quia, sicut supra dictum est (ibidem), nihil proponitur nobis ad credendum, nisi secundum quod ad Deum pertinet. Aliud autem est formalis ratio objecti, quod est sicut medium, propter quod tali credibili assentitur; et sic ponitur actus fidei credere Deo, quia, sicut supra dictum est (ibid.) formale objectum fidei est veritas prima, cui inhæret homo, ut propter eam creditis assentiat.* S. Thom. 2. 2. q. 2, a. 2. Cfr. 3.°, dist. 23, q. 2, a. 2, solut. 2; *de Verit.*, q. 14, a. 7. ad 7.um

fidei. Et assensus prævius, quo decernitur rem narrari testimonio ita fide digno, vocatur *judicium credibilitatis*.

Existentia testimonii potest cognosci vel propria experientia, ut passim contingit in humana fide, vel etiam ex aliorum relatione, ut accidit interdum in eadem fide humana, et semper in divina fide, prout nunc a nobis habetur; neque enim nos ipsi immediate audivimus divinam relationem christiana dogmata hominibus aperientem, sed eam tantummodo novimus ex aliorum testimonio, quod in Sacris Litteris ac traditione Ecclesiæ continetur et a Sacris Ministris populo proponitur. Atque idem quoque de veracitate loquentis dicendum est. Nam interdum ea evidens est, atque a nobis ipsis propria scientia cognoscitur, ut veracitas Dei in fide supernaturali, et quandoque in humana fide constat nobis ex propria notitia veracitas testium. Alias autem hæc eadem veracitas ac scientia testium nobis non immediate innotescit, sed ex aliorum relatione cognoscenda est.

Quomodo cognosci possit existentia, et veracitas testimonii.

Item, interdum tum testimonii existentia, tum auctoritas certo atque evidenter cognoscuntur, interdum vero solum probabiliter ac per conjecturam: interdum testimonium est evidens, obscura vero aut etiam incerta auctoritas; interdum e contrario de auctoritate quidem minime dubitatur, verum ipsa testimonii existentia manifesta non est. Quæ omnia consideranda bene sunt, ut de valore ac firmitate fidei justum feratur judicium; pendet namque fides ab auctoritate testimonii tamquam ab objecto suo formali (1).

Hinc, quamvis ipsum enuntiabile, quod formali actu fidei credimus, in se ipso sit inevidens, præcise prout est objectum fidei, reddi nihilominus potest evidens extrinsece; nimirum si evidens sit tum testimonium tum firma et indubitata illius auctoritas, et tunc dicitur fides *evidens in attestante:* quemadmodum evidens mihi est fides, qua teneo existentiam Berolini, quia evidens mihi est ita plurimos testari, nec posse illorum testimonio falsum subesse. Quod, si vel testimonium vel ejus veracitas vel utrumque incertum sit aut inevidens, fides quoque tum intrinsece et in se, tum etiam

(1) Cfr. Conimbricenses, in lib. 1.um *Poster.*, cap. 26, quæst 1, art. 2.

Fides humana plerumque probabilis; Fides divina semper certissima.

extrinsece et in attestante inevidens sit, necesse est. Unde fit, ut plerumque humana fides fallibilis sit, ac tantum contineat assensum probabilem atque incertum, quia nimirum quandoque ipsum testimonium, et sæpissime auctoritas ejus, incerta est atque inevidens: fides vero divina est semper certissima, licet inevidens, quia supponit cognitionem obscuram quidem, sed tamen prorsus certam revelationis ac testimonii divini, itemque cognitionem, saltem in plurimis hominibus, evidentem auctoritatis.

Fides non continet formalem discursum

Sedulo tamen cave ne ex iis, quæ hactenus dicta sunt, concludas assensum fidei discursum formalem aut ratiocinium continere, est enim assensus immediate positus propter testium auctoritatem.

Utilitas ac necessitas fidei.

121. Ex his facile est concludere testimonii tum utilitatem tum necessitatem. Non est nobis in animo nunc investigare num ad ipsam mentis evolutionem necessarium sit aliorum testimonium ac magisterium, per quod prima quasi semina vitæ omnis intellectualis humano intellectui mandentur: talis enim controversia respicit originem idearum, et alibi tractanda est, cum de Traditionalismo instituetur sermo.

Nunc ergo id solum inquirimus, quisnam sit aliorum testimonio tribuendus locus inter facultates ac media hominis ad assequendam veritatem, sive possint, sive non possint absque illo cognitiones ordinis immaterialis ac moralis inchoari. Verum de divini testimonii utilitate, quo de ipsis naturalibus veritatibus ad religionem et ordinem moralem spectantibus edoceamur, inferius agendum est (1). Ideoque solius humani testimonii utilitatem hic breviter tractabimus.

122. PROPOSITIO. **Testimonium aliorum, tum dogmaticum tum historicum, est medium ad plures cognitiones habendas prorsus necessarium.**

Necessitas testimonii historici.

Res patet experientia et ratione. Etenim res scitu dignæ, sive quæ facta respiciunt sive quæ doctrinam, sunt propemodum infinitæ, plenæ difficultalibus, spatiisque contentæ locorum ac temporum amplissimis; cum e converso plerique

(1) N. 281. Vide interea S. Thomam 2, 2. q. 2, art. 4; 1.° *Contra Gentes*, cap. 4; 3.° dist. 24, art. 3, solut. vel quæstiunc. 1.a; *de Verit.*, q. 14, art. 10; Opusc. *Super Böetium de Trinit.*, quæst. 2, art. 1.

mortalium ingenio utantur admodum limitato prorsusque impari, ut vel partem exiguam humanarum artium atque scientiarum addiscant; omnes vero vitam ducant brevi annorum terrarumque ambitu circumscriptam. Hinc nemo potest, quod attinet facta, sine aliorum testimonio cognoscere: 1.° *facta præteritarum ætatum:* 2.° *facta etiam cœva, quæ aliis in locis contigere:* 3.° *experientias et observationes phænomenorum ad complendam inductionem in scientiis physicis necessarias.* Cum enim colligi nequeant leges naturales ac principia universalia sine sufficienti factorum singularium inductione, nec possit quivis in omni materia sufficientem capere experientiam ad hujusmodi complendam inductionem; reliquum est, ut etiam in scientiarum naturalium inquisitione ac studio ad aliorum testimonium confugere sæpenumero oporteat. Verbo, scientiæ omnes naturales experimenta factaque multa supponunt, quæ patere omnium observationi nequeunt: unde scientiæ hujusmodi nec progredi, nec in perfectionem adduci queunt sine fide testimonio aliorum adhibita. Lege S. Augustinum (1).

Et hæc quidem valent de testimonio historico.

necessitas testimonii dogmatici.

Quod vero attinet dogmaticum testimonium, quis est, qui omnes artes ac scientias addiscere possit, et callere? Alius enim præpeditur ingenii tarditate, alius magnitudine laboris deterretur, alius morbo, ætate, paupertate, administratione rei familiaris, magistratu, officiis publicis aliisve, sive ad religionem sive ad bonum civitatis prorsus necessariis, curis distinetur, atque ab studio scientiarum arcetur. Cum præsertim ad ipsum bonum societatis ac litterarum progressum pertineat, ut plures homines nullis omnino scientiis aut artibus, quidam vero uni tantum aut alteri per totam vitam navent operam. Et sic passim videmus non solum rudes sapientium, sed ipsos etiam doctos homines, alios aliorum consilium exquirere ac sequi, et mathematicum theologi, theologum medici, medicum legis-periti, legis-peritum architecti et physici sententiis præceptisque acquiescere. Et hoc pacto in subsidium humanæ infirmitatis adest nobis testimonium aliorum. Nam *quia in convictu hominum unus homo*

(1) Lib. *de Utilitate credenti*, ad Honoratum, cap. 12.

oportet, quod alio utatur, sicut seipso, in quibus sibi non sufficit; ideo oportet quod stet illis, quæ alius scit et sunt sibi ignota, sicut his, quæ ipse cognoscit: et inde est, quod in hominum conversatione est fides necessaria, qua unus homo dictis alterius credit; et hoc est justitiæ fundamentum, ut Tullius dicit in lib. de Officiis: et inde est quod nullum mendacium est sine peccato, cum per omne mendatium huic fidei tam necessariæ derogetur (1).

Adde quod ipsæ, quas quivis colere vult, scientiæ vix addisci commode possunt ac sine admixtione errorum, nisi multa discipulus a magistro per fidem accipiat, quæ *supponat* tamquam vera alibique probanda, et sic ipsius *ordo naturæ ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas* (2).

Concludendum igitur est cum Liberatore (3): «Nisi testantibus fideremus, nec vias incedere, nec amicorum consortio uti, nec parentibus honorem impendere, immo vero ne sermonem quidem cum aliis conferre possemus; atque ideo omnis civilis cultus, omne fœdus, omnis vitæ consuetudo adimeretur. Quamobrem sapienter S. Augustinus admonuit, *Totam hominum vitam naturaliter in fide fundari* (4): *et subinde; Etsi auctoritate decipi miserum sit, longe tamen esse miserius ab eadem non commoveri*» (5).

Atque hæc causa est, cur natura ipsa, ex sapientissimo divinæ Providentiæ consilio, omnibus hominibus magnam impresserit ad credendum inclinationem, majoremque in ea ætate et conditione, in qua quis minus aptus invenitur ad veritatem per se inveniendam, ut videre est in pueris ac rudibus.

ARTICULUS II.

De valore humani testimonii.

123. Vidimus necessitatem testimonii ad plurimas cognoscendas veritates, quarum haberi a nobis aliter notitia nequiret. Inquirendum nunc est, quantum valere apud nos debeat

(1) S. Thom. Opusc. *de Trinit. super Böet.* quæst. 3, art. 1.

(2) S. August., *de Moribus Ecclesiæ cathol.*, cap. 2.

(3) *Institut. Philos.*, t. 1. *Logic.* cap. 3, art. 5, n. 93, pag. 157, Prati 1881.

(4) *De utilit. credendi*, cap. 12.

(5) Ibidem cap. 16.

medium hoc externum cognoscendi, quemadmodum expendimus in superiori capite veracitatem facultatum cognoscitivarum.

Sermo est de valore humani testimonii

Verum disputandum nobis non est de divini testimonii auctoritate, quam constat esse prorsus infallibilem, atque idem etiam dicendum est de testimonio Ecclesiæ, utpote quæ Magistra humani generis constituta a Deo est in rebus ad fidem moresque spectantibus, in quibus proinde nequit errare. At homines et decipi, et alios possunt decipere; et si experientiam consulamus, reperiemus profecto sæpe nos aliorum testimonio inductos in errorem fuisse; at sæpe etiam ea, quæ per fidem prius ab aliis acceperamus, verissima esse propriis oculis perspeximus. Quid ergo? Estne prudens, et quandonam prudens est, testimonio acquiescere? Aut quanta esse potest vis testimonii ad gignendum assensum? Quod prudens sit, saltem sæpe, testimonio acquiescere, ipsa fidei necessitas, quam in articulo præcedenti explanavimus, satis superque ostendit. Tunc porro dumtaxat prudens erit credere, quando inest testimonio auctoritas, tota enim fides ab auctoritate pendet. Quandonam autem instructum sit auctoritate testimonium, judicandum est ex quibusdam indiciis, quæ, ubi adsunt, persuadent non deesse testibus scientiam nec veracitatem, ex quibus coalescit auctoritas.

Ars critica.

124. Horum indiciorum judicium stat penes artem criticam. Est enim ars critica generatim ars expendendi vim motivorum, quæ ad judicandum impellunt; prout vero hic accipitur in angustiori significatione, est *ars*, quæ normas tradit recte judicandi de pondere usuque testimoniorum. Verum ad recte judicandum necesse est ante omnia rem ipsam, quæ narratur, respicere. Et primum præceptum ac fundamentum artis criticæ debet hoc esse, ut

Primum præceptum artis criticæ.

Res narrata non sit evidenter absurda, nec pugnet cum aliis veritatibus certo aut evidenter notis. Dixi *non sit evidenter absurda vel impossibilis*. Non enim requiritur, ut res narrata sit evidenter possibilis. Si autem evidenter absurdum sit aliquid, patet illud factum non esse, siquidem a *non posse ad non esse* valet illatio. At vero plurima sunt, quorum possibilitatem non possumus cognoscere ante factum et existentiam eorum. Aliunde vero *ab esse ad posse valet illatio:* quamobrem

non est necesse ut constet evidenter possibilitas facti, sed sufficit, ut non sit evidenter impossibile, ad hoc ut existentia ipsius admitti queat, supposita testimonii auctoritate. Qua in re ne quis decipiatur, recolendum animo est, triplicem esse certitudinem atque impossibilitatem, metaphysicam, physicam et moralem. Et quoniam certitudo metaphysica prorsus est infallibilis, itemque impossibilitas metaphysica per nullam potentiam superatur; planum est, quidquid narretur, aut impossibile metaphysice aut oppositum veritati metaphysice certæ, eo ipso falsitatis evidenter coargui, atque adeo repudiandum illico esse.

Quid si narretur res metaphysice,

Res vero physice impossibiles et cursui naturali contrariæ non ob id solummodo rejiciendæ sunt; constat enim leges naturæ pati exceptionem posse per miraculum omnipotentiæ divinæ. Sed quoniam raro miracula patrantur, et facilius est, testes aut decipi aut mentiri, ubicumque testimonium hujusmodi occurrat, exploratis naturæ legibus contrarium, dispicere diligenter oportet, solerterque considerare, num omne absit illusionis fraudisve periculum.

vel physice,

Ac simili modo judicandum est de illarum rerum narratione, quæ moralibus legibus reclutantur. Quod enim in uno aut altero homine interdum per abnormem libertatis abusum leges hujusmodi violationem passæ fuerint, admitti potest idoneo testimonio; quod vero idem locum habuerit in multitudine aliqua, credibile non est.

vel moraliter impossibilis.

His autem de re ipsa narrata notatis, videndum jam est

125. **Quomodo judicari possit de scientia testium,** seu de cognitione, quam habeant, rei narratæ?

Regulæ ad judicandum de scientia testium.

1.° Supposita naturali facultatum cognoscitivarum veracitate, *potuerunt* certe noscere testes ea, quæ narrant. Si ergo nulla occurrat positiva suspicio vel de impedimento aliquo, unde falli quandoque contingit per accidens sensus, vel de oscitantia negligentiaque testium in veritate inquirenda, præsumptio semper adest in favorem illorum.

2.° Crescit præsumptio, si res, quæ narratur, talis sit conditionis, ut vix possit cadere circa illam deceptio in sensus ad cæteras facultates cognoscitivas, quemadmodum foret v. g. factum insignis alicujus prælii, cui testis interfuerit, vel urbis, quam viderit etc.: vel si res ex illis est, quæ acuere

soleant curiositatem ac sciendi desiderium, quamve inquirere testem intersit: vel denique si aliunde cognoscatur, testem esse ingeniosum, sagacem, diligentem studiosumque. In iis enim adjunctis valere debet illa Tullii sententia: *Omnes trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus: labi autem, errare, nescire, decipi, et malum et turpe ducimus* (1).

3.° Colligi potest prudenter scientia testis, potissimum in testimonio dogmatico, ex pluribus signis extrinsecis, qualia sunt: α) tituli academici ac diplomata, nisi forte adjuncta temporum, locorum aut personarum dubiam reddiderint illorum instrumentorum fidem: β) officia publica docendi aut alia, quæ doctrinam requirant, præsertim si quis ea obeat vel obierit cum satisfactione: γ) libri scripti de re illa, circa quam versatur testimonium: δ) publica testis existimatio et fama doctrinæ, quæ apud doctos homines prudentesque percrebescat.

4.° Denique, ut alia nunc omittam, sæpe ipsa veracitas testis, si satis innotescat, ejusdem quoque scientiam haud leviter confirmat. Testem enim apprime veracem existimandum non est, rem alicujus momenti, quam satis perspectam non habuerit, constanter asseverare voluisse.

In his aliisque adjunctis similibus procul dubio prudenter præsumitur scientia testium. Videamus nunc

126. **Quomodo judicari possit de illorum veracitate.**

Regulæ ad judicandum de testium veracitate.

1.° Quoniam hæc una est ex illis generalibus legibus, quibus mores hominum reguntur ac temperantur, quemadmodum experientia cujusque demonstrat, ut nemo nisi boni alicujus amore ad operandum impellatur; sinceritas ac veritas narrationis prudenter judicatur, quotiescumque nulla appareat utilitas, quam sperare sibi potuerit testis ex mendacio: *nemo enim*, ut dicitur, *gratis malus, vel mendax.*

2.° Augetur veracitatis opinio: α) si alias sæpe testis repertus fuerit fidelis: β) si noscatur vir probus et honestus; γ) aut talis habeatur ex publica fama: δ) si dignitate polleat vel magistratu; solet enim ipse timor perdendi existimationem homines hujusmodi, nisi penitus pudorem abjecerint, a quibusdam vitiis ac nominatim a mendacio deterrere.

(1) *De Officiis*, lib. 1, cap. 6.

3.° Item, si testis loquatur contra se suasve opiniones aut contra suas utilitates, haud leviter suam commendat veracitatem.

4.° Si plures in narratione conveniant, saltem quoad substantiam facti vel doctrinæ, non veracitatis solum, sed scientiæ quoque majus existit argumentum, facilius quippe est unum decipere aut decipi, quam plures. Dixi, *saltem si conveniant quoad substantiam* facti vel doctrinæ. Quamquam enim discordia in narrando, quæ se teneat ex parte adjunctorum secundariorum, officere nequeat testium veracitati; si vero discordia illa substantiam ipsam afficiat, narratio minorem habet auctoritatem, ut patet, quam si unus duntaxat adesset testis (1). Quod si testes ne quoad substantiam quidem facti consentiant, videndum erit, pro quibus stent majora indicia et argumenta majoris probabilitatis: id quod non raro judicare licebit ex adjunctis.

5.° Modus etiam narrandi argumentum veracitatis esse solet haud ineptum; si nimirum res simplici stilo narretur, sine fuco nimisque exquisito artificio; vel si notentur adjuncta varia temporum, locorum ac personarum, quæ tum testem probant fuisse diligentem inquisitorem, tum etiam facilius arcent mendacii suspicionem; neque enim existimandum est mendacem ultro porrigere velle media, quibus mendacium ac fraus ipsius statim detegatur (2). Hisce præhabitis, sit:

127. PROPOSITIO 1.a **Testimonium aliorum in re doctrinali vel dogmatica sæpe potest motivum suppeditare prudentis assensus pro rudibus, normamque sentiendi probabilem; pro doctis autem et iis, qui scientiam quærunt, internæ rationes rei atque objectiva argumenta valere plus debent, quam nomen et auctoritas narrantis.**

Quinam rudes, quinam docti censeantur.

Nota 1.° Probe intelligendum est in primis quinam *rudium* et quinam *doctorum* vel *sapientium* veniant nomine in hac propositione. Rudes enim non intelliguntur solummodo penitus *illitterati* omnisque scientia destituti: sed generatim

(1) Cfr. S. Thom., 2. 2. q. 70, a. 2 ad 2.um

(2) Cfr. Tongiorgi, *Instit. Philos.*, tom. 1, n. 641: Liberatore, *Inst. Philos.* t. 1, *Logic.* n. 194, pag. 240 Prati, 1881.

illi, qui artem aut scientiam aliquam non calleant, rudes in illa censentur; sive alias noverint, sive nullas. Itemque *sapientes* ac *docti* intelliguntur relative, nimirum illi, qui artem vel scientiam, circa quam versatur testimonium, cognoscunt, licet aliarum forte quarumcumque sint ignari.

2.° Dicitur in prima propositionis parte, testimonium aliorum sæpe motivum præbere prudentis assensus. Non enim contendimus cujusvis testimonio, sententiam vel doctrinam aliquam proponentis, credi prudenter posse, sed illorum dumtaxat, qui auctoritatem habeant ad faciendam fidem. Auctoritas vero nulla est, quando idonea desunt scientiæ ac veracitatis indicia in favorem testantis.

Testimonium doctrinale pro rudibus sæpe est norma prudens.

Probatur jam prima pars. Etenim sæpe præsto sunt indicia, unde testium scientia et veracitas prudenter probabilique conjectura colligitur, quemadmodum nuper declaratum est; testimonium vero prolatum ab hujusmodi testibus profecto motivum constituit probabiliter persuadens rei narratæ veritatem. Atqui motivum probabiliter persuadens enuntiabilis cujusvis veritatem nequit non prudentem gignere assensum, ac normam sentiendi probabilem suppeditare. Ergo...

Peritis in arte credendum est.

Confirmatur ex communi omnium sensu agendique ratione: unde illud manavit effatum: *Peritis in arte credendum est.* Cæterum.

Testimonium humanum doctrinale raro præbet certitudinem.

Humanum testimonium doctrinale nequit, plerumque saltem, gignere certitudinem: quia difficile admodum est scientiam ac veritatem testium certo innotescere, etiamsi omnes convenirent in aliqua re asserenda: atque ideo in thesi tantummodo asseritur testimonium normam præbere sentiendi probabilem (1). Nihilominus non repugnat in aliquo casu ex peculiaribus adjunctis firmam fidem facere testimonium etiam doctrinale. Sic si quis perspectam habuerit indolem scientiarum Mathematicarum methodumque in illis adhiberi solitam, haud ægre adducetur ad amplectendum certissimo assensu theorema, quod a pluribus auctoribus enuntiatum viderit, ob solum eorumdem testimonium.

(1) Nolumus hanc doctrinam extendere ad consensum Patrum aut Theologorum in re divinam fidem vel mores spectante. Supponimus enim ex Theologia consensum hujusmodi esse certum veritatis argumentum.

Pro doctis testimonii auctoritas cedere debet rationi:

128. **Probatur 2.a pars.** Etenim intrinseca argumenta et objectiva rei merita, cæteris paribus, multo melius, quam alienum testimonium, patefaciunt enuntiabilis veritatem, cum præsertim ipsa testium scientia, unde auctoritatem suam et vim extorquendi assensum nanciscitur testimonium, non aliunde trahat originem. Itaque rationi consonum est, ut quicumque intrinseca rei argumenta noverint, ea testimonio aliorum anteponant. Jam vero docti ac sapientes rem, de qua testes narrant, ex intrinsecis rationibus propriisque causæ meritis perspectam habent. Ergo necesse est, ut apud doctos et sapientes objectiva argumenta plus valere debeant, quam nomen et auctoritas testantium.

Ad rem S. Augustinus: *Ad discendum necessario dupliciter ducimur, auctoritate atque ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim, quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æstimatur. Itaque quamquam bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur esse salubrior, ratio vero aptior eruditis* (1).

Atque idem fere dicendum est de iis, qui licet eruditi non sint, tamen scientiam assequi conantur. Scientia enim importat cognitionem demonstratione comparatam, ac proinde habet motivum formale diversum a fide. Quamobrem qui scire cupit, non tam quid alii de re aliqua judicent, inquirere debet, quam quænam sint objectivæ rationes ac fundamenta, quidque sibi post illorum accuratum examen sentiendum sit, investigat. Videlicet qui scientiam quærit, similis est illi, qui urbem aliquam vel regionem pulcherrimam lustrans, nullis aliorum descriptionibus ac narrationibus contentus, omnia vult ipse contemplari, omnia suis oculis perspicere, omnium rationem, perfectionem atque excellentiam intelligere.

idque senserunt optimi quique Philosophi ac Theologi.

Atque hæc existimatur fuisse Philosophi sententia, cum scripsit: *Philosophos ita veritati oportere addictos esse, ut propter illius incolumitatem, etiam propria, et domestica aboleri patiamur; nam cum utraque cara sint, sanctum tamen est, pluris facere veritatem* (2).

---

(1) S. Augustinus *de Ordine*, lib. 2, cap. 9.

(2) Lib. 1.° *Ethicor.* cap. 6.—Vide etiam Platonem in Carmide.

Quæ verba sic commentatur Angelicus: *Ponit Aristoteles, quid possit eum retrahere ab inquisitione talis opinionis* (ponentium felicitatem in aliquo bono separato); *et dicit quod hujus inquisitio est contraria suæ voluntati, propter hoc quod erat introducta a suis amicis, scilicet a Platonicis. Nam ipse fuit Platonis discipulus. Improbando autem ejus opinionem, videbatur ejus honori derrogare... Deinde... ostendit* (Aristoteles) *quod hoc eum non debet retrahere. Quia videbitur melius esse, id est, magis honestum et ad bonos mores pertinens, et omnino oportere, ut homo non vereatur oppugnare familiares suos pro salute veritatis. Est enim hoc adeo necessarium ad bonos mores, ut sine hoc virtus conservari non possit. Nisi enim homo veritatem familiaribus præferret, consequens esset, quod homo falsa judicia et falsa testimonia proferret pro defensione amicorum; quod est contra virtutem. Et quamvis universaliter ratione pertinente ad omnes homines veritas sit præferenda amicis, specialiter tamen hoc oportet facere Philosophis, qui sunt professores sapientiæ, quæ est cognitio veritatis.*

Quod autem oporteat veritatem præferre amicis, ostendit hac ratione. Quia ei, qui est magis amicus, est deferendum. Cum autem habeamus amicitiam ad ambo, scilicet ad veritatem et ad hominem, magis debemus amare veritatem, quam hominem, quia hominem, præcipue debemus amare propter veritatem et virtutem, ut in 8.° (libro) *hujus* (operis *de Ethicis) dicetur. Veritas autem est amicus hujusmodi superexcellens, cui debetur reverentia honoris. Etiam veritas est quoddam divinum: in Deo enim primo et principaliter invenitur. Et ideo concludit, quod sanctum est præhonorare veritatem hominibus amicis. Dicit enim Andronicus peripateticus, quod sanctitas est, quæ facit fideles et servantes ea, quæ ad Deum. Juxta hoc etiam est sententia Platonis, qui reprobans opinionem Magistri sui dicit, quod oportet magis de veritate curare, quam de aliquo alio. Et alibi dicit: Amicus quidem Socrates, sed magis amica veritas. Et in alio loco: De Socrate quidem parum est curandum, de veritate multum* (1).

Quibus similia docuit S. Augustinus: *Ego enim*, inquit, *fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut*

(1) S. Thom., 1.ª *Ethicor.*, lect. 6., paragr. *b*, *c*.

nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero Litteris, quod videatur contrarium veritati; nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tamquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est. Absit hoc a pia humilitate et veraci de temetipso cogitatione (1).

Et alibi: *Neque enim quorumlibet disputationes quamvis catholicorum et laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum: tales volo esse intellectores meorum* (2).

Videri etiam potest S. Hieronimus (3), et inter Scholasticos Doctores Albertus M., Gullielmus Parisiensis, S. Bonaventura, Ægidius Romanus, Rogerius Baco, Abulensis, M. Victoria, Melchior Canus, Dominicus Bañez, Gabriel Vazquez, Gregorius de Valentia (4), aliique summi viri, qui et verbis et exemplo suo id, quod in hac altera propositionis parte contendimus luculenter ostendunt; ut id solum sufficiat ad refellendas illorum calumnias, qui nihil aliud vident in veteribus Philosophis ac Theologis nisi servilem scriptorum gregem, qui cum in verba Magistri jurassent, illius sententias, posthabita veritatis inquisitione, clausis oculis ingentique clamore propugnarent.

---

(1) S. August., Epist. 82 (ad 19) *ad Hieron.*, cap. 1. n. 3. Cfr. epist. 93 (al. 48) *ad Vincentium*, cap. 10, n. 35.

(2) Epist. 148 (al. 111) *ad Fortunatian.* Cfr. lib. 3 *de Trinit., in Prolog.; de Music.*, lib. 5, cap. 5.

(3) Epist. *ad Theophil.*, advers. Joann. Hierosolymitan.

(4) Hos omnes supra citatos vide in Introductione, num. 75.

Auctoritas tamen semper in pretio habenda etiam viris doctis.

129. Cæterum, licet rationi cedere auctoritatem apud sapientes æquum est, minime tamen auctoritas etiam a sapientibus contemni debet, sed semper in pretio et honore haberi; presertim si sermo sit de doctrina aliqua, quam non unus aut alter, sed plures magni nominis Doctores sustineant, multoque magis si diversarum sint illi Scholarum, et si rationes, quibus quis maxime in contrarium permovetur, non penitus illis latuerint, sed expensæ fuerint ac serio consideratæ. Quod si communis fuerit aliqua sententia apud auctores etiam diversarum Scholarum, id solum, etiam præcisa omni positiva et intrinseca ratione, sufficere videtur ad fundandum assensum probabilem. Neque enim facile fieri potest, ut omnes viri docti variarum ætatum, ingeniorum, studiorum et nationum, aut hallucinentur, aut passione abripiantur. Non ergo facile recedendum est a communibus Scholarum sententiis, nisi forte gravissima aliqua et evidens ratio in contrarium suppetat, vel nisi novo aliquo invento falsitas illarum demonstretur. Id quod eo ægrius tardiusque facere convenit, quo melius tristissima experientia recentiorum temporum novimus, quam sit humana mens errorum deceptionumque ludibriis sub evidentiæ specie obnoxia. Vidimus enimvero novitatum libidine, partim effreni cogitandi licentia, partim auctoritatis antiquitatisque neglectu, partim Logicæ ac Metaphysicæ oblivione ac proinde turpissima ignorantia elenchi, absurda passim in libris et scriptis dominata esse dogmata, et gravissimas quasdam doctrinas a scholis catholicis exulasse, quæ numquam exulare debuissent, quæque ab aliquot jam annis non sine ingenti labore et alacritate, hortantibus Romanis Pontificibus, plaudentibus bonis, cum maximo divinarum atque humanarum litterarum commodo et honore pristinæ dignitati restitui cæperunt.

Quid sentiendum de valore probabilitatis extrinsecæ.

130. COROLLARIUM. Disces hinc, quid sentiendum sit de illorum opinione, qui negant esse posse probabilitatem extrinsecam sine intrinseca, tanti enim valere auctoritatem, quanti valent rationes, quibus fulcitur testimonium: qua de re nonnihil superius innuimus (1). Extrinseca probabilitas in

(1) Num. 40.

hoc sensu dici potest semper supponere intrinsecam, quatenus nemo habet apud alium auctoritatem, ut dictis suis ille probabilem præbeat assensum, nisi prudenter *existimetur* vir doctus ac peritus illius doctrinæ, de qua fert testimonium. Dicere autem, ut quis alterius testimonium prudenter sequatur, compertas habere debere rationes intrinsecas, quibus rei testatæ veritas convincitur, tantumdem est, ac usum omnem auctoritatis interdicere, contra sensum communem omnium et evidentem necessitatem generis humani. Itaque solum pro doctis admitti potest tanti valere auctoritatem, quanti valeant rationes; pro rudibus autem tanta est auctoritas, quanta quomodolibet *existimari*, ac supponi prudenter potest vis illa rationum. Et sic in qualibet disciplina sunt quidam auctores *classici*, qui non aliter certe præclarum nacti sunt apud omnes nomen sapientiæ, nisi quia gravi rationum pondere magnaque copia doctrinæ libros suos conscripsere; quorum proinde sola auctoritas, saltem pro rudibus, debet normam suppeditare probabilem, quam prudenter in sentiendo et in agendo sequantur.

131. PROPOSITIO 2.a **Testimonium historicum licet plerumque solam præbeat probabilitatem: quædam tamen contingunt rerum adjuncta, in quibus testium auctoritas plena est omnique major evadit exceptione, ac proinde veri nominis suppeditat certitudinem moralem.**

Testimonium historicum sæpe solum præbet probabilitatem:

Prima pars. *Quod testimonium in re facti fidem probabilem facere sæpenumero possit*, constat ex præcedenti propositione, quia nimirum sunt casus in quibus tum veracitas testium tum notitia factorum, quæ referunt, prudenter ac rationaliter supponuntur, quemadmodum docet experientia.

Quod vero plerumque non gignat nisi opinativum assensum, ratio est, quia plerumque non est tanta testium auctoritas, ut omnem excludere valeat formidinem falsitatis propter defectum sive notitiæ, sive veracis narrationis.

quandoque tamen gignit certitudinem; si certo constet

Probatur ergo altera pars propositionis. Quædam contingunt adjuncta, in quibus indubie innotescit tum veracitas testium tum etiam scientia et notitia, quam habent illi de rebus narratis. Atqui testium indubia scientia et veracitas

plenam efficiunt auctoritatem, motivumque porrigunt menti certissimi assensus. Ergo...

Minor non eget probatione.

Major declaratur. *Quoad notitiam facti.* Nam ad recte veraciterque apprehendendum factum aliquod, satis est primo, ut illud sit in se sensibile et illustre, tale nempe, quod et clare percipi possit, et attentionem in se convertere intuentium: et secundo, ut sensus testium sint sani, bene dispositi, rite applicati. Supposita enim veracitate facultatum cognoscitivarum, ubi hujusmodi concurrunt adjuncta, error impossibilis est dicendus. Jam vero, nonne fieri potest, ut plures testes organa sensuum sanissima habentes, insigne aliquod factum contemplentur, puta populatissimam urbem, præstantissimam victoriam, clamorosum prælium, aut aliam rem ex genere illarum, quæ vel oscitantium, immo et dormientium, soleant excitare curiositatem? Si ergo factum, quod testes narrant, sit hujusmodi, timeri prudenter nequit, ne forte decepti fuerint aut hallucinati; et solum superesse adhuc poterit dubium de veracitate. notitia facti,

Quoad veracitatem. At veracitas etiam innotescere potest. Nam si testes fuerint plures, ætate, natione, studiis, ingenio, educatione, moribus aut etiam religione diversi, et nihilominus in narratione, saltem quoad substantiam, concordent, nemo sanus mendacium suspicabitur. Multoque magis, si rem testentur propriis præjudiciis contrariam, audientibus ingratam molestamque; vel si ex mendacio nullum possint sperare lucrum sive pecuniæ, sive laudis, sive alterius emolumenti, sed potius e converso timere debeant infamiam, bonorum jacturam, vincula, corporis afflictationes, mortem. et veracitas testium.

Adde etiam, quod testes hujusmodi factum renuntient publicum, cujus falsitatem, quamvis ab aliis æqualibus aut posteris facile deprehendi posset, nemo tamen, nisi forte mendacibus aut prorsus inanibus argumentis, probandam susceperit.

In his aliisque similibus adjunctis evidens est moraliter consensum testium manifesta pro se ferre signa veracitatis. Undenam enim timeri mendacium potest? Non ex conspiratione, quæ in hominibus diversarum ætatum et locorum

adesse non potest: non ex communi aliquo emolumento, nullum quippe cernitur bonum, quod homines adeo conditione diversos tangat atque alliciat: non abusus abnormis libertatis in violandis legibus moralibus, quatenus nimirum testes, nullo sibi proposito bono, immo etiam cum periculo tot malorum, mentiantur; siquidem hujusmodi abusus, si in uno solo homine difficillimus ac moraliter impossibilis est, multo magis in multis, iisque honestis. Concludendum est igitur dari quandoque adjuncta, in quibus nulla potest prudens de testium veracitate sollicitare animum formido.

Illud etiam pro confirmatione addiderim, ad divinam Providentiam spectare, ne mendacia in hujusmodi adjunctis confingi permittat, ob gravissima nimirum mala, quæ ex talibus fraudibus in religionem humanamque societatem facile redundarent.

Num unus duntaxat testis certam valeat facere fidem

132. **Quæres** autem forte, quid dicendum sit de uno tantum teste, nump ossit et ipse quandoque certam facere fidem?

Videtur non esse impossibile, ut unus etiam testis quandoque certitudinem gignat. Pone enim illum spectatissima præditum esse sanctimonia, remque testari publicam, cognitu facillimam, et coram iis illam narrare, qui potuissent ac debuissent mendacium, si quod fuisset, patefacere, et nihilominus sileant. Nemo in tali casu, opinor, vel unius viri testimonium recusaverit, quin firmissimo assensu amplectatur.

Cæterum hæc humano testimonio parta certitudo moralis est, non physica neque metaphysica, tum quia moralem habet necessitatem, tum etiam quia innititur in constantia legum moralium (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

133. **Objic. 1.°** Nunquam potest testimonium, etiam si plures testes omnino inter se consentiant, suppeditare certitudinem. Etenim singuli certe fallibiles sunt. Ergo et omnes; nam in collectione nihil aliud est, nisi testimonia singulorum.

(1) Vide Tong., *Instit. Philos. Logic.*: pars 2.ª lib. 2, cap. 7, art. 8, n. 629.

Resp. *neg.* assert.

Ad probat. *trans.* antec., *dist.* conseq. Omnes etiam sunt fallibiles, ea tamen fallibilitate, de qua constet satis, deductam ad actum non esse, *conc.*, de qua id non constet, *neg.*

Probationem consequentis pariter *distinguo*. In collectione nihil est aliud nisi testimonium singulorum, ita tamen ut hujus auctoritas plena, quæ patere aliter non solet, in collectione innotescat, *conc.*, secus, *neg.*

Objic. 2.° Nequit certitudo ex summa probabilitatum resultare. Atqui resultaret, si vera esset propositio nostra. Nam testes in collectione certam facere dicuntur fidem, cum tamen singulorum testimonium, saltem generatim, ultra probabilitatem non assurgat.

Resp. *conc.* Maj., *neg.* Minor.

Et rationem additam *distinguo;* testimonium singulorum, si seorsim ab aliis spectetur, generatim solam habet probabilitatem, *conc.*, ubi aliorum etiam accedit testimonium, *neg.* Nam singula testimonia in tali eventu, desinunt esse mere probabilia, motivumque constituunt indubitabile.

Objic. 3.° Quod singulis convenit essentialiter, convenit etiam collectioni. Atqui singulis convenit essentialiter fallibilitas. Ergo et collectioni, ac proinde nec plurium testimonium ullis in adjunctis potest certitudinem præbere.

Resp. *dist.* Major. Si collectio nihil conferat ad variandum prædicatum, quod singulis competit, *conc.;* si quid conferat ad hujusmodi variationem inducendum, *neg.*

Minorem etiam *dist.* Singulis convenit essentialiter fallibilitas in omnibus, *neg.*, in multis *subdist.*, ita ut in omnibus, in quibus est fallibilis, de facto etiam semper fallatur, *neg.*, ita ut sæpe non fallatur actu in iis ipsis, in quibus falli absolute posset, *conc.*

Et *neg.* conseq.

Instabis 1.° Atqui collectio nihil confert ad prædictam variationem. Nam in collectione minime mutatur natura testimonii singulorum testium. Ergo si singillatim fallibile est illud, fallibile quoque dicendum est in collectione.

Resp. *dist.* ant., non mutatur in collectione natura testimonii singulorum in se, *conc.*, quoad sui manifestationem, *neg.* et *neg.* conseq.

Etenim singula testimonia seorsim accepta nihil quidem in seipsis magis habent, sive accedant sive non accedant alii, rem eamdem testantes; sed tamen cum idipsum alii testantur, *manifestum redditur* id, quod etiam prius habebant, sed occultum erat, nempe veritas narrationis. Quemadmodum lumen cum objectum visibile illuminat, non illud quidem in seipso immutat, verum facit apparere ac visibile reddit. Si nos intueri possemus animum loquentis, valorem testimonii ejus immediate cognosceremus; quia vero intuitione alienarum cognitionum caremus, confugiendum nobis est ad certa quædam externa indicia, quæ potissimum relucent in collectione plurium testium, ut exinde, id quod latet occultum, manifestetur audientibus.

Instabis. 2.° Si testium plurium collectio nihil immutat in seipsa naturam testimonii, impossibile est, ut certitudinem pariat unquam.

Nam; α) singuli possunt falli et fallere seu mentiri. Ergo similiter omnes. β) Singuli profecto liberi fuerunt ad mentiendum. Atqui ubi adest libertas ad mentiendum, constare nequit, num reapse mendacium adsit. Ergo...

Resp. *neg.* assert.

Ad probationem α) *dist.* ant.: et in quibusdam adjunctis constat singulos nec decipi nec mentiri de facto, *conc.*, non constat, *neg.*; et *dist.* pariter consequens.

Ad β) eadem esto responsio, *distinguendo* Major.; liberi quidem fuerunt ad mendacium, sed quandoque constat satis, eos libertate sua mentiendi non usos esse, *conc.*, aliter, *neg.*

Contradistinguo Minor., in quibusdam adjunctis, *conc.*, in aliis, et nominatim in iis, quæ modo exposuimus, *neg.*

Et *neg.* conseq.

Dic mihi, tune mentiris quotiescumque aut potes mentiri, aut libertatem habes physicam mentiendi? Fallerisne in omnibus, in quibus fallibilis es? Minime sane, a potentia namque ad actum non valet consequentia. Itaque si certum est, testes sæpenumero vera renuntiare; tota difficultas stat in cognoscendo, quandonam vera renuntient. Idque si certo notum esse potest, certum assensus motivum præbeat eorum testimonium, necesse est; quidquid sit de physica potentia et libertate, quam habuerint illusionum ac mendacii. Atqui

ostendimus, satisque explanavimus adjuncta, in quibus nec fraus nec deceptio timeri rationabiliter potest. Vide num dubitare queas de existentia Berolini, vel Pekini, vel imperii Romani, vel Napoleonis, licet hæc ex aliorum dumtaxat relatione acceperis. Profecto si id faceres, mente captus ab omnibus habereris.

Objic. 4.° Certitudo gigni nequit nisi ex motivo aliquo necessario. Atqui nullam habet necessitatem testimonium eorum, qui capaces fuerunt erroris ac mendacii. Ergo.

Resp. *dist.* Major., ex motivo necessario sive absolute, sive hypothetice, sive metaphysice, sive physice, sive moraliter, *conc.*, ex motivo necessario solummodo absolute, vel metaphysice aut physice, *neg.*

Et *contradistincta* Minori, *neg.* conseq.

Objic. 5.° Saltem testimonium nullam retinet vim auctoritatemque, cum agitur de miraculis.

Nam: α) quemadmodum argumentatur Humius, infirmior probatio cedere validiori debet. Jam contra miraculum stat constantia legum physicarum et communis experentia, quæ plus habent ponderis, quam quævis auctoritas humana. β) Itemque, ut scribit Diderot, errare homines aut mentiri miraculum non est. Ergo id potius credendum est, quam miraculum, quod narrant.

Resp. *neg.* assert. Nam si possibilia sunt miracula, ut certe sunt, cognosci possunt, cum fiunt, et veraciter narrari ab iis, qui ea noverunt. Si ergo ex adjunctis nulla sit ratio dubitandi de testium scientia et veracitate, quidni fides sit adhibenda, etiamsi narrent miracula?

Ad α) *trans.* Major., *dist.* prim. part. Minoris. Contra miraculum est constantia legum physicarum, quæ tamen subire interdum per Dei omnipotentiam valeat exceptionem, *conc.*, constantia ineluctabilis, *neg.*

Distinguo etiam alterum membrum. Contra miraculum est communis experientia etiam facti ipsius miraculosi, quod testes narrant, *neg.*, aliorum factorum, *transeat.*

Denique *dist.* tertium membrum. Constantia legum physicarum firmius habet pondus, si quando aliunde constet in eo ipso casu, pro quo militat auctoritas testimonii, nullam fuisse in lege physica exceptionem, *conc.* Si id non constet, *neg.*

Ad β) *conc.* ant. et *neg.* conseq.

Si enim miracula possibilia sunt, quemadmodum Fides docet et alibi philosophice demonstrabitur, ubicumque adest testimonium verax ac moraliter infallibile, miraculum aliquod referens, hujus existentia rationabiliter detrectari nequit.

ARTICULUS III.

De valore Traditionis, Historiæ, cæterorumque documentorum.

Quamquam ex hactenus disputatis judicari generatim possit de humani testimonii pondere atque auctoritate, pauca quædam summatim adjicienda sunt de valore mediorum illorum, per quæ testimonium ad posteros transmittitur. Atque in primis

§ I.—DE TRADITIONE.

Quid Traditio.

134. Traditionem dicimus *narrationem, quæ per continuam testium successionem memoriam facti posteris ore transmittit.*

PROPOSITIO 1.a **Traditio, si certis conditionibus et characteribus ornetur, certam gignere fidem potest.**

Ante probationem indicandæ sunt conditiones illæ et characteres. Sit itaque traditio

Conditiones requisitæ ad ejus valorem: sit continua,

1.° **Continua** seu **perpetua,** nempe talis, ut ab ipsis immediatis et facto cöœvis testibus descendat usque ad præsens tempus absque interruptione.

ampla,

2.° **Sit ampla,** ut plures contineat testes in singulis partibus successionis atque evolutionis suæ.

illustris,

3.° **Sit illustris,** quatenus nempe factum referat publicum et illustre, quod proinde debuerit plurium attentionem excitare, atque a pluribus rite cognosci.

uniformis.

4.° **Sit uniformis,** saltem quoad substantiam, tum in testibus ejusdem generationis tum in successiva generationum serie.

Alia quæ augent ejus valorem.

5.° **Augescit vis traditionis:** α) si integra natio, primoribus ac sapientibus non exceptis, facti memoriam sancte custodiat: β) si apud varias nationes eadem, saltem quoad substantiam, traditio vigeat: γ) si solemnibus cæremoniis,

ritibus, ludis publicis festisque diebus celebretur: δ) si in ipsis urbium, fluminum, montium nominibus, sui quasi vestigia impressa reliquit: ε) denique si concordet oralis traditio cum scriptis monumentisque præteritarum ætatum (1). Jam

Probatur vis Traditionis

Probatur, traditionem his characteribus insignitam motivum præbere certissimi assensus.

Etenim certum est ex dictis in articulo præcedenti, testes immediatos unde traditio exorditur, potuisse firmam certamque fidem facere apud æquales et cöœvos illius generationis, si nempe *ampla* sit, *illustris* et *uniformis* traditio. Atqui certum quoque est ac prorsus indubitabile ipsissimum illud primitivum testimonium ad posteros per plura sæcula integrum atque immutatum transmitti posse, videlicet si traditio sit *perpetua* et in sua perpetuitate *uniformis*. Ergo...

Et re quidem vera, prima generatio, quæ veracem habuit certissimamque facti notitiam, non potuit decipere secundam generationem, facti memoriam illi communicando: «fuit enim impossibilis omnium conspiratio in mendacium, eaque ita constans et uniformis, ut mendacium a nullo audientium detegi posset, aut a nullo eorum, qui veritatem noverat, redargui.» Simili modo non potuit altera generatio tertiam decipere. «Quia conspiratio ad decipiendum in iis adjunctis supponi nequit; primo quidem ratione multitudinis; deinde vero quia prima generatio obstitisset. Etenim generationes hominum non ita sibi succedunt, ut altera penitus sublata, altera in ejus locum subintret, sed altera alteri sensim interseritur, seseque ita excipiunt, ut homines primæ, secundæ ac tertiæ generationis aliquo tempore cöœvi sint. Succrescentes igitur tertiæ generationis juvenes non a patribus modo, sed et ab avis edocentur; adeoque decipi amplius a patribus non possunt. Quod siquis processu temporis aliquid a se confictum evulgaret tamquam a senibus acceptum, hic illico præter æquales suos, contradictores haberet et senes primæ generationis, et eos omnes adolescentes, qui ab hominibus primæ generationis edocti sunt.»

---

(1) Vide Liberatore, *Institution. Philos.*, t. 1, *Logic.*, *Appendix de arte Crit.*, n. 192, pag. 239, Prati, 1881; Tongior., *Instit. Philos.*, t. 1, *Logic.*, n. 644.

Eodem pacto demonstrabis, nullam insequentium generationum aut deceptam esse aut decipere potuisse, saltem quoad facti substantiam, si eadem perseveraverint, quæ supra monuimus, adjuncta. «Quod si in aliqua traditione hæc adjuncta desint, certam illam fidem non faciet; ejusque major vel minor probabilitas ex generalibus principiis supra præstitutis erit æstimanda» (1).

Dices. Certitudo historica et traditionis, labente tempore, necesse est semper magis ac magis infirmetur, donec tandem penitus evanescat. Nam: α) Testes mediati sunt minus fide digni quam immediati, eoque sunt minus fide digni quo magis remoti. β) Facta dum per hominum ora transvolant, deformantur ac perpetuo mutantur. γ) Non pauca denique facta, quæ prius tamquam certa habebantur, inter aniles fabellas deinde amandata sunt.

Resp. *dist.* assert. Si certas habuerit conditiones, prout expositum est, *neg.*, si illas non habuerit, *trans.*

Ad α) *dist.*; si constet mediatos testes nec deceptos fuisse, nec mentiri, *neg.*, si non constet., *trans.*

Ad β) pariter *dist.* Facta levis momenti, *trans.*, facta illustriora, et quorum intersit memoriam custodire, *subdistinguo:* quoad substantiam et adjuncta essentialia, *neg.*, quoad alia, *trans.*

Ad γ) etiam *dist.* Et ea facta constabant per traditionem ac testimonium præfatis conditionibus ornatum, *neg.*, secus, *trans.* (2).

§ II.—DE HISTORIA ET RELIQUIS DOCUMENTIS.

Quid historia.

135. Historia est facti narratio scriptis commendata. In historia, et generatim in omnibus documentis scriptis, nosse oportet ante omnia, an sint: α) *authentica;* β) *integra;* γ) *non interpolata.*

Sit authentica vel genuina: non spuria vel supposita;

Authentica vel **genuina** sunt illa scripta, quæ ad eum auctorem pertinent, ad eamque ætatem, cui adscribuntur. Secus dici solent **spuria** vel supposita.

---

(1) Tong., loc. cit., n. 645, 646.

(2) Vide Tong., loc. cit., n. 662.

Integra vel **incorrupta** sunt ea, quæ nec mutilata fuerint, nec depravata, nec ullis mendis corrupta. integra vel incorrupta; non mutila vel depravata; non interpolata.

Non interpolata demum sunt illa documenta, quibus nihil additum vel insertum sit, quod auctor non scripserit. Secus dicuntur **interpolata**.

Porro ad discernenda scripta authentica ab spuriis, et integra a mutilis, interpolatis et corruptis, varia suppetunt indicia, interna et externa. Id quomodo cognoscendum.

Indicia interna. 1.° Si documentum contineat aliquid quod tempori, quo ipsum auctor scripsisse perhibetur, non conveniat, suppositum existimari debet, aut certe interpolatum. Indicia interna:

2.° «Sistilus sit diversus a noto scriptoris, cui tribuitur, aut sæculi, in quo ille vixit, suspicio merito oboritur de libri authentia: *suspicio*, inquam, non judicium certum. Ac suspicio quoque cessabit, si ratione materiæ, aut finis, aut aliorum adjunctorum legitima mutationis causa afferri possit.»

3.° «Liber, in quo memorantur personæ, nomina, facta, mores, artes, controversiæ, quæ auctore, cui tribuitur, certo posteriores sint, aut spurius est, aut interpolatus. Idem dicendum de libro, in quo recentioris scriptoris non dubia imitatio deprehendatur.»

4.° «Liber imperitia refertus ac fabellis scatens, viro gravi, prudenti, erudito, aut ex toto, aut saltem ex parte, abjudicandus est, etsi ejus nomen in codicibus præferat. Ita liber impius viro, quem pium semper fuisse constet.»

5.° «Liber, qui sententias alicujus momenti continet, iis certo oppositas, quas scriptorem, cujus nomen præfert, docuisse constat, valde suspectus esse debet; nisi aliunde sciatur, aut saltem supponi possit, auctorem data opera sententiam mutasse, aut nisi talis sit auctor, quem in contradictionem inconsulto incidisse, non mirum videatur» (1).

Indicia externa. «1.° Si codex aliquis probetur esse *autographus* (ab ipso auctore conscriptus), quæstio omnis de authentia erit dirempta; si vero codices sint *apographi* (exemplaria ab autographo transcripta), adhuc ex iis comparatis multa Indicia externa.

(1) Tongiorg., loc. cit., n. 649. Cfr. Liberatore Op. cit. t. 1, *Appendix de arte crit.*, n. 195, pag. 241.

criticus deducere poterit: α) Si in omnibus exemplaribus, etiam auctori vicinissimis, uni eidemque auctori opus tribuitur, huic tribuendum est: habet enim pro se antiquitatis testimonium; β) Si in vetustis codicibus nomen unius auctoris opus præfert, in recentioribus alterius, vetustis fides adhibenda, nisi quid obstet; γ) Si in recentioribus codicibus aliquid reperitur, quod in antiquioribus deest, interpolati documenti indicium est; si contrarium deprehenditur, mutilati.»

2.° «Si scriptores auctoris, cujus nomen liber præfert, cœvi vel suppares, aut etiam traditio constans eidem auctori librum adjudicent, non erit de auctore dubitandum. Traditionis autem testimonium eo magis habebit ponderis, si nationem universam vadem habeat, multoque magis, si liber aut annales aut leges, aut religiosa dogmata nationis contineat.»

3.° «Et contrario liber, qui antiqui auctoris nomine inscribitur, si alicujus momenti sit, ac nulla ejus mentio apud veteres occurrat, suspectus habendus est, nisi potiora argumenta probent esse genuinum.»

4.° «Documenta, quæ ab antiquioribus rejecta sunt, ut spuria, aut in dubium revocata, vix fieri potest, ut propter recentiorum auctoritatem admitti debeant, nisi rationes hi afferant omnino gravissimas.»

5.° «Si ex aliquo libro loca quædam a veteribus citata sint, eaque modo in libro ejusdem auctoris et tituli reperiantur, hoc argumento esse poterit ad librum existimandum genuinum et integrum; si non reperiantur, aut liber est suppositus pro veteri deperdito, aut mutilus est; si immutata legantur, liber est corruptus.»

6.° «Si alicujus libri multa jam exemplaria exscripta et variis in locis vulgata, lecta, in pretio habita fuisse constat, hic liber adulterari non potuit. Nam et impossibilis fuit omnium conspiratio, et si qua fraus fuisset deprehensa, omnes reclamassent» (1).

Hæc tamen præcepta parum proficient, nisi homines, qui antiquitatis studio navant operam, naturalem habeant judicii

(1) Tong., loc. cit. n. 650. Cfr. Liberatore, loc. cit. n. 195, pag. 242.

rectitudinem, animumque maturum, sagacem, diligentem, præjudiciis alienum, temperatum, eximie studiosum veritatis.

136. PROPOSITIO 2.ª **Historica documenta, supposita eorum authentia, integritate atque incorruptione, certam quandoque fidem obtinere possunt.**

Valor historicorum documentorum probatur.

Et ratio est, quia in quibusdam adjunctis constare potest historiographos, aut generatim auctores documentorum veterum, facta, prout evenerunt, cognovisse, veraciterque narrasse, dummodo authentica sint et incorrupta hujusmodi scripta. Ergo, quoniam non desunt indicia sive interna sive externa incorruptionis et authentiæ certo agnoscendæ, historica documenta certitudinem gignere queunt.

Prob. antec. Si enim factum fuerit sensibile, publicum, illustre, nec absurdum, aliisve factis aut veritatibus omnino certis contrarium, scriptor autem sit cœvus, vel traditionis legitime organum: vel si ex publicis ac certis documentis aut monumentis facti memoriam deprompserit; nequit prudenter dubitari, quominus veracem rei notitiam habuerit secundum ea, quæ generatim diximus in articulo præcedenti de testium scientia.

Sed veracitas etiam historiographorum certa fieri potest. 1.° «Si documenta historica sint plura et concordia, saltem quoad facti substantiam, licet historicorum diversa natio, secta, studia fuerint,» ut in simili exposuimus de testium veracitate.

Quid si unus dumtaxat historicus.

2.° «Etiamsi unus sit historicus, certam faciet fidem: α) Si facta narret, quorum veracitatem corrumpi aut vitiari, aut quorum falsitatem ad posteros promanare, ii, inter quos scribebat, passuri non fuissent: si tamen constat et scriptum fuisse illis notum, et neminem contradixisse: β) Si scriptor publico nomine historiam suorum temporum exaraverit: γ) Si scriptor etiam post vulgatam, quam scripsit, historiam, viri probi, integri morumque sanctimonia præstantis opinione, apud cœvos et posteros floruerit: δ) Si documenti veracitatem legitima traditio testetur, ipsumque documentum fuerit sedulo semper asservatum, magnoque in pretio apud aliquam gentem habitum.»

«Adjuncta hæc plenam historiæ fidem vindicant: quæ, ubi non suppetunt, probabilitate, si detur, contentos nos esse oportet. Hæc autem probabilitas ex dotibus adjunctisque scriptorum facti qualitate comparatis, juxta superius præstitutos canones, æstimari poterit. Si vero auctor affirmet se ex antiquioribus documentis aut monumentis excerpsisse, quæ narrat, aut ab aliis scriptoribus, a traditione, a fama ac populari rumore accepisse, et hoc, quod affirmat, verum haberi possit, tantum meretur fidei, quantum fontes ex quibus factorum notitiam hausit. Quod si scriptor cœvus non sit, et nullum narrationis suæ fundamentum alleget, vix poterit huic aliquando fides præstari» (1).

In æstimanda historicorum documentorum veracitate aptissimo argumento esse potest modus ipse narrationis, ut etiam notatum suo loco est, cum generatim de cujusvis humani testimonii auctoritate disputabatur.

Quid si cœvi scriptores sileant.

«Restat, ut hoc loco aliquid innuamus de vi ac pondere argumenti negativi, quod ab historicorum silentio deducitur. Duo in primis casus distinguendi sunt: 1.° Si ex historicis facto cœvis aliqui ejus mentionem faciant, aliqui de illo sileant: 2.° Si omnes cœvi sileant, ac solummodo posteriores factum narrent.»

«In primo casu notandum est, non perinde esse factum tacere ac factum negare, nisi adjuncta accedant, quæ silentium negationi æquivalens faciant.»

Itaque considerandum 1.° an, qui tacent, facti notitiam habuerint, aut habere potuerint: 2.° an factum sit alicujus momenti, et quod memoria dignum omnibus videri debuerit: 3.° an oblivioni aut negligentiæ factum adscribi possit: 4.° an habuerint omnes occasionem ac motivum ea de re scribendi: videlicet an eorum scopo et consiliis narratio congrueret, an materiæ junctura, atque orationis ductus eam requireret, an seu privatis seu publicis commodis opportuna acciderent. 5.° Denique, an verosimile sit, rationem iis aliquam silendi fuisse, sive metum, sive odium, sive gentis amorem, sive adulationem, sive præjudicium, et similes.

---

(1) Tong., loc. cit., n. 653, 654. Cfr. Liberatore, ibid. n. 193, pag. 239, seq.

«Si nulla ex his hypothesibus admitti possit, multoque magis si contraria omnia obtineant, tum sane silentium negationis instar erit habendum. Comparandæ igitur erunt auctoritates, ut fit in conflictu testium, atque hinc judicii normæ desumendæ. Cæterum si utriusque gravis est auctoritas, multo erit æquius, saltem ut plurimum, eos, qui siluerunt, oblivionis aut etiam negligentiæ insimulare, quam eos qui factum narrant, mendacii: cum in gravi viro, difficilius hoc, quam illa supponatur.»

«In altero casu magnum certe contra narrantes insurgit præjudicium. Unde enim cognovere recentiores id, de quo veteres omnes nihil tradiderunt? Nisi aliunde ostendi possit, testes orali traditione legitima usos esse, præsumendum erit non aliunde id cognovisse recentiores, quam ex populari fama, cui fides caute parceque admodum adjungenda.»

«Nihilominus ut in hoc quoque casu argumentum concludat, duo innotescere debent: 1.° Scriptores illius ætatis omnes, saltem nobilissimos et accuratissimos ad nos usque pervenisse, eorumque scripta integra esse: 2.° nullam solidam rationem reddi posse silentii, quod apud veteres obtinuit. Si enim hæc ratio reddi potest, horum silentium nec scientiam posteriorum scriptorum nec veracitatem oppugnant» (1).

Monumenta

137. **De monumentis** seu operibus artis, quæ ad facti alicujus memoriam conservandam excitantur, nihil est quod speciatim adjungamus: habebunt nempe vim probandi, «si fuerint: α) *authentica:* β) *factis contemporanea:* γ) *traditioni legitimæ et documentis minime adversantia.* De quibus omnibus, ut rectum judicium feratur, varium ac multiplex eruditionis instrumentum requiritur, *historia civilis, politica et artium, chronologia, numismatica, palæographia, philologia*, quibus fere disciplinis *archæologia* constat. Sed hic quoque animadvertendum est, apparatum hunc omnem parum profuturum, si quis naturali sagacitate ac recte ratiocinandi usu destituatur, aut si ingenio prævaleat imaginatio» (2).

---

(1) Tong. loc. cit. n. 656-659, Cfr. Liberat. loc. cit. n. 193, pag. 240.

(2) Tong., ibi., n. 652. Cfr. Liberat., n. 194, p. 241.

ARTICULUS IV.

De sensu communi naturæ.

138. Ad complementum doctrinæ, quam in hoc capite tradidimus, restat, ut de valore etiam atque auctoritate sensus communis breviter disputemus (1).

Quid sensus communis.

Est autem sensus naturæ communis consensio vel persuasio gentium omnium de aliqua re. Et ideo vocatur eo nomine, quia quæ omnes communiter sentiunt, ex ipso naturæ dictamine proficisci creduntur, nec tribui possunt educationi, studio aliisve causis personalibus, quæ diversæ in diversis subjectis ac nationibus solent esse.

Sæpe etiam, potissimum apud recentiores, nomine sensus communis facultas ipsa intellectiva, quæ judicia hæc pronuntiat, designatur. Et sic dici passim consuevit: *Iste homo non habet sensum communem*, de illis hominibus, qui ita de rebus quibusdam sentiunt, quasi carerent facultate judicandi, sicut cæteri judicant.

Inesse hujusmodi judicia apud omnes gentes communia, uniformia et stabilia negari nequit. Talia sunt hæc: *Corpora existunt; Parentes honorandi sunt; Discrimen adest inter honestum ac turpe; Bonum est faciendum, malum est vitandum; Certa corpora certorum sunt effectuum causæ; Existit ens aliquod supremum eique cultus impendendus est:* aliaque id genus non pauca, quæ generatim sunt judicia intelligentiæ immediata, vel quæ obvia quadam facillimaque ratiocinatione deducuntur.

Confutantur cæci instinctus patroni.

Non enim audiendi sunt, qui communia hæc judicia facultati, nescio cui, assignant distinctæ ab intelligentia et ratione, quæ instinctu quodam cæco atque impetu naturæ uniformes hasce sententias pronuntiet. Non enim multiplicandæ sunt facultates absque necessitate; persuasiones vero istæ communes, cum omnes sint judicia sive immediata sive mediata,

(1) Cfr. de hac materia inter alios P. Sanctus Schiffini, *Principia philos.*, n. 323, seqq.; Tongiorgi., *Instit. philos. Logic.*, n. 618 seqq.

omnesque plus minus nativa sua fulgeant evidentia, spectare jure suo dicendæ sunt ad intellectum, prout munere fungitur intelligentiæ vel rationis. Quare nihil mirum, si nulla reperiantur in tota antiquitate vestigia instinctus hujusmodi vel facultatis, cui adscribenda sint judicia illa communia, quæ sensus naturæ communis esse dicuntur (1).

139. PROPOSITIO. **Sensus naturæ communis, vel universalis omnium consensus, nisi evidens aliqua ratio contra ocurrat, probabile suppeditat argumentum; immo potest etiam moralem gignere certitudinem, si certis quibusdam ornetur conditionibus.**

Sensus communis probabilitatem suppeditat;

Prima Pars. Nam si plurium gravium virorum testimonium probabilitatem facit, a fortiori omnium hominum idem testantium consensus.

Eo vel magis quod, si omnes homines diversi loco, educatione, studiis ceterisque adjunctis in uno consentiant, eo ipso maxima inest præsumptio et conjectura, quod ea sit vox naturæ. Nam: *Omni in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda est* (2). Atqui fieri nequit, ut natura in omnibus deficiat, et erret.

Quamobrem vere scripsit Seneca: *Multum dare solemus præsumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri; tamquam deos esse, inter alia sic colligimus, quod omnibus de diis opinio insita est, nec ulla gens usquam est adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos deos credat. Cum de animorum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium* (3).

Dixi consensum generis humani probabile præbere argumentum veritatis, quia non semper certitudinem gignit, sed tum solummodo, cum quædam contingunt adjuncta mox

(1) Videri potest in hanc rem P. Aloysius Taparelli, *(Saggio teoretico di diritto naturale*, Dissert. 1, cap. 4, n. 81 seqq.), ubi ostendit nullam esse necessitatem invehendi novam aliquam potentiam pro judiciis sensus communis.

(2) Cicero, lib. 1, *Tuscul Disput.* XIII, n. 30.

(3) Epist. 117.

declaranda. Neque enim repugnat omnes homines in re aliqua errare, ut errarunt per plura sæcula circa motum solis, antipodum impossibilitatem, soliditatem cœlorum, aliaque id genus. Nihilominus tanta est semper generis humani auctoritas, ut ab ejus universali consensu, nisi rationes evidentes diligenterque perpensæ nos cogant, recedere non liceat.

immo et moralem certitudinem in quibusdam adjunctis.

Probatur 2.a pars. Dari queunt judicia quædam hujusmodi communia et universalia quæ: α) diuturna fuerint et constantia, quin obliterari unquam potuerint ipso scientiarum progressu, sed potius confirmari; β) nec proinde profluere possint ex ignorantia causarum naturalium, præjudiciis, morum corruptela, superstitione vel ex aliis minus honestis radicibus; γ) nec repugnent aliis certis rationis principiis; δ) et ad vitam et mores recte instituendos haud parum conferant. Atqui judicia, his conditionibus prædita, falsitate turpari nequeunt. Ergo sensus communis in quibusdam adjunctis firmam facere valet fidem.

Minor constat, quia hujusmodi judicia manare nequeunt nisi ex puro rationis lumine vel, ex primitiva quadam humani generis traditione, quæ in omnes deinceps gentes sese diffuderit. Si enim effectus communis et constans causam vindicat communem et constantem, persuasio etiam communis omnium uni communi principio referenda est. At in tanta nationum varietate ac diversitate, exclusis præjudiciis, ignorantia et cæteris vitiis naturæ, nihil remanere potest in omnibus commune præter lumen ipsum rationis aut traditionem aliquam primis auctoribus generis humani factam.

Jam lumen rationis naturale verax est, nec errare potest in judiciis immediatis, nec in mediatis facillima ratiocinatione deductis. Nec traditio etiam hujusmodi, nisi vera fuisset, falsitatem suam ab omnium hominum oculis abscondere potuisset. Dicendum ergo est sensum naturæ communem posse in quibusdam adjunctis moralem gignere certitudinem.

Habes hic aliam novam confirmationem traditæ a nobis superius doctrinæ, circa valorem probabilitatis extrinsecæ atque auctoritatis, præcisione facta a rationum internarum propriarumque, quibus veritas fulcitur, consideratione (1).

(1) Vide supra n. 40 et n. 130, *Corollarium*.

Nam valor ac pondus communis sensus ad faciendam fidem in hac propositione non spectatur secundum intrinsecas rationes rei assertæ, verum secundum auctoritatem generis humani; ita ut sufficiat ad constantiam, diuturnitatem cæterasque illorum judiciorum modo expositas notas attendere, ut illa pro veris habeantur, ex eo quod ab omnibus tenentur, independenter ab internis rationum momentis, quibus etiam procul dubio fulciuntur, cum sint evidentia. Hoc modo passim recentiores in naturali Theologia, post alia congesta argumenta, ut probent existentiam Dei, ad sensum communem omnium hominum et nationum confugiunt, quo in argumento evolvendo, ostendunt dumtaxat consensum humani generis in attestanda Numinis existentia, iis gaudere notis, quæ ipsum infallibilem reddant.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

140. **Objic. 1.°** Non pauca fuerunt judicia omnibus populis diu communia, quæ falsa reperta sunt, quales sunt opiniones de malis omnibus eclipsium et cometarum, de cœlis solidis, de antipodum impossibilitate, aliæque id genus. Ergo nulla est vis sensus communis ad gignendam fidem.

Resp. *neg.* conseq.

Judicia hæc non sunt ex eorum genere, quæ moralem gignant certitudinem, siquidem ex ignoratione causarum naturalium profluxerunt et repugnant aliis certis principiis. Quamvis olim suam habere potuerunt probabilitatem, et ab ipsis etiam sapientibus communi calculo accipiebantur. Id autem aliud non probat, quam quod consensus, etiam omnium hominum, per se non repugnet falsitati, nec proinde gignendæ certitudini, sufficiat, nisi quædam alia indicia accedant: id quod ultro concedimus.

Objic. 2.° Communis omnium populorum opinio polytheismum amplexa est; et nihilominus falsum illum esse demonstratur. Ergo.

Resp. *neg.* antec. quoad primam partem; *conc.* quoad alteram. Tum *neg.* conseq.

Alibi namque ostendetur, polytheismum non fuisse communem omnium populorum errorem. Consequentia vero negatur, quia, dato etiam opinionem de pluralitate deorum apud

omnes populos viguisse, nihil conficietur, cum opinio illa non sit de numero eorum judiciorum, circa quæ infallibilitate gaudeat sensus communis, siquidem evidenti rationi refragatur.

Objic. 3.° Existentia Dei est una ex veritatibus ad sensum communem expectantibus, itemque honor parentibus debitus et universalissimum præceptum vetans malum aliis facere. Atqui multi negaverunt existentiam Dei, nec defuerunt populi, qui parentes senes interficerent, ac furtum permitterent. Ergo.

Resp. 1.° *Transeat* totum, et *neg.* conseq. Hoc enim argumento non tangitur thesis; neque enim eo probatur generalem consensum hominum, *cum adest,* fidem facere, sed tantum contenditur *non adesse* consensum illum generalem circa quasdam veritates, ac proinde non esse apta quædam exempla afferri solita, cum vis et natura illius consensus explicatur.

Resp. 2.° Falsum esse id, quod dicitur de Dei existentia, ut nunc supponimus ex naturali Theologia. Id etiam, quod dicitur de populis aliis parentes interficientibus, nihil valet; quia barbari illi non ignorabant honorem parentibus esse tribuendum, sed tantum errabant in praxi, existimantes majorem se illis misericordiam exhibituros esse, si senio gravatos hujus vitæ ærumnis liberarent. Denique de aliis furtum permittentibus similis esto responsio. Noverant illi profecto malum non esse faciendum, sed in quibusdam casibus particularibus ex ignorantia vincibili credere potuerunt, furtum, propter finem aliquem laudabilem, permitti posse. Sed hæc ad moralem Philosophiam spectant.

CAPUT III.

DE IGNORANTIÆ ATQUE ERRORUM CAUSIS.

141. Explicatis fontibus ac mediis veritatis assequendæ, quibus a providentissimo Auctore naturæ instructi sumus, sequitur, ut causas etiam aperiamus, cur, licet media illa ad finem suum assequendum aptissima sint, multa nihilominus ignoremus, pluresque passim admittamus errores. Diximus

alibi (1) ignorantiam esse scientiæ carentiam; error autem est cognitio positive difformis objecto, vel aliter *error... est approbare falsa pro veris: unde addit actum quemdam super ignorantiam. Potest enim esse ignorantia sine hoc, quod aliquis de ignotis sententiam ferat, et tunc ignorans est, et non errans; sed quando jam falsam sententiam fert de iis, quæ nescit, tum proprie dicitur errare* (2).

Discrimen ignorantiæ ab errore.

Nota autem bene, judicium falsum posse ese probabile ac prudens; ac tum proprie non videtur dari error nisi tantum *materialis;* error enim *formalis* continet, si in rigore loqui velimus, judicium falsum, quod improbabile sit atque imprudens. Quare dicitur error esse peccatum, præsumptionis nempe; *non enim est absque præsumptione, quod aliquis de ignoratis sententiam ferat, et maxime in quibus periculum existit* (3). Nihilominus, cum errorum causæ investigantur, error latius accipitur pro falsa simpliciter cognitione.

Error formalis et materialis.

Jam causæ ignorantiæ atque errorum aliæ sunt internæ, aliæ externæ. Causas internas voco illas, quæ sunt intra ipsum hominem, qui decipitur vel ignorat, externas autem alias, quæ extra ipsum sunt.

Causæ errorum possunt esse internæ et externæ.

142. Prima causa interna erroris ignorantiæque, est nativa intellectus imbecillitas et difficultas cognoscendi res. At quoniam intellectus habitudinem importat ad objectum cognoscendum, et cognitio ipsa peragitur ex concursu objecti et intellectus, dubitari potest, utrum difficultas hæc cognoscendi proveniat potius ex defectu virtutis intellectivæ, an vero ex gradu intelligibilitatis in objecto. *In omnibus*, inquit Angelicus, *quæ consistunt in quadam habitudine unius ad alterum, potest impedimentum dupliciter vel ex uno vel ex alio accidere, sicut si lignum non comburatur, hoc contingit, vel quia ignis est debilis, vel quia lignum non est combustibile: et similiter oculus impeditur a visione alicujus visibilis, aut quia est debilis, aut quia visibile est tenebrosum. Sic igitur potest contingere, quod veritas sit difficilis ad cognoscendum, vel propter defectum, qui*

Undenam procedat difficultas cognoscendi res, utrum ex imperfectione intellectus, an ex defectu rerum ipsarum.

(1) Superius n. 34.

(2) S. Thom., Qq. disput., *de Malo*, quæst. 3, art. 7. Cfr. Suarez, disput. *Metaph.* 9, sect. 1, n. 20.

(1) S. Thom. ibid.

est in ipsis rebus, vel propter defectum, qui est in intellectu nostro (1). Qua de re sunt variæ sententiæ.

Prima tenet totam difficultatem veras de rebus cognitiones assequendi sitam esse in imperfectione nostri intellectus: quæ est opinio Scoti, Majoris et Antonii Andreæ (2).

Alii totam difficultatem referunt ad res ipsas, quemadmodum videtur existimasse Heraclitus Ephesius, qui nihil esse in rebus, saltem sensibilibus, stabile, nihil fixum et immutabile ratus, negavit posse sensus, aut etiam intellectum, sensuum relationi innixum, ullius rei veritatem assequi (3).

Prima causa interna.

Tertia denique sententia inter duas hasce media, existimat difficultatem prædictam provenire partim ex intellectu, partim ex ipsis rebus cognoscendis. Quædam namque sunt in se maxime intelligibiles, quales sunt substantiæ immateriales, et hæ non satis percipiuntur ex intellectus nostri imbecillitate. Quo spectat celebre dictum Aristotelis: *sicut oculus noctuæ ad lumen solis, ita se habet mens nostra ad manifestissima naturæ* (4). Unde etiam ortum habuit vulgaris distinctio veritatum in per se notas *quoad se*, licet nobis non sint notæ, et in per se notas *quoad nos*. Quædam vero aliæ sunt res, quæ non facile possunt a nobis percipi ob ipsarum imperfectionem ac parvam intelligibilitatem: ac tales sunt generatim res materiales, quæ, quo magis habent de potentialitate, eo minus aptæ sunt, ut a finito intellectu cognoscantur.

Declaratur hujus opinionis doctrina exemplo visus. Quædam enim oculi non possunt videre ob suam præstantiam et excessum lucis, ut *solem;* alia vero ob suam imperfectionem ac defectum lucis, ex quo fit, ut nequeant in potentiam visivam agere immutando excitandoque illam per species sensibiles ad actum visionis. Ita sentiunt Albertus M. (5) et S. Thomas (6), Averröes aliique, «quos cæteri tam Thomistæ

(1) S. Thom. Lib. 2. *Metaph.*, lect. 1. paragr. *c.*

(2) Apud Fonseca, *Metaph.* lib. 2, cap. 1, q. 1, sect. 1; et Suarez, disput. *Metaph.* 9, sect. 3, n. 2.

(3) Vide Card. Gonzalez, in sua Historia Philosophiæ, vol. 1, paragr. 32. fin.

(4) Arist., lib. 2, *Metaph.*, cap. 1.

(5) In lib. 2.um *Metaph.*, cap. 1.

(6) In lib. 2.um *Metaph.*, lect. 1 paragr. *c.*

quam Averroistæ, sequntur,» inquit Eximius Doctor (1), qui hanc sententiam egregie declarat atque ab objectionibus vindicat (2).

Et in primis, quod difficultas cognoscendi non tota se teneat ex parte intellectus nostri, probatur. *Cum enim unumquodque sit cognoscibile, in quantum est ens actu..., illa, quæ habent esse deficiens et imperfectum, sunt secundum se ipsa parum cognoscibilia, ut* **materia, motus** *et* **tempus** *propter esse eorum imperfectionem, ut Böetius dicit in libro de* **Duabus naturis** (3).

Et confirmatur etiam ex experientia, nam quasdam res imperfectissimas, ut sunt *materia, motus, tempus* etc., difficillime cognoscimus, cum aliquas alias perfectiores facilius cognoscamus. Id ergo signum est difficultatem in cognoscendo etiam provenire ex objectorum ipsorum imperfectione.

Verum nec difficultas ista tota referenda est in objecta, sed etiam partim, immo principaliter, derivatur ex intellectus nostri limitatione. *Quia si difficultas esset principaliter ex parte rerum, sequeretur quod illa magis cognosceremus, quæ sunt magis cognoscibilia secundum naturam suam, quæ sunt maxime in actu, scilicet entia immaterialia et immobilia, quæ tamen sunt maxime nobis ignota. Unde manifestum est, quod difficultas accidit in cognitione veritatis, maxime propter defectum intellectus nostri* (4).

Qui defectus et limitatio virtutis intellectivæ nostræ supponenda est etiam in difficultate, quæ ex parte objectorum se tenet. Certum enim est, quod si intellectus humanus non haberet limitatam virtutem, facile cognosceret quidquid quomodolibet cognoscibile est, utcumque imperfectissimum et potentiale foret, quemadmodum divino intellectui nihil impervium esse potest.

Dici ergo potest, quantum attinet internam causam difficultatis in cognoscendo, illam «oriri ex improportione, quæ est inter intellectum nostrum et objecta intelligibilia. Impro-

(1) Disp. *Metaph.* 9, sect. 3, n. 4.
(2) Ibidem per totam sectionem.
(3) S. Thom., loc. nup. cit.
(4) S. Thom., loc. nup. cit.

portio autem hæc in utroque extremo, intellectu scilicet et objecto, fundatur, non tamen eodem modo; nam respectu rerum inferiorum (homine) fundatur in imperfectione earum juncta imperfectione intellectus non habentis vim ad attingendam, ut ita dicam, minimam intelligibilitatem talium rerum. In rebus autem superioribus homine fundatur in excessu perfectionis, quam imperfectio nostra satis capere non potest. Atque ita fit, ut fere in rebus omnibus difficile nobis sit veritatem invenire.»

«Accedit etiam, quod in singulis rebus et quæstionibus veritas una est, falsitas autem multiplex, quia multis modis a veritate recedi potest, multaque possunt habere apparentem similitudinem alicujus rei, quæ revera non sunt. Et inde etiam fit, ut veritatis inventio difficilis sit, lapsus autem in falsitatem facilior atque frequentior» (1).

Hæc ergo prima causa est ignorantiæ atque errorum, quæ tolli penitus in hac misera vita nequit, solumque remedium aliquod adhiberi potest studio et attentione, ut numerus errorum, qui necessario esse debebunt, spectata conditione rerum et intellectus nostri, sit quam minimus.

Altera causa interna, sensuum deceptiones.

143. Altera causa interna ignorantiæ atque errorum sita est in deceptionibus sensuum nostrorum, qui, quamvis per se veraces sint, falluntur tamen non raro per accidens, et intellectui quoque præbent ansam errandi. Cavendæ itaque sunt accuratissime sensuum illusiones.

Tertia causa, voluntas.

144. Tertia errorum causa est in voluntate, cui multimodis plurium errorum culpa tribuenda est, vel quia negligentiam et fastidium attente studendi non excutit, et mentem a sufficienti rei consideratione avertit, aut sinit averti; vel quia præjudicia seu alios præconceptos errores excludere intellectum non jubet; vel quia præpostere ordinat studia, vel quia affectibus se sinit abripi, et intellectum inclinat ad judicandum secundum illos.

Quo etiam revocari possunt passiones appetitus sensitivi, ac potissimum luxuria et gula, quæ, dum spiritum immergunt in materia, aciem mentis hebetant, studiumque penitus

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 9, sect. 3, n. 13. Cfr. Cosmas Alamanni, *Summ. Philos.* prim. part., quæst. 37, art. 4.

interimunt immaterialium contemplandorum. Nam *ex luxuria oritur cæcitas mentis*, scribit Angelicus, *quæ quasi totaliter spiritualiorum bonorum cognitionem excludit; ex gula autem hebetudo sensus, quæ reddit hominem debilem circa hujusmodi intelligibilia. Et e converso oppositæ virtutes, scilicet abstinentia et castitas, maxime disponunt hominem ad perfectionem intellectualis operationis* (1).

145. Causæ externæ ignorantiæ et errorum revocari possunt ad aliorum magisterium, qui, qua voce, qua scriptis, aut erronea docent, aut certe perversa methodo scientias tradunt. Qua in re tempora vere miserrima attigimus, in quibus erectas quaquaversus cathedras omnis pestilentiæ videmus ad perniciem improvidæ juventutis, et interitum avitæ Fidei ac religionis et bonorum morum veræque Philosophiæ. Quid autem dicam de stilo scribendi, loquendique ac de methodo disciplinas tradendi, quæ videtur omnino ad tenebras offundendas, ad corrumpenda ingenia et ad errores omnis generis impune spargendos excogitata? Nihil est in plurimorum magistrorum scriptis recte definitum, nihil apte divisum, nihil ad severas argumentandi leges exactum, sed omnia æquivocationibus plena, verborum phaleris ac metaphoris involuta, oratorio stilo amplificata, levissime tractata, ut nec intima rei viscera supremæque causæ pateant, nec adversæ rationes, quæ obstare possent ac nebulis mentem offuscare, dissipentur, nec proinde veritas in suo splendore innotescere queat.

Causæ externæ. magisterium aliorum et perversa methodus.

(1) S. Thom., 2. 2. q. 15, art. 3.

LIBER II.

DE NATURA ATQUE ELEMENTIS SCIENTIÆ.

Scientia demonstratione gignitur; demonstratio vero genus quoddam est argumentationis vel dicursus, quæ proinde principiis eget, atque immediatis propositionibus, ac tandem in universales notiones resolvitur. Antequam ergo scientiæ naturam, divisiones ac proprietates aggrediamur, de universalibus prius, ac de principiis et demonstratione disputandum est.

DISPUTATIO PRIMA.

DE UNIVERSALIBUS.

146. Quæstio de Universalibus adeo nonnullis ardua visa est, ut Melchior Canus, haud tardi sane vir ingenii, eam post diuturnum studium diligentemque meditationem, capere se nunquam potuisse fateatur (1). Quamobrem auctor est Philosophis, ne in tam molesta, rei cæteroquin parum utilis, tractatione tantum otii et laboris impendant.

Momentum tractationis.

Equidem tractationis difficultatem ac molestiam non diffiteor; summam vero utilitatem ac momentum inficiari nequeo, cum videam de ipso scientiarum objecto agi, in quo declarando maximi quique plurium sæculorum Philosophi omni diligentia adlaborarunt. Cum potissimum tristissima experientia compertum nostris temporibus habeamus, turpissima pantheismi aliorumque errorum deliramenta non aliunde, quam ex neglecta penitus aut perperam intellecta doctrina de Universalibus, promanasse.

(1) *De Locis Theologicis*, lib. 9. cap. 7.

CAPUT I.

DECLARATUR
UNIVERSALIUM CONCEPTUS.

ARTICULUS I.

Notio Universalis enucleatur.

147. Universale generatim est unum habens ordinem ad plura; et aliud est simplex seu incomplexum, aliud complexum. Complexum est propositio universalis, ea nimirum, cujus veritas importat plurium singularium veritatem, ut v. g. *Omnis homo est animal.* Imcomplexum autem, de quo solo nobis est agendum, est *aliquid simplex ordinem habens ad plura.* Sed quoniam ordo ad plura multiplex esse potest, varia quoque distinguuntur universalis incomplexi genera: aliud enim est universale in *causando*, aliud in *significando* aut *repræsentando*, aliud in *essendo*, aliud demum in *prædicando* (1).

Universale quid generatim: aliud complexum, aliud incomplexum.

Quid incomplexum et quotuplex.

Universale in causando est causa (sive efficiens sive formalis) omnium vel plurium effectuum. Sic Deus est causa universalis rerum omnium creatarum. Universale in significando est unum aliquid, quod multa significat, ut vox, vel etiam conceptus, *homo*, *planta*, *lapis;* vox enim aut conceptus ejusmodi, cum sit una quædam res singularis in sua physica entitate, assumitur tanquam signum ad plura alia individua exprimenda. Huc etiam revoca universale in repræsentando, quod multa repræsentat, quemadmodum figura circuli descripta in pariete gerit imaginem ac repræsentationem omnium possibilium circulorum, et conceptus *hominis* est pariter imago individuorum omnium generis humani.

Universale in causando,

in significando,

in repræsentando,

(1) Vide Suar., disp. 6. *Metaph.*, sect. 8. n. 2; Dominicum Sotum, *in Porphyrii Eisagogen*, de *Prædicabilibus*, q. 1; Toletum, Conimbricenses, et Rubium in eumdem locum; Fonseca, *Metaph.* lib. 5., cap. 28, q. 1, aliosque passim Scholasticos de hac materia scribentes.

in essendo et prædicando.

Universale in essendo definitur ab Aristotele: *quod pluribus inesse natum est* (1). Universale vero in prædicando, *quod de pluribus prædicari natum est* (2).

De quo agendum hic.

Nostrum non est nunc de universali in causando seu de causis universalibus disputare, sed de universali potissimum in essendo ac etiam in prædicando; quod proinde accuratius enucleandum est.

Declaratur descriptio universalis in essendo.

Est ergo universale in essendo: *unum aliquid aptum inesse multis secundum totam sui rationem*. Dicitur *aliquid*, nempe natura quævis seu essentia: *unum*, id est, actu indivisum, non solum nomine, sed ratione; secus enim non erit aliquid idem, quod a pluribus participetur, aut certe non amplius habebitur *universale*, sed *universalia*. Hac ergo particula, inquit Toletus, «excluduntur primo complexa, quoniam, ut talia, non sunt unum nomine: excluduntur etiam æquivoca, quia non sunt unum ratione» (3). Atque idem dicendum de analogis, potissimum per extrinsecam denominationem, si loqui proprie velimus. Præterea dicitur: *aptum inesse multis*, et quidem per identitatem, secus enim foret singulare, non vero universale. Natura porro universalis ita debet esse apta inesse multis, ut in illis multiplicetur realiter, nam, nisi multiplicetur illa, non erunt multa, sed unum: qua de causa na-

---

(1) Vide Arist. et S. Thom., lib. 7. *Metaph.*, lect. 13, paragr. 6.

(2) Vide eosdem, *Periherm.*, lib. 1, lect. 10, initio.

(3) Tolet. *Logic.* In *Proœm. Porphyrii*, quæst. 1, ubi post verba citata sic pergit loquens de analogis: «Analoga vero, quia sunt unum quidem nomine et conceptu formali, et ita quodammodo unum ratione sed inæqualiter participati, qualia sunt *unum*, *ens*, *bonum*, ac similia; ideo ab Aristotele quibusdam locis universalia ista, scilicet *unum*, *ens*, *bonum*, vocantur, ut 3.°, *Metaph.*, c. 3, et 4. (Cfr. S. Thom., ib. lect. 12, paragr. *c.*), cum ait *ens* et *unum* esse maxime *universalia*; et lib. 4, cap. 2 (Cfr. S. Thom. ib lect. 4, paragr. *f.*), tot, ait, esse species unius, quot sunt species entis: quibusdam vero aliis in locis id negare videtur ut 4, *Metaph.*, c. 2, cum ait *ens* et *unum* non esse *universalia* et eadem in omnibus; et 1.° *Ethicor.*, c. 6. ait, *bonum* æque ac *ens* non esse quidquam *universale* ac unum, quia in omnibus prædicamentis reperiuntur. Sunt enim universalia analoga et transcendentia; non universalia univoca, quæ sint vere genera aut species. Oportet ergo, proprie universale sit unum, scilicet incomplexum et univocum.»

tura divina, licet tribus insit Personis Augustissimæ atque Ineffabilis Trinitatis, singularissima est, quia eadem ipsissima indivisibilis atque inmultiplicabilis est in illis. Unde vides non omnino esse idem *universale* atque *commune*, quia *commune, quantum est de se, non determinat rei communitatem vel rationis, sicut universale: et ideo essentia* (divina) *potest dici communis, non autem universalis* (1).

Discrimen universalis et communis

Denique dicitur in definitione *secundum totam sui rationem*, ita nimirum ut natura illa *tota*, seu secundum totam suam actualitatem, vel notarum comprehensionem, possit pluribus inesse per identitatem.

Hoc modo tota ratio *plantæ*, *animalis*, *hominis*, reperitur in singulis individuis harum specierum; unde natura, quam exprimit vox et conceptus communis *planta*, *animal*, *homo*, talis est, ut divisibilis sit in plura, quæ singillatim integram illius rationem possideant, estque proinde universalis respectu eorum. E converso quantitas bipalmaris, quamvis dividi possit in binos palmos, quia tamen in singulis palmis non inest tota quantitas illa bipalmaris, ideo non est universalis respectu illorum. Idemque dicendum est de quovis composito respectu partium, quibus aut constituitur, aut integratur (2). Et ita etiam patet animam humanam, licet sit tota in singulis partibus corporis, universalem non esse, tum quia non inest per identitatem, tum quia non multiplicatur in iisdem.

Cur per aptitudinem describatur universale.

Notandum porro est universale describi a Philosopho potius per *aptitudinem*, quam per actum essendi in pluribus. Quia quamvis in aliqua forte rerum classe non sit nisi unicum individuum, nihilominus si naturæ illi secundum se non repugnet esse multiplicatam in pluribus, non desinet esse universalis. Exemplum habes in sole et luna (3).

Universale in prædicando.

Jam universale in prædicando seu *prædicabile* diximus esse *unum quiddam aptum prædicari de multis*, scilicet per identitatem, et secundum eamdem significationem ac rationem.

---

(1) S. Th. 1.° *dist.* 19, q. 4, a. 2., ad 2.um

(2) Cfr. Suar., disp. 6 *Metaphys.*, sect. 2., n. 9, et alios antiquos passim.

(3) S. Th. 7.° *Metaphysic.*, lect. 13, paragr. *b*. Cfr. loc. nup. cit. ex 1.° dist. 19. q. 4. a 2. ad 2.um

Quæ definitio jam satis intelligitur ex modo dictis de universali in essendo.

Non sunt hæc duo universalia re distincta, sed unum diversa ratione declaratum.

Ne tamen existimes universale in essendo et in prædicando re inter se distingui. Nam universale in essendo aut nullum est, nimirum si fingatur, ut avulsum ac separatum ab individuis, quemadmodum videbimus mox; aut eo modo, quo est, coincidit in re cum universali in prædicando (1). Etenim si quid in multis per identitatem *existit, prædicari* etiam de illis poterit, nec quidquam de pluribus prædicari potest, quod in illis non insit per identitatem (2). Quare duo hæc universalia censentur esse una eademque res secundum diversas considerationes; quia eadem natura, quatenus est actu indivisa, multisque communicabilis, secundum integram rationem modo declarato est universale in essendo; et eadem ipsa natura, quatenus est ratio quædam objectiva prædicabilis de subjectis, in quibus reperitur, est universale in prædicando. Ipsa porro prædicabilitas secundum quosdam spectat ad essentiam universalis in essendo (3). Alii tamen communius putant prædicabilitatem esse proprietatem metaphysicam, seu reipsa indistinctam, ejusdem universalis (4).

Itaque secundum hanc alteram sententiam allatæ definitiones universalis in essendo et in prædicando, non sunt nisi duæ definitiones ejusdem rei, prima essentialis et altera descriptiva rem declarans per ipsius proprietatem metaphysicam prædicabilitatis (5).

Divisio Universalis in metaphysicum et logicum.

Universale dividi etiam solet in *metaphysicum* et *logicum*. Metaphysicum est natura ipsa vel essentia quævis, quæ

(1) Suar., disp. 6. *Metaphys.*, sect. 8, n. 2.

(2) Cfr. Albert. Magn., *De Prædicabilibus*, tract. 2, cap. 1, et alii passim.

(3) Vide Scotum in *Logic.*, quæst. 15: Hurtad., *Logic.*, disp. 3, sect. 2.

(4) Vide Lossada, *Logic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 6, n. 5.

(5) Vide Suar., ibid.; Cardinal. Tolet., *De Universal.*, q. 1; Fonseca, *Metaphys.*, lib. 5, cap. 28, q. 1; Conimbricenses in *Præfation. Porphyrii*, q. 1, art. 4: Anton. Rubio, *De Universalibus*, q. 2: Joann. a S. Thoma, *Logica*, quæst. 3, a. 1; Izquierdo, *Pharus*, disp. q. 4, n. 41; Amici, *Logic.*, tract. 4, quæst. 9, dub. 1; Cardin. Ptolom. op. cit. *Dissert. Logico-Phys.* 11, sect. 1, n. 6; Arriaga, *Logica*: disp. 4, sect. 1. n. 7, aliosque communiter.

apprehenditur cognitione præscindente a notis individualibus, prout substans hujusmodi cognitioni: logicum vero est hæc eadem natura cum sua universalitate seu unitate et aptitudine, ut sit in multis. Et ratio appellationis ex eo derivatur quod, licet tum Logica, tum Metaphysica, cæteræque scientiæ tractent universalia, nihilominus hæc est inter illas differentia, quod Logica in naturis universalibus præcipue considerat ipsam universalitatem ac variam prædicabilitatem, secundum modum generis vel speciei etc. Metaphysica vero ac cæteræ scientiæ potius considerant prædicata realia naturarum illarum, ac proinde in universalibus aliud non contemplantur, nisi ipsam naturam, quæ universalitate afficitur. Ideoque alterum vocatur *logicum*, quasi spectans ad Logicæ considerationem, alterum *metaphysicum*, tamquam objectum Metaphysices aut aliarum scientiarum, ad earum considerationem spectans; quamvis non denominatur ab omnibus illis, sed solum ab ea, quæ est inter omnes dignissima et altissima. Universale metaphysicum vocatur etiam a quibusdam recentioribus *directum*, logicum vero *reflexum*. Ex quibus facile intelligitur hanc divisionem non esse univocam, sed vel concreti in suas partes, vel analogi in analogata (1).

Quid individuum.

Universali opponitur singulare et individuum, et quidem non solum relative, quatenus secundum mentis comparationem seu dialecticam considerationem individuum speciei subjicitur; hoc enim neque omni naturæ individuæ convenit, ut patet in divina; sed præterea «quasi privative, fere ad eum modum, quo unitas multitudini opponitur. Commune enim seu universale dicitur, quod secundum unam aliquam rationem multis communicatur, seu in multis reperitur. Unum autem numero seu singulare ac individuum dicitur, quod ita est unum ens, ut secundum eam entis rationem, qua unum dicitur, non sit communicabile multis ut inferioribus et sibi subjectis, aut quæ in illa ratione multa sunt: hæc enim

(1) Cfr. Suar., disp. 6, *Metaph.*, sect. 8, n. 3, 4; Conimbric. in *Præfation. Porphy.*, q. 1, a. 4; Complutens., *Logic.*, disp. 3, quæst. 6, n. 64, seqq.; Rub., *Logic. de Universalib.*, q. 5, n. 68; Joann. a S. Thom., *Logic.*, q. 3, art. 1.

in idem incidunt, et significata sunt ab Aristotele (1) dicente: *Singulare exponimus, quod numero est unum, universale autem, quod in his* (2).

ARTICULUS II.

Quænam unitas et aptitudo naturæ universali conveniat.

148. Ex hactenus disputatis colligitur, duo in universali posse considerari, materiam ipsius et formam: materia est quævis natura, quæ universalis dicitur, forma vero ipsa universalitas seu formalis ratio, propter quam natura fit, ac vocatur universalis. De ipsa natura nihil occurrit hic dicendum, sed forma magis adhuc est declaranda. Consistit porro hæc in duobus, in unitate naturæ, et ejus aptitudine ad communicationem et inexistentiam in multis inferioribus.

Quid unitas, et quotuplex.

Quid est ergo unitas? Unitas generatim importat entis indivisionem in seipso; unum quippe dicitur, quod est indivisum in se (3). Et multiplex distinguitur; quantum autem ad præsentem controversiam spectat, alia est unitas *individualis* seu *numerica*, alia *essentialis* seu *formalis*.

Unitas individualis,

Unitas individualis est ea, qua aliquid constituitur unum numero seu singulare, nimirum indivisibile in plura similia, taliaque, quale ipsum est. Ita *Petrus, hæc penna, hæc charta* singularia sunt, atque individua potiuntur unitate, quia sunt pluribus incommunicabilia secundum identitatem: dividere namque illa poteris in plures partes actuales, non vero in eas, quæ vere singillatim possideant totam rationem *Petri, hujus pennæ, hujus chartæ*... (4).

formalis:

Unitas formalis est indivisio essentiæ seu naturæ in se ipsa. Hanc habet v. g. *humanitas, animalitas*, et quævis alia essentia, quæ est una per se. Negari enim nequit, entitatem, quam exprimit humanitas et animalitas, etiam præcisa indivi-

(1) Lib. 3. *Metaphys.*, cap. 3. text. 14.
(2) Suarez, disp. *Metaphys.* 5., sect. 1, n. 2, ubi vide plura.
(3) De his agendum est in *Metaphysica*, ubi de entis proprietatibus.
(4) Vide Suar., disp. *Met.* 5, sect. 1, n. 2, 3.

duatione quacum reperitur in *Petro* et in *leone*, esse indivisam in se. Etenim sicut Petrus est unum individuum, ita humanitas est una essentia et natura; et sicut Petrus, qua ratione est unum individuum, est indivisibile in plures Petros, ita humanitas et animalitas sunt indivisibiles in plures humanitates atque animalitates, quæ natura essentiaque, et non solum numero, differrent. Possunt enim esse plura individua humana, vel plures humanitates individuæ distinctæ et multiplicatæ, quæ diversitatem sortiantur per id, quod exprimitur conceptu individuationis, non vero per id, quod exprimitur conceptu hominis. Unitas individualis vocatu etiam *materialis*.

Dari hanc formalem unitatem in rebus præter individualem negari nequit, quoad rem ipsam, nisi quæstio fiat de voce. Res enim non modo habent unam individuationem, sed unam etiam essentiam, et unumquodque individuum, non solum est unum numero, sed etiam essentia. Et utraque hæc unitas est realis omnemque antecedit mentis cogitationem (1).

Istæ duæ unitates re non distinguuntur.

Cæterum istæ duæ unitates a parte rei non distinguuntur realiter, verum ratione dumtaxat. Neque enim ipsa entitas ac realitas individuationis vel hæcceitatis seu individuantium notarum realiter distinguitur ab entitate ac realitate essentiæ, quemadmodum nunc supponimus. Cum ergo unitas sit ipsa rei entitas, quatenus importat carentiam divisionis, ubi entitates ipsæ realiter non distinguuntur, nec distingui possunt unitates. Distinguuntur tamen ratione, quia essentia, prout distincta ab individuatione, suam habet formalem unitatem, non vero individualem. Conceptus ergo utriusque unitatis diversi sunt (2).

Unitas formalis multiplicatur in individuis.

Hinc sequitur, unitatem formalem, modo descriptam, in variis individuis pro eorum numero multiplicari. Et ratio est, quia hæc formalis unitas inseparabiliter sequitur ipsam rei entitatem ac naturam. Multiplicata ergo natura in pluribus

(1) Vide Suar., Disp. 6. *Metaph.*, sect. 1. n. 8; Conimbr. in *Præfation. Porphy.*, q. 4. art. 3. sect. 1. in responsione ad 2.um argumentum; Tolet. de *Univ.*, quæst. 3; Cajetanus in *Comment.*, Opusc. *de Entee et essentia.*, c. 4. quæst 6; P. Georg. Rhodes, *Philos., perip.*, lib. 4., disp. 3., quæst. 2., sect. 1., paragr. 3; Compton, *Logic.*, disp. 27, sect. 2; Rub., *Logic. Mexicana, De Universal.*, q. 3.

(2) Suar., ib., n. 9., ubi plura quære.

individuis, debet et unitas ejus multiplicari. Accedit, quod unitas formalis atque individualis solum conceptu, minime vero re distinguuntur. Atqui unitas individualis multiplicatur. Ergo etiam formalis. Quamobrem Petrus et Paulus non modo sunt duo individua, sed duo etiam homines: nec solum habent duas individuationes re distinctas, sed duas quoque humanitates (1). Quamquam hæc magis inferius declarabuntur contra Scotistarum opinionem.

Itaque nulla debet esse, ut supra dicebam, quoad rem ipsam difficultas in hac *formali* unitate amplectenda, illamque videtur significare S. Thomas (2) et ab omnibus admitti testantur Eximius Doctor (3), Rubius, Compton (4) et Complutenses (5).

Neque vero contra hanc doctrinam objicias id, quod S. Thomas tum in Opusculo *de Ente et essentia* (6), tum alibi sæpe docet, naturam secundum rem nec unam nec plures esse, sed unitatem ac pluralitatem ipsi *accidere*, seu extrinsecus advenire. In iis enim omnibus loquitur de unitate ac pluralitate individuali, ut ex contextu colligitur, et recte interpretatur Cardinalis Cajetanus (7).

Unitas formalis a quibusdam aliter explicatu.

Quamquam dissimulandum non est sæpe a multis auctoribus respui formalem unitatem, quæ actu a parte rei reperiatur. Hujus tamen dissensus ea est causa, quod nomine formalis unitatis aliud intelligant, nimirum vel unitatem universalem mox declarandam, vel unitatem naturæ scotistico modo expositam. Duplex enim distingui potest formalis unitas: altera, per quam aliquid dicitur unum formaliter habens essentiam indivisam, et altera, per quam aliquid dicitur unum formaliter, *multis communicabile* (8). Et Scotistæ, quemad-

(1) Vide Suar., loc. cit., n. 11.

(2) *De Natura generis*, cap. 7.

(3) Disp. 6, *Metaphys.*, sect. 1. n. 8.

(4) Ant. Rubio *Logic. Mexic., De Univers.*, quæst. 3, n. 43; Compton., loc. nuper citato.

(5) *Logic.*, disp. 3, quæst. 2.

(6) Cap. 4.

(7) Comment. Opusc. de *Ente et essentia*, in cap. 4, q. 6, *Et quando quæritur.*

(8) Cfr. P. Ant. Rub., loc. cit.

modum inferius declarabimus, volunt naturam non modo esse *in se indivisam*, sed etiam formaliter eamdem et communem pluribus individuis, in quibus negant naturam multiplicari, adeo ut individua speciei vel generis alicujus distinguantur quidem inter sese ratione individuationis, ideoque esse plura individua; non vero plures essentias et naturas, quia una formaliter est in omnibus natura, nec distingui ratione illius possunt individua. Hæc ergo duplex acceptio formalis unitatis habenda est præ oculis, ne quis in veterum Auctorum letione confundatur ac misere decipiatur.

Solet etiam a nonnullis nomine formalis unitatis intelligi unitas similitudinis, quæ aliud non est, quam convenientia realis plurium in aliqua forma, ratione cujus eadem definitione definibilia sunt. Hæc convenientia seu similitudo improprie dicitur unitas, cum essentialiter importet pluralitatem entium, in quibus nihil reperiatur a parte rei indivisum et commune illis omnibus, sed solummodo in singulis sit aliquid, cui aliud simile in reliquis inest. Hoc modo Petrus et Paulus dicuntur habere unam naturam, homo et asinus unam animalitatem; non quia unum aliquid indivisum et secundum eamdem physicam realitatem ab illis possideatur, sicut eadem natura possidetur a tribus divinis Personis; sed quia in Petro est una natura et altera in Paulo similis omnino priori, et in homine est una animalitas et altera similis in asino (1).

His pro terminorum declaratione præmissis, quæstionem propositam de naturæ universalis unitate resolvere oportet.

149. PROPOSITIO. **Unitas propria universalis non est unitas individualis, nec formalis, nec unitas similitudinis, sed est indivisio actualis naturæ cum aptitudine ad divisionem in plures naturas ejusdem nominis et rationis.**

Unitas propria universalis non est individualis.

Prima pars. Et ratio est evidens, quia universale vindicat eam naturæ unitatem, quæ aptitudinem habeat ad communicationem ac divisionem in plura ejusdem nominis ac rationis. Unitati vero individuali seu numericæ opposita incommunicabilitas competit.

(1) Vide Suar., disp. 6. *Metaphys.*, sect. 2, n. 14.

nec formalis;

Secunda pars. Unitas universalis ita est propria naturæ universali, ut non possit convenire singulari, qua tali. Atqui unitas formalis convenit etiam naturæ singulari et individuæ. Ergo.

Major ex communi omnium consensu constat, et ex oppositione, quæ est inter singulare et universale, ut talia sunt. Cum enim opponantur, ut communicabile et incommunicabile, unitas illa, quæ ad utrumque horum indifferens est, non potest esse sufficiens ad rationem universalis... (1).

Minor constat ex iis, quæ præmisimus de formali unitate.

Præterea unitas formalis, præcise qua talis, nec includit natura sua, nec excludit multiplicabilitatem et communicabilitatem ad plura. Verum unitas universalis positive includit communicabilitatem. Ergo.

Major. Si enim unitas formalis includeret multiplicabilitatem in plura ejusdem rationis, non posset reperiri unitas essentialis naturæ in uno individuo, unitas enim formalis est unitas essentiæ. Si autem excluderet multiplicabilitatem, repugnarent individua similia sive secundum rationem specificam, sive secundum genericam.

Dices: inter communicabile et incommunicabile non datur medium. Ergo si unitas formalis non importat communicabilitatem, oportet ut incommunicabilitas ei competat: aut e converso.

Resp. *dist.* antec.; a parte rei *conc.*, secundum præcisiones intellectus *neg.* Potest enim aliquid ex *sua essentia* et conceptu præscindere ab utraque. Sic etiam a parte rei omne animal aut est rationale aut irrationale: nihil autem horum pertinet ad essentiam animalis præcise conceptam.

Denique «unitas formalis multiplicatur in individuis cum ipsa natura. Sed unitas, quæ est propria naturæ universalis, ut universalis est, non potest multiplicari in inferioribus, nam potius sunt unum sub ea ratione; quomodo dixit Porphyrius, *participatione speciei plures homines esse unum hominem.* Ergo alium modum unitatis habet natura universalis, ut sic, præter unitatem formalem» (2).

---

(1) Suar., disp. 6. *Metaph.*, sect. 2, n. 10.

(2) Id. ibid.

Major patet ex præcedentibus.

Minor autem facile probatur. Quia «si unitas naturæ universalis, ut universalis est, multiplicaretur in inferioribus, multiplicaretur unitas specifica in individuis, vel generica in speciebus; quod est impossibile. Alioquin et plures homines essent plures species, et unusquisque eorum haberet in se unitatem universalitatis, et consequenter unusquisque esset unus universaliter, sicut est unus formaliter: quod est plane falsum» (1).

Itaque requiritur quidem ad universale unitas formalis, sed non sufficit, nec est propria et characteristica unitas universalis.

Hæc, ut vides, spectant unitatem formalem in eo sensu, quem cum pluribus gravissimis AA. superius explicavimus. Cæterum de formali unitate, ad mentem nonnullorum Scotistarum intellecta, inferius disputabitur.

Tertia pars *de unitate similitudinis*. Nam unitas universalis est vera unitas opposita pluralitati, eamque excludens. Sed similitudo pugnat cum unitate vera, et essentialiter importat pluralitatem, cum sit relatio quædam, relatio autem vindicet extrema invicem opposita. nec unitas similitudinis;

Ultima pars non est nisi corollarium præcedentium. sed alia diversa.

Probatur. Omnes enim requirunt ad universale unitatem et aptitudinem ad multa, seu talem unitatem, quæ simul cum actuali indivisione seu incommunicatione importet communicabilitatem ac divisibilitatem in plura ejusdem rationis ac nominis. Atqui non est ejusmodi unitas individualis nec formalis, ut probatum hactenus est. Ergo aliam ab his diversam admittere cogimur, quæ sit propria universalis.

Major manifesta est ex ipso conceptu naturæ universalis, quæ si actu indivisa non est, nihil erit unum idemque, quod inesse pluribus possit; si autem illa natura actu indivisa, divisibilis non est in plura ejusdem rationis, erit individua non vero universalis.

Dices: omnis veri nominis unitas aut est individualis, aut formalis, cum in ipsa non sit aliud, quam entitas essen-

(1) Suar. ib., ubi plura reperies. Cfr. Conimbric. *In Præfation. Porphyr*, quæst. 2. art. 2.

tialis et individualis. Ergo universalis unitas, quæ tanquam ab his distincta obtruditur, chimærica est.

Resp. *dist.* ant.; realis et independens a mentis consideratione, *conc.*, si res spectetur dependenter a mentis consideratione, *neg.* Quemadmodum enim, licet a parte rei non sit nisi aut animal rationale aut irrationale, est tamen per mentis considerationem aliud animal seu ratio generica animalis, quod neque est rationale nec irrationale, sed ab utroque præscindit; ita non repugnat per mentis considerationem esse aliquam unitatem, quæ non sit individualis, neque solum formalis: et hæc est unitas universalis propria.

quæ vocatur unitas præcisionis.

Vocatur porro unitas hæc *præcisionis*, quia convenire nequit nisi naturæ, ab individuantibus notis præcisæ, cum illæ notæ communicabilitati repugnent. Utrum autem realis sit hæc unitas, an solum rationis, quæstio est inferius solvenda.

Comparatur unitas universalis cum aliis.

Vides hinc, quomodo invicem comparentur, quidque differant tres hæ unitates. Nam individualis non solum implicat actualem indivisionem, sed etiam repugnantiam cum divisione in plura, quale est ipsum individuum. At vero universalis, e converso, ita importat indivisionem actualem, ut tamen postulet communicabilitatem seu divisibilitatem in plura talia, ut singula illa contineant totam naturam universalem secundum ejus comprehensionem atque actualitatem. Unitas denique formalis medium quemdam locum occupat, quia eam habet indivisionem actualem in se, ut nec repugnet divisioni et communicabilitati, sicut numeralis, neque illam requirat, sicut unitas præcisiva seu universalis, sed perfecte præscindat a communicabilitate et incommunicabilitate. Unde fit, ut unitas formalis reperiatur et in natura individuali et in universali. Unitates ergo hæ omnes in eo conveniunt, quod actualem indivisionem includant; differunt autem, quia formali unitati seu actuali essentiæ indivisioni superaddit incommunicabilitatem unitas individualis, universalis vero communicabilitatem (1). Ita etiam animal secundum se v. g. præscindit a rationali vel irrationali. Sed animal, quod

(1) Vide Suar., disp. 6. *Metaph.*, sect. 2, n. 11, 12; Conimbr. loc. cit., q. 2, art. 2.

est in homine requirit rationalitatem, quod vero est in leone vel equo, illam essentialiter excludit.

Ex quo jam multo manifestius patet doctrinam nostram de formali unitate naturæ non modo non pugnare, sed potius apprime consentire cum doctrina Doctoris Angelici, qui non semel scripsit naturam, quæ subest universalitati, nec unam esse dicendam nec plures, nimirum unitate ac pluralitate numerali, quia utraque est extra conceptum illius naturæ, et utraque *accidere* ei potest, cum una sit in singulis et plures in pluribus individuis (1).

Quænam aptitudo propria universalis.

150. Jam aptitudo essendi in multis propria universalis, non est intelligenda *sola non repugnantia*, ut adsint plura individua similia, quæ uno conceptu possint repræsentari, nam hujusmodi negativam aptitudinem habent quoque ipsa individua, saltem materialia, cum tamen individua nequeant habere aptitudinem illam essendi in multis propriam universalium. Ita Petro actu existenti non repugnat adesse in rerum natura, aliud individuum simile, Paulum videlicet vel Franciscum. Intelligitur ergo illa aptitudo capacitas essendi in multis per identitatem, ita ut natura illa, quæ universalis est, reperiatur in omnibus illis, ac proinde de omnibus prædicari possit, quomodo v. g. humanitas est in ipso Petro, Paulo, Andrea etc., ac de illis prædicatur; nam omnes illi ac singuli sunt revera homines (2). Sed hæc magis inferius explicabuntur: nunc videndum est an et quomodo existat universale.

CAPUT II.

DE REALITATE

ATQUE EXISTENTIA UNIVERSALIUM.

Aggredimur jam controversiam magno animorum æstu agitatam in ætate media, et numquam non diligenter in Scholasticorum aulis librisque discussam. Existuntne in rerum natura rationes universales, quales hactenus descripsimus,

(1) S. Th., *De Ente et essentia*, cap. 4.
(2) Vide de his fuse Suarez, disp. 6 *Metaf.*, sect. 4.

quæ unum aliquid cum sint, communicari multis possint, atque in multis reperiri per identitatem? Negarunt plures perfracte existere quidpiam universale, præter voces, aut ad summum præter conceptus: hi vocantur *Nominales*. Alii e converso existimarunt independenter et antecedenter ad omnem intellectus nostri operationem dari naturas adæquate ac formaliter universales: quorum opinatio *Realismus rigidus* aut *exaggeratus* audit. Alii demum mediam inter hæc duo extrema tenent viam, dicentes universale partim in rebus ipsis existere, partim in intellectu: hi nimirum *Realismum* quemdam *mitigatum* profitentur. Quare Nominales existimant universalia esse mera figmenta mentis, quorum nullum adsit in rebus ipsis fundamentum: rigidiores Realistæ universale completum et perfectum absque mentis opera contendunt dari in rerum natura; Realistæ vero moderati volunt a rebus offerri fundamentum et materiam, ab intellectu autem compleri formam universalitatis. Age vero expendamus singillatim has omnes sententias, ut falsis rejectis, veram stabiliamus.

Nominales,

Realistæ rigidi,

Realistæ mitigati.

ARTICULUS I.

Exponitur et confutatur nominalismus.

Quid nominalismus.

151. Nominalismus, ut nuper dicebamus, est illorum systema, qui negant ullam esse naturam universalem, sed voces tantummodo aut conceptus esse universales: non quod voces et conceptus non sint in sua physica entitate res quædam singulares atque individuæ, sed quia sunt universales in *significando* ac *repræsentando*. Duo possunt distingui genera nominalium: nam rigidiores solum admittunt nomina universalia, negant autem non modo res, sed ipsos etiam conceptus universales. Sed mitiores solas res universales respuunt, agnoscunt vero ideas universales. Primi nominalismum *purum*, secundi profitentur mitiorem nominalismum seu *conceptualismum*.

Conceptualismus. Epicurei, Heraclitus,

Nominalismi semina reperies inter antiquos in Epicureis, qui, ut refert Angelicus Doctor, (1) *dicebant, quod nihil est*

(1) Opusc. primo de *Universalibus*.

universale, et in Heraclito et Cratylo, qui, teste Aristotele (1), nihil admittebant in natura, saltem sensibili, quod perpetuo fluxui et mutationibus non foret obnoxium: unde negarunt posse intellectum nostrum ullam veri nominis de hujusmodi rebus scientiam assequi, utpote quæ sectatur veritates universales, æternas atque immutabiles (2).

Conceptualistis autem accensentur a pluribus scriptoribus veteres Stoici cum suo capite Zenone (3). Re tamen vera nominalismus in medio ævo præformatus est, turbasque non paucas in scholis cæpit excitare, ex quo Joannes Roscellinus (4) docuit *non nisi flatum vocis esse universales substantias*, quemadmodum scripsit S. Anselmus (5), illum ejusque asseclas vocans *hæreticos Dialecticæ*. Novæ huic doctrinæ philosophicæ alios errores theologicos adjecit (6) circa essentiæ divinæ unitatem, quos abjurare debuit in Concilio Suessionensi, anno 1092.

Zeno Stoicus;

Roscellinus.

Nactus fuit Roscellinus acerrimos impugnatores S. Anselmum et Gullielmum Campellensem, quorum argumentis

impugnatus a S. Anselmo.

---

(1). *Metaphysicor.*, lib. 1., cap. 6., text. comm. 5. Cfr. S. Th., ib. lect. 10, initio.

(2) Cratylus, idem hoc principium amplexus, *ad hanc dementiam devenit, quod opinatus est, quod non oportebat aliquid verbo dicere; sed ad exprimendum quod volebat, movebat solum digitum. Et hoc ideo, quia credebat quod veritas rei, quam volebat enuntiare primo transibat, quam oratio finiretur. Breviori autem spatio digitum movebat.* S. Th., *Metaph.*, lib. 4., lect. 12., in fine.

(3) Vide Illmum. Gonzalez, *Historia*, t. 1. n. 80, pag. 340, Madrid 1886; Conimbr. *In Præfation. Porphyr.*, q. 1. art. 2.

(4) Fuit Canonicus Compendiensis (Compiegne) in Gallia, floruitque circa annum 1089. Sunt tamen, qui existiment illum nominalismi systema didicisse a *Joanne* quodam, magistro suo, qui forte fuit Joannes cognomento *Surdus*. Vide Illmum. Gonzalez, *Hist.*, t. 2, paragr. 34.

(5) Lib. *de Fide Trinitatis et de Incarnatione Verbi contra blasphemias Ruzelini sive Roscelini*, cap. 2.

(6) Accipe exemplum: *Si in Deo*, inquit Roscellinus, *tres Personæ sunt una tantum res, et non sunt tres res, sicut tres angeli aut tres animæ, ita tamen ut potentia et voluntate omnino sint idem: ergo Pater et Spiritus S. cum Filio est incarnatus.* Apud S. Anselmum, loc. cit. cap. 1. et 3.

debilitata, in pretio haberi desierat illius doctrina, (1) cum in arenam descendit novus nominalismi impugnator Petrus Abælardus (2), qui tamen nominalismum mitiorem seu conceptualismum docuisse videtur. Fuerat hic primum discipulus Roscellini, quo relicto, mox transiit ad scholam Gullielmi Campellensis; sed ut erat elato animo ingenioque turbulento, ab hoc quoque magistro recessit, scholamque aperuit millenis auditoribus frequentatam. Neque hic se intra limites Philosophiæ continuit, sed ipsum Augustissimum Trinitatis mysterium vanis ratiunculis e Dialecticæ penu depromptis ausus explicare (3), incidit in turpissimos errores, damnatusque fuit in alio Concilio Suessionensi, postquam senserat in eodem validissimos ictus invictæ vehementissimæque eloquentiæ S. Bernardi, Abbatis Claravallensis.

Petrus Abælardus,

profligatus a S. Bernardo Claravallensi in Conc. Suessionensi.

Abælardus conceptualismum professus esse dicitur, ita ut non sola nomina communia esse censuerit, sed conceptus etiam instar imaginum plures res exprimentium, quin tamen ullum reale fundamentum adesset pro his conceptibus communibus plurium rerum. Nam hi conceptus exprimunt quidem convenientiam quamdam secundum idem; quæ tamen *convenientia non sit realis*, sed mera similitudo concepta (4).

Jam pene jacebat in oblivione Nominalismus cum denuo instauratus est opera Gullielmi Ockam (5), qui sectatores

Ockam,

(1) Vide Joann. Sarisberiensem, *Policraticus*, lib. 7, cap. 12, apud Gonzalez, *Historia*, tom. 2, paragr. 34. pag. 140.

(2) Natus anno Domini 1079 in oppido *Palais* prope Nantes in Gallia, et mortuus anno 1142.

(3) *Sententiam ergo vocum seu nominum*, inquit Otto Frisingensis, *non caute Theologiæ admiscuit, quare de Sancta Trinitate docens et scribens, tres personas nimium attenuans, non bonis usus exemplis, inter cætera dixit:* **sicut eadem oratio est propositio, assumptio, et conclusio, ita eadem essentia est Pater et Filius et Spiritus Sanctus.** De *gest. Trid.*, lib. 1. cap. 47.

(4) Vide apud Antonium Rosmini Servati, *Aristotele exposto ed esaminato, Prefazione*, vel apud Liberatore *Conoscenza intellett.*, part. second., cap. 4, art. 1, n. 134, in nota, pag. 151, Roma 1858.

Sunt etiam, qui censeant Abælardum quandoque non penitus alienum fuisse a Realismi sententia. Vide Cardin. Gonzalez. *Hist.* tom. 2. paragr. 35, pag. 143.

(5) Natus in Anglia, sæculo XIII versus finem inclinante, et post multas fortunæ vices vitamque non parum turbulenter actam mortuus,

habuit, ut nobiliores tantum commemorem, Joannem Buridanum, Albertum a Saxonia, Gregorium Ariminensem et Gabrielem Biel (1). Ockam autem non purum sed mitiorem Nominalismum seu Conceptualismum propugnavit.

Buridanus, Albertus a Saxonia, Gregorius Ariminensis, Gabriel Biel.

Recentioribus demum temporibus Nominalismum tenuerunt Hobbes, Hume, Condillac, Robinet, Berkeley, Dugald, Stewart, Huxley et Positivistæ Angli et generatim Sensistæ, qui cum non aliam cognitionem præter sensitivam agnoscant, negare consequenter debent non modo naturas, verum ideas etiam omnes universales (2). Ex altera vero parte Kantius aliique idealistæ transcendentales conceptualismum profiteri debent secundum propria ipsorum principia (3). Conceptualistis est etiam accensendus Lockius, qui docuit definitiones non aliud esse, quam unius vocis declarationes præsidio aliarum vocum (4); ideas vero generales ad mera mentis figmenta amandavit, ex eo quod illarum universalitas aliud non sit, quam capacitas conceptibus suis ab intellectu communicata, ad plura individua significanda vel repræsentanda (5).

Hobbes, Hume aliique.

Kantius,

Lockius.

Monaci anno 1347. Magistrum habuit Joannem Duns Scotum, vocatusque fuit *Doctor singularis*, *Doctor iuvencibilis*, *ac Venerabilis Inceptor*.

(1) Vide *Introductionem* n. 72, 73.

(2) Vide, *Gallupi Lezioni di Logica* et *Metaphysica*, lez. 17.

(3) Sunt, qui contendant duo hæc genera nominalismi non esse distinguenda: contra quos videri potest Antonius Rosmini-Serbati *(Aristotele esposto ed esaminato*, *Prefazione*, n. 12, not. 3) Certe Ockam et Schola Nominalium ab ipso instaurata conceptualismum professa est. Quæ causa esse potuit, cur Scholastici, quibus illorum tantum Nominalium opera familiaria erant, sub voce nominalismi, mitiorem dumtaxat hujus systematis formam vel conceptualismum describant. Cæterum Roscellinus et recentiores nonnulli, cum voces tantummodo universales admittant, ne mentionem quidem conceptuum facientes, videntur purum nominalismum profiteri.

(4) Car la définition n' étant comme il a été dit, que l' explication d' un mot par plusieurs autres. *Essai philos. concern. l' entend. humain.* liv. 3, chap. 3. n. 10.

(5) Lors donc que nous laissons à part les particuliers, les généraux, qui restent, ne sont que des simples productions de notre esprit, dont la nature generale n' est autre chose que la capacité que l' entendement leur communique, de signifier ou de représenter plusiers particuliers. Ib. n. 11.

Confutatur Nominalismus.

152. PROPOSITIO 1.a **Nominalismus purus absurdus est.**

Prob. 1.o Si vera esset nominalium sententia, tolleretur omne discrimen inter voces univocas et æquivocas a casu. Atqui omnes admittunt ejusmodi discrimen. Ergo...

Major. Ex nominalium enim doctrina, nullum est fundamentum sive in rebus sive etiam in conceptibus nostris, cur unum idemque nomen pluribus diversis individuis significandis adhibeatur. Atqui voces, quæ pluribus diversis individuis absque ulla ratione objectivæ alicujus convenientiæ imponuntur, sunt pure æquivocæ. Ergo...

Minor. Nam omnes distinguunt inter vocem *homo*, qua significantur individua humani generis, et inter vocem *taurus*, quæ tribuitur certo animali, et monti cuidam Asiæ.

Prob. 2.o Si nullum esset fundamentum vel a parte rei, vel in conceptibus mentis nostræ, ad hoc ut una voce plura designarentur, prorsus arbitrariæ forent communes illæ appellationes, quibus certa quædam individua vocarentur *homo*, et certa alia *canis*, etc. Atqui hæ appellationes non sunt prorsus arbitrariæ. Ergo debet admitti a parte rei aliqua ratio communis nominis, ideoque universale non in solis vocibus reponendum est.

Major. Nam aliqua ratio esse debet cur certa nomina certis quibusdam rebus imponantur. Et si ratio illa non est similitudo aliqua realis, quæ in ipsis objectis reperiatur, vel unicus conceptus, quo illa repræsententur, non remanet alia causa communium appellationum, nisi arbitrium loquentium.

Minor. Si enim communes illæ appellationes forent prorsus arbitrariæ ¿quomodo fit ut omnes omnino absque prævio pacto conveniant in vocando *homines* certa quædam individua, quæ prius non viderant, et certa alia *canes* etc.?

Cur vero non conveniunt omnes in vocando hominem, quem prius non noverant, *Petrum*, vel *Paulum*, vel *Franciscum*, nisi postquam in singulis casibus didicerint talia eis nomina ex hominum libero arbitrio esse imposita?

Respondent adversarii rationem, cur pluribus individuis unum commune nomen imponatur, esse similitudinem illorum inter se. Atqui responsio hæc destruit systema nominalismi. Nam similitudo illa rebus inest antecedenter atque

independenter ad nostram cognitionem et ad denominationem, neque enim plures homines sunt similes inter se, quia tales cognoscuntur a nobis, sed e contrario cognoscuntur similes, quia similitudinem habent, eamque detegimus intellectu nostro. Atqui similitudo unitatem quamdam et convenientiam plurium in forma importat. Ergo ex ipsa illa responsione adversariorum sequitur agnoscendam necessario esse communitatem aliquam, quæ fundamentum sit nominum universalium, quandoquidem similitudo attenditur *secundum convenientiam vel communicationem in forma* (1).

Prob. 3.° Dicunt adversarii nominibus communibus nihil respondere a parte rei ullo modo commune, sed significari omnem collectionem individuorum. Ergo tunc nomina communia collectivis essent æquiparanda. Atqui nomina communia et collectiva diversissima sunt. Nam collectiva sic plura significant, ut de singulis nequeant seorsim prædicari. Sic v. g. exercitus exprimit collectionem militum; non vero singuli milites vocari possunt exercitus. Contrarium accidit in voce *homo, equus, planta*, et reliquis universalibus, quæ non possunt dici de collectione, sed de singulis; neque enim hominum collectio est homo, sed individua seorsim nominantur *homo*. Unde.

Prob. 4.° Si nomina universalia non præsupponunt aliquod fundamentum communis appellationis, nihil possunt revera significare. Sed certe aliquid significant. Ergo dicendum est, illa significare aliquid commune aliquo saltem modo.

Minor manifesta est; quia experientia novimus et nos, auditis communibus vocabulis, aliquid intelligere, quod ab aliis quoque intelligi sentimus.

Major non minus est manifesta ex dictis. Nam verba communia nihil possunt significare nisi vel individua, prout talia, vel eorum collectiones, vel demum aliquid quodammodo commune seu universale. Prius per se patet non posse dici, alterum falsum ostendimus nuper, tertium nolunt admittere nominales. Ergo... (2)

---

(1) S. Thom. 1, p. q. 4, art. 3.

(2) Vide S. Basilium, lib. 1, *Contra Eunom.*, n. 6.

Confutatur conceptualismus

153. PROPOSITIO 2.a **Nominalismus temperatus seu conceptualismus non minori laborat absurditate.**

Nonnulla ex iis, quæ contra nominalismum ursimus, in hanc etiam propositionem accommodari possent. Sed nova afferamus.

Prob. 1.° Si dantur conceptus universales, admittendæ quoque sunt res quodammodo universales, quæ conceptibus illis fundamentum præbeant. Atqui adversarii admittunt universales conceptus. Ergo...

Major demonstratur. Ponere conceptus universales est ponere naturalia signa et imagines plurium rerum. Quis autem non videat repugnare unam eamdem imaginem plurium, si nihil sit in illis convenientiæ communitatisque?

Prob. 2.° Cum de *Petro*, *Paulo*, *Francisco*..... prædico, quod sint *homo*, aliquid unum de singulis prædico, quod proinde in illis inesse per identitatem debet. Sed non prædico sive vocem solam, sive etiam ipsum formalem mentis conceptum. Ergo rem, ideoque negari non possunt naturæ universales.

Prob. 3.° Una eademque definitione definiuntur individua omnia cujusvis speciei ac generis. Atqui definitio rem ipsam, non voces aut subjectivos conceptus, declarat. Ergo oportet in rebus ipsis aliquid agnoscere, quod sit aliquo modo commune, quod sit fundamentum communis conceptus ac definitionis. Secus enim veri esse non possent, sed prorsus fictitii ac falsi ejusmodi conceptus et definitiones.

Prob. 4.° Nos numeramus individua, inque certas classes, species aut genera redigimus. Verum id fieri rite nequiret, nisi esset aliquid, in quo res numeratæ, atque in classes illas redactæ, conveniret. Ergo...

Major in confesso est, non apud vulgus solum, sed etiam apud Philosophos, qui tam sollicite res omnes ordinant secundum prædicamentorum ad prædicabilium varietatem.

Minor autem probatur. Omnis enim numeratio similitudinem atque objectivam convenientiam necessario vindicat. Neque enim numeramus nisi res, quæ similes sunt inter se. Quod si similitudo et ratio plura in numerum redigendi ex nostra dumtaxat consideratione dependet, ¿cur unus homo

et unus canis non faciunt duos *homines* aut duos *canes*, quemadmodum faciunt duo *animalia*, aut duo *viventia*, duas *substantias* corporeas, duo *entia*? Cur *lapis*, *angelus*, *equus*, numerari rite possunt tria entia, aut tres substantiæ, non vero tres lapides, tres angeli, tres equi?

Prob. 5.° Si ponuntur conceptus universales absque ullo in rebus fundamento, species et genera rerum in nostro dumtaxat modo considerandi consistunt. Id vero in idealismum et formalismum Kantii recte deducere videtur, et est evidenter falsum; ante omnem enim operationem intellectus et independenter ab ea, homo et canis conveniunt in animalitate, Petrus et Paulus in humanitate. Ergo negari nequit objectiva rerum similitudo et convenientia, quæ fundamentum suppeditet ideis universalibus.

Hæc adeo apparent manifesta, ut, semota lite de modo loquendi, incredibile videatur posse esse Philosophos, qui contrariam doctrinam profiteantur. Quare plures antiqui Doctores rati sunt (1) nominales re forte non dissidere a vera sententia; quamquam reprehensionem mereantur quoad modum loquendi.

Argumenta, quæ pro nominalismo afferri solent, commodius solventur post expositam veram sententiam (2).

ARTICULUS II.

Exponitur et refutatur Realismus rigidus.

Doctrina rigidiorum Realistarum.

154. Rigidus Realismus, quemadmodum initio notavimus, ponit universalia complete a parte rei existentia, seu contendit naturas rerum eo ipso modo, quo a nobis per conceptus et vocabula universalia exprimuntur, physice existere, atque esse proinde unum quiddam reale, et realiter in pluribus inexistens secundum eamdem sui realitatem. Hic porro

(1) Cfr. Dominic. Soto, *In Porphyrii Isagogen ac Aristotelis Categorias*, lib. *Prædicabilium*, quæst. 1, in fine concl. 3.ª; Suar., Disp. 6, *Metaph.*, sect. 2, n. 1; De Benedictis, *Logic.*, lib. 2, q. 1, cap. 6.

(2) Vide Joann. a S. Thom., *Logic.*, q. 3, a. 2.

realismus variis modis expositus ac propugnatus fuit a suis patronis, vel asserendo universale *separatum ab individuis*, vel *in illis existens*.

Universalium separatorum auctores: Platonici.

Et in primis universalis separati duæ perhibentur formæ, altera quæ Platoni tribuitur, altera Ontologorum propria. Plato enim dicitur universalia reposuisse in formis quibusdam realibus per se subsistentibus, quas *ideas* vocavit, nimirum in naturis rerum separatis ab individuis. Secundum hanc ergo opinionem, sicut hic apud nos existunt individua *humana*, *equina*, *lapidea*, *corporea*, ita etiam existit in regione, nescio qua, natura *hominis*, *equi*, *lapidis*, *corporis*, quæ non habeat ullam determinatam individuationem. Aliis vocibus, sicut existunt res individuæ cum suis determinationibus individualibus, ita etiam extra ipsa individua existunt species absque notis ac differentiis individuantibus, et genera absque differentiis specificis, eo ipso modo, quo exprimuntur vocibus et conceptibus communibus. Porro individua ideo sunt certæ cujusdam classis, speciei vel generis, quia participant in se formam vel naturam illam per se subsistentem, puta *humanitatis*, *equinitatis*, *corporeitatis*... (1); cognitiones autem nostræ universales non aliud habent pro objecto nisi formam ejusmodi, quæ proinde existimabantur a Platonicis *causæ rebus particularibus cognitionis et esse* (2) quatenus participant in se impressionem quamdam illarum. Duplicem enim prædictarum formarum typicam impressionem posuerunt hujus opinionis assertores, alteram in corporea materia, alteram in animo nostro. Per impressionem formarum in materia exsurgunt individua varia, sicut ex impressione sigilli in cera, figurantur variæ imagines; ex impressione vero earumdem in anima oriuntur cognitiones nostræ (3).

Dubium, utrum Plato universale separatum revera propugnaverit.

Utrum autem portentosam hanc sententiam vere docuerit Plato, an vero eam magistro suo appinxerit Aristoteles, ut facilius refutaret irrideretque, vel tenuerint Platonici, mentem nobilissimi illius Philosophi perperam interpretantes,

---

(1) Vide S. Th., 1. p. q. 6, art. 4. q. 84, art. 1. 4, 5; *Metaph.*, lib. 1, lect. 10, et alibi sæpe.

(2) S. Thom., *de Anim.*, lib. 1, lect. 1, paragr. *d*.

(3) S. Thom., 1. p. q. 65, art. 4; q. 79, art. 3.

disputant scriptores (1). S. Augustinus Platonem per suas ideas non aliud intellexisse arbitratur, quam exemplares ideas divinas, seu typos ac rationes rerum creandarum (2).

Ontologi.

Hæc benigna Platonis interpretatio ansam aliquam dare potuit Ontologorum realismo. Hi namque volunt universalia esse ipsas divinas ideas, quas mens nostra immediate intueatur. De his proinde sunt scientiæ, illas contemplamur, quoties naturas, præcisis notis individuantibus, apprehendimus, illas demum exprimimus, quoties communibus nominibus utimur. Ita Ontologis placet universalia extra ipsa individua ponere, non vero per se subsistentia, sed in mente divina.

Universalium in individuis inexistentium fautores: Scotus Erigena, Amalaricus del Bene, David de Dinant, Pantheistæ.

155. Universale complete ac formaliter in individuis existens alii aliter propugnaverunt. Nam in primis Joannes Scotus Erigena, Amalaricus del Bene, carnotensis (Amaury de Chartres), David de Dinant, et posteriores Pantheistæ unam divinam substantiam in rebus omnibus inesse per identitatem docent.

Gullielmus Campellensis.

At vero Gullielmus Campellensis, quemadmodum refert Abælardus (3), *erat in ea sententia de communitate universalium, ut eamdem essentialiter rem totam simul in singulis suis inesse adstrueret individuis: quorum quidem nulla esset in essentia diversitas, sed sola multitudine accidentium varietas.* Hanc tamen sententiam postea Gullielmum a se convictum deseruisse narrat idem Abælardus.

Scotistæ.

Scotistæ etiam realismum rigidum quodammodo amplectuntur, quamquam bifariam rem declarant, pro duplici elemento unitatis et aptitudinis, quod importat natura universalis. Modus enim diversus realismi ab hactenus expositis excogitari adhuc potest, vel quatenus unitas universalis a parte rei reperiatur ex eo, quod una eademque revera natura in

(1) Vide S. Th., 3. p. q. 4, art. 4 ad 2.um; Suar. disp. *Metaph.* 6. sect. 2, n. 111; Conimbr. *In Præfation Porphyr.* q. 1, art. 3; Tolet. ib., quæst. 2; Roselli *Summ. Philos.* t. 1, q. 5, art. 4 in notis; Sanseverino *Elementa Philos. christ., Ideolog.* cap. 2, art. 1, n. 135, not. 9, aliosque plures ab hisce laudatos.

(2) S. August. lib. 83. *Quæstionum*, quæst. 46. Cfr. *De Civit. Dei*, lib. 70, c. 28; et S. Thom. 3. p. q. 4, art. 4, ad 2.um

(3) *Historia Calamitatum*, in Opp. Abælardi editis a Victore Cousin, p. 5, 6.

pluribus inexistat; vel secundo quatenus, licet natura in singulis individuis multiplicata sit, habeat tamen in illis realem aptitudinem atque indifferentiam existendi in pluribus. Patroni primæ hujus explicationis ponunt universale reale per *inexistentiam*, alii per *indifferentiam*.

Itaque «quidam contendunt (naturas rerum) esse communes per *inexistentiam*, ita quod una et *eadem humanitas realiter* reperiatur in omnibus hominibus: v. g. humanitas Petri et humanitas Pauli non differunt nisi extrinsece, ratione scilicet differentiarum adjunctarum: Quando autem asserunt unam esse naturam in omnibus singularibus, sane non intelligunt esse unam numerice, id enim divinis tantum Personis reservatum est, in quibus una et eadem numero prorsus indivisa natura reperitur. Sed loquuntur de illa unitate propria naturæ, quæ importat indivisionem per principia essentialia, unde dici solet unitas formalis et essentialis, quæ ideo est minor unitate numerali. Et ponere in creatis eamdem naturam sic unam in pluribus singularibus nedum non arbitrantur absurdum, sed summe necessarium». Ita exponit hanc sententiam, quæ vix differre videtur a realismo Gullielmi Campellensis, nobilis Scotista Bartholomæus Mastrius (1), qui pro ea citat varios AA.

«Cæteri vero Scotistæ admittunt naturas communes solum per *indifferentiam*, non autem per inexistentiam: unde consequenter volunt quodlibet suppositum habere suam propriam naturam cum sua unitate formali, et aliam esse humanitatem Petri, aliam Pauli, etiam antecedenter ad differentias individuales. Dicitur tamen unaquæque natura communis, quia, quantumvis sit extrinsece contracta per differentiam ad hoc vel illud individuum, intrinsece tamen semper *indifferens* manet, ut sit in hoc vel in illo. Sicut enim constituit modo Petrum, ita, quantum est de se, poterat constituere Paulum, si illi a generante communicata fuisset, et ideo dicitur communis per indifferentiam.» Sicut qui est Romæ potest esse etiam Parisiis, quantum est de se, licet quamdiu est Romæ, impediatur esse Parisiis. Hanc tenet ipse Mastrius cum Tatareto, Licheto, Rada et aliis, et contendit esse veram Scoti

(1) *In Organum Aristotelis*, seu *Logic.*, disp. 4, q. 1, a. 1.

doctrinam. (1) Unde ista sententia duplicem indifferentiam seu aptitudinem inexistendi in pluribus individuis agnoscit in naturis rerum, alteram proximam et expeditam, alteram remotam, seu impeditam extrinsecus: primamque concedunt naturæ communi, cum est præcisa a differentiis ac notis contrahentibus, alteram, cum est actu contracta in individuis. Quæ duplex aptitudo realis omnino dicitur esse, immo non est a parte rei nisi unica in diverso statu. Quemadmodum materia prima habet de se realem aptitudinem, ut nunc supponimus ex Cosmologia, recipiendi formam quamlibet, quia eadem numero materia pluribus formis informari potest, ideoque ad eas omnes realem habet aptitudinem. Verum quoniam plures simul formas recipere nequit, dum unam habet, aptitudo ad reliquas habendas impedita est (2). Ejusmodi ergo natura communis per indifferentiam vocatur etiam universale negativum.

Sententia P. Petri Fonseca

Scotisticæ affinis est singularis Petri Fonsecæ sententia, qui docuit «naturas communes ex sese et ante eam operationem intellectus, qua a suis particularibus abstrahuntur, nempe prius natura, quam in suis particularibus existant, aut contractæ in eis sint, esse *actu, et non potentia tantum, universales;* tametsi non habeant suam universalitatem *existentem,* nisi cum intellectui sine differentiis contrahentibus objiciuntur» (3). Natura enim in triplici statu considerari potest: primo absolute et secundum se, et quatenus implicat ea prædicata, quæ per ejus essentialem definitionem exprimuntur: secundo prout est in individuis; tertio prout est in intellectu certo quodam modo cognita. Primus status vocari potest *solitudinis* et *realis essentiæ;* alter *contractionis* et *realis existentiæ;* tertius *abstractionis* et *objectivæ* seu *idealis existentiæ*. Dicit ergo P. Fonseca naturam in primo illo statu, habere ex sese antecedenter ad omnem operationem intel-

(1) Mastrius ibid. Alii tamen aliter Subtilem Doctorem interpretantur. Vide v. g. Sebastianum Dupasquier in *Summa Philosophiæ, Log.* disp. 3, q. 3, concl. 2.ª

(2) Cfr. Suar., disp. 6. *Metaph.*, sect. 4, n. 2.

(3) Lib. 5.º *Metaph.*, cap. 28, q. 5, sect. 3. Cfr. sect. 2, et q. 3. Nec multum ab hac sententia videtur abludere Magnus Albertus, *de Prædicabilibus*, tract. 2, cap. 3,

lectus unitatem quamdam universalem, quam tamen amittit, cum in inferiora contrahitur. Et quoniam natura non *existit* nisi vel contracta in singularibus, vel objective in intellectu; et repugnat aliquid prout individuum ac singulare esse unum realiter in multis; ideo addit naturas non habere *universalitatem existentem*, nisi cum intellectui sine differentiis contrahentibus contemplanda objiciuntur.

Alia explicatio universalis a parte rei existentis.

Denique alius est modus explicandi universale a parte rei completum absque ulla mentis operatione. Dicunt enim non nulli unitatem universalem non aliud esse, quam similitudinem plurium individuorum. Unde, a parte rei, existit perfectissime universale secundum utrumque ipsius elementum, unitatem et multiplicitatem. Etenim multiplicitas realis est ratione individuorum, et unitas pariter realis ratione similitudinis realis, qua multiplicia individua ornantur. Hæc est doctrina Scotistæ Sebastiani Dupasquier (1), Pontii (2) aliorumque.

Age jam videamus, quid sit de variis rigidioris realismi formis judicandum.

§ I.—REJICITUR UNIVERSALE SEPARATUM.

Confutantur Platonici.

156. PROPOSITIO 1.a **Naturæ universales Platonicorum per se subsistentes, atque ab individuis abstractæ, prorsus chimæricæ sunt.**

Prob. 1.° argumento Avicennæ, quod S. Thomas vocat necessarium, et sic brevissime proponitur a Cardin. Toleto: «Nulla quidditas est separata ab eo, cujus est quidditas et natura. Sed illa natura (universalis nempe) est quidditas singularium. Ergo...» (3).

Ad rem Angelicus: *Universale, quod intendimus, prædicatur de omnibus inferioribus, quorum unumquodque est ipsum.*

---

(1) *Summa Philosophiæ, Logica*, disp. 3, quæst. 3, concl. 3. Et plures censent hanc esse Scoti sententiam, nec aliud voluisse Subtilem Doctorem, cum scripsit esse in rebus universale, non actu, sed potentia, nimirum in rebus esse universale fundamentale, ratione similitudinis, quæ causa est, cur plura uno conceptu cognosci possint.

(2) *Integer Philos. Cursus*, t. 1, *Logic.*, disp. 3, quæst. 2, conclus. 4, n. 39.

(3) Cardin. Tolet., *De Universalibus*, quæst. 2.

Tale autem universale, quod Plato ponebat separatum; non prædicatur de suis individuis, nec aliquod ipsorum est ipsum. Ergo aut non est ponere universale, aut non est sic ponere, sicut Plato ponebat (1).

Prob. 2.° Si naturæ universales existerent per se subsistentes essent simul distinctæ atque identificatæ cum individuis. Atqui nihil potest simul distingui et identificari cum alio. Ergo...

Major, in comperto est. Essent namque distinctæ, utpote separatæ ab individuis; nihil quippe potest a seipso separari. Essent identicæ, quia de individuis per identitatem prædicantur.

Prob. 3.° Hæc vera est assertio: *Petrus est homo*, et: *Hic canis est animal*. Atqui falsum est Petrum esse hominem abstractum, et hunc canem esse animal separatum. Ergo... (2)

Radix deceptionis Platonicorum.

Itaque recte docet Angelicus: *Patet... diligenter intuenti rationes Platonis, quod ex hoc in sua positione erravit, quia credidit, quod modus rei intellectæ in suo esse sit sicut modus intelligendi rem ipsam. Et ideo quia invenit intellectum nostrum dupliciter abstracta intelligere, uno modo sicut universalia intelligimus abstracta a singularibus, alio modo sicut mathematica abstracta a sensibilibus, utrique abstractioni intellectus posuit respondere abstractionem in essentiis rerum. Unde posuit et mathematica esse separata, et species. Hoc autem non est necessarium, nam intellectus etsi intelligat res per hoc, quod similis est eis, quantum ad speciem intelligibilem, per quam fit in actu, non tamen oportet, quod modo illo sit species in intellectu, quo in re intellecta* (3).

Confutantur ontologi.

157. PROPOSITIO 2.a **Universale nequit reponi in ideis divinis ad mentem ontologorum.**

Prob. Quando docent ontologi universalia esse divinas ideas, quas nos directe intueamur, ideæ illæ intelligi possunt

(1) S. Thom., Opusc. 1.° *de Universalibus*. Cfr. Opusc. *de Ente et essent.*, cap. 4, initio.

(2) Alia argumenta urget S. Thomas cum Aristotele. Vide 7.° *Metaph.*, lect. 13; 1.° *Metaph.*, lect. 14; 1 p. q. 84, a. 1.

(3) 1.° *Metaphysic.*, lect. 10; Vide etiam 1. p. q. 84, a. 1.°; 1. p. q. 85, a. 2 ad 2.um; et 1. p. q. 76, a. 2, ad 4.um

vel *subjective* vel *objective*. Si primum vitare nequeunt pantheismum. Nam universalia vere de rebus per identitatem prædicantur, adeoque illis insunt. Idea vero divina *subjective* considerata ipsa essentia Dei est. Hæc ergo in ontologorum sententia sic intellecta, prædicaretur de rebus, cumque illis identificaretur. En pantheismum.

Quod si dicatur universalia esse divinas ideas objective spectatas, hoc in primis offendimus incommodum, quod universalia nos cognoscimus, definimus et contemplamur, cum scientiis operam navamus: at vero contra experientiam est nos contemplari atque intueri divinas ideas. Adde quod «si per impossibile non essent in Deo tales ideæ, possent eodem modo universalia a nobis concipi ac definiri» (1).

Præterea ideæ divinæ repræsentant universale, sed simul cum individuantibus notis, non vero ab illis abstractum, quemadmodum continetur in conceptibus nostris ac vocabulis communibus. Etenim divina exemplaria singularium rerum naturas exhibent prout possibiles et creabiles. Neque vero sunt possibiles neque creabiles, nisi naturæ individuæ ac singulares.

Præterquam quod cognitio præcisiva, utpote rem non perfecte ac totaliter repræsentans, Deo convenire non potest (2). Unde docent Philosophi Deum facere non posse universale (3).

§ II.—REJICITUR UNIVERSALE FORMALITER ET COMPLETE EXISTENS IN INDIVIDUIS.

158. Universale pantheisticum modo nolumus refutare rationibus, cum alio in loco fuse nobis de illo sit agendum. Sufficiat nunc in memoriam revocare Vaticanum Canonem, quo pestifera hæc doctrina confoditur: *Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas, tum spirituales, aut saltem spirituales,*

(1) Suar., disp. *Met.* 6, sect. 2, n. 3.

(2) Vide Suar. *de Deo.*, lib. 1, cap. 13, n. 67; Lossada, *Logic.*, tract. 2. disp. 2, c. 9, n. 9; P. Thomam Carleton Compton, *Philos. univers.*, *Logic.*, disp, 30, sect. 8, n. 6.

(3) Vide Ulloa, *Logic.*, disp. 2, cap. 3, n. 45; Mayr., *Logic.*, disp. 3, quæst. 1, art. 7, n. 549; Mauri Sylvest., *Quæst. philos.*, tom. 1, quæst. 34.

e divina substantia manasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distincta; anathema sit (1).

159. PROPOSITIO 3.ª **Universale nequit ita existere a parte rei, quatenus una eademque realiter ac physice natura in pluribus distinctis individuis reperiatur; prout docere videntur nonnulli Scotistæ cum Gullielmo Campellensi.** Confutantur Scotistæ.

Prob. 1.° In hac sententia videtur pantheismus vitari non posse. Nam sicut omnes homines una realiter humanitate constarent, ita etiam omnia animalia eadem physica animalitate constare deberent, omnesque substantiæ eadem substantialitate, omnia demum entia eadem entitate. Deus autem est substantia, et est ens, et quidem univoce conveniens cum omnibus creaturis, si Scotistas audiamus. Ergo non erit nisi una omnium rerum substantia entitasque. Scilicet hoc uno contenti sunt pantheistæ.

Prob. 2.° Omnis natura realiter existens est singularis et pluribus incommunicabilis. Ergo nequit habere a parte rei universalitatem. Consequentia patet ex oppositione universalis cum singulari.

Antecedens autem probatur. Quidquid realiter identificatur cum singularitate, singulare est. Sed essentia realiter identificatur cum singularitate atque individuatione, a qua solum ratione distinguitur, quemadmodum in Ontologia ostendetur contra Scotistas. Ergo...

Prob. 3.° Quando dicitur una eademque natura realiter esse in pluribus individuis, vel admittitur illam naturam esse physice multiplicatam in illis, vel non. Si primum, illa natura non est una, nisi unitate similitudinis, quam omnes fatemur, non tamen arbitramur sufficere ad universale formale actu in rebus existens asserendum. Sin autem illa

(1) Concil. Vatican., *Constit. dogmatica de Fide cathol. Canones*, paragr. *De Deo Rerum omnium Creatore*, can. 4. Cfr. caput 1 ejusdem tituli.

natura non est physice multiplicata, in primis jam nulla fides habenda est experientiæ sensuum, quæ multiplicitatem in individuorum distinctione ac separatione irrefragabiliter manifestat. Deinde eodem modo se habebit quævis natura creata respectu diversorum individuorum, ac natura divina respectu trium Personarum. Atqui hoc in primis transfert in creaturas mysterium Augustissimæ Trinitatis; imo aliud longe difficilius intellectu, quoniam in creatis infinita forent supposita, eaque alia ab aliis tempore ac loco distantia, opinionibus, studiis, atque operationibus contraria. Deinde in hac sententia reapse negatur universale in essendo secundum germanam ejus notionem superius explicatam. Universale namque non est id, quod quomodolibet est unum in pluribus, sed id, quod est in illis per realem multiplicationem illius unius secundum totam suam actualitatem seu comprehensionem. Unde omnes negant naturam divinam dici posse universalem.

Dices, discrimen esse inter communitatem naturæ in individuis creatis atque in Personis divinis: nam in Sanctissima Trinitate una est *numerice* natura in tribus Personis, cum in creatis e converso sit in multis individuis natura una dumtaxat *formaliter*, non autem *numerice*.

Respondeo. Si Scotistæ nolint naturas simul cum individuis multiplicari, sed unam physice ac realiter eamdem in individuorum varietate remanere, quocumque tandem nomine appellent ejusmodi unitatem sive formalem, sive numericam, nihil lucrantur. Re enim vera semper habebimus unicam realitatem in diversis individuis, sicut unica est substantia in Trinitate Personarum. Unde non minus repugnabit, plures homines v. g., aut plures equos, aut plures esse plantas, quam plures esse deos.

Prob. 4.° Ex hac Scotistarum sententia multa consequuntur absurda. Primo enim α) eadem esset humanitas in Christo Domino et in Juda, eademque adorabilis esset, atque in cœlo beata regnaret, et esset detestanda, gemeretque in inferis, suppliciis addicta sempiternis. β) Deinde non posset Deus creare unum individuum, aut annihilare, cæteris existentibus. Creatio enim importat productionem entis ex nihilo, ideoque quoad suam totam entitatem: in contraria vero

sententia, cum individuum aliquod produceretur, natura illius jam præexisteret in aliis individuis. Itemque si destrueretur, adhuc natura ejus remaneret in reliquis individuis, cum tamen annihilatio sit desitio rei quoad totam ejus entitatem. γ) Præterea cum novum individuum existere incipit, aut desinit, sola produceretur aut periret individuatio; maneret enim natura in cæteris individuis. Unde ulterius fieret, ut individuatio a natura realiter distingueretur, quamquam id cæteroquin negent Scotistæ. Ea quippe distinguuntur realiter, quæ realiter separari possunt, et alterum sine altero existere (1).

Hæc aliaque tam gravia opinionem hanc premunt incommoda, ut eam multi nobilissimi Scotistæ non minus vehementer impugnent, quam reliquarum Scholarum asseclæ. Ad rem S. Thomas: *In re igitur nihil est commune multis, quia quidquid est in re, est singulari uni soli communicabile; quod autem commune est, agitur per intellectum* (2).

160. PROPOSITIO 4.ª **Admitti nequit universale negativum seu natura communis pluribus per indifferentiam, quatenus natura cujusvis individui, quantum est de se, realem indifferentiam retineat, ut sit alterius individui natura.** Confutantur alii Scotistæ.

Prob. 1.° Sententia hæc, sicut et ea, quam in præcedenti propositione refutavimus, supponit distinctionem *formalem* virtuali majorem inter naturam et individuationem. Atqui admitti nequit ejusmodi distinctio, ut alibi probandum est. Ergo... (3).

Prob. 2.° Realis indifferentia etiam negativa et remota naturæ ad plures individuationes repugnat. Ergo nequit in ea reponi universale.

---

(1) Vide S. Joann. Damascenum (Lib. 1. *Orthodoxæ Fidei*, cap. 8. vers. fin) egregie declarantem naturæ plurium individuorum specifice non aliam inesse unitatem, nisi unitatem similitudinis, quæ proinde importat distinctionem ac multiplicitatem in iisdem.

(2) S. Thom., Opusc. *de Natura generis*, cap. 5. Cfr. S. Thom. lib. 10, *Metaph.*, lect. 1.

(3) Vide Lossada, *Logic.*, tract. 2. *De univers.*, disp. 2, c. 1, n. 22 et seqq.

Prob. ant. Natura, quæ indifferens dicitur ad plures individuationes, vel potest existere absolute et per divinam omnipotentiam, sine ea, quam habet, et cum alia quavis ad quam dicitur indifferens, vel non potest. Si non potest chimærica est indifferentia et aptitudo ad illud, quod ne per divinam quidem potentiam contingere potest. Si potest, jam necessario illa natura ab individuatione sua realiter distingueretur, quod vel per ipsos Scotistas absurdum est. Nam realis distinctionis signum certum præbet realis duorum separabilitas, ut nunc supponimus ex Metaphysica. Quemadmodum ergo natura v. g. Petri, realiter distinguitur a Pauli et Antonii individuatione, sine quibus existit; ita etiam ab ipsa individuatione, quam nunc habet, distingueretur realiter, quia posset eadem ipsissima existere cum alia.

Prob. 3.° Præterea etiamsi adesset in natura reali et individua hæc indifferentia, nondum sufficeret ad universale a parte rei asserendum. Nam α) universale vindicat unitatem ac multiplicitatem in natura. Jam vero natura per realem indifferentiam, quam ex se habere fingatur ad plures individuationes, non multiplicatur, sed eadem ipsissima supponitur apta, ut in pluribus individuis esset. β) Præterea magis est unum idemque physice actu esse in pluribus suppositis, quam posse esse. Atqui licet unum idemque pluribus suppositis actu sit commune, non ideo universale redditur; ut patet in natura divina. Ergo...

Prob. 4.° Si hæc indifferentia posset universale constituere, revera tot universalia essent numeranda, quot individua: id quod est contra communem Philosophorum sensum.

Et probatur facile sequela, quia ex adversariorum doctrina natura singulorum suppositorum haberet illam indifferentiam atque aptitudinem, ex qua resultat universale actu constitutum ante omnem intellectus considerationem (1).

Prob. 5.° Si ratione illius indifferentiæ natura redderetur universalis, non minus universalis esset individuatio singulorum hominum. Etenim sicut natura esset per se indifferens in pluribus individuationibus, ita etiam singulæ individuationes possent esse cum multis naturis realiter multiplicatis. Si

(1) Vide Suar., disp. *Metaph.* 6, sect. 4, n. 5.

enim singulæ individuationes certam aliquam naturam vindicarent, cumque aliis repugnarent, hæ quoque aptitudinem retinere non possent ad illas individuationes.

161. PROPOSITIO 5.ª **Respuenda quoque est sententia contendens universale a parte rei adæquate existere, ex eo quod detur in individuis diversis realis similitudo.** Confutantur cæteri Scotistæ.

Prob. Unitas similitudinis non sufficit ad constituendum universale. Ergo...

Antecedens patet 1.° Illa enim unitas non sufficit ad universale constituendum, cujus conceptus formaliter includit pluralitatem; siquidem universale est unum quiddam in multis. Atqui unitas similitudinis formaliter importat in conceptu suo multiplicitatem, nam essentialiter postulat plura, quæ in aliquo conveniant. Ergo...

Apposite Suarez: «Universale, ut universale, concipitur ut indivisum actu, quatenus tale est, et divissibile et communicabile aptitudine. Res autem, prout a parte rei sunt simíles in natura, potius sunt actu divisæ, et aptitudine seu fundamentaliter unibiles, ut sic dicam, in una natura universe concepta» (1).

162. PROPOSITIO 6.ª **Natura in nullo statu antecedenter ad mentis operationem habet unitatem atque indifferentiam seu aptitudinem, ut sit in multis, propriam universalis.** Confutatur Fonseca.

Prob. 1.° Si natura secundum se haberet aliquam unitatem atque indifferentiam, deberet eam etiam in inferioribus retinere. Atqui non retinet, ut ipsemet fatetur Fonseca, et patet, quia secus singulare esset universale. Ergo...

Major: quia naturæ secundum se convenit, quidquid est de essentia ejus, vel tamquam proprietas necessaria inde dimanat; quidquid vero in alicujus essentiæ definitione continetur, convenit cuivis illam essentiam habenti.

2.° Si realiter naturæ conveniret universalitas, posset existere natura universalis, id enim reale est, quod existit, aut

(1) Suarez, loc. cit. sect. 2. n. 15. Cfr. Lossada, *Logica*, tract. 2, disp. 2, cap. 1, n. 12 seqq.; Anton. Mayr., *Logic.*, disp. 3, q. 1, art. 1, n. 491.

potest existere. Sed universalitas et aptitudo ad plura non potest realiter existere in ulla natura, sive separata ab individuis, sive existenti in illis. Ergo..

Vide Suarez (1), Arriaga (2), De Benedictis (3), Lossada (4) aliosque antiquos AA.

ARTICULUS III.

Solvuntur difficultates.

§ I.—PRO NOMINALISMO.

Objic. 1.° Quidquid existit in rerum natura, individuum est ac singulare. Ergo dari nequit universale, ac proin solum admitti potest universale in significando.

Resp. *distinguo* antec.; ita ut universale non sit realiter existens cum sua universalitate, *conc.*, ita ut neque sit in individuis fundamentum, ut per operationem intellectus fiat universale, *nego*.

Difficultas hæc solum evincit absurditatem universalis formaliter et adæquate existentis extra ipsa singularia secundum sententiam, quæ Platoni tribuitur. Non autem probat in ipsis rebus singularibus non adesse realem similitudinem, ratione cujus, unico mentis actu, cognoscantur, præcisis differentiis, per quas invicem discriminantur. Verum hæc omnia infra magis patebunt.

Obj. 2.° Universale definitur id, quod natum est multis inesse. Atqui nihil, quod sit unum, potest esse in multis per identitatem. Ergo.

Resp. *dist.* Major. Est unum *realiter* natum inesse multis, *nego*, unum per mentis considerationem, quod realiter sit multiplex ex eo, quod in multis individuis possit reperiri multiplicatum secundum idem nomen ac rationem, *conc.* Et *contradistincta* Minore, *nego* conseq.

Obj. 3.° Si darentur naturæ communes, individua illas habentia essent identica; quæ enim sunt eadem uni tertio,

(1) Suar., disp. 6 *Metaph.*, sect. 3.
(2) *Logica*, disp. 4, sect. 2.
(3) *Logica*, lib. 2, quæst. 1, cap. 5.
(4) *Log.*, tract. 2, disp. 2, cap. 1, n. 8, seqq.

sunt eadem inter se. Atqui individua omnia, etiam ea, quæ dicuntur ejusdem speciei, sunt inter sese diversissima. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Si darentur naturæ communes eo sensu, ut secundum eamdem physicam realitatem multis inessent, *trans.*, si eo sensu communes sint, quod multa individua essentiam quodque suam habeant, quæ uno eodemque conceptu ac definitione possit exhiberi *neg.*, vel *subdist.*; essent identica per identitatem realem vel physicam, *neg.*, per identitatem logicam, *conc.*

Non omnia, quæ quomodocumque identificantur uni tertio esse inter se identica, perspicere facile poteris ex omnibus, illis syllogismis, in quibus medius terminus, saltem semel, non distribuitur, seu non sumitur secundum totam suam extensionem.

Obj. 4.° Si natura universalis daretur, vel communicaretur tota singulis individuis, vel pars uni, et altera pars alteri. Si primum dicis, transfertur in creaturas mysterium Augustissimæ Trinitatis, sin alterum, Petrus non foret integer homo, sed pars hominis, et similiter Paulus... Ergo impossibile est universales naturas comminisci.

Resp. *dist.* Majoris 1.um membrum disjunctionis; vel tota communicatur, secundum extensionem, *neg.*, secundum comprehensionem *conc.*: et *dist.* etiam 2.um membrum; vel communicatur pars extensionis seu totalitatis potentialis, *conc.*, comprehensionis, *neg.*

Contradist. Minoris. 1.um membrum. Si tota communicaretur secundum extensionem ac multiplicabilitatem suam, *conc.*, si secundum actualitatem tantum ac comprehensionem, secundum quam realiter multiplicatur in individuis, *neg.*

Contradist. pariter Minoris 2.um membrum; si pars dumtaxat actualitatis et comprehensionis communicaretur, *conc.*, si pars extensionis et multiplicabilitatis simul cum tota actualitate, *neg.*

Revoca in mentem extensionem et comprehensionem idearum. In singulis individuis inest integra natura cum omnibus notis, quæ sub ejus idea et definitione clauduntur; sed non sic est tota et integra in uno, ut nequeat multiplicari in altero et altero sine fine, ita ut in illis omnibus sit *similis* natura, capax cognosci eodem conceptu, et definiri eadem

definitione. Quare communicatio naturæ universalis, facta suis inferioribus, non est fingenda instar divisionis *totius actualis* in partes actuales, in quibus solum partialiter reperiri potest. Est enim natura universalis totum potentiale.

Obj. 5.° Omnis res existens est in aliquo tempore et loco. Sed universale nullo in loco ac tempore est, sed dicitur esse ubique et semper. Ergo...

Resp. *trans.* Major. Etenim Deus nec est in tempore, nec in loco.

Dist. Minor. Negative, quatenus universale præscindit a loco et tempore, *conc.*, positive, quatenus re vera non existit in tempore et loco, *neg.* (1)

Quoniam universale separatum ab omni individuatione nequit existere, ideo ratio temporis ac loci, in quibus existat, non ab ipso ex sese requiritur, sed convenit ei propter individua; quibus inest (2). Cæterum *universale dicitur esse ubique et semper magis per remotionem, quam per positionem. Non enim dicitur ubique esse et semper, eo quod sit in omni loco et in omni tempore, sed quia abstrahit ab his, quæ determinant locum et tempus determinatum* (3).

Obj. 6.° Si universale a parte rei existeret, eadem natura multas affectiones, etiam contrarias subiret, puta in uno generaretur, in alio corrumperetur, in uno quiesceret, in alio moveretur etc. Id autem manifeste pugnat.

Resp. *dist.* Major. Eadem realiter ac physice natura subiret affectiones oppositas, *neg.*, eadem logice ac ratione, id est, natura vere in se multiplex, quæ tamen uno eodemque conceptu cognoscitur, *conc.*

A parte rei habentur naturæ distinctæ plures, quarum aliæ aliis procul dubio possunt affectionibus subjacere, sed quia omnes illæ distinctæ naturæ propter similitudinem mutuam uno conceptu cognoscuntur præcisis differentiis, quibus invicem dividuntur ac discriminantur, per talem

(1) Cfr. S. Th., 1. p. q. 16, art. 7, ad 2.um; Suar. disp., *Metaph.* 6, sect. 7, num. 7.

(2) Cfr. S. Th., *de Veritate*, q. 1, art. 5, ad 14.um

(3) S. Thom., *Quodlib.* 11. art. 1, ad 2.um Cfr. S. Th., *de Potentia*, quæst. 5, art. 9 ad 16.um Losada, *Logic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 9, part. 2.

cognitionem fiunt una quædam natura, et hæc est natura universalis, ut fusius declarabitur. Ideo ejusmodi natura, quæ una eademque est solum in intellectu, et multiplex a parte rei, potest bene oppositis accidentibus affici, prout in diversis subjectis reperitur (1).

Obj. 7.° Repugnat aliquid esse unum simul actu et multa, esset enim simul unum et non unum. Atqui universale, ex præjacta notione, est unum actu et actu multa. Nam id quod actu identificatur cum multis, est actu multa. Sed illud quod potest actu prædicari de multis, actu indentificatur cum illis. Ergo, quod potest prædicari de multis, est actu multa: ac proinde universale est unum actu et actu multa (2).

Resp. *Dist.* Major. Repugnat aliquid esse unum simul actu, et actu multa, secundum idem, *conc.*, secundum diversa, *neg.*

Contradist., vel etiam *nego* simpliciter Minor. Et *nego* conseq. Nam universale, ut jam declarabitur, est unum in intellectu, et multa secundum rem; quare, cum universale formaliter non sit nisi in intellectu, actu est unum, et multa in potentia.

Obj. 8.° Repugnat totum quod, sit divisibile in plura, quæ sint adæquate idem cum illis, secus enim totum non foret majus sua parte. Atqui universale est totum divisibile in plures partes, quæ sint adæquate idem cum toto: est enim unum aptum inesse multis secundum totam suam significationem. Ergo... (3).

Resp. *dist.* Major. Repugnat totum, quod sit divisibile in plura inferiora, quæ sint adæquate idem cum illo, secundum quod illud est totum respectu illarum, *conc.*, aliter *neg.*

Et *contradist.* Minor., *neg.* conseq.

Universale potest considerari et secundum suam extensionem et secundum suam actualitatem vel comprehensionem notarum; est autem totum potentiale sub primo respectu, et sic non adæquate identificatur cum singulis inferioribus, utpote quæ, singillatim accepta, non exhauriunt extensionem

(1) Vide de his Conimbr., q. 1, a. 2, aliosque tum antiquos tum recentiores.

(2) Apud Rhodes, *Philos. perip.*, lib. 4, disp. 3, q. 3, sect. 2.

(3) Apud Rhodes, ibid.

et prædicabilitatem universalis, sed sunt partes tantum extensionis illius. Universale vero, sub altero respectu, non est totum relate ad inferiora, de quibus prædicatur, sed sæpe est pars, quæ proinde non exprimit integram essentiam eorum; ut ratio generica v. g. non est nisi pars essentiæ hominis, de quo prædicatur, et similiter ratio differentiæ, v. g. rationalis. Et solum ratio specifica prædicatur de individuis tamquam integra essentia eorum.

Obj. 9.° Si universale existeret in rebus, non esset, cur negaret Aristoteles universalia esse substantias, nam saltem natura substantialis universalis esset vere substantia. Atqui tamen sæpe id Aristoteles negat. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Si existeret actu et formaliter, id est, cum sua universalitate, *conc.*, si solum existat fundamentaliter et in potentia, id est, natura quidem, quæ dicitur universalis, re existat, universalitas vero ejus solum ex intellectus operatione accidat, *neg.* Et *Contradist.* Minori, *neg.* conseq. (1)

§ II.—PRO REALISMO PLATONICO.

164. **Objic. 1.°** Objectum scientiarum est necessarium, æternum, incorruptibile, ingenerabile. Sed objectum scientiarum est universale. Ergo universale est necessarium, æternum, incorruptibile, ingenerabile. Atqui nihil ejusmodi est in individuis. Ergo necesse est extra individua cognoscere formas universales, quæ sint proprium scientiarum objectum.

Resp. *dist.* Major. Objectum scientiarum est necessarium etc., quoad ipsam existentiam, *neg.*, quoad connexionem prædicati cum subjecto, vel in verificando propositiones, *conc.*

Conc. Min., et *dist.* eodem modo conseq. Et *contradist.* Minore subsumpta, *neg.* ultimum consequens.

Scientiæ contemplantur objecta, quæ in se ipsis nec necessario existunt, nec ab æterno, quæque et generatione

(1) Vide S. Th. 7.ª *Met.* lect. 13, Opusc. 1.° *de Universalibus; Sic igitur considerando universale, in quantum universale est*, etc. versus medium. Et Opusc. 2.ª *de Universalibus*, *Quæritur autem utrum universale sit substantia vel accidens...* Cfr. Suar, disp. 6, sect. 7, n. 6.

fiunt, et corruptione desinunt esse. Semper tamen verum est, quod enuntiabilia scientiarum necessariam habeant veritatem, ac proinde æternam saltem negative, quatenus nimirum esse vera nec unquam cæperunt, nec unquam desinent; nec ab ullo pendent tempore. Ad rem S. Thomas: *Aliquid esse semper et ubique, potest intelligi dupliciter: uno modo, quia habet in se unde se extendat ad omne tempus et ad omnem locum, sicut Deo competit esse ubique et semper. Alio modo, quia non habet in se, quo determinetur ad aliquem locum vel tempus. Et per hunc modum quodlibet universale dicitur esse ubique et semper, in quantum universalia abstrahuntur ab hic et nunc. Sed ex hoc non sequitur ea esse æterna, nisi in intellectu, si quis sit æternus* (1).

Instabis. Objectum scientiarum est universale. Sed objectum scientiarum est aliquid reale. Ergo universale est reale, seu extra mentem existit.

Resp. *dist.* Major. Objectum scientiarum est universale, nempe natura, quæ universalis denominatur, *conc.*, objectum scientiarum est universale cum sua forma universalitatis *neg.*, vel *subdist.;* objectum scientiæ logicæ, *trans.*, cæterarum, quæ ens reale contemplantur, *neg.*

Conc. Minor., et *dist.* conseq. simili modo; secundum naturam, quæ universalis denominatur, *conc.*, secundum formam universalitatis, *neg.*

Objic 2.° Etiamsi nullum individuum existeret illarum rerum, de quibus sunt scientiæ, adhuc hæ possent esse, atque eadem, quæ nunc, pronuntiata continerent. Id vero fieri non posse videtur, nisi dicamus scientias contemplari naturas quasdam omnino ab individuis separatas. Ergo...

Resp. *neg.* Minor. Nam objectum scientiarum sunt ea enuntiabilia, quæ rerum essentias ac proprietates respiciunt. Ejusmodi porro enuntiabilia semper eadem erunt, sive res physice existant, sive non existant. Neque enim essentiæ rerum ac proprietates pendent ab existentia, sed sunt immutabiles, necessariæ atque æternæ, saltem negative, quatenus præscindunt ab omni tempore, et positive in mente Dei,

(1) 1. p., q. 16, a. 7, ad 2.um Cfr. Suar, disp. 6. *Metaph.*, sect. 7, n. 7; Lossada, *Logic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 2, n. 4.

quatenus nequeunt a tota æternitate non cognosci a Deo. Sed de his fusius in Ontologia (1).

Objic. 3.° Si non existerent universalia separata, falleretur intellectus, naturas rerum cognoscens præcisas a notis individuantibus. Id vero, si verum foret, scientiæ omnes figmenta rationis nostræ prosequerentur.

Resp. *dist.* Major.; si cognosceret *judicando* ita esse a parte rei præcisas naturas, sicut in intellectu repræsentantur, *conc.*, si cognosceret simplici apprehensione, *neg.*

Audi S. Thomam: *Abstrahere contingit dupliciter: uno modo per modum compositionis et divisionis, sicut cum intelligimus aliquid esse in alio, vel esse separatum ab eo. Alio modo per modum simplicitatis; sicut cum intelligimus unum, nihil considerando de alio. Abstrahere igitur per intellectum ea, quæ secundum rem non sunt abstracta, secundum primum modum abstrahendi non est absque falsitate. Sed secundo modo abstrahere per intellectum, quæ non sunt abstracta secundum rem, non habet falsitatem, ut in sensu apparet. Si enim intelligamus vel dicamus, colorem non inesse corpori colorato, vel esse separatum ab eo, erit falsitas in opinione. Si vero consideremus colorem et proprietatem ejus nihil considerantes de pomo colorato; vel si, quod intelligimus, voce exprimamus, erit absque falsitate opinionis et operationis, pomum enim non est de ratione coloris* (2).

Effatum: Abstrahentium non est mendacium.

Hinc manavit illud adagium philosophicum: *Abstrahentium non est mendacium*, desumptum ex Aristotele (3).

Objic. 4.° Si universale, qua tale, non potest existere, nec potest concipi. Nam quod est impossibile in ordine reali, est etiam impossibile in ordine ideali. Ergo si non datur universale a parte rei, solum in vocibus dari dicendum est.

Resp. *dist.* anteced.; nec potest concipi utcumque, *neg.*, nec potest concipi ut existens in ea abstractione, qua cogitatur, *conc.*

Dist. etiam probation.; id est, quod est impossibile in ordine reali, non potest cogitari ut possibile, *conc.*, quod non

(1) Cfr. S. Th., *de Potent.*, quæst. 5, art. 9, ad 16.um

(2) 1. p, q. 85, a. 1. ad 1.um Cfr. Opusc. *de Potentiis animæ*, cap. 6; 1.ª *Metaphysicorum*, lect. 10, et potissimum lib. 2.° *de Anima*, lect. 12.

(3) Lib. 2. *Physicor.*, text. 18. Vide ib. S. Th., lib. 2, lect. 3.

potest existere realiter certo quodam modo, non potest eo modo cogitari, *neg.*

Animalitas, quæ est in homine, nequit certe existere sine rationalitate, nec rationalitas sine risibilitate; et nihilominus potest certissime cogitari. Secus non daretur ulla cognitio præcisiva.

Objic. 5.° Singulare et universale sunt correlativa. Atqui relativa sunt simul. Ergo si datur a parte rei singulare, detur quoque universale necesse est.

Resp. *dist.* Maj.; sunt correlativa secundum esse, *neg.;* sunt correlativa secundum dici, *subdist.;* relatione oppositionis et repugnantiæ, *conc.*; alio genere relationis *neg.*

Simili modo arguere absurdissime potuisses: Unitas et multiplicitas Dei sunt correlativa: Atqui datur Deus unus. Ergo et multiplex. Cæterum loquimur de universali a parte rei, quod nobis est chimæricum. Universale tamen ab intellectu factum importat relationem rationis ad singulare (1).

§ III.—PRO UNIVERSALI EXISTENTE IN INDIVIDUIS SECUNDUM UNITATEM NATURÆ IN OMNIBUS REPERTAM.

165. **Objic. 1.°** Petrus et Paulus a parte rei non differunt essentialiter, sed numero dumtaxat, cum ad eamdem speciem pertineant. Atqui si non differunt essentialiter unam habent essentiam. Ergo admittenda est in rebus ante omnem mentis operationem, unitas aliqua multis individuis communis.

Resp. *dist.* Maj. Non differunt essentialiter, id est, non habent essentias *diversas*, seu *dissimiles*, *conc.;* non habent essentias *distinctas*, et vere realiter plures, *neg.*

Contradist. Minor., si non differunt essentialiter, id est, si non habent essentias distinctas, *conc.*, si non habent dissimiles, *subdist.;* habent unam essentiam unitate aliqua reali ac physica, *neg.*, unitate aliqua logica et rationis, *conc.*

Aliud est habere essentias distinctas, et aliud essentialiter differre, aut etiam essentialiter distingui. Differre, aut «distingui essentialiter vel formaliter non solum significat habere distinctam essentiam seu forman, sed etiam habere secundum

(1) Lossada, *Logic.*, tract. 2. disp. 2. cap. 2. n. 6.

eam *dissimilitudinem* et *disconvenientiam*, atque adeo distingui non tantum secundum rem, sed etiam secundum communem rationem et definitionem, quam mens potest fabricare. Habere autem distinctam essentiam seu unitatem formalem, solum dicit distinctionem entitativam et realem: quo modo sicut Petrus habet distinctam humanitatem a Paulo, ita etiam habet distinctam essentiam, et distinctam unitatem formalem, quamvis in ea sint similes» (1).

Distinctio ergo opponitur identitati, diversitas vero ac differentia similitudini, quæ, licet summa sit, non solum non excludit plurium distinctionem, quin potius eam essentialiter vindicat: nemo quippe proprie similis sibi dicitur, sed aliis, a quibus realiter distinguitur. Tamen quando plura distincta inter se mutuam gerunt similitudinem possunt a mente nostra, præcisis differentiis ac dissimilitudinibus, una cognitione apprehendi ac definiri. Et quando individua tantum diversificantur notis individuantibus, ac cæterum possident essentias perfecte similes, dicuntur ad eamdem speciem pertinere. Si autem differunt præterea secundum aliquas notas essentiales, perfectam essentiarum similitudinem non habent, nec proinde majorem convenientiam quam generis, sive proximi sive remotioris. Ut ergo plura eodem genere aut specie contineantur, non requirunt ullam realem unitatem illis omnibus communem, sed solam similitudinem, quæ fundamentum præbeat intellectui ad ea uno et communi conceptu repræsentanda cum veritate, eam nimirum rationem objectivam exprimendo, quæ vere in omnibus reperitur, quamvis realiter multiplicata, et aliquibus differentiis ac diversitatibus immixta.

Instabis 1.° Antecedenter ad mentis operationem Petrus et Paulus ad eamdem revocantur speciem. Ergo antecedenter ad mentis operationem aliqua gaudent unitate: non numerali: ergo essentiali.

Resp. *dist.* antec., fundamentaliter, *conc.*, formaliter, *neg.*, et *nego* consequens.

Ante mentis operationem non est inter plura individua unitas alia, quam similitudinis, quemadmodum explicatum est; species vero et genera, nisi pro ipsa individuorum colle-

(1) Suar., disp. *Metaph.* 6, sect. 1, n. 14.

ctione perperam sumantur, formaliter non existunt, nisi per operationem intellectus, plura similia uno conceptu exhibentis (1). *Non enim in diversis singularibus est aliqua natura una numero, quæ possit dici species; sed intellectus apprehendit ut unum id, in quo omnia inferiora conveniunt. Et sic in apprehensione intellectus, species fit indivisibilis, quæ realiter est diversa in diversis individuis* (2).

Instabis 2.° Natura Petri et Pauli est magis una quam natura Petri et Pauli cum natura equi. Ergo habet unitatem specificam, et numero solo differt.

Resp. *dist.* anteced. Est magis una, id est, magis similis, et plures fundans conceptus univocos, *conc.*, est magis una, id est, magis indivisa, *nego*. Nam cum distinctio consistat in negatione identitatis, quæ secus ac similitudo, non capit magis et minus; dicendum est Petrum et Paulum non minus distingui inter se natura (non dico diversificari) quam Petrum et equum. Nec solum habent distinctas individuationes, sed etiam distinctas essentias vel naturas.

Inst. 3.° Veræ sunt istæ propositiones: *Petrus est homo: Paulus est homo*. Ergo Petrus et Paulus habent communem humanam naturam.

Resp. *dist.* ant. Veræ sunt illæ propositiones, ita ut Petrus et Paulus sint unus realiter homo, unam habens physicam humanitatem, *neg.*, ita ut sint unus logice homo, id est, uno conceptu expressus, *conc.* Quare a parte rei non habent, nisi unitatem fundamentalem seu similitudinem, ratione cujus possunt, præcisis differentiis individuantibus, una cognitione repræsentari.

Objic. 2.° Unitas consistit in indivisione. Ergo ubicumque adest vera indivisio, ibi adest vera unitas. Sed natura licet numerice multiplicata, non est divisa in plures naturas specie diversas. Ergo illa natura, licet multiplicata numerice, propriam retinet unitatem.

Resp. *dist.* ultimum conseq., natura illa, licet numerice multiplicata, retinet suam unitatem formalem, *conc.* Aliam

(1) Vide Suar., disp. 6 *Metaph.*, sect. 1, n. 13.

(2) S. Thom., lib. 10 *Metaph.*, lect. 1, circa med. Cfr. Opusc. 1 *de Universalibus*, *Secundum hoc esse quod habet in singularibus.*

unitatem, quæ importet communitatem aliquam physicam et realem in pluribus individuis, *neg.* (1)

Objic. 3.° Natura omnium hominum ante quamvis operationem intellectus est una definitione definibilis. Ergo habet unam essentiam; per definitionem enim essentia definitur.

Resp. *conc.* antec., *disting.* conseq., habet unam essentiam unitate fundamentali seu similitudinis, *conc.:* unitate actuali, *subdist.*, prout est a parte rei, *nego*, per operationem intellectus, *conc.* Species ergo, ut iterum dicam, non datur ante operationem intellectus: sicut etiam definitio implicat eamdem intellectus operationem, ante quam proinde non adest in pluribus, nisi unitas fundamentalis. «Esse autem unum fundamentaliter est esse tale ens, quod præbeat intellectui fundamentum ad ipsum cognoscendum per modum unius, sive esse conceptibile conceptu, plura per modum unius confuse repræsentante» (2).

Objic. 4.° Natura, quæ dicitur universalis, v. g. humanitas, de se et positive est ens. Ergo de se ac positive habet aliquam unitatem, nam ens et unum convertuntur. Atqui non habet unitatem individualem, secus enim non posset multiplicari. Ergo specificam.

Resp. *dist.* antec., est ens entitate, quæ sit pluribus communis realiter, *neg.*, aliter, *conc. Dist.* eodem modo conseq., unitatem formalem, *conc.*, pluribus realiter communem, *nego.*

Natura, vel essentia, inquit S. Thomas, *potest dupliciter considerari: uno modo secundum naturam et rationem propriam, et hæc est absoluta consideratio ipsius: et hoc modo nihil est de ea verum dicere, nisi quod conveniat sibi, secundum quod hujusmodi. Unde quidquid aliorum sibi attribuitur, falsa est attributio: v. g. homini, eo quod est homo, convenit rationale et animal, et alia, quæ in ejus definitione cadunt* (ac proinde etiam *ens*), *album vero vel nigrum, vel quodcumque hujusmodi, quod non est de ratione humanitatis, non convenit homini in eo, quod est homo. Ideo si quæratur, utrum natura ista possit dici una* (intellige numerice) *vel plures, neutrum concedendum*

(1) Vide Suar., disp. 6 *Metaph.*, sect. 1, n. 14, ubi fuse et egregie.

(2) Vide Suarez, disp. 6 *Metaph.*, sect. 1, n. 13.—Mayr., *Philosoph. Peripat.*, tom. 1. n. 496.

est: quia utrumque est extra intellectum humanitatis, et utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione ejus, nunquam posset esse una, cum tamen una sit, secundum quod est in Socrate. Similiter si unitas esset de intellectu et ratione ejus, tunc esset una eademque natura Socratis et Platonis, nec posset in pluribus plurificari (1).

Objic. 5.° Universale prædicatur de individuis. Atqui nequit prædicari de individuis, quod individuis non inest. Ergo universale existit in rerum natura.

Resp. *dist.* Maj. Universale materialiter consideratum, seu natura ipsa, quæ universalis denominatur, *conc.*, universale formaliter consideratum, seu universale cum sua universalitate, *neg.*

Et *concessa* Minori, *dist.* eodem modo conseq. Hæc inferius fuse declaranda sunt (2).

§ IV.—PRO UNIVERSALI PER INDIFFERENTIAM.

166. **Objic. 1.°** Si una tantum ponatur natura, v. g. solis, existens a parte rei, ea est certe multiplicabilis. Habemus ergo naturam realiter unam et multiplicabilem, nimirum universale a parte rei existens.

Resp. *dist.* antec., multiplicabilis, quatenus ipsa secundum suam realitatem sit divisibilis in multos individuos soles, *nego*, multiplicabilis, quatenus non excludit existentiam aliarum naturarum similium, et solo numero differentium *conc.*

Jam superius explicatum est aptitudinem ad plura seu multiplicabilitatem intelligi bifariam posse, primo negative, per meram non repugnantiam, ut possint esse alia similia individua: et aptitudo sic intellecta non sufficit ad universale constituendum, quippe quæ non minus convenit etiam ipsis individuis. Hoc enim sensu sola natura divina inmultiplicabilis est, quia essentialiter *unica*. Aptitudo vero seu multiplicabilitas propria naturæ universalis positiva est, exigitque, non ut alia similia sint utcumque, sed ut illa ipsa una natura multiplicetur, ac dividatur in plura, in quibus reperiatur secundum totam suam actualitatem (3).

(1) S. Thom., Opusc. de *Ente et essentia*, cap. 4.
(2) Vide n. 167, 169.
(3) Vide Suar., disp. 6 *Metaph.*, sect. 4, n. 12.

Objic. 2.° Natura humana v. g. de se non est incommunicabilis, secus enim non posset multiplicari. Ergo de se est communicabilis. Nam inter communicabile et incommunicabile non datur medium (1).

Resp. *dist.* antec., de se non est incommunicabilis, id est, non est talis indolis humana natura, ut nequeant dari plures humanæ naturæ distinctæ similes, *conc.* ut possit eadem realiter natura humana esse in distinctis individuis, *neg.*

Et simili modo *distinguo* consequens. Immo posset negari simpliciter consequentia, quæ non recte fluit, nam procedit a negativa ad affirmativam. Et potest bene fieri, ut natura humana *de se* nec sit communicabilis nec incommunicabilis. Sic perperam concluderet, qui ita ratiocinaretur. *Animal de se non est irrationale. Ergo de se est rationale.* Perperam, inquam, concluditur, quia animal de se, seu ex natura sua, nec est rationale nec irrationale (2).

Cæterum notandum est, quod «in multiplicatione individuorum ejusdem speciei non est in *re alia communicatio*, quam assimilatio et convenientia quædam inter ipsa individua, unde neque est in natura communi secundum se alia aptitudo ut communicetur multis, quam sit in ipsis individuis non repugnantia habendi alia similia... Si autem naturam posse communicari multis intelligatur per modum superioris aptitudinis cujusdam naturæ communis, quæ cum una sit, concipiatur tamquam sese *diffundens* et *communicans* multis, hoc est opus rationis et modus intelligendi noster: nam in re nihil hujusmodi antecedit, neque necessarium est ad multiplicationem individuorum inter se similium» (3).

Objic. 3.° Natura non est de se individua et singularis, sed indiget aliquo superaddito, quo individuetur. Ergo de se apta est, ut per principia individuantia contrahatur in pluribus individuis, imo ejusmodi contractionem ac determinationem postulat, ut possit existere, quia nequit existere abstracta (4).

---

(1) Vide apud Suar. ib., sect. 2, n. 6.
(2) Suar., ib. sect. 5. n. 3; sect. 4. n. 12.
(3) Suar., ib. sect. 4, n. 13, in fine.
(4) Apud Suar., ib. sect. 2, n. 6.

Resp. *neg.* conseq. Loquimur de natura creata. Hæc vero non est de se singularis, quia non est essentialiter singularis et individua. Et non est essentialiter individua, quia licet non possit realiter existere sine individuatione aliqua, potest tamen ab illa per mentem præscindi; nec postulat certam aliquam individuationem, ita ut non patiatur possibilitatem plurium aliarum naturarum sibi similium cum aliis individuationibus. Si enim natura essentialiter vindicaret aliquam individuationem, non posset, existere sine illa, ideoque non posset multiplicari, quia haberet unitatem individualem; quemadmodum accidit naturæ divinæ.

Propter hanc ergo rationem dici potest naturam aliquo sibi superaddito indigere ut individuetur (1), non quia individuatio sit realitas physica naturæ reali superveniens ab eaque realiter distincta, sed quia conceptus naturæ præscindit ab individuatione, sicut generis conceptus a differentia specifica. Perperam ergo exinde concludi potest naturam in suo statu reali indifferentiam ullam atque aptitudinem realem habere, ut per multas differentias individuantes contrahatur.

Instabis. Talis natura non est adæquate contrahibilis per unam solam individuationem; immo hoc illi repugnat. Ergo apta est ex se ut in multis insit, seu per plures individuationes contrahatur (2).

Resp. *dist.* antec., quatenus illi naturæ non repugnat multiplicari ita, ut sint plures naturæ individuæ similes perfectissime secundum essentiam, *conc.*, aliter, *neg.*

Objic. 4.° Deus volens creare hominem, libere potest creare Petrum vel Paulum. Atqui id fieri non posset, nisi in ipsa natura humana esset indifferentia ad individuationem Petri vel Pauli. Ergo...

Resp. *dist.* Maj. Deus volens creare indeterminate et abstracte hominem etc. *conc.* Deus volens creare determinatam et concretam naturam, libere potest adscribere eam Petro vel Paulo, *neg.*

---

(1) *Homo est, vel Lucas vel Stephanus; non tamen si quis homo est, prorsus Lucas vel Stephanus est*, inquit S. Gregorius Nyssenus in libro *Quod non sint tres dii.*

(2) Apud Suar, ib. sect. 2, n. 6.

Et *contradistincta* Minori, *neg.* conseq. Nam quævis natura concrete ac realiter existens identificatur realiter cum hac sua individuatione, ut modo supponimus. Nequit ergo illam indifferenter respicere aut quomodocumque, sive proxime sive remote habere aptitudinem, ut eam amittat, vel cum alia commutet, quin desinat omnino esse quod est. Nihil enim potest sua entitate carere, aut ab ipsa separari, remanendo idem.

Inst. Deus potest e nihilo producere hominem. Ergo a fortiori e Petro facere Paulum, quatenus natura Petri fiat natura Pauli.

Resp. *neg.* conseq. Quia contradictionem importat, ut natura realiter identificata cum Petro realiter maneat, non manente Petro.

Objic. 5.° Hæc persuasio populi christiani vera est, Deo gratias agendas esse, quod nos fecerit potius homines, quam bruta, aut plantas, aut lapides. Ergo admittenda videtur in natura humana indifferentia aliqua, ut possit esse irrationalis aut etiam lapidea.

Resp. *dist.* antec. Gratiæ Deo agendæ sunt hoc sensu, quatenus cum ens aliquod individuum creare voluerit, decrevit nos creare, non vero aliquid aliud loco nostri, relinquendo nos in mera possibilitate, *conc.*, quatenus intelligatur, Deum hanc nostram naturam facere potuisse naturam bruti aut lapidis, eam cum bruto ac lapide identificando, *neg.*

Re vera sensus ac vis egregii illius consilii non alio spectat, nisi ut Deo gratias habeamus, quia nos creavit, cum posset non creare, donavitque ampliori perfectione, quam sit perfectio naturæ non rationalis

Objic. 6.° pro sententia P. Fonsecæ.

Ratio præcipua, ob quam impugnatur hæc sententia est, quia si naturæ secundum se competeret universalitas, eam admittere in individuis non posset, cum nihil conveniat essentiæ alicui, quod non conveniat illi etiam, prout est in inferioribus. Atqui ratio hæc falsa est. Nam sunt plura prædicata negativa, quæ conveniunt naturæ secundum se, nec possunt convenire illi, prout in inferioribus. Sic natura secundum se nec generatur, nec corrumpitur, non est singularis, non habet existentiam, quin tamen tribui hæc attributa

possint naturæ individuæ. Ergo idem dicendum de universali naturæ unitate.

Resp. *neg.* Minor. Ad probationem *dist.* antec. Illa prædicata conveniunt naturæ secundum se per intellectus præcisionem, *trans.*, a parte rei, *neg.*

Rem egregie declarat Eximius Doctor: «Dicendum est, inquit, esse sophisticam æquivocationem; multiplex enim potest esse sensus illarum negationum. Primus est, quod natura abstracta nec generari, nec corrumpi, nec esse potest; et hoc modo sunt veræ illæ negationes: tamen si recte intelligantur, non dicuntur de natura secundum se, et absolute sumpta, sed ut habente quemdam statum, quem solum per intellectum habere potest; realiter enim nulla est natura sic abstracta et solitaria, sed per intellectum consideratur, et illi, ut sic consideratæ, attribuitur talis negatio. Quare mirum non est, quod in individuis illi non conveniat, quia per existentiam in individuis destruitur ille status, ratione cujus convenit naturæ talis negatio. Unde, si illa unitas præcisionis cum his negationibus comparanda est, hinc potius colligitur non convenire naturæ, nisi ut subest operationi intellectus abstrahentis et præscindentis illam. Alius sensus illarum negationum est, quod natura communis absolute non generatur neque corrumpitur, et hoc potest intelligi vel quod non generatur ullo modo, et sic est falsum, nam saltem generatur, et existit in individuis. Vel quod non generatur per se primo, sed ratione individuorum, et hoc est verum: tamen hoc etiam dici potest de natura existente in individuis, sicut Aristoteles dicit secundas substantias existere in primis, et ratione illarum, et consequenter non per se primo. Unde hæc negatio in hoc sensu sumpta non convenit naturæ contingenter, sed per se ac necessario; sicut e contrario fieri et esse per se primo convenit individuis, si alicui convenire debet. Nulla ergo prædicata contingentia, etiam negativa, conveniunt communibus naturis, nisi vel ratione individuorum, vel in ipsis individuis. vel ratione status, quem in intellectu habent» (1).

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 6, sect. 3, n. 4.

CAPUT III.

VERA EXPLICATIO UNIVERSALIUM.

Quæ hactenus disputata sunt, quantis hæc controversia implicetur difficultatibus, abunde manifestant. Nam ex altera parte nominibus conceptibusque universalibus objectivum valorem inesse, atque aliquid reale quodammodo commune a parte rei, contra nominales conclusimus. Ex altera vero parte universalia realiter existentia repudianda esse decrevimus sub quavis formarum illarum, sub quibus vulgo realismus circumfertur. Videamus itaque, quid probabilius ad rem declarandam dicendum esse videatur.

ARTICULUS I.

Præmittuntur nonnulla pro quæstionis solutione.

Natura universalis dupliciter pectari potest.

167. Natura universalis bifariam sumi potest: nam *uno modo potest dici universale ipsa natura communis prout subjacet intentioni universalitatis, alio modo secundum se. Sicut et album potest accipi dupliciter, vel id, cui accidit esse album, vel ipsummet secundum quod subest albedini* (1). Est enim universale concretum quoddam, in quo duo distinguere oportet, materiam nempe et formam.

Et materia quidem seu subjectum est natura, *quæ* denominatur universalis, forma vero *qua* denominatur universalis, est universalitas, et universale formaliter sumptum complectitur utrumque (2). Universalitas hæc vel forma constituens

---

(1) S. Th. 2.° *de Anima*, lect. 12, paragr. 6. Cfr, 1. p. q. 85, a. 3, ad 1.um; 1. 2, q. 29, a. 6; *De Ente et essentia*, c. 4; 7.°, *Metaph.*, lect. 13; Opusc. de *Natura generis*, c. 5, vers. fin. et cap. 9; Opusc. 1.° de *Universal.*; Opusc. *de sensu respectu singularium etc.*

(2) S. Th. *Summ. totius Logic. Arist.*, tract. 1, c. 1; 1. p. q. 85, a. 2 ad 2.um; et Opusc. 2.° de *Universalibus;* et de *Natura generis*, cap. 2; et de *Ente et essent.* cap. 4.

universale, quæ vocatur etiam intentio universalitatis, est *unitas* et *communitas*, vel unitas naturæ habens aptitudinem ad multa (1), seu actualis indivisio cum divisibilitate in plura (2). Natura itaque universalis sumpta cum sua universalitate vel cum sua intentione universalitatis est universale *formale* seu *concretive* acceptum; natura vero, quæ subjacet universalitati, secundum se considerata, est universale *fundamentale* seu *denominative* sumptum, quia ipsa est, quæ suscipit denominationem *universalis*.

Intentio universalitatis.

Ut porro percipias rationem, cur forma universalitatis denominetur *intentio*, et simul nonnulla discas scitu necessaria pro veterum auctorum intelligentia, nota *intentionem* apud Philosophos, cum de intellectu est sermo, vocari cognitionem seu conceptum, quemadmodum jam in Dialectica monuimus.

Et duplex distinguitur: *prima* et *secunda*. Prima intentio est primus ac directus conceptus; secunda vero, secundus ac reflexus. At sicut conceptus duplex est, alter *formalis*, *objectivus* alter, ita etiam ipsa intentio, sive prima sive secunda, potest esse et *formalis* et *objectiva*. Prima intentio formalis est cognitio directa repræsentans objectum secundum suum esse physicum et prædicata realia; ipsum autem objectum in ejusmodi conceptu seu formali intentione relucens, vocatur prima intentio objectiva (3).

Quid intentio et quotuplex.

---

(1) Vide S. Thom., 1. p. q. 85, a. 3, ad 1.um, ubi *intentionem universalitatis* ita ipsemet interpretatur: *ut scilicet unum et idem habeat habitudinem ad multa. Et de Ente et essent.* c. 4: *De ratione universalis est unitas et communitas.* Et ibid paulo post: *Non invenitur in individuis natura humana secundum unitatem, ut sit unum quid conveniens cuilibet, quod ratio universalis exigit.* Adde lib. 2.um de *Anima*, lect. 12, paragr. *b*; et Opusc. 55 vers. fin. dicitur quod ratio universalis exigit, *ut sit unum quid omnibus conveniens.*

(2) Recole superius dicta in hujus rei declarationem (cap. 1, a. 2).

(3) *Unde in homine sic* (præcisiva cognitione) *intellecto est duo considerare, scilicet ipsam naturam humanam, seu habens eam, et ipsam universalitatem, seu abstractionem a dictis conditionibus materiæ. Quantum ad primum, homo dicit rem, quantum vero ad secundum, dicit intentionem. Non enim in re invenitur homo, qui non sit hic et nunc, et ipsa natura ut sic, dicitur prima intentio.* Auctor *Summæ totius Logicæ Aristot.*, tract. 1, cap. 1.

Secunda intentio formalis est cognitio reflexa exprimens objectum aliquod, prout prius certo quodam modo apprehensum; ipsum vero ejusmodi objectum in hac formali intentione repræsentatum appellatur secunda intentio objectiva (1). Ea enim est vis intellectus nostri, ut postquam directe naturam in se cognoverit, in suum proprium actum rediens, modum quoque intueatur, quo ea in prævia sua cognitione continetur. Quod si per directam illam apprehensionem cognovit naturam sine notis individuantibus, in reflexione ac reditu supra suum actum deprehendit illam nudatam omni contractione individuali, eamque ratione hujus abstractionis videt aptam, ut insit pluribus, deque illis prædicetur.

Nomina primæ et secundæ intentionis.

Quoniam autem vocabula significant animi conceptus, nomina primas intentiones exprimentia dicuntur *nomina primæ intentionis*, qualia sunt *lapis*, *arbor*, *animal*, *homo*..., nomina vero significantia secundas intentiones appellantur *nomina secundæ intentionis*, cujusmodi sunt *species*, *genus*, *subjectum*, *prædicatum*...

Discrimen harum intentionum.

Inter has intentiones est hoc discrimen; quod formales, tum prima tum secunda, subjective ac realiter existunt in intellectu, tamquam actus et realia ejusdem accidentia, sed objectivæ sunt tantum objective in intellectu tamquam terminus et objectum cognitionis, ita tamen ut secunda intentio objectiva solum existat in intellectu, quia in re nihil abstractum et præcisum ab individuationibus ac differentiis suis specificis potest existere, prima autem intentio objectiva sæpe physice realiter existat in individuis extra intellectum. *Sæpe*, inquam, et non semper, quia fieri potest, ut primæ intentiones formales habeant pro objecto res existentiæ realis incapaces.

---

(1) Doctrina hæc communis est apud Scholasticos, et indicatur ab Angelico 1.° dist. 30, q. 1, a. 3; *de Potentia*, q. 7, a. 9; Opusc. 2.° *de Univers.*, et Opusc. *de totius Log. Arist. summ.*, loc. nup. cit. Vide præterea Dominicum Soto, Op. cit. *de Prædicab.*, q. 3; Tolet, *de Universal.*, *de primis et secundis intentionibus*, quæst. 1.ª; Suarez, *de Anima*, lib. 4, cap. 3, n. 21, dub. 5; Joann. a S. Thom., *Curs. Philosoph. Log.*, q. 2, art. 2; Lossada *Logica*, tract. 1.° procemiali, disp. 2, cap. 4, n. 1 seqq.

Cæterum non conveniunt auctores diversarum Scholarum circa intelligentiam et ulteriorem explicationem secundarum intentionum. Videri potest Lossada, loc. cit. et alii passim veteres Philosophi.

Sic ergo unitas et communitas vocari recte possunt intentio universalitatis, tum quia sunt partus *intentionis* seu cognitionis efficientis universale (nimirum primæ intentionis formalis, quæ naturam contemplatur, sine differentiis ac notis individuantibus), tum quia sunt objectum, quod secunda intentio formalis contemplatur, quando per reflexionem considerat naturam, prout in cognitione præcisiva relucentem, seu est secunda *intentio* objectiva.

Triplex natu ræ consideratio.

168. Notandum est præterea communissimam esse doctrinam illam, quam S. Thomas ex Avicenna mutuatur, ac sæpe repetit in suis operibus: *Triplex est alicujus naturæ consideratio: una prout consideratur secundum esse, quod habet in singularibus, sicut natura lapidis in hoc lapide et in illo lapide. Alia vero est consideratio alicujus naturæ, secundum esse solum intelligibile, sicut natura lapidis consideratur, prout est in intellectu. Tertia vero est consideratio naturæ absoluta, prout abstrahit ab utroque esse, secundum quam considerationem consideratur natura lapidis vel cujuscumque alterius, quantum ad ea tantum, quæ per se competunt tali naturæ* (1), nimirum ea, quæ continentur definitione rei ac proprietatibus necessario manantibus ab illius essentia. Unde tertia hæc consideratio respicit eas notas ac prædicata realia, quæ naturam habere necesse est in quobis statu, sive physico realis existentiæ in individuis, sive ideali in mente cogitantis. Huic triplici naturæ considerationi, ut vides, respondet triplex terminorum suppositio, *personalis*, *logica* et *absoluta* (2).

Ex hactenus disputatis patet naturam neque in prima neque in tertia istarum considerationum universalem esse, nunc ergo videndum est utrum et quomodo natura secundum esse, quod habet in intellectu, sit universalis.

---

(1) Vide S. Thom., *Quodlib.* 8, art. 1. corp. Cfr. Opusc. *de Ente et essentia*, cap. 4; *de Potentia*, quæst. 5, art. 9, ad 16.um *de Natura generis*, cap. 7; lib. 1. *de Anima* lect. 1, paulo ante fin. Vide etiam Albertum M. *De Prædicabilibus*, tract. 2, cap. 3, in notandis ad solution. difficultatum.

(2) Vide *Logic. Minor.* n. 56, 57.

ARTICULUS II.

Quomodo existat universale.

169. PROPOSITIO 1.ª **Natura, quæ denominatur universalis, a parte rei existit in individuis; formam autem universalitatis non accipit nisi ex operatione intellectus. Unde universale formaliter et actu non est in re, sed tantum fundamentaliter et in potentia.**

Natura, quæ dicitur universalis, secundum se invenitur in individuis realiter multiplicata;

Prima pars probatur. Etenim natura, quæ denominatur universalis, vere prædicatur per identitatem de individuis. Sic dicimus verissime: *Petrus est homo, animal; substantia...* Atqui nihil potest prædicari vere de individuis per identitatem, quod in illis realiter non insit. Ergo... (1).

Cæterum natura, quæ denominatur universalis, invenitur in individuis, non quomodolibet, sed realiter identificata cum ipsa intima ratione individuationis vel singularitatis. *Quod est commune multis*, inquit Angelicus Doctor, *non est aliquid præter multa, nisi sola ratione; sicut animal non est aliud præter Socratem et Platonem et alia animalia nisi intellectu, qui apprehendit formam animalis expoliatam ab omnibus individuantibus et specificantibus; homo enim est, quod vere est animal: alias sequeretur quod in Socrate et Platone essent plura animalia, animal scilicet ipsum commune, et homo communis et ipse Plato* (2).

Ratio vero hujus rei in promptu est. Nam natura illa, quæ est in uno individuo, prout præcisa et distincta a sua individuatione, vel distinguitur realiter a naturis aliorum individuorum, vel non. Si non distinguitur, jam non aderit in pluribus individuis multiplex natura, sed una eademque, atque adeo dabitur universale a parte rei ad mentem Gulielmi Campellensis, quem superius confutavimus. Si autem

---

(1) Vide S. Th. Opusc. *de Ente et essentia*, cap. 4 vers. fin.; Opusc. *de Natura generis*, cap. 5 vers. fin; lib. 7. *Metaph.*, lect. 13; 1.ª Dist. 19, q. 5, art. 1; 2.º Dist. 3, q. 2. art. 2 ad 1.um; 1. p. q. 85 art. 2. ad 2.um; lib. 2.º *de Anim.*, lect. 12; et alios priscos AA. passim.

(2) S. Thom. lib. 1.ª *Contra Gentes*, cap. 26, arg. 4.º *Adhuc.*

distinguitur, certe seipsa distinguitur; quandoquidem nihil ab alio distinguitur nisi per suam propriam entitatem. Si autem per suam entitatem distinguitur, natura, quæ est in uno individuo, seipsa et independenter a quavis alia entitate realiter distincta sibique supperaddita, individua est. Itaque, licet adsint in individuis plura accidentia individualia et personalia realiter distincta ab eorum essentia vel natura, agnoscenda tamen est in quavis creata natura aliqua intima ratio realiter indistincta, ipsam in rationem talis individuæ naturæ constituens, sicut ratio differentiæ specificæ, penitus quoad rem indistincta, constituit genus in ratione speciei. Verum de his fusius in Ontologia disserendum est, ubi de distinctione inter gradus metaphysicos entitatis (1).

forma vero universalitatis est ex operatione intellectus:

Secunda pars probatur. Forma universalitatis est unitas et communitas vel aptitudo ad plura ejusdem nominis ac rationis. Atqui nec natura secundum se universalitatem habet, nec a parte rei ulla invenitur natura, quæ una cum sit realiter, realem habeat hujusmodi communitatem seu aptitudinem, ut insit pluribus individuis per identitatem, quemadmodum fuse ostendimus contra rigidiores realistas. Ergo natura universalitatem nancisci nequit, nisi prout est in intellectu (2).

Sane natura, cui accidit intentio universalitatis, duplex tantum esse habere potest, alterum reale in individuis, alterum ideale in mente. Quamobrem, quoniam repugnat naturæ forma universalitatis in suo esse ac statu reali, reliquum est, ut convenire non possit nisi in statu ideali, atque adeo per operationem intellectus (3).

unde universale formale solum est in intellectu;

Tertia pars est corollarium secundæ. Nam si forma universalitatis non est realis, sed advenit naturæ ex operatione intellectus; planum est, universale formaliter non posse a

(1) Vide interea Complutenses, *Logic.* disp. 3, q. 4.

(2) Vide S. Th., 1. p. q. 85, art. 3. ad 1.um; art. 2 ad 2.um; 1.° Dist. 19, q. 5, art. 1; lib. 7. *Metaph.* lect. 13; lib. 2 *de Anima*, lect. 12; Opusc. *de Ente et essentia*, cap. 4; Opusc. *de Natura generis*, cap. 5; et Opusc. 1.° et 2.° *de Universalibus*.

(3) Vide S. Thom., 1. p. q. 85, art. 3. ad 1.um; art. 2. ad 2.um; 1.° Dist. 19, q. 5, art. 1; lib. 2.° de *Anima*, lect. 12; Opusc. *de Ente et essentia*, cap. 4.

parte rei existere, siquidem universale formaliter importat concretum ex natura et forma universalitatis (1).

licet habet fundamentum in re.

Quarta pars probatur. Universale fundamentaliter et in potentia esse rebus, significat adesse in rebus ipsis fundamentum ad hoc, ut intellectus operatione sua universale perficiat. Atqui datur a parte rei fundamentum hujusmodi, similitudo nempe realis individuorum; hæc enim est in causa, cur intellectus, præcisis dissimilitudinibus ac differentiis individuantibus, possit id, in quo conveniunt, uno conceptu apprehendere, et sic universale conflare. Sic Petrus et Paulus etc., licet discrepent suis differentiis individuantibus, tamen conveniunt revera, et similes prorsus sunt in ratione *hominis*, *animalis*, *substantiæ*, ac proinde, præcisis differentiis, concipi possunt ut *homo*, *animal*, *substantia*, et habetur universale. Intellectus ergo ad efformandum universale, reperit in rebus ipsis fundamentum; sive universale fundamentaliter et in potentia existit in rebus (2).

Apposite S. Thomas: *Non... oportet quod, si hoc est homo et illud homo, quod eadem sit humanitas utriusque, sicut in duobus albis non est eadem albedo numero, sed quod hoc* similetur illi *in hoc, quod habet humanitatem, sicut illud: unde intellectus accipiens humanitatem, non secundum quod est hujus, sed ut est humanitas, format intentionem communem omnibus* (3). Similia habet S. Doctor alibi (4): quibus concordat auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis*, hæc scribens: *Intentioni universalitatis respondet extra ut fundamentum, illud, in quo Socrates est conformis cum aliis rebus* (5).

Nomina secundæ intentionis nequeunt prædicari de individuis.

Quæ cum ita sint, plane intelligitur, cur sæpe Philosophi doceant nomina terminosque secundæ intentionis prædicari non posse de individuis, posse vero naturas ipsas seu rationes

---

(1) Vide S. Thom., Opusc. 2. *de Universalib.*, *Quæritur autem utrum universale...*; Opusc. *de Natura generis*, cap. 9; *de Ente et essentia*, cap. 4.

(2) Vide S. Thom., Opusc. 1. *de Univers.*, *Sententia... Aristotelis vera est* etc.; et Opusc. 2. *de Universal.*, *Ex quo patet, quod intellectus facit universalitatem.*

(3) S. Th. 2.° dist. 17, q. 1. a. 1, fin. corp.

(4) Lib. 10. *Metaphysicor.* lect. 1, paragr. *d.*

(5) *Totius Logic. Arist. Summa*, tract. 1, cap. 2.

objectivas, quibus accidunt secundæ intentiones. *Nomina significantia naturas ipsas prædicantur de individuis*, scribit Aquinas, *non autem significantia intentiones: Socrates enim est homo, et non est species, quamvis homo sit species* (1). Et ratio est, quia species et genus sunt secundæ intentiones, exprimuntque naturam, non prout existit, aut existere a parte rei potest, sed prout communis et prædicabilis de pluribus; at naturæ in individuis existentes, non sunt ejusmodi.

170. PROPOSITIO 2.a **Universale est natura quævis, vel objectiva ratio prout relucens in cognitione mentis præcisiva, qua apprehenditur sine notis individuantibus ac differentiis, eam quomodolibet a parte rei multiplicantibus. Unde unitas propria naturæ universalis est ipsi extrinseca.**

Naturæ relucenti in cognitione præcisiva inest

Probatur. Nam universale importat naturam *unam*, multisque *communem* seu *communicabilem*, id est, naturam ita actu indivisam ut tamen divisibilis sit in plura ejusdem nominis et rationis. Atqui sola natura per intellectum abstracta a notis individuantibus ac differentiis, prout talis, est una simul et multis communis seu multiplicabilis. Ergo (2).

Minor probanda est. Et in primis patet ex superius demonstratis, naturam *extra intellectum* in nullo *statu reali* præditam esse unitate et communitate ad rationem universalis necessaria. Probandum ergo restat naturæ, prout abstractæ et relucenti in cognitione præcisiva, sufficientem inesse unitatem et communitatem atque aptitudinem ad plura.

unitas,

α) **Inest sufficiens unitas.** Nam 1.° unitas est indivisio entis in plura, et divisio a quolibet alio, unum quippe vulgo definitur *indivisum in se et divisum a quolibet alio.* Jam vero natura abstracta, in primis divisa et separata est a qualibet alia, puta *natura humana ab equina, leonina, lapidea* etc. Deinde licet sit a parte rei multiplex ac divisa in individuis,

(1) S. Th. Opusc., *de Ent. et essentia* cap. 4. vers. fin. Cfr. Opusc. 2.° *de Univers.*, non procul ab initio; et Opusc. *de sensu respectu singularium et intellectu respectu universalium*, in fine.

(2) Vide Lossada, *Logic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 3. Rhodes, *Philos. Perip.*, lib. 4, disp. 3, quæst. 3, sect. 4, paragr. 1; Semery *Trienn. Philos.*, t. 1. disp. 2, q. 4, art. 7; Alamanni, *Summ. Philos.* prima parte, q. 2, art. 1.

prout tamen abstrahitur per intellectum a differentiis ac notis individuantibus, non est divisa in plura. Sicut enim a parte rei natura illa est una, quæ non est multiplicata seu divisa in pluribus individuis, ita etiam secundum idealem existentiam illa est una natura, quæ mentî apparet ac repræsentatur abstracta et denudata ab omni individuali multiplicatione ac differentiarum diversitate. *Universaliter*, inquit Philosophus, *quæcumque non habent divisionem, in quantum non habent, sic unum dicuntur, ut si in quantum homo non habent divisionem, unus homo, si vero in quantum animal, unum animal* (1). Quem locum sic declarat Angelicus: *Universaliter hoc est verum, quod quæcumque non habent divisionem, secundum hoc dicuntur unum, in quantum divisionem non habent. Sicut quæ non dividuntur in eo quod est homo, dicuntur unum in homine, sicut Socrates et Plato; et quæ non dividuntur in ratione animalis, dicuntur unum in animali* (2).

2.° Præterea natura, prout præcisive cognita, quemadmodum loquitur S. Thomas, est *imago* et *una similitudo omnium, inducens in cognitionem omnium* individuorum, in quantum tali natura constant (3); vel *habet rationem uniformem ad omnia individua, quæ sunt extra animam* (4): quare licet sit multiplex a parte rei, est tamen vere *unius rationis* et unica definitione definitur. Atqui natura, quæ hoc modo se habet, quadam potitur unitate. Nam quæ unius sunt rationis ac definitionis, unum sunt ratione; sicut e converso ea, quæ, quamvis in re unum sint, diversis tamen conceptibus repræsentantur, dicuntur quodammodo plura, ut videre est in animalitate ac rationalitate. Quare cognitio præcisiva, saltem exercite, repræsentat naturam ut unam, cum tali modo tendat ad suum objectum, ut non exhibeat distinctionem et multiplicitatem individuorum, sed solum id, in quo illa omnia conformantur, et conveniunt. Unde, quantumvis aliquis hujusmodi conceptum intueretur ac penetraret, non posset ex hoc solummodo scire, num natura in eo relucens in uno

(1) Arist., lib. 5. *Metaphysicor.* text. 11, cap. 5.

(2) S. Th., lib. 5 *Metaph.*, lect. 8.

(3) S. Thom. Opusc. *de Ente et essent.* cap. 4.

(4) S. Thom., ib. et Opusc., 1.° de *Universalib.* Cfr. lib. 1. *Contra Gent*, cap. 50. *Item formæ rerum;* 2.° Dist. 17, q. 1, art. 1. fin.

aut in pluribus individuis reperiatur, quia nihil penitus refert de individuis ac de multiplicitate et varietate eorumdem. Finge tibi plures guttas aquæ simillimas, easque si repræsentare in imagine velis, sufficiet tibi unica imago, quæ, ob perfectam omnium inter se similitudinem, æque unam atque alteram representabit, quin tamen ipsam, multitudinem ac distinctionem earum ostendat. Pari modo præcisiva cognitio solum refert id, quod in omnibus individuis sive existentibus sive possibilibus simile est, quin referat eorum diversitates individuales; quæ natura, prout tali conceptu repræsentata, unitatem habet (1).

Dices hanc unitatem extrinsecam esse et impropriam. Profecto extrinseca est et etiam impropria, si eam cum intrinseca comparaveris. Non autem ita est impropia, ut non agnoscatur et recipiatur ab omnibus Philosophis atque a communi usu loquendi.

Certe Aristoteles et cum eo S. Thomas inter modos unitatis varios, hanc extrinsecam et rationis recensere non dubitarunt, per quam plura dicuntur unum, quia eorum *intelligentia est una, et quæ una apprehensione apprehenduntur ab anima* (2). *Et dicuntur una apprehensione apprehendi talia*, pergit Angelicus, *quorum est una apprehensio indivisibilis. Quod quidem contingit dupliciter, aut quia apprehensio indivisibilis est ejus, quod est unum specie, aut ejus, quod est unum numero. Numero quidem indivisibile est ipsum singulare, quod non potest prædicari de multis. Specie autem unum est indivisibile, quod est unum secundum scientiam et notitiam... Non enim in diversis singularibus est aliqua natura una numero, quæ possit dici species. Sed intellectus apprehendit ut unum id, in quo omnia inferiora conveniunt. Et sic in apprehensione intel-*

(1) *Socrates* (vel aliud quodvis individuum) *significat* **hoc aliquid** *et determinatum*, inquit S. Thomas, *homo vero* (idem dic de qualibet alia natura præcisa) **quale quid**, *quia significat formam communem et indeterminatam, quia significat absque ulla determinatione.* S. Th. lib. 7. *Metaphy.* lect. 7, paragr. *c.* Cur autem natura abstracta significet *quale quid*, declarat S. Doctor in Opusc. *de nat. gener.* cap. 9. vers. fin.

(2) S. Th. lib. 10, *Metaphys.*, lect. 1, parag. *d*, cum Arist. ibid. cap. 1, Cfr. S. Th. lib. 5 *Metaph.*, lect. 7, paragr. *f*; et lect. 8 init., cum Aristot. ib.

lectus species (id est natura specifica rei) *fit indivisibilis, quæ realiter est diversa in diversis individuis* (1).

Cæterum in declaranda hoc pacto unitate propria universalis, nos non contendimus hanc esse perfectam et propriissimam unitatem, sed solum eam sufficere ex sensu communi omnium, ut universale dici possit *unum* communicabile pluribus, quoniam impossibile est universale realem aliquam unitatem habere.

et communitas seu aptitudo, ut pluribus communicetur.

β) **Naturæ prout relucenti in cognitione præcisiva inest communitas seu aptitudo, ut pluribus communicetur.** Repugnantia enim communicationis convenit naturæ ratione individuationis. Si ergo natura spolietur notis individuantibus ac differentiis, quibus diversificatur, id quod per cognitionem præcisivam obtinetur, nihil jam retinet, prout ita abstracta, quod ejusmodi communicationem impediat.

Accedit, quod natura, prout relucens in cognitione præcisiva, eam præ se fert realitatem, quæ cum quibuscumque comparetur individuis, in illis inesse vere reperiatur, deque illis possit prædicari seorsim secundum totam suam actualitatem seu notarum comprehensionem (2). Cæterum

Doctrina S. Thomæ hac super re.

Quod universale sit natura vel ratio rei prout relucens in cognitione præcisiva, doctrina est, quam sæpe tradit Aquinas cum Stagirita. *Sententia... Aristotelis vera est*, inquit, *scilicet, quod universale est in multis et unum præter multa. Et tangitur in hoc duplex esse universalis, unum secundum quod est in rebus, aliud secundum quod est in anima....* (3)

Et alibi: *Ipsa natura, cui accidit intentio universalitatis habet duplex esse. Unum quidem materiale, secundum quod est in materia naturali; aliud autem* **immateriale**, *secundum quod est in intellectu. Primo quidem modo non potest ei advenire intentio universalitatis, quia per materiam individuatur. Advenit ergo universalis intentio, secundum quod abstrahitur a materia individuali... Sic ergo patet, quod naturæ communi non potest*

(1) S. Th., lib. 10 *Metaphys.*, lect. 1. Cfr. Opusc. 2.um *de Universalib., Quia licet plura secundum quod plura* etc.

(2) Videatur S. Th., Opusc, *de Ente et essentia*, cap. 4. Cfr. Opusc. de *Natura generis*, cap. 5, vers. fin; lib. 7. *Metaphysicor.* lect. 13, paragr. *b.*

(3) Opusc. 1.° *de Universal.*

attribui intentio universalitatis, nisi secundum esse quod habet in anima et intellectu. Sic ergo solum est unum de multis, prout intelligitur præter principia individuantia, vel unum in multis, ut individuis vel inferioribus, quæ in superiori sunt unum (1).

Item: *Alio modo dicitur universale ratura illa sub intentione universalitatis sibi attributa; et sic propter uniformitatem rationis inventam in intentione, quæ fit propter remotionem a materialibus conditionibus et omni diversitate, est unum in multis: sic enim homines sunt unus homo et unum animal. In re igitur nihil est commune multis; quia quidquid est in re, est singulare uni soli communicabile; quod autem commune est, agitur per intellectum* (2).

Adde hæc alia. *Quæritur autem, utrum universale sit substantia vel accidens. Et per hoc solvitur ista quæstio, quoniam loquendo de universali, secundum quod universale,* est solum in anima et est accidens. *Sed loquendo de re subjecta, dicitur, quod quandoque est substantia, et quandoque accidens secundum diversitatem universalium* etc. (3) Hæc intelligi nequeunt, nisi dicamus universale esse naturam vel rationem objectivam relucentem in cognitione præcisiva.

Item: *Sed unum est advertendum, quod cum dicitur: Res subjecta intentioni secundæ prædicatur, non est intelligendum, quod res illa ita sit subjecta intentioni, quod sit in ea tamquam accidens in subjecto, sicut subjectum scientiæ non dicitur hoc modo subjectum, ut scientia sit in eo tamquam in subjecto, sed in eo est tamquam in objecto, scientia enim non est in scibili, sed in sciente. Unde proprie loquendo non dicitur subjectum, sed objectum scientiæ, Et similiter res subjecta illi intentioni non dicitur proprie subjecta, sed objecta* (4).

---

(1) Opusc. *De sensu respectu singularium et intellectu respectu universalium.* Cfr. lib. 2. *de Anima*, lect. 12, post medium, ubi fere iisdem verbis res explicatur.

(2) Opusc. de *Natura generis*, cap. 5, vers. fin. Cfr. ib. cap. 9, initio, et per totum caput sæpe; Opusc. 1.° de *Universal.*, sæpe; 1. p. q. 76, art. 2, ad 4.um

(3) Opusc. 2.° *de Univers.* Cfr. Opusc. 1.um *de Universal.*, *Utrum autem sit substantia vel accidens* etc.

(4) Opusc. 2.° *de Universal.*

Denique: *Quamvis hæc natura intellecta habeat rationem universalis, secundum quod comparatur ad res, quæ sunt extra animam, quia est una similitudo omnium, tamen secundum quod habet esse in hoc intellectu vel in illo, est species quædam intellecta particularis... quia non est universalitas illius formæ, secundum hoc esse quod habet intellectum* (forte *in intellectu*), *sed secundum quod ad res refertur, ut similitudo rerum. Sicut etiam si esset una statua corporea repræsentans multos homines, constat, quod illa imago vel species statuæ haberet esse singulare et proprium, secundum quod esset in hac materia, sed haberet rationem communitatis, secundum quod esset commune repræsentativum plurium* (1).

Quibus similia scripsit Auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis: In nostra phantasia est phantasia, inquit, seu forma repræsentans hunc hominem, secundum quod fuit in aliquo sensu exteriori: quæ forma virtute intellectus agentis agit in intellectum possibilem, sicut colores virtute luminis agunt in potentiam visivam, et causatur tunc in intellectu possibili quædam forma, quæ* dicitur **species intelligibilis** (species expressa), *vel secundum alios,* **actus intelligendi** *vel verbum, quæ repræsentat hominem,* **non tamen ut est hic nunc, sed abstractum a talibus conditionibus: et hoc dicitur universale** (2).

Abstractio propria universalis declaratur.

Ex dictis intelliges, qualis sit abstractio propria universalis. Abstractio enim duplex distinguitur cum Cardinali Cajetano, *formalis* ac *totalis*. Formalis est illa, qua forma vel illud, quod instar formæ se habet, abstrahitur a materia, vel formale a materiali: quo pacto *humanitas* abstrahitur ab *homine*, *quantitas* a *materia sensibili*, *circulus* a *materia*, ex qua factus est. Non est hæc abstractio propria naturæ universalis, sed illa quæ vocatur *totalis*, per quam natura aliqua præscinditur a differentiis. Et vocatur *totalis*, quia per eam abstrahitur *totum potentiale* a suis partibus subjectivis, natura enim specifica est totum potentiale respectu individuorum, quæ

(1) S. Thom. Opusc. *de Ente et essent.*, cap. 4. Cfr. Opusc. 1.um *de Universalibus, Est enim illa in solo intellectu singularis* etc. Vide etiam Auctorem *Summæ totius Logic. Arist.*, tract. 1, cap. 1, ubi egregie et perspicue doctrina hæc traditur.

(2) Opusc, *Summæ tot. Logic. Aristot.*, tract. 1, cap. 1.

sunt partes subjectivæ illius; itemque natura generica respectu specierum, et generatim quævis ratio superior respectu inferiorum. Inter has duas abstractiones quadruplicem differentiam notat Cajetanus (1).

Num ad constituendum universale requiratur unitas aliqua ficta.

171. SCHOLION. Quæri potest, num ad plene constituendum universale fingenda sit in natura, quæ denominatur universalis, aliqua alia unitas distincta ab illa, quam hactenus declaravimus. Nam sunt, qui aliam præterea unitatem, nescio quam, requirant, ipsi naturæ inhærentem, quam intellectus fingat in illa ad hoc, ut naturæ realiter plures in individuis existentes unitatem propriam universalis nanciscantur. Ajunt nempe illi auctores, «intellectum humanum facere universale formaliter per hoc, quod in naturis realiter multis fingat unitatem. Puta intellectus fingendo, quod omnia animalia sunt unum animal, facit animal universale et genus respectu hominis et bruti: fingendo omnes homines esse unum hominem, facit hominem universalem et speciem respectu Petri, Pauli, Francisci aliorumque individuorum. Fundatur hæc sententia in hoc, quod reipsa non datur a parte rei aliquid præter singularia, et tamen præter singularia requiritur aliquid aliud ad universale, singularia enim sunt ipsamet multiplicitas, præter quam requiritur unitas. Hæc autem nequit esse intrinseca (id est physice ac realiter inhærens naturæ), quia per intrinsecam multiplicitatem excluditur. Ergo necesse est, ut unitas multiplicitati superveniat ab intellectu,» nec sufficit, quod uno actu præcisivo multa apprehendantur solum exprimendo id, in quo conveniunt et perfecte similia sunt, neglectis differentiis, sed insuper requiritur, ut in tali natura apprehendatur positive aliqua alia unitas per nostrum intellectum conficta, per quam objectum in se multiplex, evadat formaliter unum (2). Quæ doctrina similis est illi, secundum quam iidem, qui hæc docent, Thomistæ arbitrantur deno-

(1) *Commentar. sup. Opusc. S. Th. de Ente et essentia*, quæst. 1, *Ad horum pleniorem intelligentiam...* Cfr. Complutenses, *Logic.*, disp. 4, quæst. 4, n. 29, et disp. 19, quæst. 4, n. 46 seqq.

(2) Ita apud P. Semery, *Trienn. philosoph.*, tom. 1, disp, 2, q. 4, art. 7. Cfr. Lossada, *Log.*, tract. 1, disp. 2, cap. 4, n. 33, seqq.; tract. 3, disp. 2, cap. 3.

minationes *cogniti*, *visi*, *definiti*, etc., non inesse objectis nisi fundamentaliter ex eo, quod detur in intellectu actus *cognitionis*, *visionis*, *definitionis;* formaliter autem prædictas denominationes tum solum dari, cum intellectus comparando rem *cognitam*, *visam*, *definitam*, concipit relationem, quæ intercedit, inter rem cognitam et potentiam cognoscentem: unde cognitum in ratione cogniti formaliter constituitur per prædictam relationem, actus vero realis cognitionis solum fundamentaliter constituit cognitum in ratione cogniti (1).

Et quoniam tum hujusmodi relatio pure rationis, tum unitas illa conficta ad universale constituendum sunt entia rationis, solemne est Thomistis decernere universale, sicut etiam illa alia concreta logica, formaliter constitui per *ens rationis*.

Excluditur unitas ficta.

Equidem arbitror, nullam hujusmodi unitatem ab intellectu confictam requiriri ad universale constituendum.

Primo quia ostensum jam est, ex sola præcisiva cognitione existere in natura sufficientem unitatem et communitatem, ut universalis designari possit. Quid ergo aliquid aliud fingamus præterea?

Prob. 2.° Unitas illa, qua intellectus naturam multiplicem ut unam positive et signate repræsentat, reddit cognitionem falsam, utpote quæ exhibet objecta multa ut affecta unitate, quam reipsa non habent. Ergo ad constituendum universale necesse non est hujusmodi unitatem comminisci.

Nec dicas falsitatem quoque reperiri in naturæ unitate, prout a nobis est explicata. Nam conceptus præcisivus repræsentans solum naturam et rationem, in qua individua conveniunt, nihil refert, quod in re non reperiatur, quamvis non referant totum, quod rei in suo reali statu inest, nempe multiplicitatem ac varietates individuales; quare non potest ille conceptus falsificari, donec accedat judicium affirmans naturam præcisam eodem modo existere in vera physica realitate extra mentem, ac in cognitione abstractiva intellectus. At vero conceptus fingens in naturis individuorum unitatem, quam non habent, aliquid illis non conveniens

(1) Vide Semery., Op. et loc. cit., disp. 1, q. 2, art. 8; Lossada, *Logic.*, tract. 1, disp. 2, cap. 4.

addit, refertque proinde concretum aliquod falsum et absurdum (1).

Confirmatur hæc doctrina auctoritate S. Thomæ, qui sæpissime unitatem propriam universalis, explicat prout nos, illius vestigia sequentes, explicavimus, nec meminit fictæ ullius unitatis, quæ necessaria sit ad universale constituendum. Et in primis recolantur nuper adducta testimonia, e quibus facile est hanc doctrinam elicere; verum audiantur alia: *Cum dicitur*, inquit, *intellectum in actu, duo importantur, scilicet res, quæ intelligitur, et hoc quod est ipsum intelligi. Et similiter, cum dicitur universale abstractum, duo intelliguntur, scilicet ipsa natura rei et* **abstractio seu universalitas.** *Ipsa igitur natura, cui accidit vel intelligi vel abstrahi, vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus: sed hoc ipsum quod est intelligi vel abstrahi* **vel intentio universalitatis, est in intellectu...** *Similiter humanitas, quæ intelligitur, non est nisi in hoc vel in illo homine; sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturæ speciei et non individualium principiorum* (2).

Mens S. Thomæ investigatur.

Et alibi: *Est autem* (universale) *unum in cognitione; quia licet plura, secundum quod plura, non constituunt unum intellectum, tamen plura, secundum quod similia sunt, constituunt unum intellectum, ita quod intellectus non potest distingui inter similia, in quantum sunt similia. Et ideo intellectus apprehendit hominem et asinum, in quantum conveniunt in una operatione, scilicet sensitiva, unico intellectu apprehendit. Et si in re sint multa, talis tamen unitas non opponitur illi multitudini. Et quia res per idem est ens et unum, et e converso, oportet* **quod universale sit universale per prædictam unitatem; ita quod naturæ talis cognitio facit universale esse in actu universale; et est quoddam formale in universali** (3). Quid clarius?

Et ibidem paulo inferius: **Est igitur universale unum unitate cognitionis; ita quod de ratione universalis non**

(1) Vide auctores citatos, et Rhodes, *Philosph. perip.*, lib. 4, disp. 3, sect. 5, paragr. 1.

(3) 1. p. q. 85, art. 2, ad 2.um Cfr. ibid. art. 3 ad 1.um

(2) Opusc. 2.° de *Univers.*

requiritur, nisi illa unitas rationis; et propter hoc dicit quod est unum in multis, scilicet cognitum (1).

Item: *Quæ sunt diversa secundum substantiam, et unum secundum accidens, sunt diversa simpliciter, et unum secundum quid; sicut multi homines sunt unus populus, et multi lapides sunt unus acervus, quæ est unitas compositionis aut ordinis. Similiter etiam multa individua, quæ sunt unum genere vel specie, sunt simpliciter multa, et secundum quid unum, nam esse* unum genere vel specie est esse unum secundum rationem (2).

Præterea: *Alio modo dicitur universale natura illa sub intentione universalitatis sibi attributa* et sic propter uniformitatem rationis inventam in intentione, quæ fit propter remotionem a materialibus conditionibus et omni diversitate, est unum in multis. Sic enim homines sunt unus homo et unum animal (3).

Iterum: *Hanc communitatem habet forma animalis vel hominis, secundum quod est in intellectu, qui unam forman accipit ut multis communem, in quantum abstrahit eam ab individuantibus* (4).

Adde quæ superius citavimus ex libro quinto et decimo *Metaphysicorum*, (5), in quibus diserte unitas rationis, quæ adest in cognitione præcisiva, dicitur esse unitas universalis.

Cum S. Thoma concordant Auctores Societatis.

Atque hæc est opinio communissima inter nostræ Societatis Auctores.

ARTICULUS III.

Solvuntur difficultates.

172. **Objic 1.°** Objectum antecedit potentiam. Sed universale est objectum intellectus. Ergo...

---

(1) S. Thom., ibid.

(2) 1. 2. quæst. 17, art. 4. Cfr. Opusc. *de Natura generis*, cap. 9, vers. fin. et cap. 10.

(3) De *Natura generis*, cap. 5.

(4) Lib. 7. lect. 13, paragr. *b*. Cfr. Opusc. 1.um *de Universalibus*, ubi eadem verba fere continentur.

(5) Libro 5.° *Metahpysicor.* lect. 8 initio; lib. 10, lect. 1, paragr. *d*.

Resp. *dist.* Major. Saltem fundamentaliter, *conc.*, formaliter, *subdist.;* nisi tale sit, ut ab ipsa fieri debeat, *conc.*, secus, *neg.*

Minorem quoque *distinguo.* Universale fundamentaliter seu materialiter, *conc.*, universale formaliter et quatenus universale, *subdist.;* est objectum quod fit ipsa intellectus operatione, *conc.*, quod cognoscitur, iterum *dist.;* per actum directum, *neg.*, per reflexum, *conc.*

Duo namque sunt in universali, natura ipsa, quæ, instar materiæ *circa quam*, præcedit actum potentiæ intellectivæ, et forma universalitatis, quæ opus mentis est. Unde universale formaliter consideratum, seu prout tale, fit ab intellectu per operationem directam et præcisivam, ut mox declarandum est, ac deinde cognosci etiam potest per actum alium reflexum, quo mens contemplatur opus suum, nimirum naturam prout abstractam.

Instabis. Intellectus, ut quævis alia facultas intentionalis, nihil efficit circa objectum suum, nec proinde potest illud immutare, cum operetur immanenter. Sed natura est singularis ante actionem illius. Ergo singularis quoque remanebit post intellectus operationem, atque adeo nefas est dicere universale fieri ab intellectu.

Resp. *dist.* Major. Nihil physicum, reale atque intrinsecum, *conc.*, intentionale atque extrinsecum, *neg.* Nam forma universalitatis in natura non est nisi mera denominatio extrinseca. Ita etiam a visione, quæ nihil ponit extrinsece in objecto, paries vocatur visus. Quare, licet natura semper in se singularis remaneat, fit tamen universalis, prout est in intellectu.

Objic. 2.° Si natura fieret una per operationem intellectus, sequeretur illam, prout cognitam per distinctos actus diversorum hominum, fore multiplicem. Id vero absurdum est.

Major patet. Quia multiplicata forma dante unitatem, necesse est, ipsa quoque unitas multiplicetur. Jam vero juxta nos unitas universalis procedit ex eo, quod multiplex realiter natura unico formali conceptu aprehendatur, præcisis differentiis, per quas a parte rei diversificata reperitur. Ergo sicut multiplicata unitate individuali, multiplicatur natura indivi-

dua, ita si plures homines apprehendant præcisive naturam, hæc evadit multiplex ex multiplici conceptu diversorum hominum.

Minor etiam patet, quia tunc, multiplicatis unitatibus universalibus, multiplicantur species ipsæ. Ita ergo erunt plures humanæ species, plures animalitates etc...

Resp. *neg.* Maj. Universale enim est concretum accidentale. Concreta vero accidentalia non multiplicantur ad multiplicationem formarum, si idem perseveret subjectum. Sic paries, etiamsi plures accipiat albedines, non fit plura alba; nec homo, etiamsi calleat plures artes, redditur plures artifices; nec objectum, etiamsi videatur a multis hominibus, potest denominari multiplex; nec Deus, mille cognitionibus apprehensus, est multiplex, sed unus millies cognitus. Idem dic de universali: erit nimirum a multis formatum, non vero multiplex.

Probationem Majoris simili modo *distinguo;* si forma illa sit intrinsica subjecto ipsi, *conc.*, si sit extrinseca, *neg.*

Et *neg.* paritatem consequentis. Nam unitas individualis intrinseca est subjecto ipsi ac substantialis: ideo nihil mirum si illa multiplicata, multiplicentur quoque ipsa individua (1).

Instabis. Universale est essentialiter unum, cum definiatur unum aptum inesse pluribus. Ergo nequit esse unum extrinseca unitate.

Resp. *dist.* antec.; universale *adæquate* ac *formaliter* sumptum, *conc.*, *inadæquate* et fundamentaliter vel specificative sumptum, *neg.*

Dist. conseq.; nequit esse unum unitate, quæ sit extrinsea universali *adæquate* sumpto, *conc.*, fundamentaliter sumpto, *neg.*

Universale adæquate et formaliter consideratum est totum concretum ex natura et forma universalitatis. Et quoniam huic concreto, prout tali, essentialis est forma universalitatis, ideo est etiam illi essentialis illa unitas intentionalis. Hoc tamen non vetat, quominus ea unitas ac forma universalitatis extrinseca sit prorsus et accidentalis naturæ ipsi,

(1) Vide apud Suar., disp. 6. *Metaph.* sect. 3, n. 9, 11, 12; Conimbric. loc. cit. q. 4, art. 5.

quæ denominatur universalis, et est dumtaxat subjectum illius concreti. Sicut etiam concreto *cognitum* vel *visum* intrinseca et essentialis est *cognitio* vel *visio*, quæ tamen extrinseca est ipsi rei, quæ cognoscitur vel videtur.

Obj. 3.° Objectum a conceptu nequit accipere unitatem. Ergo non fit universale per operationem intellectus.

Antecedens patet, quia potius e converso ipse conceptus habet unitatem ab objecto, cum tendat in illud tamquam in terminum suum.

Resp. *neg.* antec., et probation. *dist.* Conceptus habet ab objecto unitatem *fundamentalem*, quæ consistit in similitudine plurium, *conc.*, actualem, propriam universalis, *neg.*

Nam cognitio desumit ab objecto unitatem tamquam a fundamento, objectum vero accipit unitatem a cognitione tamquam a forma.

Instabis. Universale præ se fert non modo unum conceptum formalem, sed etiam objectivum. Ergo debet supponere unitatem objectivam.

Resp. *neg.* conseq. Nam quamvis objecta sint multa in se, dummodo similitudinem habeant secundum essentiam, sufficiens præbent fundamentum intellectui, ut unum conceptum, tum formalem tum objectivum, eliciat, cognitionem nimirum, quæ referat indivisam essentiam illam, in qua plura illa individua conveniunt ratione suæ mutuæ similitudinis.

Obj. 4.° Universale est objectum scientiarum. Sed objectum scientiarum reale est, nec fit a mente. Ergo...

Resp. *dist.* Maj. Universale fundamentaliter sumptum, *conc.*, formaliter, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Obj. 5.° Si cognitio, eo quod una est, denominat unam atque universalem naturam in se multiplicem; non minus poterit, quia ipsa in se est singularis et spiritualis, naturam quoque singularem et spiritualem denominare. Atqui hoc absurdum est. Ergo non sufficit extrinseca illa cognitionis unitas ad universale constituendum.

Resp. *neg.* Majorem, quæ, si quam vim haberet contra doctrinam expositam, non minorem haberet contra communem omnium sensum. Nam si omnis denominatio conveniens ipsi conceptui refunderetur ac derivaretur in objectum, cur objecta cognita non vocantur accidentia, sicut accidens

est ipsa cognitio? Cur non vocatur unum individuum objecta plura, quæ simul una cognitione attinguntur?

Itaque duo genera prædicatorum distinguenda sunt in cognitione, alia quæ ipsi conveniunt in essendo, alia quæ conveniunt in repræsentando. Et prædicata primi generis, qualis est spiritualitas cognitionis, non refunditur in objetum, quia sub hac ratione conceptus non supponit pro objecto. Verum prædicata, quæ conveniunt cognitioni in repræsentando, refunduntur in objectum, quia sub hac ratione conceptus mentis objectivus supponit pro objecto (1).

Obj. 6.° Si universale fieret ab intellectu, natura prout est in intellectu, foret universalis. Atqui natura prout est in intellectu singularis est. Ergo...

Minor probatur. Nam natura, prout est in intellectu, est ipse conceptus objectivus intellectus. Conceptus autem ejusmodi, utpote physicum ac reale accidens mentis, verissime singularis est. Ergo...

Resp. *dist.* Minor. Subjective atque entitative considerata, *conc.*, objective ac repræsentative, *neg.* Et similiter *distinguo* probationem.

Hæc est doctrina S. Thomæ: *Et quamvis ab ipsa anima recipiat* (natura) *rationem universalis, tamen non est in ipsa secundum suam essentiam, sed secundum suam similitudinem et speciem. Unde et Philosophus ait: Lapis non est in anima, sed species lapidis. Hæc autem similitudo sive species existens in anima, est una numero, et est singularis. Ejus autem universalitas, non est ex hoc, quod est in anima, sed ex hoc, quod comparatur ad multa singularia se habentia opinata* etc. (2).

Objic. 7.° Secundum nos natura in se multiplex ideo redditur universalis, quia unica cognitione apprehenditur. Atqui hoc absurdum est, secus enim collectio plurium rerum, quæ simul repræsentarentur in cognitione, universalis foret. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Secundum nos natura ideo universalis redditur, quia unico actu mentis apprehenditur utcumque,

---

(1) Cfr. Anton. Mayr. *Philos perip.*, part. 1, n. 512; Lossada *Logic.* tract. 2, disp. 2, cap. 3, n. 11.

(2) S. Thom. Opusc. 1.° *de Universalibus.* Recole alia loca superius adducta ex eodem S. Doctore.

neg., quia uno actu mentis a multitudine omnique diversitate individuali præscindentis, *conc.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Vide quantopere discriminentur hi tres conceptus: *Unus homo*, vel: *Hic homo; Omnes homines;* et: *Homo.* Primus refert unicum individuum objectum, alter multa individua, notando illorum multitudinem; unde neuter eorum universalis est, nec reddit objectum suum universale. Tertius denique exprimit naturam, quæ revera multiplex est in individuis existentibus, sed non exprimit multitudinem aut varietatem individualem eorumdem. Et nihilominus ratio illa, quam talis conceptus refert, quoniam est id, in quo omnia individua similia sunt, et inter se conveniunt, revera in omnibus illis reperitur.

Et ideo illa ratio vel natura, prout in tertio illo conceptu repræsentata, dicitur et est universalis, utpote quæ refert aliquid actu indivisum, et divisibile in plura: *actu*, inquam, *indivisum*, prout est in mente, quia repræsentatur sine divisione ac multiplicitate individuorum; et *divisibile in plura*, quia reperitur in pluribus individuis multiplicata in rerum natura, vel certe reperiri potest.

ARTICULUS IV.

De causa efficiente universalium.

Status quæstionis.

173. Supponimus, alias potentias cognoscitivas præter intellectum non posse facere universale: id quod in tractatu de Anima disputandum est (1); intellectum vero esse causam efficientem universalis, satis, opinor, ex hactenus probatis elucet. Modo videndum est, per quem actum intellectus confletur universale, per abstractionem seu præcisionem, an per comparationem.

Ut porro quæstio melius intelligatur, supponenda sunt quædam ex eodem tractatu de Anima circa modum, quo

(1) Vide interea, si lubet, P. Joann. Ulloa, *Logic.*, disp. 2, cap. 3; Anton Mayr., *Philos. perip.*, part. 1, disp. 3, q. 1, art. 7, aliosque.

intellectus procedit in suis cognitionibus. Quemadmodum sensitiva facultas ad actum suum indiget determinatione aliqua, quæ ab objecto proveniat, et vocatur *species sensibilis;* ita etiam intellectui sua opus est *specie intelligibili*, qua fecundetur ac determinetur ad actum suum ponendum. Hoc tamen interest inter utramque speciem, quod sensibilis ab ipso corporeo objecto imprimatur, intelligibilis autem propter suam et intellectus immaterialitatem imprimi ab objecto nequeat. Itaque ad intelligibilem speciem gignendam adest in ipsa potentia intellectiva virtus quædam *activa*, quæ *intellectus agens* denominatur, quæque, ad præsentiam et cum concursu phantasmatis seu repræsentationis ab imaginatione efformatæ, producit speciem illam, cujus ope virtus intellectus *cognoscitiva (intellectum possibilem* vocant) objectum in cognitione sensuum et phantasiæ relucens spiritualiter intelligit, ac repræsentat.

Species sensibilis et intelligibilis:

intellectus agens,

et possibilis.

Operatio intellectus agentis, qua species intelligibilis producitur, *abstractio* vocitatur, quia videlicet per eam ex phantasmate materiali abstrahitur species immaterialis seu spiritualis. Quin etiam in sententia plurium Philosophorum species per intellectum agentem abstracta solum potest saltem primo et directe determinare ad cognitionem naturæ universalis sine notis individuantibus; quapropter secundum hos auctores alia quoque est ratio, cur operatio intellectus agentis nuncupetur *abstractio*, nimirum quia ex phantasmate materiali objecti individui abstrahitur species intelligibilis spoliata non solum a materialitate entitativa, sed etiam a materialitate repræsentativa notarum individualium.

abstractio intellectus agentis;

Præter hanc abstractionem seu productionem speciei intelligibilis, quæ non est cognitio, datur alia abstractio cognoscitiva, seu cognitio præcisiva, quam sæpius in superioribus meminimus, quæ aliud non est, quam cognitio repræsentans naturam rei, non repræsentatis notis individantibus.

abstractio intellectus possibilis:

Jam intellectus facultate gaudet, ut postquam naturam aliquam absque notis individuantibus cognovit, in se redeat, ut proprium actum consideret; in qua reflexione *comparare* potest naturam sic præcisive cognitam, seu in cognitione præcisiva relucentem, cum individuis, ut videat num in illis insit, deque eisdem prædicari possit. Hæc porro comparatio

comparatio

bifariam fieri potest: vel per meram apprehensionem, et vocatur simplex comparatio, vel per actum judicii attribuendo naturam individuis, et vocatur comparatio composita.

Hisce prænotatis, quæstio proposita hæc est, utrum universale efficiatur per abstractionem, sive intellectus agentis producentis speciem intelligibilem, sive intellectus possibilis rem sine notis individualibus repræsentantis, an vero per comparationem mox subsequentem, qua natura sic intellecta individuis confertur, et in illis inesse deprehenditur. Et sunt plures opiniones, ut videre est apud Eximium Doctorem (1) aliosque auctores. Alii enim requirunt comparationem, alii abstractionem sufficere arbitrantur, ut plene constituatur universale; alii demum ad universale logicum et prædicabile habendum requirunt comparationem, minime vero ad metaphysicum et in essendo. At quoniam et abstractio et comparatio, ut jam præmonuimus, duplicis generis esse potest, rursus in varias alias sententias scinduntur prædicti auctores. Declaratur controversia.

Prima itaque opinio est illorum, qui putant sola intellectus agentis abstractione jam constitutum remanere universale. Quæ tribui solet Dominico Soto (2), Zumel et aliis (3), qui non uno in loco favere sibi putant S. Thomam (4). Quamvis Sotus revera non abstractioni præcise intellectus agentis, sed generatim abstractioni tribuat constitutionem universalis; quare potius stare videtur pro secunda opinione. Prima opinio:

Secunda sententia tenet universale plene ac formaliter effici per abstractionem intellectus possibilis, nempe per cognitionem præcisivam. Ita docent Durandus (5), Toletus (6), Hurtadus (7), Rhodes (8), Sylvester Mauri (9), An- secunda:

(1) Disp. *Metaph.* 6, sect. 6.
(2) *In Porphyrii Isagogen, de Universalib.*, quæst.
(3) Apud Suar., loc. cit., Bartholom. Amici, *Logic.*, tract. 4, dub. 6, art. 2.
(4) In locis inferius citandis.
(5) 1.° Dist. 3, quæst. 5, n. 27; et 2.° Dist. 3, q. 7, n. 12.
(6) *De Universal.*, q. 2 et 3.
(7) *Metaph.*, disp. 5, sect. 8.
(8) *Philos. perip.*, lib. 4, disp. 3, quæst. 3, sect. 4.
(9) *Quæstion. philos.*, tom. 1, quæst. 33.

dreas Semery (1), Antonius Mayr (2), Ludovicus Lossada (3) aliique Nostri satis communiter, et quidam Thomistæ (4). Et pro hac sententia adducuntur plura testimonia Doctoris Angelici.

tertia,

Alii putant abstractione, etiamsi ea sit intellectus possibilis, effici non posse nisi universale metaphysicum, quod nondum sit universale in actu, formale et completum, sed solum fundamentale et in potentia proxima: itaque ad universale formale habendum necessariam esse comparationem simplicem. Hæc est sententia Scoti (5), et Scotistarum (6), eademque frequentius tenetur a Thomistis (7); inter Nostros vero a PP. Antonio Rubio (8), Bartholomeo Amico (9), Antonio Bernaldo de Quiros (10) et Cosmo Alamannio (11). Aliquibus etiam innominatis scriptoribus tribuitur a quibusdam opinio requirens comparationem compositam ad universale constituendum.

quarta media in concordiam revocans secundam ac tertiam.

Verum inter has sententias præcipuæ sunt secunda et tertia, quas ut in concordiam revocaret, mediam quamdam excogitavit Suarez, duplex distinguens universale, alterum absolutum, alterum relativum; nam licet a nobis passim natura universalis concipiatur, prout relationem actualem importans ad inferiora, non tamen ideo necesse esse dicendum est, omne universale essentialiter relativum esse, quin possit dari universale in essendo absolutum. Certum enim est, relationem illam, quam in universali considerare solemus, non realem esse, sed rationis. Quot autem sunt res, quas tamquam relativas nos cogitamus, cum tamen secun-

(1) *Trienn. philos.*, t. 1, disp. 2, q. 6, art. 1.
(2) *Philos. perip.*, part. 1, disp. 3, q. 1, art. 3.
(3) *Logic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 6.
(4) Apud Lossad., loc. nup. cit., et cap. 9, n. 4.
(5) Lib. 7. *Metaphysicor*, q. 11.
(6) Vide illos apud Suar., disp, *Metaph.* 6, sect. 6, n. 5; Mastrium in *Organon Arist.*, disp. 4, q. 3; Pontium, *Logic.*, disp. 3, q. 6; Dupasquier, *Logic.*, disp. 3, q. 6.
(7) Apud Complutenses, *Logic.*, disp. 3, q. 6, n. 54.
(8) *Logic. De Universal.*, q. 5 et 6.
(9) *Logic.*, tract. 4, dub. 6, art. 3.
(10) *Curs. philos.* tract. 2, pars. 2.a, disp. 20, sect. 2.
(11) *Summ. philos.*, prim. part., quæst. 2, art. 5.

dum se sint absolutæ? Talis est v. gr. ratio Creatoris in Deo, quæ in se quidem absoluta res est, a nobis tamen percipi nequit, nisi per modum cujusdam relationis. Ita ergo duplex universale agnosci potest, alterum absolutum importans naturam cum sua unitate et aptitudine ad communicationem, in qua fundari possit relatio rationis, quam postea fingit intellectus in universali, et alterum relativum, nempe eamdem illam naturam, prout actu affectam hujusmodi relatione per intellectum conficta. «Nec refert, quod hæc aptitudo (essendi in multis propria naturæ universalis) videatur per modum respectus explicari. Nam sicut in potentia reali intelligimus respectum transcendentalem et *secundum dici*, priorem respectu prædicamentali *secundum esse*, et inclusum in re absoluta; ita in præsenti possumus concipere hanc aptitudinem rei universalis ut absolutam quidem in se, licet explicetur per modum respectus transcendentalis. Et hinc fit ulterius, ut hæc aptitudo, quia concipitur ad modum potentiæ habentis saltem transcendentalem ordinem ad ea, quibus se potest communicare, possit etiam intelligi ut fundamentum sufficiens ad relationem vel habitudinem ad ea, quibus potest se communicare, quæ habitudo concipitur ut quædam relatio secundum esse, et dici etiam potest universalitas quædam, cum sit habitudo unius ad multa, in quibus esse potest, vel de quibus potest prædicari» (1).

Hac ergo præjacta distinctione censet Eximius Doctor, universale quidem absolutum, quod vere ac formaliter universale dicendum est, effici per cognitionem præcisivam seu abstractionem intellectus possibilis, universale autem relativum egere comparatione. Hanc oppositarum sententiarum compositionem alii quoque secuti sunt, cum hoc tamen discrimine, quod universale absolutum et metaphysicum nolint esse veri nominis universale, sed solum fundamentale et in potentia proxima. Triplex namque placet illis distinguere universale, *physicum*, *metaphysicum* et *logicum*. Physicum ajunt esse universale prout in individuis reperitur, illudque volunt esse in potentia remota. Universale metaphysicum vocant naturam

Quidam distinguunt triplex universale: physicum, metaphysicum et logicum.

(1) Suar., disp. *Metaph.* 6, sect. 6, n. 8. Cfr. *de Anima*, lib. 4. cap. 3.

abstractive cognitam, quam dicunt esse universale in potentia proxima: universale denique logicum est universale in actu et formale, illudque putant efformari non posse sine comparatione (1).

Alii etiam alias meditati sunt vias componendi prædictas sententias, ut videre est apud P. Bartholomæum Amicum (2) et Joannem a S. Thoma (3). Id quod satis ostendit rei hujus difficultatem.

174. PROPOSITIO 1.a **Ad universale veri nominis constituendum, absolutum nempe, nulla requiritur comparatio, qua natura reflexe conferatur suis inferioribus, in iisque inesse deprehendatur per identitatem, sed sufficit sola abstractio.**

Assertio hæc in qua nondum determinatur, quænam abstractio sit causa universalitatis, communissima est inter nostros Auctores, eamque traditam certissime esse a S. Thoma et Aristotele scripsit Dominicus Sotus (4).

Auctoritas S. Thomæ.

Sane α) sæpe S. Thomas explicans modum, quo universale efficitur, solius meminit abstractionis, silet penitus comparationem (5). *Oportet*, inquit, *quod universale sit universale propter prædictam unitatem* (inde exortam quod plura uno conceptu exprimantur modo jam superius declarato), *ita quod* naturæ talis cognitio (i. e. præcisiva) faciat universale esse in actu universale, et est quoddam formale in universali (6).

Item: *Una et eadem natura, quæ singularis erat et individua*, efficitur postea universalis per actionem intelle-

(1) Cfr. apud Suar., disp. *Metaph.* 6, sect. 6, n. 5; *de Anima*, lib. 4. cap. 3. n. 22.

(2) Loc. cit. tract. 4, quæst. 4, dub. 6, art. 2.

(3) *Logic.*, quæst. 4, art. 2.

(4) Loc. cit., quæst. 3, *Duo restant hic dubia.*

(5) Vide 1 p. q. 85, art. 2 ad 2.um, art. 3, ad 1.um et 4.um; 1. p. q. 86, art. 1; 1. 2. q. 29, art. 6, ad 1.um; 2.a Dist. 17, quæst. 1, art. 1., fin; corporis; *Metaphysicor.*, lib. 7, lect. 13, paragr. *b;* lib. 11, lect. 2 initio; Opusc. *de Ente et essent*, cap. 4; *De Natura generis*, cap. 5; 1.a *Contra Gentes*, cap. 26, arg. 4.o

(6) S. Th. Opusc. 2.o *de Universal.*, non procul ab initio.

ctus depurantis ipsam a conditionibus, quæ sunt hic et nunc (1).

Et alibi: *Naturæ communi non potest attribui intentio universalitatis, nisi secundum esse, quod habet in intellectu;* sic enim solum est unum de multis, prout intelligitur præter principia, quibus unum in multa dividitur (2).

Præterea: *Intellectus... noster... intelligit abstrahendo speciem intelligibilem ab ejusmodi materia* (individuali nempe). Quod autem a materia individuali abstrahitur, est universale (3).

Adde insignem locum Auctoris *Summæ totius Logicæ Aristotelis* (4) superius laudatum (5). Jam

Probatur propositio ratione.

Probatur propositio ratione. 1.° Ad universale nihil amplius requiritur, ut ex ejus definitione patet, quam unitas et communitas. Atqui unitas et communitas, quanta in hac materia sufficit, habetur in natura abstracta, antequam cum inferioribus comparetur, in iisque inesse deprehendatur. Et ita in superioribus unitatem et communitatem propriam universalis, absque ullo recursu ad actualem comparationem naturæ abstractæ cum individuis, declaravimus. Ergo...

Dices cum P. Alamannio definitionem illam, qua universale dicitur unum aptum inesse multis, esse definitionem universalis fundamentalis, non vero formalis.

Resp. id verum non esse. Si enim illa est definitio universalis dumtaxat fundamentalis, cur ea passim ab omnibus adhibetur in hac materia? et cur ratio universalis a S. Thoma et ab aliis in unitate et aptitudine reponitur? Cur item ad probandum, quod universale formaliter non sit nisi in intellectu, omnes recurrunt ad unitatem et communitatem, quam solum in intellectu habere natura potest?

2.° Natura prout abstracta antecedenter ad quamlibet actualem comparationem cum inferioribus habet totam illam unitatem et communitatem, quam Platonici tribuebant suis

(1) S. Th. Opusc. 1.° *de Univers.*
(2) S. Th., lib. 2.° *de Anima*, lect. 12.
(3) S. Th., 1. p. q. 86, art. 12.
(4) Tract. 1, cap. 1.
(5) In fine num. 170.

illis formis separatis, quarum participatione coalescere individua dicebantur. Atqui formæ illæ, si possibiles forent, formaliter universales essent, quandoquidem ab omnibus Philosophis afferuntur tamquam exemplum universalis realiter extra mentem existentis, et ob eam causam confutantur. Ergo ad universale vere ac formaliter in intellectu habendum sufficit abstractio.

3.° Comparatio naturæ præcisivæ cum individuis, jam supponit illam universalem formaliter. Ergo necessaria non est ad verum universale plene constituendum.

Prob. antec. Nam actus comparandi nihil tribuit rebus ipsis comparatis, sed tantum detegit, quod in iis habetur. Quare cum natura abstracta comparatur cum individuis, vel adest in illa universalitatis ratio vel non. Si non adest, certe neque per comparationem aderit. Si jam adest, ergo non efficitur universalis per comparationem, sed agnoscitur dumtaxat. Aliud autem est efficere universale, et aliud agnoscere jam factum.

Cæterum quodnam sit objectum cognitionis constituentis universale, fuse disputat P. Ludovicus de Lossada (1).

Per quam abstractionem fiat universale.

175. **Quæri** autem nunc potest, per quam abstractionem fiat universale absolutum, per agentisne an per possibilis intellectus abstractionem. P. Sylvester Mauri respondet per utramvis abstractionem fieri posse. (2).

Expenditur mens S. Thomæ.

Ex S. Thoma etiam produci possunt testimonia pro abstractione intellectus cum agentis, tum possibilis. Nam de agente videtur loqui in Opusculo primo de *Universalibus* (3): et libro tertio *de Anima* (4) scribit, si universalia essent extra animam, sicut ea posuere Platonici, nullam fore necessitatem intellectus agentis: quæ doctrina traditur etiam in *Summa theologica* (5). Unde videri potest ad intellectum agentem

---

(1) *Logic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 4.

(2) *Quæst. philosoph.*, tom. 1, quæst. 33, *ad quintum.*

(3) *Una et eadem natura, quæ singularis erat... efficitur postea universalis per actionem intellectus depurantis ipsam a conditionibus, quæ sunt hic et nunc.* Et clarius infra, *Utrum autem universale sit prius quam singulare...*

(4) Lect. 10 initio.

(5) 1 p. q. 79, art. 3.

spectare universalis effectio. Alia quoque laudantur S. Doctoris testimonia in patrocinium ejusdem opinionis, quæ universale per abstractionem intellectus agentis conflare arbitratur (1): quæ tamen non sunt sat clara. Nec vero sententia illa S. Thomæ negantis intellectus agentis necessitatem, si darentur formæ separatæ Platonicorum, quidpiam, opinor, probat in hac re. Nam platonici formas illas seu naturas universales non solum posuerunt per se separatas, sed præterea illas dixere *secundum se intelligibiles actu;* secus atque Aristoteles et S. Thomas, qui naturas rerum sensibiles negarunt esse secundum se intelligibiles actu, sed fieri intelligibiles per actionem intellectus agentis abstrahendo a phantasmatis species intelligibiles. Quare potuit recte negare S. Thomas, in sententia Platonicorum necessarium esse intellectum agentem, etiamsi non huic attribueret effectionem universalis; quia nempe cum intellectus agens adstruatur ad reddendas intelligibiles actu naturas, quæ secundum se non sunt intelligibiles nisi in potentia, plane sequitur, si naturæ secundum seipsas sint intelligibiles, opus non esse intellectu agente. Ergo ex illa assertione S. Thomæ non necessario sequitur ipsum, ad constituendum universale, satis habuisse cum sola intellectus agentis abstractione.

Aliunde vero sæpe S. Thomas abstractione intellectus possibilis, seu cognitione præcisiva fieri universale, perspicue docet (2). Præterea contra opinionem illam statuentem universale fieri per abstractionem intellectus agentis notari potest:

1.° Quod illa opinio supponat aliam sententiam non parum controversam de objecto primo et directo humani intellectus. Si enim primo et directe cognoscat singularia, species illorum intelligibiles immediate abstrahendo, verum amplius non erit, quod natura fiat universalis per operationem intellectus agentis.

2.° Deinde doctrina illius opinionis nequit extendi ad omne universale, sed solum ad universale naturæ specificæ;

(1) Vide S. Thom. 1, p. q. 85, art. 1, ad 1.um, art. 3 ad 4.um *Contra gent.* lib. 2, cap. 77; 7.° *Metaphysicor.* lect. 13.

(2) Vide v. g. 1 p. q. 85, art. 3 ad 4.um; art. 2 ad 2.um; Opusc. 2.° de *Universal.*, *Et ideo intellectus apprehendit...*; 2.° *de Anima*, lect. 12. Adde alia loca superius n. 170 laudata.

nam etiam in sententia eorum, qui ab intellectu agente species universalis naturæ, non vero singularis, repræsentativas abstrahi docent, intellectus iste per se naturæ specificæ dumtaxat species intelligibiles efformat. Ergo ad efformandum universale rationis genericæ ac differentiæ specificæ alio confugiendum erit (1).

3.° Adde quod in specie intelligibili impressa, quæ ab intellectu agente abstrahitur, non repræsentatur natura communis, nisi valde remote et mediate, quatenus illa species est effectiva actus, cui natura illa objicitur, saltem supposita sententia eorum, qui docent speciem impressam non esse formalem imaginem, quæ formaliter rem repræsentet, sed esse dumtaxat semen seu instrumentum objecti ad efficiendam formalem repræsentationem (2).

176. PROPOSITIO 2.a **Universale reflexe cognitum et prout importans relationem ad inferiora, constitui nequit nisi per actum comparationis.**

Probatur. Nam universale realem relationem nequit habere ad sua inferiora, ut in confesso est apud omnes, siquidem universalitas est opus mentis, relatio autem realis independens est in suo esse ab operatione intellectus (3). Atqui relatio rationis secundum esse, actu nondum adest in universali per solum actum præcisivum, adest autem per actum comparationis, quo natura præcisa cum suis inferioribus confertur. Ergo...

Minor patet quoad primam partem. Quia relatio rationis hoc sibi vindicat proprium ac peculiare, ut non adsit, nisi dum actu cognoscitur, vel fingitur a mente, *esse* enim illius est *cognosci* (4). Et re quidem vera plerumque ut inter se relata concipimus duo extrema, vel quia aliter ea nequimus intelligere, vel quia habent aliquod in reipsa fundamentum ut relative concipiantur, quamvis nullus eis insit realis re-

(1) Vide Suar., disp. 6. *Metaph.*, sect. 6, n. 6.

(2) Vide Suar., loc. cit., n. 7.

(3) Vide *Summ. totius Logicæ Aristotelis*, tract. *de relatione*, seu *de prædicamento Ad aliquid*, cap. 1. Sed hæc alibi probanda sunt.

(4) Vide S. Th., *Compend. Theol.*, cap. 53; 1 p. q. 28, art. 1; Suar., disp. *Metaph.* 54, sect. 3, n. 5, 6.

spectus. Ergo eo in eventu cognoscimus in illis extremis relationem quamdam, quæ aliud esse non habet, quam ab intellectu fingi et cognosci (1). Jam vero per cognitionem præcisivam nulla cognoscitur in natura relatio ad sua inferiora, sed solummodo prædicata illa, quæ secundum se conveniunt eidem. Ergo...

Probatur Minor quoad alteram partem. Quia sicut relationes reales non agnoscuntur, nisi utrumque extremumr elatum considerando, ita etiam relatio rationis fingi nequit in natura præcisive cognita, nisi conferendo illam cum inferioribus et respiciendo modum, secundum quem illis inest (2).

Id porro multo evidentius patet, si sermo sit de variis speciebus universalium seu prædicabilium; quæ omnes supponunt relationem et comparationem cum illis, de quibus prædicantur, nec inter se distinguuntur, nisi secundum diversam comparationem, ita ut eadem ratio præcisive cognita, prout diversimode comparetur, vel ad diversa subjecta referatur, possit esse diversum prædicabile (3).

Accedit, quod relatio actualis secundum esse duo postulat extrema. Donec ergo præter naturam ipsam abstractam, habeantur in mente inferiora, in quibus inesse potest, quod fit per comparationem, relatio dari nequit. Præcisio enim sola non præbet nisi fundamentum relationis, nempe naturam abstractam, quæ, quantum est de se, satis habet, ut, accedente termino, exsurgere relatio possit, quemadmodum paries albus de se habet, quidquid requiritur ad hoc, ut, posito alio pariete albo, resultet realis relatio similitudinis inter utrumque. Necesse est ergo, ut natura illa opponatur suis inferioribus ad habendam relationem illam rationis (4).

Atque hæc est causa, cur Angelicus Doctor sæpe dicat intellectum *adinvenire* in rebus consideratis relationes vel intentiones *generis*, *speciei* etc., easque *consequi considerationem rationis* (5). Quia natura abstracta, cum sit una apta

(1) Cfr. Conimbric., *In Porhyr. Isagog.*, q. 6, art. 2.
(2) Vide Suar., disp. *Metaph.* 6, sect. 6; et lib. 4.° *de Anima*, c.3.
(3) Vide Suar., disp. *Metaph.* 6, sect. 8, n. 5.
(4) Vide S. Thom., *de Potentia*, q. 7, art. 6 et 11.
(5) Vide S. Th., lib. 4. *Metaph.*, lect. 4; *De Natura Generis*, cap. 4; *De Potent.* q. 7, art. 11, ad 2.um

inesse pluribus, si prout talis consideratur respiciendo illa, intellectus invenit in ea vel excogitat varias relationes. *Sicut realis relatio*, inquit S. Thomas, *consistit in ordine rei ad rem, ita relatio rationis consistit in ordine intellectuum. Quod quidem dupliciter potest contingere: uno modo secundum quod iste ordo est adinventus per intellectum et attributus ei, quod relative dicitur. Et hujusmodi sunt relationes, quæ attribuuntur ab intellectu rebus intellectis prout sunt intellectæ, sicut relatio generis et speciei. Has enim relationes ratio adinvenit considerando ordinem ejus, quod est in intellectu, ad res, quæ sunt extra, vel etiam ordinem intellectuum ad invicem* (1).

Nempe *quia intellectus reflectit supra seipsum, et super ea, quæ in eo sunt, sive subjective sive objective* (nempe ut cognita), *considerat iterum hominem sic a se intellectum sine conditionibus materiæ; et videt, quod talis natura cum tali universalitate potest attribui huic vel illi individuo; et sic format secundam intentionem de tali natura; et hanc vocat universale sive prædicabile* (2).

Utrum universale sit ens rationis.

177. SCHOLION. Ex hactenus disputatis resolvi quæstio illa potest, utrum universale sit ens rationis, an ens reale.

In primis, si sermo sit de natura ipsa universalitati substrata, illa est ens reale, saltem plerumque, ut patet ex iis, quæ contra nominales demonstrata superius sunt (3). Dixi saltem plerumque, quia potest intellectus etiam a chimæris et entibus pure fictitiis rationes communes abstrahere; quo pacto scientiæ disputant de ente rationis, ejusque speciebus. Et cum ratio universalitati subjecta hujusmodi est, plane liquet illam non esse ens reale.

«Si autem sit sermo de universalitate ipsa seu de intentione universalitatis, sic communiter dici solet non esse ens reale sed rationis, quod in hoc sensu verum est, scilicet quod non est proprietas aliqua neque aliquid intrinsece et realiter inhærens naturæ, quæ denominatur universalis, juxta ea, quæ diximus. Tamen in alio sensu nonulla distinctione et declara-

(1) S. Th., *De Potent.*, q. 7, art. 11. Cfr. ibid. ad 2.um
(2) *Summ. totius Logic. Arist.*, tract. 1, cap. 1.
(3) Vide cap. 2, art. 1, et art. 2, hujus capitis 3, n. 169.

tione opus est. Dupliciter enim diximus, naturam posse denominari universalem; primo denominatione absoluta, ac si universaliter subsisteret; secundo denominatione respectiva. Priori modo non est universalitas ens rationis, tamquam aliquid confictum a ratione, sed solum tamquam denominatio extrinseca proveniens ab actu rationis, sicut esse abstractum, cognitum, et alia hujusmodi, quæ non dicunt aliquid existens realiter in natura denominata, nec proprie dicunt aliquod ens rationis falsificatum ab intellectu, tamquam objective confictum ab ipso. Quia talia entia non finguntur, nisi dum cogitantur; tunc autem intellectus nihil tale cogitat vel cognoscit. Est ergo denominatio extrinseca a conceptu intellectus; nam, quia per conceptum abstracte et universe repræsentatur, ideo denominatur universalis prædicto modo. Quapropter ut hæc universalitas dicatur esse, non oportet, ut ipsa formaliter vel quasi formaliter cognoscatur, quasi in actu signato; sed satis est, quod natura ipsa cognoscatur tali modo, scilicet præciso et abstracto, ut quasi in actu exercito natura constituatur universalis. Et ad hunc modum explicat per denominationem extrinsecam hanc universalitatem Soto» (1).

«Posteriori autem modo loquendo de universali relative seu de relatione universalitatis, satis ex dictis constat universale non esse ens reale, quia illa relatio non est realis, sed rationis» (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

178. **Objic. 1.°** S. Thomas sic scribit. *Quamvis hæc natura intellecta habeat rationem universalis, secundum quod comparatur ad res, quæ sunt extra animam, quia est una similitudo omnium...* Et ibidem paulo inferius: *Non est universalitas illius formæ secundum hoc esse, quod habet intellectum, sed secundum quod ad res refertur, ut similitudo omnium* (3). Quibus similia habentur in Opusculo primo de *Universalibus* (4).

(1) Logic. *de Universal.*, q. 3, art. 1, dub. 2.

(2) Suar., disp. *Metaph.* 6, sect. 7, n. 2 et 3. Cfr. *de Anima*, lib. 4, cap. 3, n. 23; Vide etiam Rhodes, *Philos. perip.*, lib. 4, disp. 3, setc. 5, paragr. 1.

(3) S. Th., Opusc. *de Ente et essent.*, cap. 4.

(4) Non procul ab initio, *Ejus autem universalitas non est ex hoc...*

Et alibi: *Sed debes scire, sicut una intentio est genus et species diversis respectibus, ita una intentio universalis est singularis respectu diversorum. Nam ex hoc aliqua intentio est universalis, in quantum relationem habet ad multa; ut intentio hominis, quæ est apud animam, quia comparatur ad multa, ideo est universalis. Et licet hoc sit, tamen hujusmodi intentio est in anima, et est* (in se) *quid singulare* (1).

Item: *Uuiversale potest uno modo considerari quasi separatum a singularibus; sive per se subsistens, ut Plato posuit, sive secundum sententiam Aristotelis, secundum esse, quod habet in intellectu. Et sic potest ei aliquid attribui tripliciter. Quandoque enim attribuitur ei aliquid sic considerato, quod pertinet ad solam operationem intellectus, ut si dicatur, quod hoc est prædicabile de multis, sive universale, sive species. Hujusmodi enim intentiones format intellectus attribuens eas naturæ intellectæ, secundum quod comparat ipsas ad res, quæ sunt extra animam* (2).

Resp. hujusmodi loca intelligi posse vel de relatione transcendentali, quam natura præcisa habet ad inferiora, cum sit imago illorum omnium et habeat aptitudinem, ut in illis insit, deque illis per identitatem prædicetur; vel si de relatione prædicamentali et secundum esse loquantur, significare possunt universale, non absolute, sed relative consideratum, quatenus nempe universale applicatur ad inferiora, et reflexe cognoscitur ut certum respectum importans ad illa.

Objic. 2.° Universale non habet aliud esse quam cognosci. Sed totum esse universalis est esse quiddam aptum inesse pluribus. Ergo totum esse universalis est cognosci esse aptum inesse pluribus; atque adeo universale indiget comparatione, sine qua nequit cognosci illud esse aptum inesse pluribus.

Resp. *dist.* Major. Universale relativum ac reflexum, *conc.*, universale absolutum et metaphysicum, *neg.*

Contradist. Minor. Universalis reflexi ac relativi, *neg.*, metaphysici et absoluti, *conc.*

---

(1) Opusc. 2.° *de Universal.*, circa med.

(2) S. Thom., lib. 1.° *Perihenm.*, lect. 10, paragr. *b.*

Et similiter *dist.* conseq. Nam universale absolutum constituitur per hoc, quod sit aliquid aptum inesse pluribus, nec necesse est, quod cognoscatur prout tale, nisi per alium actum. Unde verum non est generatim dicere, quod universale non habet aliud esse quam cognosci. Hoc enim solum est verum de universalitatis relatione, vel de universali reflexe cognito prout tali. Itaque non recte asseritur comparationem necessariam esse ad universale veri nominis obtinendum.

Objic. 3.° Universale, prout tale, relationem implicat. Ergo, prout tale ac formaliter, constitui nequit absque comparatione.

Antecedens patet ex ipsa definitione universalis, quod est *unum in multis* et *de multis*, vel *unum aptum inesse pluribus.*

Resp. *dist.* antec. Universale formaliter tale implicat relationem transcendentalem et secundum dici, *trans.*, prædicamentalem et secundum esse, *subdist.*, ut sit vere constitutum, *neg.*, ut a nobis explicetur, *conc.*

Ad prob. antec. *neg.* conseq. Nam illæ definitiones non implicant nisi ad summum relationem transcendentalem et secundum dici. Unum quippe *in multis* est universale, quia a parte rei multiplex est, et cognosci potest ut identificatum cum multis, ac prædicabile de iisdem: unum autem de multis, quia est abstractum ac præcisum a reali multiplicitate et varietate individuali. Quod si ex hoc solum universale importaret relationem prædicamentalem, universale revera haberet relationem realem non vero solius rationis. Nam realis est illa relatio, quæ adest antequam cognoscatur.

Objic, 4.° Omnes universales species, puta *genus, species* etc., comparationem ac relationem involvunt. Atqui quod commune est omnibus speciebus alicujus notionis, id illi generatim tribuendum est. Ergo ipsa ratio universalis generatim inspecta relationem secundum esse importet, necesse est.

Resp. *concedo* totum, sed *neg.* conseq. Quia divisio hæc universalis in quinque prædicabilia pertinet ad universale respectivum, non vero ad absolutum. Nihil enim vetat, eamdem naturam vel rationem universalem, nulla facta mutatione in absoluta ejus entitate, fieri multiplicem et variam secundum rationem, prout consideratur respectu diversorum

terminorum. Id quod jam diu notaverat Aquinas hisce verbis *Una intentio est genus et species diversis respectibus* (1).

Objic. 5.° Universale est terminus secundæ intentionis. Atqui terminus secundæ intentionis constitui nequit per cognitionem præcisivam; quippe quæ intentio prima est, secunda vero intentio reflexionem importat. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Universale est terminus exprimens secundam intentionem objectivam, *conc.*, formalem *subdist.*, universale absolutum aut metaphysicum vel directum, *neg.*, relativum ac reflexum, *conc.*

Et *contradist.* Minori, *neg.* conseq.

Probationem quoque Minoris similiter *dist.;* cognitio præcisiva est prima intentio formalis, *conc.* objectiva, *neg.*

Recole superius explicata (2).

Objic. 6.° *Natura humana* v. g. per solam præcisivam cognitionem intellecta, adhuc est indifferens, ut sit subjectum vel prædicatum, et *animal*, ut sit *genus* vel *species*, prout ad diversos terminos referatur. Ergo debet accedere relatio et comparatio ad hoc, ut fiant determinatum universale, *species*, *vel genus*, *subjectum vel prædicatum*.

Resp. *neg.* conseq. Nam exempla oggeruntur universalis relativi ac reflexi: ideoque solum probatur certa quædam universalia, quæ nempe concipiuntur ut relativa, et ordinem ad aliud habentia, egere comparatione, minime autem probatur universale veri nominis nullum haberi posse per solam cognitionem præcisivam.

CAPUT IV.

DE PROPRIETATIBUS ET DIVISIONE UNIVERSALIS.

Restat, ut breviter perstringamus præcipuas universalis proprietates, non eas quidem, quæ naturis universalibus secundum se spectatis, sed eas, quæ iisdem, quatenus sunt universales, conveniunt.

(1) S. Thom., Opusc. 2.° *de Universal*, circa med. Cfr. Suar., disp. *Metaph.* 6, sect. 8, n. 5 seqq.

(2) In hac disp. n. 167.

ARTICULUS I.

Quænam sint universalis proprietates.

179. Universale dicitur:

1.° **Objectum scientiæ et intellectus.** Est objectum scientiæ, quia scientia, saltem naturalis, non agit de singularibus, sed objectum suum in communi considerat. Verum hoc disputandum est, ubi sermo erit de objecto scientiæ. Est objectum intellectus, vel quia in sententia S. Thomæ aliorumque plurium, est id, quod primo et directe apprehendit intellectus, vel saltem quia universale nequit cognosci a potentiis sensitivis, quæ solum percipiunt singulare. 1.° proprietas; universale est objectum scientiarum.

2.° **Universale dicitur principium singularium,** non quidem extrinsecum et effectivum, sed intrinsecum et constitutivum, quia singularia coalescunt ex prædicatis communibus et hæcceitate. 2.°; est principium singularium.

3.° **Universale dicitur prius et posterius singulari.** Prius quidem multipliciter: α) quoad cognitionem saltem distinctam, quia singulare distincte cognosci nequit, nisi prius cognoscantur universalia ejus prædicata: β) quoad intentionem naturæ primariam, natura enim in productione singularium dicitur primario intendere conservationem speciei: γ) universale est singulari prius prioritate, quam vocant *in subsistendi consequentia*, quia nempe ab universali non licet affirmative inferri singulare, v. g.: *Est homo: ergo est Petrus: Est animal: ergo est homo;* at vero potest vicissim ex singulari colligi universale v. g.: *Est Petrus: ergo est homo; Est homo: Ergo est animal.* Illud quippe dicitur prius in subsistendi consequentia, quod inferri ex alio potest: δ) universale demum dici potest prius singulari, quia est ejusdem principium modo jam declarato. 3.°; prius et posterius singulari secundum diversum respectum.

Universale dicitur posterius etiam variis modis: α) quoad existentiam, quam universalia non habent nisi ratione singularium, nec producuntur nisi ratione illorum, nec efformantur a nobis nisi per abstractionem a notis individuantibus, atque adeo præsupponendo singularia. Quare scripsit Aristo-

teles: *Universale aut nihil est, aut posterius* (1), id est, singularibus: β) relate ad perfectionem, saltem intensivam, quia singularia aliquid amplius habent, quam natura universalis. Extensive tamen universalia perfectiora sunt singularibus: γ) quoad cognitionem saltem generatim inspectam, quia cognitio inchoatur a sensibus, qui non percipiunt universale, sed singulare dumtaxat. Quid autem primo et directe intellectus apprehendat, universalene an singulare, non est hujus loci decernere.

4.ª: est immateriale, ingenerabile, incorruptibile:

4.° **Universale dicitur immateriale, ingenerabile et incorruptibile, et esse ubique et semper.** Est immateriale, vel quia non includit materiam signatam seu individualem, vel quia repræsentatur in specie immateriali, et habet solum esse immateriale in intellectu. Est ingenerabile et incorruptibile, vel quia præscindit a statu existentiæ, generatione aut corruptione, vel quia nec generatur nec corrumpitur per se aut ratione sui, sed solum per accidens seu ratione individuorum (2). Esse enim in rerum natura, produci et corrumpi, proprium est individuorum, sicut ipsa etiam experientia testatur. Est ubique et semper, non quidem positive, quia æterna existentia et præsentia in omni loco soli Deo competit, sed negative, quia saltem plerumque abstrahit a circumstantiis temporis et loci (3). Dixi *saltem plerumque*, quia non videtur repugnare universale efformari restrictum ad aliquod tempus vel locum, ut *Homo natus anno 1800*, *Homo existens in urbe Matriti*.

5.ª: prædicabile de multis.

5.° **Denique universale et prædicabile,** quia, quod est aptum inesse pluribus, nequit non esse aptum prædicari de iisdem per identitatem (4). De hac proprietate fuse et subtiliter a pluribus disputatum est, utrum universale suam universalitatem retineat, cum actu prædicatur de inferioribus. Quam controversiam, nec parum salebrosam, nec valde

---

(1) Arist., Lib. 1.° *de Anima*, text. 8. Cfr. ibid. S. Thom., lect 1, paragr. *d*.

(2) Cfr. S. Thom., *de Verit.*, quæst. 1, art. 5, ad 15.um

(3) Vide S. Thom., 1. p, q. 16, art. 7, ad 2.um

(4) Vide Barthol. Amici, *Logic.*, trac. 4, quæst. 9; Lossada, *Logic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 9, n. 7 seqq.

utilem, qui cognoscere volet, adeat Conimbricenses (1), Joannem a S. Thoma (2), De Benedictis (3), Anton. Mayr, (4), Joann. Ulloa (5), Sylvest. Mauri (6), aliosque, qui affirmative respondent, vel Georgium Rhodes (7), Sebastianum Izquierdo (8), Petrum Hurtado (9), qui contrarium sentiunt.

ARTICULUS II.

Quomodo verificentur prædicationes in concretis et abstractis, sive substantialibus sive accidentalibus.

180. Quid sit prædicatio, et quotuplex, explicatum manet in Logica Minori (10). Nunc ergo solum exponendæ sunt regulæ quædam ad sciendum, quomodo concreta et abstracta prædicari possint.

Ut porro a certioribus exordiamur.

Concreta recte prædicantur de concretis,

1.° **Primo certum est concreta, sive substantialia, sive accidentalia, recte prædicari de concretis,** dummodo forma expressa per prædicatum revera insit subjecto, ut si dicas: *Homo est animal, albus* etc.; *Album est coloratum, dulce, rationale* etc. Et ratio est, quia concreta significant per modum totius, nec præscindunt ex modo significandi ab aliis, quæ forte inveniantur in eodem supposito. Sic, licet subjectum *Homo* non exprimat formaliter albedinem, sed neque ex modo significandi excludit illam, quia significat per modum suppositi ac totius cujusdam, quod multa alia potest continere præter humanitatem.

---

(1) In *Præfation Porphyr*, quæst. 6, art. 4.
(2) *Logic.*, quæst. 5, art. 1.
(3) *Logic.*, lib. 2, quæst. 1, cap. 10.
(4) *Philos. perip.*, part. 1, disp. 3, q. 1, art. 5.
(5) *Logic.*, disp. 2, cap. 4.
(6) *Quæstion philos.*, t. 1. quæst. 35.
(7) *Philos. perip.*, lib. 4, disp. 3, quæst. 3, sect. 5, parag. 3.
(8) *Pharus scient.*, quæst. 6, n. 81 seqq.
(9) *Metaphysic.*, disp. 9, sect. 8. Vide etiam Lossada, *Logic.*, tract. 2, disp. 2, cap. 7.
(10) Disp. 1. cap. 3, art. 1, n. 42 seqq.

In accidentibus prædicata generaliora recte prædicantur de inferioribus in abstracto.

2.° In accidentibus prædicata generaliora recte prædicantur de inferioribus in abstracto, v. g. *Albedo est color*, vel *qualitas; Logica est scientia; Scientia est habitus* etc. Et ratio videtur esse, quia hujusmodi accidentia in abstracto continent abstractionem dumtaxat formæ physicæ a subjecto, non vero abstractionem essentiæ ab ipsa re seu formæ constitutivæ ab ipso subjecto constituto, quemadmodum accidit abstractis substantialibus. Unde accidentia in abstracto non significant per modum partis, sed per modum totius, et ideo etiam ponuntur directe in prædicamento; quare in prædicando æquiparantur concretis, cum non rationem simplicem formæ alicujus præ se ferant, sed constare possint rationibus compositis ex genere ac differentia (1). Atque hæc etiam causa est, cur accidentia in abstracto non sint abstracta ultima abstractione, sed ulterius possint abstrahi, ut ex albedine potest abstrahi *albedineitas*, et ex colore *coloreitas;* formæ autem abstractæ hoc modo ex prædictis accidentibus in abstracto nequeunt prædicari. Nam licet albedo sit color et qualitas, tamen albedineitas, seu ratio albedinis non est coloreitas seu ratio coloris, nec ratio qualitatis; nec ratio Logicæ, est ratio scientiæ; nec ratio scientiæ est ratio habitus, licet Logica est scientia, et scientia est habitus (2).

Abstracta in creatis non prædicantur de concretis.

3.° Abstracta non prædicantur de concretis nisi in Divinis et in notionibus transcendentalibus.

Et probatur, quia concretum et abstractum habent diversum modum significandi, nempe concretum significat instar totius, et abstractum instar partis; concretum importat suppositum vel subjectum, at abstractum, si sit substantiale, naturam, accidentale vero rationem subjecto inhærentem. Atqui suppositum distinguitur a natura, saltem quatenus habet accidentia præter naturam, et forma etiam accidentalis distinguitur a subjecto, cui inhæret.

Excipiuntur primo concreta et abstracta exprimentia divinum aliquod attributum, ob summam Dei simplicitatem,

(1) Vide S. Thom., Opusc. *de Ente et essent.* cap. 7; *de Verit.* q. 3, art. 7 ad 2.am; Opusc. *de Natura generis*, cap. 19. Cfr. Conimbric. *Logic. In Prædicam.* cap. 1, q. 2, art. 1, *Quare ad primum pro accidentium concretis...*

(2) Cfr. Suar., disp. 6 *Metaph.*, sect. 10, n. 3 et 7.

ratione cujus verissime dicitur: *Deus est Deitas; Deus est misecordia* etc.

Excipiuntur præterea trascendentia, in quibus concreta nihil continent distinctum realiter aut etiam formaliter ab abstractis, ut suo loco declarabitur: quare verissima est hæc prædicatio: *Ens est entitas* (1).

Abstracta substantialia non prædicantur de abstractis.

4.° **Abstracta substantialia nequeunt prædicari de abstractis, saltem si non sint de eorum essentia**: quare istæ sunt falsæ prædicationes: *Humanitas est risibilitas; Animalitas est rationalitas; Rationalitas est animalitas* etc. Ratio est manifesta, quia si prædicatum non est de essentia subjecti, nequit de eo prædicari in prædicatione essentiali, sed in accidentali; prædicatio vero accidentalis vera non est, nisi fiat adjective seu per modum alteri adjacentis. Atqui quando de abstracto prædicatur abstractum, prædicatio non fit adjective. Ergo... (2)

Quid dicendum de abstractis substantialibus, quorum unum est de essentia alterius.

5.° **Major difficultas** est de abstractis substantialibus, quorum unum est de essentia alterius, et prædicatur essentialiter, ut si prædicetur ratio generica de specifica v. g. *Humanitas est animalitas*, vel ratio differentiæ de ratione speciei, v. g. *Humanitas est rationalitas*.

Relate ad prædicationem rationis genericæ in abstracto de specifica, nota formas illas posse spectari vel *specificative* vel *reduplicative:* «primo modo solum explicant naturam cum omni formali constitutivo sub abstractione, tamquam sub

---

(1) Excipiunt etiam quidam abstracta substantialia, quæ prædicantur de concretis metaphysicis, quæ nempe re non distinguuntur a sua forma; quale est v. g. *homo* sumptus ut concretum ex natura specifica, et differentia individuali, et *humanitas;* nam *homo* si sumatur ut *suppositum* probabilius non est concretum metaphysicum, sed physicum, quia ratio supposiți re differt a natura. Itaque docent hi auctores abstracta substantialia posse prædicari de concretis metaphysicis, quia hujusmodi abstracta et concreta re non differunt, sed solum penes modum concipiendi: atque adeo tales prædicationes verum sensum realem habere possunt. (Vide Lossada *Logic.* tract. 3· disp. 2, cap. 6, n. 5). Aliter tamen dicendum foret, si concreta sumantur pro supposito, in quo sensu ac suppositione, valde communiter negari solet abstracta prædicari posse de concretis.

(2) Vide Complutenses, *Logic.*, disp. 4, quæst 4, n. 26, 27. Cfr. Suar., disp. *Metaph.* 6, sect. 10, n. 5.

modo essendi: secundo modo explicant et reduplicant officium abstractionis formalis» (1). Sub hac ergo distinctione

Dici potest prædictas prædicationes veras esse, si forma abstracta specificative sumatur, non vero si reduplicative.

Prima pars probatur, quia vera est ista prædicatio: *Hæc humanitas est humanitas*. Ergo etiam vera est hæc alia: *Humanitas est animalitas*.

«Anteced. constat. Quia Verbum divinum assumpsit aliquam humanitatem in singulari. Ergo verum est dicere quod hæc humanitas Verbi est humanitas.»

«Consequens vero patet, quia si verum est dicere: *Quædam animalitas est animalitas:* ergo descendendo sub illa, poterit ostendi aliqua animalitas, quæ est humanitas, nam una ex animalitatibus est humanitas, et alia equinitas. Ergo sicut aliqua animalitas est animalitas, ita et humanitas est animalitas, quia humanitas animalitas quædam est: animalitas enim quæ est in homine natura hominis est, et consequenter humanitas.»

Secunda pars probatur. «Quia ubi intervenit appellatio et præcisio, quantumvis detur identitas in re, non sequitur prædicatio: sicut, licet animal et homo sint idem, tamen animal sub præcisione animalis, est genus et non homo. Et licet justitia in Deo sit misericordia, tamen non est verum dicere, quod attributum justitiæ reduplicalive est attributum misericordiæ. Similiter ergo licet humanitas sit animalitas, tamen ratio unius reduplicative non est ratio alterius. Falsum est enim dicere, quod ratio, qua aliquid est homo, est animalitas: alioquin ubicumque esset animalitas esset homo» (2).

Eamdem sententiam tenent Suarez (3), Sotus (4), Fonseca (5), Complutenses (6), Hurtadus (7), aliique contra

---

(1) Joann. a S. Thom., *Logic.*, q. 5, art. 4, *Nihilominus respond.*
(2) Joann. a S. Th., loc. cit.
(3) Loc. nup. cit. n, 6, 7.
(4) *Logic.*, lib. *Prædicabilium*, *De Universalib.*, q. 3, art. 2.us
(5) *Metaphysic.*, lib. 5, cap. 28, q. 3, sect. 4.
(6) *Logic.*, disp. 4, q. 4, n. 33 seqq.
(7) *Logic.*, disp. 3, sect. 3.

Scotum (1), quem sequuntur Scotistæ (2), et P. Rubius (3), Rhodes (4) et Bartholomæus Amicus (5).

Jam relate ad predicationem differentiæ in abstracto de specie, ut si *rationalitas* prædicetur de *humanitate*, major est auctorum dissensio.

Suarez existimat prædicationes hujusmodi in rigore esse falsas, quia in illis revera differentia non prædicatur per modum differentiæ, nempe in *quale quid*, hic enim est proprius modus prædicandi differentiam, sed potius prædicatur ut tota et integra ratio speciei, et ita efficit sensum falsum. Cum ergo aliunde nequeat differentia in abstracto prædicari ut genus de ratione specifica, reliquum est, ut non possit prædicari omnino differentia in abstracto de specie. Nec dicas differentiam esse de essentia speciei: quia, quamvis id verissimum sit, tamen ille modus enuntiandi non hoc solum significat, quia abstracta semper intelliguntur prædicari in *quid*, ac proinde vel ut genus vel ut species. Cum ergo neutrum sit differentia, nequit prædicari in abstracto de ratione speciei, sed solum in concreto (6). Hurtadus vero contrarium sentit.

6.° **Concreta denique substantiva non prædicantur de abstractis**, ut si dicas: *Rationalitas est homo*. Concreta vero adjectiva recte prædicantur de abstractis, quæ sunt eorumdem subjecta, ut in hac enuntiatione: *Humanitas est rationalis;* non vero de aliis diversis.

Concreta substantiva non prædicantur de abstractis; concreta vero adjectiva possunt prædicari de abstractis.

Ratio primi est, quia concreta substantiva, præter formam abstractam, aliquid aliud includunt. Excipe semper attributa divina et prædicata transcendentia.

Ratio secundi est, quia concreta adjectiva nihil continent, quod non contineatur in abstracto, quod sit illorum subjectum, ut patet in allato exemplo.

---

(1) In 1.° dist. 2, q. 7, et dist. 5, q. 1.

(2) Vide Mastrium in *Orgán. Arist.*, disp. 10, quæst. 3, art. 2; Pontium, *Logic.* disp. 3, q. 7, Conclus. 3.

(3) *Logic.*, tract. *de Prædicationibus*, n. 14.

(4) *Philos. perip.*, lib. 1. disp. 3, q. 1, sect. 2, paragr. 2, *Dico* 4.°

(5) *Logic.*, tract. 4, q. 9, dub. 5, *concl.* 4.ª

(6) Vide Suar., loc. cit. n. 5 et 7 in medio. Cfr. Amici loc. cit., *Conclus.* 3.

Ob oppositam autem rationem patet, non posse concreta abjectiva prædicari de abstractis, quæ non sint eorum subjecta: quare recta non est hæc prædicatio: *Albedo est colorata* (1).

Excipi solent quædam prædicationes in genere quantitatis, ut v. g. *Linea est quanta; superficies est quanta*, immo etiam: *Quantitas est quanta.*

Cujus rei ratio esse potest peculiaris conditio quantitatis, quia quantitas non solum est ratio, ob quam alia fiunt extensa et divisibilia, sed etiam ipsa in se extensa est ac divisibilis; neque enim ipsa potest aliam rem extendere, nisi simul cöextendatur illi, et suas proprias partes habeat correspondentes partibus sui subjecti (2).

Plura de hac materia videri possunt apud citatos Auctores.

ARTICULUS III.

Quotuplex universale seu prædicabile.

Prædicabilia quinque

161. Prædicabilia esse quinque, *genus*, *speciem*, *differentiam*, *proprium* et *accidens* diximus in Logica Minori, hujusque divisionis et rationem attulimus, et membra, quantum satis erat tyronibus Philosophiæ, declaravimus (3). Nunc reliquum est ad hujus argumenti de universalibus complementum, ut quasdam alias abstrusiores quæstiones a priscis Philosophis agitari solitas, indicemus potius, quam exponamus.

Et in primis, utrum alia universalia dentur præter quinque prædicta, atque adeo utrum sufficiens sit illa divisio, vel etiam utrum redundet, videri potest apud Eximium Doctorem (4), Dominicum Soto (5), Complutenses (6), Conimbri-

(1) Vide Rhodes, *Philos peripat.*, lib. 1, disp. 3, quæst. 1, sect. 2, paragr. 2, *Dico* 3.°

(2) Vide Suar., disp. *Metaph.* 40, sect. 1. n. 6.; Complutenses, *Logic.*, disp. 4, quæst. 4. n. 40.

(3) *Logic. Minor.*, disp. 1, cap. 3, art. 2.

(4) Disp. 6. *Metaph.*, sect. 8.

(5) *De Universalibus*, quæst. 5.

(6) *Logic.*, disp. 4, q. 6.

censes (1), Toletum (2), Rubium (3), Sylvestrum Mauri (4), Gregorium Rhodes (5), Joannem a S. Thoma (6), aliosque. Resolutio autem communis est, rectam et adæquatam esse illam divisionem.

Deinde quæri potest, utrum prædicta divisio sit univoca, an vero analoga. Ac respondetur satis communiter, quibusdam tamen gravibus viris refragantibus (7), univocam esse (8). Hisce ergo præsuppositis, veniamus ad singula prædicabila.

Qualis sit divisio prædicta in quinque prædicabilia.

§ I.—GENUS.

182. Genus quid sit, explicatum fuse manet in Logica Minori. De quo primum dubitatur, utrum genus essentialiter requirat plures species, an vero possit unam dumtaxat habere.

Negant genus exigere plures species apud Complutenses (9) et Bartoholomæum Amicum (10). Verum sententia communissima tenet, genus necessario continere sub se plures species: quam sequuntur Complutenses et Amicus, Rhodes (11), Joannes a S. Thoma (12), Sotus (13), Toletus (14), Lossada (15) aliique cum Aristotele et S. Thoma.

Utrum genus exigat plures habere sub se species.

Ut porro rite percipias statum quæstionis, nota in genere duo posse considerari, actualitatem seu comprehensionem

(1) In *Præfation Porphyr.*, quæst. 7, art. 1.
(2) In *Præm. Porphyr. De subjecto hujus libri*, quæst. 3.
(3) Tract. *de Univ.*, q. 9.
(4) *Quæst. philos.*, vol. 1, quæst. 36.
(5) Op. cit. lib. 1, disp. 2, quæst. 2, sect. 1, paragr. 1.
(6) *Logic.*, quæst. 6, art. 1.
(7) Apud Conimbricenses, loc. cit. art. 2.
(8) Vide Conimbricenses, loc. nup. cit. art. 2; Complutens., loc. cit., quæst. 7 ultima; Tolet., loc. cit. quæst. 2; Rhodes loc. cit. paragr. 2; Joann. a S. Thoma, loc. cit., art. 2; et Mauri, loc. cit. quæst. 38. Plura de hisce aliisque quæstionibus vide, si lubet, apud Lossada, *Logic.*, tract. 3, disp. 2, cap. 5.
(9) *Log.*, disp. 6, q. 2.
(10) *Log.*, tract. 5, quæst. 2, dub. 4, art. 1.
(11) Op. cit. lib. 1, disp. 2, q. 2, sect. 2, paragr. 3, *Dico* 6.°
(12) *Log.*, quæst. 8, art. 4.
(13) *Lib. Prædicabilium*, in cap. *de Specie*, in *Confirm.*, post respons. ad 2.um Argument.
(14) In cap. *de Specie*, quæst. unic., in resp. ad 3.um argument.
(15) *Logic.*, tract. 3, disp. 1, cap. 1, n. 14, seqq.

notarum, in ratione generica contentarum, et potentialitatem seu extensionem ejusdem rationis, nempe multitudinem inferiorum, de quibus prædicari, et in quibus multiplicata reperiri potest prædicta ratio. Et planum est, quod ratio generica tota salvatur in una etiam specie, ac proinde non sub hac consideratione quæritur utrum genus requirat plures species, quasi per easdem distribueretur actualitas et comprehensio illius. Sed dubitatio versatur circa genus consideratum respectu suæ potentialitatis vel extensionis seu prædicabilitatis, utrum nempe subsisteret genus, etiamsi una sola possibilis foret species, de qua prædicaretur.

Et respondemus negative cum secunda ex recitatis sententiis. Quæ est doctrina Aristotelis sic scribentis: *Cum autem omnis generis sint plures species, considerari oportet, an altera species esse nequeat generis propositi. Nam si altera species non sit, patet non posse omnino genus esse id, quod dictum est* (1).

Idemque docuit Aquinas: *Vel potest dici, quod non est possibile invenire aliquod genus, cujus una tantum sit species, genus enim dividitur in species per oppositas differentias. Oportet autem, si unum contrariorum invenitur in natura, et reliquum inveniri, ut patet per Philosophum in Secundo de Cælo et Mundo. Et ideo, si una species invenitur, invenitur et alia* (2).

Et alibi: *Universale exigit pluralitatem in iis, quæ sub ipso continentur vel in actu vel in potentia: in actu, sicut est in genere, quod semper habet plures species; in potentia sicut est in aliquibus speciebus, quarum forma, quantum est de se, possibilis est inveniri in multis, cum omnis forma de se sit communicabilis, sed quod inveniatur tantum in uno, est ex parte materiæ debitæ illi speciei, quæ tota adunatur in uno individuo, ut patet in sole* (3).

Ratio peti potest primo ex definitione generis, quod communiter dicitur esse *prædicabile de pluribus specie differentibus*. Id autem verum non est, nisi sub genere plures adsint species.

---

(1) Aristot., lib. 4.° *Topicor.*, cap. 3. Cfr. lib. 3. *Metaphysicor.*, text. comm. 10, cap. 3.

(2) S. Thom., Lib. 1. *Posterior. analyticor.*, lect. 12, paragr. *b*.

(3) S. Thom., lib. 1.° Dist. 19, quæst. 4. art. 2.

Præterea genus, iterum ex communi omnium consensu est prædicabile tamquam pars materialis, atque adeo ut indifferens, contrahibilis ac determinabilis per differentiam specificam. Atqui si una tantum daretur species, nulla jam remaneret indifferentia vel contrahibilitas generis, quia tunc differentia specifica unica foret, ac proinde æque late pateret ac ratio generica, nec posset illam amplius contrahere. Ergo (1).

Quomodo genus prædicetur de inferioribus.

Deinde quæritur quomodo genus prædicetur de inferioribus, utrum tamquam pars metaphysica, essentiæ eorumdem, seu tamquam pars comprehensionis, an vero tamquam totum potentiale, inferiora sub sua extensione complectens.

Et responsio communissima est, genus non prædicari quatenus est pars metaphysica, sed quatenus est totum potentiale respectu inferiorum. Et ratio est, quia pars nequit prædicari de toto per identitatem, sicut v. g. nequit dici, quod homo sit materia, vel anima, quamvis et materia et anima insint in homine, sintque partes ejusdem. Si enim pars prædicaretur de toto, sensus esset, quod totum est pars præcisive sumpta. Ergo oportet, quod id, quod de alio prædicatur, saltem confuse et in potentia contineat totum id, quod inest subjecto.

Atqui ratio generica quatenus est pars essentiæ non continet hoc modo quidquid inest subjecto, continet autem quatenus est totum potentiale. Ergo... (2)

Et hæc est expressa doctrina S. Thomæ (3).

Quo pacto intelligendum illud effatum: *Genus*

Præterea dubitatur, quo pacto intelligendum sit illud proloquium: *Genus sumitur a materia; differentia vero a forma* (4).

(1) Vide Lossada, Rhodes, aliosque Auctores locis citatis, apud quos plura reperies.

(2) Vide Suar., disp. *Metaph.* 15, sect. 11, n. 16; Complutenses, Rhodes, Lossada, et reliquos Auctores locis citatis.

(3) Vide Opusc. *de Ente et essentia*, cap. 3; 1.ª Dist. 25, q. 1, art. 1, ad 2.um; Auctor. Opusc. *Sum. tot. Logic. Arist.*, tract. 1, cap. 4.

(4) De quo proloquio vide Aristotelem, lib. 8, *Metaphys.*, text. comm. 9, cap. 4; et S. Thom., *Metaphysicor.*, lib. 3, lect. 7, paragr. 2 lib. 7, lect. 9, initio lib. 8, lec. 3, paragr. *l*; 1. p. q. 50, art. 2, ad 1.um; *De Spirit. creat.*, art. 1, ad 24.um; 2.º *Contr. Gent.*, cap. 95; Opusc. *de Ente et essent.*, cap. 6; Opusc. *de Natura Generis*, cap. 5.

sumitur a materia, differentia vero a forma.

Videntur nonnulli eo sensu interpretati esse hoc effatum, ut vellent materiam revera esse principium generis, formam vero differentiæ. Unde sequeretur in rebus immaterialibus non esse genus ac differentiam (1).

Verior sententia est «materiam et formam non secundum proprietatem physicam, sed secundum quamdam proportionem et analogiam esse principia, a quibus genus et differentia sumuntur. Nam materia est prima et quasi essentialis seu substantialis potentia naturæ substantialis, de se indifferens ad plures naturas seu actus; forma vero est primus actus substantialis determinans vel constituens naturam. Quia ergo genus est quid potentiale et indifferens, et per differentiam actuatur et determinatur ad certum gradum seu speciem naturæ, ideo dicitur genus sumi a materia, et differentia a forma, id est, per proportionem quamdam ad materiam et formam,» ut scribit Suarez (2).

Complutenses adhuc non sunt contenti hac explicatione, quam putant non solvere, sed effugere quæstionis difficultatem (3). Itaque censent aliter esse loquendum de substantiis spiritualibus et aliter de corporeis (4): et in substantiis quidem spiritualibus tum genus tum differentiam fundari super eamdem simplicem essentiam, quæ prout consideratur ut indeterminata et perfectibilis, sit radix generis, prout vero consideratur ut determinata et perfecta, sit differentia (5); in substantiis autem corporeis differentiam quidem procedere radicaliter a sola forma, genus vero a materia et forma, scribente Angelico Doctore: *In rebus compositis ex materia et forma genus sumitur a materia et differentia a forma; ita tamen quod per materiam non intelligatur materia prima, sed secundum quod per formam recipit quoddam esse imperfectum et materiale respectu esse specifici, sicut esse animalis est imperfectum et materiale respectu hominis. Tamen illud duplex esse non est secundum aliam et aliam formam, sed secundum unam*

(1) Vide apud Suarez, disp. 6 *Metaphys.*, sect. 11, n. 3.

(2) Suarez, loc. nup. cit., n. 4.

(3) *Logic.*, disp. 5, quæst. 6. n. 72.

(4) Cfr. S. Thom. 1. p. q. 50, art. 2 ad 1.um; lib. 2.° *Contra Gent.*, cap. 95.

(5) Cfr. S. Thom., 1. p. q. 50, art. 2, ad 1.um Opusc. 42, cap. 5.

formam, quæ homini dat non solum hoc, quod est esse animal, sed hoc, quod est esse hominem (1).

In his duabus explicationibus equidem non video discrimen magni momenti. Complutenses ex doctrina S. Thomæ derivarunt id, quod Suarez ultro fatetur, falsum esse proloquium illud in rigore sumptum, nempe si materia et forma in proprio sensu accipiantur, quia neque in substantiis immaterialibus neque in corporeis verificatur. Suarez vero ulterius processit, exponens sensum, in quo veritatem habere potest proloquium, quia genus desumitur, sive in substantiis spiritualibus sive in materialibus, ex gradu perfectionis adhuc potentiali et magis determinabili et perfectibili, differentia vero ex gradu dante ultimum actum determinationis ac perfectionis specificæ; quæ doctrina verissima est, et conformis S. Thomæ, nec censuram Complutensium meretur, cum gradus perfectionis ulterius determinabilis et gradus ultimæ determinationis specificæ analogiam et proportionem servent cum materia et forma, ex quibus corpora coalescunt. Et sic etiam fit ex genere et differentia unum compositum metaphysicum, sicut ex materia et forma conflatur unum compositum physicum.

Plura de genere dabunt prisci Doctores.

§ II.—SPECIES.

183. Supposita notione ac divisionibus speciei alibi datis, quæstio statim celeberrima occurrit, utrum, quemadmodum de genere cum communissima sententia statutum nuper est, species quoque plura sub se individua possibilia requirat. Quæ controversia connexa est cum illa alia, quæ respicit principium vel radicem multiplicitatis numericæ intra eamdem speciem: qua de re alibi disputandum erit. Thomistæ censent numericam multiplicitatem provenire a materia vel ab ordine ad materiam, tamquam ab unica ratione: unde sequitur in substantiis completis immaterialibus, angelis, dari non posse plura individua ejusdem speciei, sed singula individua angelica totidem species distinctas constituere (2).

Utrum species quoque requirat possibilitatem plurium sub se individuorum.

(1) S. Th., *de Spirit. creat.*, art. 1, ad 24.

(2) Vide S. Thom., 1. p. q. 50, art. 4; *de Spirit. creat.* art. 8; 2.ª Dist. 3, q. 1, art. 4; 2.ª *Contr. Gent.* cap. 93.

Quæ tamen doctrina statuens nullum angelum communicare cum alio in ratione specifica, non videtur D. Bonaventuræ *rationalis*, sed potius *præsumptio, maxime cum non appareat in promptu aliqua ratio cogens* ad eam tenendam (1). Sed nos, missis theologicis quæstionibus, solum quærimus, utrum species dari possit, si unum tantum foret possibile individuum, vel utrum natura quævis v. g. S. Michaelis, si non possit habere alias sibi similes, solisque notis individuantibus discrepantes, veri nominis species foret, atque adeo species necessario requirat habere sub se plura individua saltem possibilia. Qua de re licet Thomistæ communissime negent speciem necessario requirere, ut dentur, vel certe possint sub ea dari plura individua, aut propterea desinere esse naturam universalem ac veri nominis speciem, quia non habeat nisi unicum individuum possibile (2); opinio tamen frequentissima Scotistarum et Nostrorum contrarium sentit.

Et hæc sententia mihi probabilior videtur. Et ratio est, quia non est species illa ratio vel natura, quæ non est apta prædicari de multis. Atqui natura illa, quæ solum in unico individuo esse potest, seu quam repugnat in multis individuis similibus, sola individuatione discrepantibus, multiplicatam esse, non est apta prædicari de multis. Ergo natura hujusmodi non est species, atque adeo species, ut sit veri nominis Species, plura sub se requirit individua, saltem possibilia.

Minor constat, quia non est prædicabile de multis, quod non est aptum inesse in multis. Atqui natura, quam repugnat multiplicari in multis individuis ejusdem speciei, non est apta inesse multis. Ergo...

Atque hæc ratio videtur satis efficax, quamvis eam multimodis solvere conentur Thomistæ, quorum responsa et objectiones videri possunt apud Lossada (3).

(1) S. Bonavent., lib. 2.° dist. 3, art. 2, q. 1, *Resolutio*.

(2) Vide Complutenses (*Logic.*, disp. 6, q. 2. n. 21; quæst. 4, n. 39) apud quos quidam (in quæst. 4. n. 39 fin.) scribunt *non esse censendum Thomistam, qui oppositum senserit*. Falluntur tamen quia non desunt Thomistæ aliter opinantes, apud Lossada *Logic.*, tract. 3, disp. 1, cap. 4, n. 2.

(3) Loc. nup. cit. Vide præterea Conimbric. in *Præfation Porphyr.*, q. 8, art. 3.

§ III.—INDIVIDUUM.

184. Cum individuum sit correlativum speciei, pauca de illo hic statim addenda sunt. Individuum, quod quandoque vocatur etiam a S. Thoma *particulare* (1), bifariam accipi potest, *primo intentionaliter* seu secundum ea, quæ ipsi a parte rei conveniunt, et *secundo intentionaliter*, vel secundum extrinsecas denominationes, quas ex operatione intellectus accipit. Priori modo acceptum definitur a Porphyrio, *id cujus omnes simul proprietates alteri convenire non possunt* (2). Proprietates autem hujusmodi continentur his versibus:

Individuum bifariam accipi potest.

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,
Patria; sunt septem, quæ non habet unus et alter.

Notæ individuantes extrinsecæ.

Quorum sensus est, neminem cum alio convenire in his septem proprietatibus collective sumptis, *temperamento* scilicet, *figura, existentia in eodem loco et tempore, nomine, stirpe et patria.* Cæterum hæc non est stricta individui definitio, sed potius descriptio, per quam sufficienter discernimus alia ab aliis individuis; tum quia solum rebus corporeis accommodari potest, tum quia non repugnat saltem divinitus duo etiam individua corporea in omnibus illis proprietatibus convenire.

Aptius ergo definies individuum cum S. Thoma (3) ex communi omnium sententia, *indistinctum in se, et distinctum a quolibet alio.* Ex qua definitione repugnat individuum identificari cum aliis, vel dividi in alia ejusdem nominis, et essentiæ. Atque in hoc differt ab universali.

Definitio individui.

Dices: Singulare ex Aristotele definiri nequit.

Resp. *Licet hoc singulare vel illud definiri non possit; tamen id, quod pertinet ad communem rationem singularitatis, definiri potest. Et sic Philosophus* (in lib. *Prædicam.*, cap. *de Substantia) definit substantiam primam* (4).

---

(1) Vide v. g. *de Potent.*, quæst. 9, art. 1; 1.ª Dist. 23, quæst. 1, art. 2, ad 4.um

(2) Porphyr. In cap. *de Specie*, vers. fin.

(3) 1 p. q. 29, art. 4.

(4) S. Thom., 1 p. q. 29, art. 1 ad 1.um

Quot modis exprimi possit individuum.

Singulare vel individuum trifariam exprimi potest: α) nominibus propriis, v. g. *Socrates:* β) pronomine demonstrativo v. g. *hic homo, ille lapis:* γ) adjuncto casu obliquo vel integra oratione ad nomen communem v. g. *Mater Christi, Discipulus quem diligebat Jesus.*

Individuum secundo intentionaliter acceptum definiri potest tum ut subjicibile in propositione, tum ut prædicabile. Ut subjicibile quidem sic: individuum *est id, quod immediate subjici potest speciei:* ut prædicabile vero: *quod de uno tantum prædicari potest.*

Individuum completum et incompletum:

Individuum in consideratione metaphysica aliud est completum, aliud incompletum. Completum continet formaliter totam essentiam specificam, quæ est a parte rei, prout affectam singularitate, ut: *Petrus, Hic homo:* incompletum est, quod formaliter non exprimit nisi partem essentiæ realis, id est, aliquod essentiale prædicatum, prout affectum hæcceitate, ut: *Hoc animal: Hoc vivens.* Negari quippe nequid talia individua posse a nobis concipi cum præcisione a reliquis prædicatis individui completi, quemadmodum manifeste testatur experientia, maxime dum procul objecta cernimus, quin possimus adhuc discernere specificam illorum differentiam, vel etiam cum coram adest aliquod corpus, cujus naturam penitus nondum cognoscimus, licet quædam illorum generica prædicata noverimus.

determinatum et indeterminatum seu vagum.

Solet etiam individuum distingui in *determinatum* et *indeterminatum* seu *vagum.* Exemplum determinati est *Petrus, Hic homo* etc.; indeterminati vero, *Aliquis homo.* Hujusmodi individuum cum sit prædicabile de pluribus, proprie non est individuum, quamvis ita vocetur, quia ex parte actus hæcceitatem exprimit, licet indeterminate: quo ex capite deficit a rigore et proprietate universalis. Itaque medium servat inter universale et individuum. Apposite S. Thomas: *Individuum vagum,* ut aliquis homo, *significat naturam communem cum determinato modo existendi, qui competit singularibus, ut scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis. Sed in nomine singularis designati significatur determinatum distinguens, sicut in nomine Socratis hæc caro et hoc os* (1).

(1) S. Thom., 1, p. q. 30, art. 4.

Utrum ex particularibus individuis abstrahi possit ratio comuninis:

Jam circa individuum quæritur primo, utrum abstrahi possit ex particularibus individuis, communis et univoca ratio individui.

Et communior sententia Nostratum cum S. Thoma (1), Suarez (2) multisque Thomistis (3) et Scotistis (4) affirmat, negantibus non paucis Thomistis et Scotistis.

affirmativa opinio probabilior.

Equidem probabiliorem censeo affirmativam sententiam: quæ sic breviter ostendi potest. Petrus et Paulus cæterique homines individui, perfectissime similes sunt in esse individui. Ergo abstrahi ab illis potest communis ratio individui.

Consequentia bona est; antecedens autem patet, quia duo esse similia, est unum esse sicut aliud. Atqui duo individua hoc modo se habent in ratione individui, quia sicut unum est indistinctum in se et distinctum a quolibet alio, ita et alterum; sicut unum repugnat dividi in plura ejusdem nominis et essentiæ, ita et alterum (5).

Quomodo ratio generis prædicetur de individuis.

2.° Deinde quæritur, quomodo ratio generis prædicetur de Individuis completene an incomplete, immediatene an mediate. Et respondetur cum distinctione: de individuis completis, genus prædicatur incomplete, quia est pars essentiæ illorum, et quidem pars potentialis et materialis; de individuis autem incompletis videtur genus prædicari complete et ut species, nempe ut tota essentia subjecti, quia subjectum,

---

(1) Loc. nup. cit. 1.° Dist. 25, q. 1. art. 3 ad 3.um *De Potent.* q. 8, art. 3 ad 11.um

(2) Disp. *Metaphys.* 6, sect. 8, n. 13.

(3) Vide Joann. a S. Thom., *Logic.*, q. 9. art. 2; Complutens., *Logic.*, disp. 6, quæst. 6, n. 53.

(4) Vide Mastrium, *Organ.* disp. 5, q. 2, art. 4, n. 98, ubi contendit idem teneri a Subtili Doctore: quamvis alii Scotistæ id negant. Vide v. g. Pontium in *Logic.*, disp. 6, quæst. 2, ubi contrarium tenet.

(5) Vide plura apud Lossada, ex quo fere desumpta sunt hæc omnia (*Logic.*, tract. 3, disp. 1, cap. 6). Cæterum utrum ratio hæc communis individui sit univoca, an vero analoga, non convenit apud Auctores: univocam censet Lossada et alii: analogam Suarez, Joannes a S. Thoma aliique. Controversia est majoris difficultatis et subtilitatis, quam momenti, et pendet ex illis quæstionibus, utrum ratio communis individui transcendat modos peculiares et proprios singulorum individuorum, et utrum sola transcendentia notionis alicujus sufficiat ad analogiam.

prout hoc pacto expressum: *Hoc animal*, non est formaliter rationale nec irrationale, atque adeo præscindit ab utroque, cum ex vi illius expressionis neutrum appareat. Illius ergo essentia metaphysica præcise est animal, ac proinde cum de illo prædicatur animalis ratio, tamquam integra ipsius essentia prædicatur.

Deinde genus prædicatur immediate de individuis incompletis, cum respectu illorum non se habeat instar generis, sed potius instar speciei, species autem immediate prædicetur de individuis, ut *Homo* de Petro et Paulo. De individuis autem completis genus solum prædicatur mediate, tum quia inter individua et genus in arbore prædicamentali mediat species; tum quia ratio specifica convenienter assumi potest ad probandum genus de individuo, ut *Petrum esse animal* v. g. recte probatur ex eo, *quod Petrus est homo* (1).

§ IV.—DIFFERENTIA.

Triplex munus differentiæ.

185. Triplex munus differentiæ in Logica Minori indicavimus, *dividere genus*, *constituere speciem*, ac *prædicari de specie;* ex hoc triplici munere triplicitêr a Porphyrio differentia describitur. Quibus suppositis dubitari 1.° potest, an differentia sit universalis respectu speciei, quam constituit. Affirmant quidam, sed verius negandum est cum communissima sententia. Quia ut aliquid sit universale respectu alterius, oportet ut eo superius sit, ac latius pateat. Sed differentia non latius patet specie, quam constituit. Ergo... (2)

Utrum differentia sit universalis respectu speciei.

Utrum ultima differentia sit formalitas simplex

2.° **Deinde quæritur**, utrum ultima differentia sit formalitas simplex et indivisibilis in plures formalitates invicem ratione distinctas. Et sermo est de formalitatibus primo intentionalibus. Negasse plures antiqui videntur (3). Sed communissima sententia docet saltem plerasque differentias substantiarum et accidentium esse simplicissima prædicata. Et ratio est, quia nulla est necessitas nec fundamentum di-

(1) Vide Lossada, *Logic.*, tract. 3, disp. 1, cap. 1, n. 22 seqq.

(2) Vide plura apud Lossada, *Logic.*, tract. 3, disp. 2, cap. 2; Joann. a S. Thom., *Logic.*, quæst. 10, art. 3; Complutenses, *Logic.*, disp. 7, quæst. 2 etc.

(3) Apud Lossada, loc. cit. n. 6, et Complutenses, loc. nup. cit. quæst. 3.

stinguendi ultimam differentiam in varias formalitates. Quia licet in pluribus speciebus, v. g. in *leone*, *homine*, etc. multa sunt, quæ in nulla alia specie reperiantur, nihil vetat omnia illa ab una simplici radice proficisci. Idque verum habet etiamsi sæpe multis utamur terminis ad explicandum discrimen unius ab alia specie, quia id evenit in meris descriptionibus, non autem in definitionibus essentialibus specierum.

Sunt tamen quidam, ut Arriaga (1), Quiros (2), Aversa (3) et alii (4) qui putant differentiam, licet non debeat esse necessario divisibilis et composita, posse tamen esse talem, ut in actu qui simul esset *practicus* et *speculativus*, *misericordiæ* simul et *charitatis* etc.

At communius alii negant prorsus ullam differentiam ultimam divisibilem aut compositam esse posse (5).

Jam si quæras, utrum differentia ultima reflexe et secundo intentionaliter inspecta, quatenus nempe in qualibet differentia ultima considerari potest ratio communis differentiæ, et ratio talis differentiæ, possit dici divisibilis et composita ex duplici formalitate per rationem distincta; quæstio dependet ab illa alia subtilissima quæstione, utrum ratio communis differentiæ transcendat necne formaliter *taleitates* suas, seu formaliter imbibatur in rationibus talium peculiarium differentiarum, puta *rugibilis*, *hinnibilis*, *rationalis* etc. quemadmodum, ut dicemus suo loco, ens transcendit formaliter omnes suas differentias ac varietates entium. Si enim ratio communis differentiæ transcendit formaliter suas taleitates, ut probabilius videtur, non facit compositionem cum illis, ac proinde ratio ultimæ differentiæ neque sub hac consideratione logica dici potest divisibilis aut composita, sicut nec ratio entis, cum in inferiora contrahitur, facit compositionem cum

(1) *Logic.*, disp. 8, n. 8.
(2) *Curs. Philos.*, tract. 2, part. 3, disp. 23, sect. 2.
(3) *Logic.*, q. 13, sect. 3.
(4) Vide Lossada, tract. 3, disp. 2, cap. 2, n. 8, 9.
(5) Vide Conimbricenses, In cap. *de Differentia*, quæst. 2, art. 1, *Quoad secundum spectat;* Fonseca, *Metaphys.*, lib. 5, cap. 28, quæst. 17, sect. 2.; Rhodes, lib. 1, disp. 2, q. 2, sect. 4, parag. 3, *Dico 3.°*

peculiaribus suis modis. Secus autem dicendum esset, si ratio communis differentiæ non transcenderet varietates peculiarium differentiarum.

Utrum genus transcendat differentias.

3.° **Tertio quæritur** utrum genus *transcendat* seu formaliter includat differentias, an vero præscindat ab illis. Tunc prædicatum A dicitur transcendere formaliter prædicatum B, aut in illo formaliter includi, quando pertinet ad definitionem seu explicationem quidditativam illius, ita ut prædicatum B sub proprio conceptu nequeat plene explicari, quin dicatur esse A. Hoc modo *Homo* transcendit formaliter *animal* et *rationale*, eaque omnia, per quæ tum *animal* tum *rationale* definiuntur. Quando vero prædicatum aliquod non transcendit formaliter aliud, dicitur ab eo formaliter præscindere.

Certum est, quod species inferior transcendit formaliter rationes sive genericas sive differentiales, quæ species superiores in eodem prædicamento constituunt, sicut v. g. *homo* transcendit *animal*, *vivens*, *corpus*, *sensibile*, *animatum*. Et e converso certum est quod prædicata superiora non transcendunt prædicata inferiora sive generica sive differentialia, neque enim *corpus* definitur per *vivens* aut per *animatum*, neque *vivens* per *animal* aut per *sensibile*, neque *animal* per *hominem* aut *rationale*. Solum ergo dubitatur, utrum genus, aut etiam differentia ipsius constitutiva, transcendat formaliter differentias constitutivas specierum inferiorum, v. g. ratio *animalis* aut *sensibilis*, differentias *rationabilis*, *rugibilis*, *hinnibilis* etc. Affirmant quidam, sed communis sententia in omni Schola negat cum Aristotele (1), S. Thoma (2), Scoto (3), Suarez (4) aliisque.

Et probatur, quia illa notio non transcendit aliam, quæ non est definitio aut explicatio quidditativa illius. Atqui nec genus superior est explicatio quidditativa differentiæ, nec differentia generis. Ergo...

---

(1) Lib. 4 *Topicor.*, cap 2; lib. 3 *Metaphysicor.*, text. Comm. 10.

(2) Lib. 3.° *Metaphysicor.*, lect. 8, paragr. *k*; lib. 5.° *Metaphys.*, lect. 9. paragr. *e*; 1. p. q. 3. art. 5.°; Opusc. *de Natura Generis*, cap. 1, fin; et *de Ente et essentia*, cap. 3.

(3) 4.° Dist. 11, quæst. 3; et 7 *Metaphysicor.*, quæst. 17.

(4) Disp. *Metaphys.* 30, sect. 4, n. 32 etc.

Plura de hac re dabit Lossada (1) et prisci Auctores (2), apud quos etiam solutas vide difficultates.

Cur genus et differentia faciant compositionem metaphysicam.

Propter hanc præcisionem perfectam generis a differentia, et differentiæ a genere, dicuntur hæc facere compositionem metaphysicam, et sic constituere speciem, cujus proinde sunt partes. Nam proprie non veniunt in compositionem, nisi ea, quæ distincta invicem sunt. Quoniam vero genus et differentia non distinguuntur nisi ratione, ut alibi probandum est, ubi de distinctione graduum entitatis; ideo compositio generis ac differentiæ non est realis, sed metaphysica dumtaxat, seu rationis.

Genus se habet ut materia, differentia vero ut forma.

In qua compositione, genus se habet per quamdam analogiam instar materiæ vel potentiæ ulterius determinabilis, et differentia instar formæ et actus determinantis. Dixi *per quamdam analogiam*, quia sunt varia discrimina inter partes hujus compositionis metaphysicæ, et inter materiam et formam, quæ sunt partes physicæ realiter distinctæ, et per realem ac physicam compositionem constituunt corpus; non solum quia genus et differentia non distinguuntur inter se realiter, sed etiam quia, secus ac materia et forma, etiam singillatim exprimunt totam substantiam rei, licet sub diverso respectu, ratio nempe generica exprimit illam, secundum quod similis est aliis, differentia vero, secundum quod a cæteris discrepat. Hinc fit et illud, quod tum genus tum differentia prædicari possint de specie, quia nempe totam substantiam rei dicunt; at vero nequeunt de corpore prædicari sive materia sive forma ob oppositam rationem, quia non exprimunt totam corporis substantiam, sed partem. Apposite S. Thomas. *Ex hoc patet ratio, quare genus et species et differentia se habeant proportionaliter ad materiam, formam et compositum in natura, quamvis non sint idem cum illis; quia neque genus est materia, sed sumitur a materia, ut significans totum; nec differentia est forma, sed sumitur a forma, ut significans totum. Unde dicimus hominem esse animal rationale, et non ex animali rationali, sicut dicimus eum esse ex anima et corpore. Ex corpore enim et anima dicitur esse homo, sicut ex duabus rebus quædam tertia res constituta, quæ neutra illarum est. Homo enim nec est anima*

(1) Loc. cit., disp. 2, cap. 2, n. 10 seqq.
(2) Vide v. g. Rhodes, Complutenses.

neque corpus. Sed si homo aliquo modo ex animali et rationali dicatur esse, non erit sicut res tertia ex duabus rebus, sed sicut intellectus tertius ex duobus intellectibus. Intellectus enim **animalis** *est sine determinatione formæ specialis, naturam exprimens rei, ex eo quod est materiale respectu ultimæ perfectionis. Intellectus autem hujus differentiæ* **rationalis** *consistit in determinatione formæ specialis: ex quibus duobus intellectibus constituitur intellectus speciei vel definitionis. Et ideo sicut res constituta ex aliquibus non recipit prædicationem earum rerum, ex quibus constituitur, ita nec intellectus recipit prædicationem eorum intellectuum, ex quibus constituitur: non enim dicimus, quod definitio sit genus vel differentia* (1).

Quomodo genus sub se contineat differentias.

4.° Ex dictis denique facile solvitur illa alia quæstio, quomodo scilicet genus sub se contineat differentias. Continet enim illas non in actu sed in potentia dumtaxat modo proportionali, quo materia continet formas, quatenus nempe ratio generica non continet inter sua constitutiva differentias, sed potest illas accipere ad constituendam speciem.

§ V.—PROPRIUM SEU PROPRIETAS.

186. Circa quartum hoc prædicabile

Utrum prædicationes de proprio sint necessariæ veritatis.

Quæritur 1.° utrum prædicationes de proprio sint necessariæ veritatis. Et cum distinctione respondendum est, nam proprium duplex distingui potest, *metaphysicum* et *physicum*. Physicum est, quod per se necessario sequitur essentiam rei, ab eaque realiter distinguitur. Talis proprietas est in sole lux, et in igne calor. Metaphysicum est, quod cum realiter idem sit cum essentia integra rei, distinguitur tamen ab ea per rationem, et concipitur tamquam radicata in eadem, et necessario consequens illam: hoc pacto *immortalitas* est proprietas substantiæ spiritualis. Itaque prædicationes de proprio metaphysico sunt necessariæ veritatis necessitate metaphysica et ineluctabili, ut patet, quia cum proprium metaphysicum sit idem re cum essentia, non possunt ab ea per quamcumque potentiam separari. Prædicationes autem de proprio physico sunt necessariæ veritatis, naturaliter

(1) S. Thom. Opusc. *de Ente et essent.* cap. 3. Cfr. Cardinal. Tolet., In cap. *de differentia, Sed omissa qualitate accidentali.*

loquendo, quia proprium hujusmodi secundum naturalem ordinem non potest non manare ab essentia, nec potest deficere, nisi impediat divina potentia miraculum patrando (1).

Quomodo proprium prædicetur.

Quæritur 2.° de quibus prædicetur Proprium. Proprium bifariam considerari potest, primo relate ad naturam, cujus est proprium, et secundo proprium in communi respectu proprii in individuo. Proprium ergo relate ad rationem generícam vel specificam, cujus est proprium, nequit prædicari ut universale, quia non patet latius illa, atque adeo non est proprium respectu illius, sicut superius diximus de differentia respectu speciei. Proprium vero generis prædicari potest ut universale de speciebus, sicut quantitas v. g. de omni specie corporis, itemque proprium speciei de individuis v. g. risibilitas de singulis particularibus hominibus. Proprium etiam in communi prædicari potest tamquam species de singulis individuis propriis: ut si dicas: *Hoc risibile est risibile;* neque enim respectu illorum habet rationem proprii.

§ VI.—ACCIDENS LOGICUM.

Quomodo prædicetur accidens de subjecto.

187. De accidenti dubitatur, quomodo prædicari possit de subjecto, cum sit ab eo realiter distinctum, et contingenter eidem adveniens, ut cum dicis: *Petrus est doctus, vel albus* etc. Res tamen facile declaratur, nam in his aliisque propositionibus interpretatio logica est, ut prædicatum idem valeat ac *habens tale accidens*, atque adeo vis allatæ orationis est hic: *Petrus est habens doctrinam, albedinem*, etc., ubi vides doctrinam vel albedinem non in recto, sed in obliquo prædicari. Vel si mavis rem aliter explicare, in hujusmodi prædicationibus non enuntiatur identitas accidentis cum subjecto, sed actualis unio vel inhærentia accidentis in subjecto. Quare licet doctrina, vel albedo aut quodlibet aliud accidens re distinguatur a subjecto, et propterea etiam nequeat prædicari in abstracto de illo, dicendo v. g.: *Petrus est doctrina vel albedo*, verissime tamen prædicatur in concreto, quia si Petrus sit *doctus* vel *albus*, datur perfectissima identitas inter *Petrum et habentum doctrinam vel albedinem* (2).

(1) Vide Lossada, loc. cit., disp. 2, cap. 3.
(2) Plura dabit Lossada, loc. cit.

Id quod est accidens respectu unius, potest esse essentiale quiddam respectu alterius.

De hoc quinto prædicabili illud etiam præ oculis est habendum, rem, quæ respectu alicujus subjecti est accidens, posse sub alia consideratione esse genus vel speciem. v. g. color est accidens respectu corporum, et genus respectu albedinis, ruboris, etc., et species respectu qualitatum visualium.

Ab absolutam prædicationem accidentis physici et intrinseci requiritur existentia subjecti

Denique patet ad veram et *absolutam prædicationem accidentis physici et intrinseci*, dum prædicatur per modum quinti prædicabilis, necessario requiri existentiam subjecti a parte rei. Ratio est, quia, ut nuper dicebamus, cum accidens prædicatur de subjecto, enuntiatur actualis unio illius cum hoc; implicat autem unio accidentis physici et intrinseci cum subjecto non existenti.

Dixi primo *ad absolutam prædicationem*, quia conditionalis, qualis foret hæc v. g.: *Si Petrus existat erit albus*, potest vera esse etiam subjecto non existente, quia prædicatio conditionalis non enuntiat unionem accidentis, quæ actu sit, sed quæ esset in hypothesi.

Dixi secundo *ad prædicationem accidentis physici et intrinseci*, quia ad veram prædicationem accidentis extrinseci præsertim *intentionalis* non semper requiritur realis existentia subjecti; quia hujusmodi accidens non unitur realiter subjecto, nec ab eo sustentatur. Sic vere dicitur: *Anti-Christus est cognitus*, *Salus*, *quæ amissa est*, *optatur*. Immo nec requiritur subjecti possibilitas, cum vere etiam enuntietur: *Chimæra est cognita*. Quædam tamen sunt accidentia intentionalia, quæ ob peculiarem suam conditionem necessario postulant subjecti existentiam. Sic nihil vere enuntiari potest *visum*, quin realiter existat, quia visio necessario terminatur ad objectum realiter existens (1).

(1) Vide Lossada, loc. cit., cap. 4.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE PRINCIPIIS DEMONSTRATIONIS.

Tria præstanda sunt circa principia: primo eorum tradenda notio, deinde probanda existentia, tertio denique modus docendus, quo eadem colliguntur ex singularium observatione.

CAPUT I.

DECLARATUR NOTIO PRINCIPIORUM.

De quibus principiis hic sit sermo.

Principium generatim definitur ab Aristotele, *Primum... unde* (aliquid) *aut est, aut fit, aut cognoscitur* (1): ex qua definitione aliud *est principium essendi* et *fiendi* et aliud *principium cognoscendi*. Nos autem hic de solo principio cognoscendi agere debemus.

ARTICULUS 1.

Quid sit Principium cognitionis et quotuplex.

Definitur principium cognitionis.

188. Principia cognitionis vel demonstrationis sic definivit Aristoteles: *Ea in quocumque genere principia dico, de quibus, quod sint, demonstrari non oportet* (2).

Principia incomplexa et complexa.

Porro cum ex principiis quædam sint incomplexa seu simplicia, qualia sunt termini ac definitiones, alia vero complexa, nempe propositiones, utrumque genus hac descriptione comprehendit Philosophus. Utrumque enim non demonstratur, sed supponitur esse verum. Nam principium in scientiis et demonstrationibus est id, unde illæ sumunt exor-

(1) Aristot., lib. 5 *Metaphysicor.*, cap. 1.
(2) Aristot., lib. 1.° *Posterior*, cap. 8.

dium, ideoque et verum sit, oportet, ac tamquam verum supponatur, quin demonstretur. Si enim falsum foret, nihil posset ex eo demonstrari; et si demonstretur, jam desineret esse principium, saltem in illa scientia et demonstratione. Apposite S. Thomas: *Dicit* (Aristoteles), *quod principia in unoquoque genere sunt illa, quæ cum sint vera; tamen non convenit ea demonstrare in illa scientia, in qua sunt principia. Dicit autem* **cum sint vera**, *ad differentiam falsorum, quæ non demonstrantur in aliena scientia* (1). Quamobrem «est hæc pulchra regula principia dignoscendi et in scientia qualibet et in demonstratione, ea scilicet, quæ talis scientia seu talis demonstratio non probat esse, sed supponit; v. g. supponit Geometria esse lineas, signa, id est, puncta, Arithmeticus unitates, numeros, hæc dicuntur principia. Similiter in qualibet peculiari demonstratione non demonstramus subjectum esse, nec medium, et ideo hæc dicuntur principia. Hoc autem non solum de simplicibus principiis (nimirum terminis) sed etiam de complexis, quales sunt propositiones, dignitates et præmissæ in demonstrationibus singulis: hæc enim omnia, ut non demonstrantur in scientia illa vera esse, dicuntur principia scientiæ; ut vero præmissæ in illa demonstratione, cujus sunt non demonstrantur, illius principia dicuntur. Et universaliter, quod est in scientia et demonstratione, quod illic non demonstretur esse, sed supponatur, id est principium, sive simplex sive complexum» (2).

Quid principiata.

Jam ea, quæ per principia cognoscuntur vocantur *principiata*, et sunt pariter simplicia, nimirum passiones vel attributa subjecti, et conclusiones, quæ derivantur ex præmissis.

Hinc patet in quo conveniant, principia, sive simplicia sive complexa, cum principiatis, et in quo discrepent. Conveniunt in eo, quod ad omnem demonstrationem et scientiam, debet supponi cognitio saltem *significationis* non solum principiorum, sed etiam principiatorum: quomodo enim inquiri ac demonstrari possunt de subjecto attributa vel passiones, quæ ne de nomine quidem cognoscuntur, vel conclusiones, quarum ignorantur termini? Discrepant vero, quia de

(1) S. Thom., lib. 1.º *Posterior.*, lect. 18, paragr. *b.*

(2) Tolet., in lib. 1. *Posterior.*, cap. 8, in exposit. n. 1.

principiis quidem oportet præterea supponere et cognoscere, quod sint; nimirum «si simplicia, quod existant, si complexa, quod vera sint. At de principiatis id demonstramus, nam conclusionem veram esse demonstramus, similiter ipsam passionem inesse demonstramus, non autem supponimus» (1).

Principia communia et propria:

Præter allatam modo divisionem principiorum in simplicia et complexa, est alia, qua principia distinguuntur in *communia* et *propria*. Communia sunt illa, quæ pluribus scientiis serviunt, propria vero illa, quæ singularibus scientiis peculiaria sunt. Si autem quæras, quomodo scientiæ diversæ, cum singulæ pro sua natura et diversis procedere debeant, communibus uti possunt principiis, «respondetur non uti scientias his communibus, ut communia sunt, sed unaquæque scientia et demonstratio ea limitat ad suam materiam, ad quam eis indiget» (2). Sic principium illud: *Si ab æqualibus æqualia demas, restant æqualia*, quod tum Geometriæ tum Arithmeticæ commune est, illa contrahit ad magnitudines, hæc ad numeros.

Cum hac divisione coincidit divisio principiorum in *axiomata* et *positiones*, de qua mox dicetur.

indemonstrabilia simpliciter, et secundum quid:

Tertio dividuntur principia in *indemonstrabilia simpliciter*, et *indemonstrabilia secundum quid*. Indemonstrabilia simpliciter sunt ea, quæ cum medio careant, demonstrari nequeunt a priori, ideoque vocari etiam solent *immediata;* quamvis nihil vetat quominus demonstrari queant a posteriori vel etiam demonstratione indirecta, id enim non destruit rationem propositionis immediatæ ac principii simpliciter indemonstrabilis. Indemonstrabilia secundum quid sunt illa, quæ demonstrari quidem possunt, et etiam demonstrantur a priori in alia scientia; in illa vero, in qua assumuntur pro principiis, nequeunt demonstrari, sed supponuntur ut vera: talia sunt principia scientiarum subalternarum, ut suo loco dicetur (3), et præmissæ plurimarum demonstrationum, quæ sæpe sunt conclusiones alibi in antecessum demonstratæ.

---

(1) Tolet., ib. n. 2.

(2) Tolet., ib. n. 3.

(3) Vide S. Th., cum Aristot., lib. 1.° *Posterior. analyticor.*, lect. 19, initio, et lect. 5, paragr. *e*, fin.

dignitates seu axiomata

Principiorum indemonstrabilium simpliciter duo sunt genera, alia, quæ vocantur proprie *dignitates* vel *axiomata*, alia, quæ nomen habent *positionum*. *Axiomata*, quæ Tullius *effata* et Varro *profata* et *proloquia* nominat, apud Conimbricenses (1), sunt illæ propositiones immediatæ, quæ omnibus per se patent, quia nemo est, qui eorum terminos non clare percipiat: qualia sunt principium contradictionis, et illud aliud: *Totum est majus sua parte*, ac cætera id genus. Unde *proprium est horum principiorum, quod non solum necesse est, ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri, quod sint per se vera* (2). Et ob eam causam dicta sunt *dignitates* seu *axiomata*, *propter hujusmodi principiorum certitudinem ad manifestandum alia* (3), sive quod tantam perspicuitatem obtineant, ut digna sint, quibus fides adhibeatur, sive, ut ait Themistius, quia inter ea, in quibus posita sunt, principem locum obtineant (4). Vocantur etiam communes animi conceptiones (5), quia nemo est hominum ratione utentium, qui nesciat illa, teneatque, nec debet proinde addiscere, cum scientiæ alicujus aggreditur studium.

et positiones;

Positiones vero sunt illa principia immediata, quæ demonstrari quidem nequeunt, cum sint immediata, non tamen omnibus nota sunt, quia pertinent ad materiam peculiarem alicujus scientiæ, ideoque necesse non est ea teneri ab iis, qui scientiam illam addiscere incipiunt, sed «in vestibulo scientiæ, ad quam pertinent, poni solent, unde et nomen videntur accepisse» (6). Tales sunt istæ propositiones: *Omnes anguli recti sunt æquales*, pro Mathæsi: *Duæ contradictoriæ propositiones nequeunt esse veræ: Ex vero non sequitur nisi verum*, pro Logica.

Ad hujus... divisionis manifestationem sciendum est, quod quælibet propositio, cujus prædicatum est in ratione subjecti,

(1) In 1.um libr. *Posterior.*, cap. 2. *Comment.* litt. *m.*

(2) S. Th. cum Aristot., lib. 1, *Posterior.*, lect. 19, initio.

(3) S. Th. 1.a *Posterior.*, lect. 5, paragr. *e.*

(4) Conimbric., loc. cit.

(5) S. Th. 1.a *Posterior.*, lect. 19 initio; quæst. 11 *de Verit.*, a. 1. Nihilominus in opusculo super Böetium *de Hebdomadibus*, videtur cum eodem Böetio sub nomine communium conceptionum comprehendere tum axiomata, tum positiones. Vide ipsum ibidem paulo post initium; item in quæst. 10 *de Verit.*, art. 12.

(6) Conimbric., In 1.um *Posterior.*, cap. 2, in comment. litt. *m.*

est immediata et per se nota, quantum est de se. Sed quarumdam propositionum termini sunt tales, quod sunt in notitia omnium, sicut ens, et unum, et alia, quæ sunt entis, in quantum ens, nam ens est prima conceptio intellectus. Unde oportet, quod tales propositiones non solum in se, sed etiam quoad nos, quasi per se notæ habeantur: sicut quod **non contingit idem esse et non esse**, et **totum sit majus sua parte**, *et similia. Unde et hujusmodi principia omnes accipiunt a Metaphysica, cujus est considerare ens simpliciter, et ea, quæ sunt entis. Quædam vero propositiones sunt immediatæ, quarum termini non sunt apud omnes noti: unde licet prædicatum sit de ratione subjecti, tamen quia definitio subjecti non est omnibus nota, non est necessarium quod tales propositiones ab omnibus concedantur; sicut hæc propositio:* **Omnes anguli recti sunt æquales**, *quantum est in se, est per se nota sive immediata, quia æqualitas cadit in definitione anguli recti, angulus enim rectus est, quem facit linea recta, super aliam lineam rectam cadens, ita quod ex utraque parte anguli reddantur æquales. Et ideo cum quadam positione recipiuntur hujusmodi principia* (1).

Principiorum etiam demonstrabilium duo sunt genera, *suppositiones* et *petitiones* seu *postulationes (postulata* dicunt recentiores). Interdum enim ea, quæ non demonstrantur, videntur vera vel probabilia illi, ad quem demonstratio instituitur, ideoque pro illo supponi possunt et assumi tamquam vera, licet possent demonstrari, ac pro alio necesse foret etiam demonstrari: et hæ sunt suppositiones. Interdum vero nonnulla vult assumere demonstrator sine demonstratione, de quibus aut nullam habet opinionem vel notitiam, ille, cui fit demonstratio, aut habet contrariam, et ideo ea *postulat*, ut sibi concedantur: en postulationes (2). suppositiones et postulata.

(1) S. Thom., 1.° *Posterior.*, lect. 5, paragr. *e*

(2) Ita quidem Aristoteles, cumque eo Sotus, Conimbricenses etc. Nihilominus paulo aliter explicat D. Thomas discrimen suppositionis a postulatione, in hæc verba scribens: *Differunt autem ad invicem, quia siquidem talis propositio* (indemonstrabilis per suam scientiam, sed demonstrabilis per aliam) *sit probabilis addiscenti, cui fit demonstratio, dicitur* **suppositio**... *Si vero ille, nec sit ejusdem opinionis, neque contrariæ, oportet quod demonstrator hoc ab eo petat, et tunc dicitur* **petitio**. *Si autem sint contrariæ opinionis, tum erit*

Quod si renueret addiscens ea concedere, oporteret facere *quæstionem*, et disputare num vera sint, necne, ac proinde non possent interea, ut planum est, pro veris principiis assumi. Sciendum nempe est, cum primum quis addiscere incipit, non posse omnia, quæ fundamenti instar ad reliquorum intelligentiam supponenda sunt, plane intelligere. Unde necesse est, ut magister tradat ei *quædam, quorum rationes tunc cum primo instruitur discipulus nescit, sciet autem postea perfectus in scientia. Et ideo dicitur, quod oportet addiscentem credere; et aliter ad perfectam scientiam pervenire non posset, nisi scilicet supponeret ea, quæ sibi in principio traduntur, quorum rationes tunc capere non potest* (1).

Dantur quoque principia probabilia.

Denique notandum est principia posse esse non solum certa, sed etiam *probabilia;* et hujusmodi sunt principia conclusionum mere *probabilium* et opinabilium, quia conclusiones hujusmodi, supposita recta forma arguendi, nequeunt fluere nisi ex principiis probabilibus, siquidem ex necessariis (in quibus continentur certa) nequit in bona consequentia fluere contingens, de cujus genere est probabile (2). Nam ex duplici capite potest fieri, ut conclusio certa non sit, sed tantum probabilis, primo quia licet præmissæ sint certæ, consequentia tamen non sit necessaria, sed tantum probabilis, et secundo, quia consequentia quidem necessaria est, præmissæ vero incertæ ac probabiles dumtaxat. Secus absurdissime dicendum foret omnes conclusiones probabiles continere illationem dubiam et incertam. Audi Angelicum: *Et ad exponendum, quid sit opinio, subjungit, quod opinio est acceptio, id*

---

quæstio, *de qua oportet disputari inter eos.* (1.° *Post.* lect. 19, parag. *b.*) Aquinatem sequitur Sylvester Maurus (*Comment.* lib. 1.° *Poster* cap. 11, n. 2), quamvis in *Quæstionibus philosophicis* (t. 1, quæst. 16) aliter loquatur.

(1) S. Th., *de Verit.*, q. 14, a. 10. Cfr. Opusc. *de Trinit. sup. Böet.* q. 3, a. 1.

(2) Vide Arist. 1.° *Posterior. analyt.* cap. 26 (al. c. 33); et cap. 25 (al. 32), ubi docet dari principia et propositiones immediatas, quæ non sunt *necessariæ*, sed *contingentes*. Et idem docet S. Th. ib. lect. 43, paragr. *g;* et. lect. 24, paragr. *c;* Sotus, Toletus, Rubius et Conimbricenses in citatum locum Aristotelis; Complutenses (*Dialect.*, disp. 20, q. 3); Joannes a S. Thoma (*Logic.*, quæst. 26, art, 4); Mastrius *Logic.*, disp. 14, quæst. 1.

est, existimatio quædam immediatæ propositionis et non necessariæ (1). *Quod potest duobus modis intelligi: uno modo sic, quia propositio immediata in se quidem sit necessaria, sed ab opinante accipiatur ut non necessaria. Alio modo, ut sit in se contingens. Dicitur enim immediata propositio, quæcumque per aliquod medium probari non potest, sive sit necessaria, sive non necessaria. Ostensum est enim supra, quod non proceditur in infinitum in prædicationibus, neque quantum ad media, neque quantum ad extrema, et hoc non solum analytice in demonstrationibus, scd etiam logice communitur qaantum ad syllogismos. Si ergo sit aliqua propositio contingens mediata, oportet quod reducatur ad aliquas immediatas. Non autem reducitur ad immediatas necessarias, quia necessaria non sunt principia contingentium, neque ex necessariis potest concludi contingens. Unde relinquitur quod sit aliqua propositio immediata contingens, et aliqua mediata. Sicut:* **Homo non currit**, *est mediata, potest enim probari per hoc medium:* **Homo non movetur**, *quæ etiam est contingens, sed immediata. Existimatio ergo talium propositionum contingentium immediatarum est opinio. Sed per hoc non excluditur, quin etiam acceptio propositionis contingentis mediatæ sit opinio* (2).

Principia sunt priora et notiora conclusionibus.

Ex data principiorum notione concludit Aristoteles (3) principia non solum esse priora, sed etiam notiora conclusionibus scitis et demonstratis. Primo, quia *propter quod unumquodque tale, et illud magis*, ut fert effatum (4). Sed demonstrans cognoscit conclusionem esse veram propter principia, quia nempe principia, unde illa derivantur, vera sunt. Ergo debet magis cognoscere ipsa esse vera. Sicut qui diligit medium propter finem, magis diligit ipsum finem (5).

---

(1) Nota bene hanc definitionem opinionis non esse *universalem*, non enim convenit *conclusionibus* opinativis, ut per se patet, et observat Angelicus inferius.

(2) S. Th., lib. 1.° *Poster.*, lect 44, paragr. *c.*

(3) Lib. 1.° *Posterior.*, cap. 2, fin. Cfr. ib. S. Th., lect. 6.

(4) De sensu ac veritate hujus effati alibi agendum est.

(5) Vide etiam apud Aristotelem aliam rationem ad idem probandum. Cfr. S. Thom., loc. nup. cit., paragr. *c;* et Toletus, Mauri et reliqui Commentatores in lib. 1.um *Posterior.*, cap. 2.

Cæterum notat idem Philosophus, *quod hoc, quod dictum est, quod magis necesse est credere principiis, aut omnibus aut quibusdam, quam conclusioni, intelligendum est de illo, qui debet accipere disciplinam per demonstrationem. Si enim conclusio aliunde esset nota, sicut per sensum, nihil prohiberet principia non esse magis nota conclusione in via illa* (1).

Denique ex eadem doctrina colligit etiam Aristoteles, quod sciens aliquid ex principiis, nequit magis adhærere alicui assertioni, aut principiis contrariæ, aut ex qua falsitas principiorum legitime inferretur. Quia *sciens* debet firmus remanere in assensu ejus, quod scit. Atqui si aliquid contrarium principiis magis crederet, quam principia, posset recedere ab assensu principiorum, et consequenter ab assensu conclusionum. Ergo... (2)

ARTICULUS II.

De propositione immediata et per se nota.

189. Quamquam otiosum forte alicui videatur disputationem de immediata propositione, quam sæpius in superioribus commemoravimus, iterum nunc instituere; usus tamen doctrinæ hujus ad varias quæstiones tum in Philosophia, tum etiam in ipsa Theologia, necessariæ, suadet nobis, ut illam, expositis antiquorum sententiis fusiori calamo exponamus.

Quid propositio immediata.

Propositio ergo immediata est, quæ *medio caret, unde probetur*, seu qua non est alia prior, per quam demonstrari possit a priori, vel brevius, illa quæ nequit a priori demonstrari. Et ratio denominationis ac descriptionis hujus est, quia *quandocumque aliqua propositio est mediata, id est, habens medium, per quod demonstretur prædicatum de subjecto, oportet, quod priores ea sint propositiones, ex quibus demonstretur. Nam prædicatum conclusionis per prius inest medio, quam subjecto, cui etiam per prius inest medium quam prædicatum. Relinquitur ergo, quod illa propositio, qua non est altera prior, sit immediata* (3). Verum hæc magis patebunt inferius.

(1) S. Thom., lib. 1.° *Posterior.*, lect. 6, paragr. *d*.

(2) Vide Aristot., lib. 1.° *Posterior.*, cap. 2, fin., ejusque Commentatores.

(3) S. Th., lib. 1.° *Posterior.*, lect. 5 initio.

Quid propositio per se nota.

Ad investigandam autem rationem propositionis *per se notæ*, observandum in antecessum est: 1.° *propositionem per se notam* non dici præcise, quia *actu per se cognoscitur*, sed quia per se *cognoscibilis* est. Sicut objectum *evidens* dicitur ex eo, quod manifestabile sit. 2.° Propositio trifariam accipi potest: α) pro enuntiatione orali, seu expressione interni judicii verbis facta, et sic dicitur propositio *vocalis:* β) pro mentali actu affirmandi aut negandi unum de alio, et vocatur *formalis:* γ) pro ipso enuntiabili objectivo, seu pro reali et objectiva connexione terminorum, quæ per formalem propositionem affirmatur, et nomen sortitur *objectivæ propositionis*. Et nomine propositionis per se notæ, quæ hic venit declaranda, non intelligitur proprie *formalis* nec *vocalis*, sed primo et potissimum objectiva. Nam «de eo dicitur per se notum, cui competit per se cognosci. Sed cognosci primo et per se convenit rebus, propositionibus autem formalibus secundario et ratione rerum» (1). Quamquam denominatio hæc deinceps extendatur ad formalem atque oralem propositionem, utpote quæ signa sunt propositionis objectivæ (2).

Notanda.

Definitio propositionis per se notæ.

Hisce præhabitis, propositio per se nota describi potest, ex communissima sententia: *propositio cognoscibilis ex suis tantum terminis* (intellige cognitione plena et perfecta); nimirum illa propositio, quæ ut cognoscatur et affirmetur, sufficit rite apprehendere terminos vel extrema, vel cujus assensus paritur ex sola terminorum notitia. *Propositiones per se notæ sunt*, inquit Angelicus, *quæ statim, notis terminis, cognoscuntur, ut dicitur* 1.° *Posteriorum* (3).

Ratio vero definitionis est, quia propositio dicitur *per se nota* per oppositionem ad propositionem *per aliud notam*. Atqui per aliud cognoscitur illa propositio, cui ut possimus assentiri, non sufficit terminos ejus rite intelligere ac penetra-

(1) Conimbric., lib. 1.° *Posterior.*, cap. 3, quæst. 2, art. 2.

(2) Vide P. Christophor. Gillium, *De sacra scientia* et *de Deo*, lib. 1, tract. 8, cap. 2, n. 1; Conimbric., lib. 1.° *Posterior.*, cap. 3, q. 2, a. 2; Dominic. Sotum, lib. 1.° *Posterior.*, cap. 2 et 3, quæst 2, ad argum. 9.um, ubi res fuse et optime declaratur.

(3) Lib. 4.° *Metaphysicor.*, lect. 5, fin.

re, sed recurrendum est ad aliud medium vel motivum, quod identitatem objectivam extremorum aut repugnantiam patefaciat.

Ex quo jam vides propositionem *per se notam* esse immediatam vel primam, atque adeo indemonstrabilem a priori, quemadmodum statim amplius patebit.

Non est contra rationem propositionis immediatæ vel per se notæ, quod demonstrari possit indirecte, vel etiam a posteriori.

Probe autem nota non esse contra rationem propositionis per se notæ vel immediatæ, quod demonstrari possit indirecte seu ex absurdo, vel etiam a posteriori. Quod enim aliquid cognosci etiam possit ex effectibus ejus, aut per argumenta indirecta non destruit cognoscibilitatem, qua potitur, ex sua propria natura. Et sic nullum est principium, quantumvis evidens, quod nequeat declarari etiam ex absurdis, quæ, nisi illud admittatur tamquam verissimum, consequerentur (1).

Divisio propositionis per e notæ in per se notam secundum se et quoad nos:

190. Celebris est divisio propositionis per se notæ, in *per se notam secundum se dumtaxat, et per se notam quoad nos*. Per se nota secundum se dicitur illa, quæ in se quidem immediata est, atque adeo, quantum est de se, perfectissime cognoscibilis terminos penetranti, non tamen de facto cognoscitur, quia non apprehenduntur, nec penetrantur termini: tales sunt v. g. hæ propositiones: *Deus existit: Anima humana est spiritualis* etc. Per se autem nota quoad nos (vel tum secundum se, tum quoad nos) est illa, quæ non solum est in se immediata, sed etiam talibus terminis constat, qui ab omnibus clare ac perfecte apprehenduntur penetranturque; et consequenter ab omnibus etiam de facto cognoscitur: hujusmodi sunt omnia axiomata. Quæ divisio sic ab Angelico Doctore describitur. *Quarumdam propositionum termini sunt tales, quod sunt in notitia omnium, sicut* **ens** *et* **unum** *et alia, quæ sunt entis, in quantum ens, nam ens est primâ conceptio intellectus. Unde oportet, quod tales propositiones, non solum in se, sed etiam quoad nos, quasi per se notæ habeantur: sicut quod* **non contingit idem esse et non esse**, *et quod* **totum est majus sua parte**,

(1) Cf. Albertum M. 1.a Part. *Summæ*, quæst. 17; Cardin. Cajetan. in 1 p. q. 2, art. 1, paulo post init.; Conimbr. in lib. 1.um *Posterior.*, cap. 3. quæst. 2, art. 1; Christophor. Gill., Op. cit. cap. 2; Rubium, lib. 1.o *Poster.*, cap. 2, quæst. 2, n. 14.

et similia... Quædam vero propositiones sunt immediatæ, quarum termini non sunt apud omnes noti. Unde, licet prædicatum sit de ratione subjecti, tamen, quia definitio subjecti non est omnibus nota, non est necessarium, quod tales propositiones ab omnibus concedantur (1). *Sicut ista propositio:* **Homo est rationalis,** *est per se nota secundum sui naturam, quia qui dicit hominem, dicit rationale: et tamen ignoranti, quid sit homo, hæc propositio non est per se nota* (2).

a multis reprehenditur.

Hanc tamen divisionem alii reprehendunt, quia nolunt agnoscere propositiones, quæ sint per se notæ solum secundum se; alii autem, quia præter duo illa genera volunt tertium obtrudere propositionum per se notarum dumtaxat quoad nos, earum nempe, quæ, quamvis non sint immediate secundum seipsas, nec cognoscibiles ex suis tantum terminis, tamen cognoscuntur a nobis sine medio. Et hujusmodi dicuntur esse istæ propositiones: *Petrus existit: Hæc charta est alba;* quæ, quamvis non sunt cognoscibiles ex terminis, siquidem nec existentia convenit Petro ex sua natura, nec chartæ albedo, sed pure contingenter; nihilominus ex sola sensuum relatione a nobis cognoscuntur absque ullo medio ac discursu. Necesse est ergo videre, quid dicendum sit de istis duabus sententiis, ac proinde utrum admittenda sit cum S. Thoma prædicta illa bimembris divisio propositionum per se notarum.

Quale medium excludat propositio immediata.

Quæ controversia proponi quoque potest sub aliis terminis. Nam medium, quod dicuntur excludere propositiones per se notæ atque immediatæ, duplex excogitari potest, *in essendo* et in *cognoscendo*. Medium in essendo est causa vel ratio, cur prædicatum a parte rei convenit subjecto; medium autem in cognoscendo est causa vel ratio, quæ facit nos cognoscere, quod prædicatum conveniat subjecto. Quæ duo media sæpe diversa sunt, quia, licet quandoque res cognoscamus ex causis, sæpe tamen e converso res cognoscimus ex effectibus, quod cum evenit, medium cognoscendi non coin-

(1) 1. 2. q. 94, art. 2. Cfr. 1 p. q. 2, art. 1; lib. 1.° *Cont. Gent.*, cap. 11; *de Verit.* q. 10, a. 12; 1.° Dist. 3, quæst. 1, art. 2; Lib. 4.° *Metaphysicor.*, lect. 5, fin. etc.

(2) S. Thom. 1.° *Posterior.*, lect. 5, paragr. *e*.

cidit cum medio essendi, seu ratio et medium ostendens nobis convenientiam prædicati cum subjecto, non est ipsa causa vel ratio intrinseca, propter quam subjecto tale prædicatum convenit.

Quæritur ergo nunc, qualenam istorum mediorum excludat propositio, quæ *immediata* dicitur vel *per se nota:* sufficitne primo, ut excludat medium in cognoscendo, licet habeat medium in essendo? et sufficitne secundo, ut excludat medium in essendo, quamvis nequeat nobis manifestari sine aliquo medio in cognoscendo? an vero utrumque hoc medium excludere debet, ut propositio dicatur sitque vere immediata et per se nota? Si sufficit, ut excludat medium dumtaxat in cognoscendo, dabuntur propositiones per se notæ solum quoad nos, ac proinde propositiones, etiam prorsus contingentes, dummodo per sensus innotescant, dici poterunt immediatæ. Si vero utrumque medium excludere debet propositio per se nota, non erunt admittendæ propositiones per se notæ dumtaxat secundum se. Si denique sufficit, ut excludat medium in essendo, necesse erit agnoscere propositiones per se notas tantum secundum se, atque adeo amplectenda erit bimembris illa divisio propositionis per se notæ.

Duæ quæstiones agitandæ.

Ut ergo de illà divisione judicare possimus, duæ sunt hic nobis agitandæ quæstiones; prima, utrum propositio dici possit *per se nota* vel immediata ex eo solum, quod excludat medium in cognoscendo, licet habeat in essendo, atque adeo; utrum admittendæ sint propositiones *per se notæ* tantummodo quoad nos; secunda, utrum ad rationem propositionis per se notæ vel immediatæ satis sit, ut excludat medium in essendo, seu utrum admitti possint propositiones per se notæ tantum secundum se, licet non sint per se notæ quoad nos.

Opiniones circa primam quæstionem.

191. **Quoad primam harum quæstionem,** sunt plures auctores, qui censent, ad rationem propositionis per se notæ atque immediatæ sat esse, si careat medio cognitionis, licet habeat medium in essendo: et sic propositiones omnes, quæ sola experientia cognoscuntur, ut hæ: *Petrus existit: Hæc charta alba est,* licet non careant medio in essendo, esse tamen immediatas, quia a nobis cognoscuntur sine medio.

Ita sentiunt Philopponus ac Themistius (1), Sylvester (2), Cajetanus (3), Toletus (4), Valentia (5), Arriaga (6) aliique.

Probatur hæc opinio: 1.° ex usu modoque loquendi, satis nostris temporibus communi: nam illæ solent intelligi propositiones per se notæ, quæ sine discursu ac demonstratione nobis patefiunt. Atqui talia sunt, quæ solius experientiæ ope pronuntiantur.

Et confirmatur etiam ex auctoritate Philosophi (7) ac S. Thomæ (8), qui reprehendunt eos, qui existentiam naturæ volunt demonstrare, siquidem *naturam... esse, est per se notum; in quantum naturalia sunt manifesta sensui*, ut loquitur Angelicus.

Probatur 2.° Quia propositio per se nota illa tandem est, quæ non cognoscitur per aliud, seu ex medio aliquo extrinseco. Atqui, quæ sola experientia patent, certe non videntur cognosci medio extrinseco.

Communior et probabilior sententia

Verum communior est opposita sententia, statuens ad rationem propositionis per se notæ requiri, ut excludat medium quoad rem ipsam, seu ut sit indemonstrabilis a priori, ac proinde propositiones sensu cognitas, non *proprie* posse vocari per se notas. Ita loquuntur Scotus (9), Dominicus Sotus (10), Ferrariensis (11), Molina (12), Suarez (13), Conimbricenses (14), Gillius (15), Tanner (16), Joannes a

(1) Apud Conimbric., loc. cit., q. 2, art. 1, paulo post init., *Ex hac animadversione.*

(2) In *Conflato*, q. 2, a. 1, apud Gillium loc. cit.

(3) In lib. 1, *Posterior*, cap. 3, apud Gillium et Conimbricenses, 1.° *Post.*, c. 3, q. 2, a. 2 in fin.

(4) In primam part. D. Thom., q. 2, a. 1, *Notandum est 3.°*

(5) In 1.am part. disp. 1, q. 2, punct. 1, *Jam probatur eadem major.*

(6) *Curs. Philos., Logic.*, disp. 16, sect. 4, n. 63.

(7) 2.° lib. *Physicor.*, cap. 1, text. comm. 6.

(8) Ibid. lib. 2.°, lect. 1, paragr. *e.*

(9) 1.° Sent. disp. 2, q. 2.

(10) In lib. 1.° *Posterior.*, cap. 2 et 3, q. 2, *ad Nonum argum.*

(11) In 1.um *Contr. Gent.*, c. 11, *Sed occurrit dubium.*

(12) In 1 p. q. 2, art. 1, fin., *Illud in hoc articulo.*

(13) Disp. 29, *Metaph.*, sect. 3, n. 33.

(14) In 1.um *Poster.*, loc. cit.

(15) *De Sacra Scient. et de Deo*, lib. 1, tract. 8, cap. 2, n. III.

(16) *Theolog. Scholast.*, t. 1, *De Deo*, disp. 2, q. 1, dub. 2, n. 11.

S. Thoma (1), Mastrius (2), Complutenses (3), Lossada (4) aliique plures.

Et idem sensisse creditur S. Thomam, cum hæc scripsit: *Esse in nullius creaturæ ratione perfecte includitur, cujuslibet enim creaturæ esse est aliud ab ejus quidditate; unde non potest dici de aliqua creatura, quod eam esse* **sit per se notum et secundum se.** (5)

Inter has duas sententias

Secunda nobis probabilior videtur, quamquam disceptatio sit de modo loquendi.

propugnatur. **Probatur 1.°** Quia cum sermo est de propositionibus per se aut per aliud notis, intelliguntur, ut jam superius monuimus, *propositiones objectivæ*, non autem formales aut orales, illæ quippe sunt per se notæ, quæ statim cognitis terminis, (non certe oralibus vel formalibus, sed objectivis seu rebus per illos significatis) cognoscuntur ac pronuntiantur. Atqui propositio objectiva, quæ in se medium habeat, licet a nobis per intuitionem atque experientiam apprehendatur, nequit dici proprie ac simpliciter *per se nota*.

Nam particula illa *per se* non refertur ad subjectum cognoscens, nec ad ejus cognitionem, sed ad ipsum enuntiabile objectivum, et significat illud *ratione sui* et ex propria extremorum suorum conditione perfecte cognoscibile esse, quia nimirum veritas ejus et connexio extremorum non pendet ex alio. Atqui propositiones medium in se habentes, licet per experientiam ac sine discursu cognoscantur, non sunt ex suis terminis perfecte cognoscibiles; imo nequeunt perfecte cognosci, donec cognoscatur illud medium, a quo pendet tamquam a sua ratione sufficiente, quod prædicatum conveniat subjecto. Ergo...

Prob. 2.° Experientia et cognitio sensibilis, quantumvis clara et intuitiva, semper est extrinseca ipsi enuntiabili. Ergo si enuntiabile solum cognoscitur et affirmatur propter experientiam, revera non cognoscitur *per se*, sed per aliud ipsi

(1) *Curs. Philos., Logic.*, quæst. 25, a. 2, ad 1.um *difficultatem.*
(2) *Log.*, disp. 13, quæst. 3, n. 51.
(3) *Dialect.*, disp. 18, q. 1, n. 8.
(4) *Log.*, tract. ult., disp. 2, cap. 1, n. 11.
(5) *De Verit.*, q. 10, art. 12.

penitus extrinsecum, ac proinde sola experientia nequit efficere *per se* notam propositionem illam, quæ in se medium habeat quoad esse.

Maneat ergo ex communiori ac verisimiliori modo loquendi, ad rationem propositionis per se notæ non sufficere ut de facto cognoscatur aliquo modo sine discursu propter solam experientiam, sed requiri omnino, ut vacet medio in essendo, seu sit indemonstrabilis a priori.

Et per hæc, patet solutio rationum, quas pro prima sententia adduximus: qua de re videndi sunt Conimbricenses (1).

Opiniones circa alteram quæstionem.

192. **Succedit nunc altera quæstio,** an ad rationem propositionis per se notæ sufficiat eam carere medio quoad esse, licet forte cognosci a nobis nequeat sine medio cognitionis.

Negant Scotistæ cum Subtili Doctore (2), et Nominales cum Gregorio Ariminensi (3), ac Gabriele Biel (4), contendentes propositionem ad hoc, ut sit per se nota, debere carere utroque medio, tum quoad esse, tum quoad cognitionem nostram, ita ut ex sola terminorum rite apprehensorum intelligentia cognosci ab omnibus possit atque affirmari: unde revera identificant propositionem per se notam cum *axiomatibus* seu dignitatibus.

Communior et probabilior sententia

At vero S. Thomas (5), Hervæus (6), Capreolus (7), Durandus (8), Sylvester (9), Cajetanus (10), Ferrariensis (11), Sotus (12), Bañez (13), Joannes a S. Thoma (14), Richar-

(1) Loc. cit. q. 2, a. 2., vers. fin.
(2) 1.° Dist. 2, q. 2, paragr. *Quoniam secundum Philosophum...*
(3) 1.° dist. 2, quæst. unic.
(4) 1.° dist. 3, quæst 4.
(5) 1. p. q. 2, a. 1, cæterisque locis superius citatis in num. 190; *contra Gent.* lib. 1, cap. 11; *de Verit.* q. 10, a. 12; 1.° dist. 3, q. 1. art. 2 etc.
(6) 1.° dist. 3, q. 2, paragr. *Et ideo.*
(7) 1.° dist. 2, q. 2, a. 1.
(8) 1.° dist. 3, q. 3, a. 5.
(9) *Conflato*, quæst. 2, a. 1.
(10) In 1. p. q. 2, a. 1.
(11) In lib. 1. *Contra Gent.*, c. 11.
(12) In lib. 1. *Posterior.*, cap. 2, 3. q. 2, ad argument. 9.um
(13) In 1. p. q. 2, a. 1.
(14) *Curs. Philosoph., Logic.* quæst. 25, a. 2, ad 1.am difficultatem.

dus (1), Complutenses (2), Molina (3), Toletus (4), Suarez (5), Valentia (6), Vazquez (7), Gillius (8), Tanner (9), Arriaga (10), Rhodes (11), Izquierdo (12), Compton (13), Rubius (14), Lossada (15), aliique arbitrantur ad rationem propositionis per se notæ sufficere, ut in se non habeat medium quoad esse, sive interea nobis manifesta sit per seipsam, seu ex ipsis terminis, sive non.

defenditur. Quamquam hæc etiam controversia potius est de modo loquendi, ut jam plures notarunt, nihilominus

Placet nobis secundam longe communiorem sequi sententiam.

1.° Quia propositio per se nota est ea, quæ cognoscibilis sit ex suis tantum terminis, ex communissime admissa superiusque declarata definitione. Atqui omne enuntiabile carens in se medio quoad esse, per quod a priori demonstretur, quantum est de se, perfecte cognoscibile est ab omnibus, terminorum seu extremorum vim satis percipientibus, licet interea non possit in notescere statim alicui vel etiam omnibus, quia non capiunt eorum significationem.

Enimvero quod termini actu penetrentur a nobis vel non, per accidens se habere videtur ad perfectam rei in se cognoscibilitatem siquidem terminorum penetratio et intelligentia est aliquid pure externum, nihilque ponit intrinsecum in propositione, ut eam efficiat ex non cognoscibili perfecte cognoscibilem.

---

(1) 1.° dist. 3, a. 1, quæst 2.
(2) *Dialect.*, disp. 18, q. 1, n. 7,
(3) In 1.am part. q. 2, a. 1.
(4) Ibid.
(5) Disp. 29 *Metaph.*, sect. 3, n. 33.
(6) In 1. p. disp. 1, q. 2, punct. 1.
(7) In 1. p. q. 2, a. 1.
(8) Loc. cit.
(9) Loc. cit. *de Deo*, disp. 2, dub. 2.
(10) *Logic.*, disp. 16, sect. 4, n. 63.
(11) *Philos. Perit.*, *Logic.*, disp. 5, quæst. unic. sect. 7.
(12) *Pharus scient.*, disp. 18, q. 8, n. 319.
(13) *Curs. Philos.*, *Logic.*, disp. 48, sect. 4, n. 3.
(14) In lib. 1.um *Posterior.*, cap. 3, quæst. 2, fin.
(15) *Logic.*, tract. ult., disp. 2, cap. 1, n. 16.

2.° Nomine propositionis per se notæ intelligenda est propositio objectiva, ut jam sæpius monuimus. Atqui objectiva propositio, sive termini ejus clare actu percipiantur sive obscure, dummodo medio in se careat, non desinit esse perfecte cognoscibilis ex sese, et sine recursu ad aliud.

Nam apprehensio terminorum clara non est tandem *medium*, quod propositionem ipsam reddat cognoscibilem, sed mera conditio, ut actu cognoscatur; et quando actu clare apprehenduntur termini ex suis propriis meritis, ex sua objectiva et ontologica ratione determinant cognitionem propositionis, seu mutuam sui connexionem, quia nullum inter eos medium intercedit. At vero eamdem illi retinent objectivam et ontologicam rationem perfectissime invariatam, etiamsi nondum clare ob ingenii nostri tarditatem penetrentur. Ergo si cum clare percipiuntur termini, propositio in se immediata rationem certe habet propositionis per se notæ, fatentibus omnibus; idem etiam est dicendum, licet termini non clare apprehendantur, quia etiam tunc habet in se propositio illa totum, quod requiritur, ut sine recursu ad medium alienum a se perfecte possit cognosci.

Confirmatur ex dictis in præcedenti propositione. Nam si ad rationem propositionis per se notæ non sufficit, ut actu cognoscatur sine medio, nempe solius ope experientiæ, si medium in essendo habeat; ergo a pari non requiritur, ut præcise cognosci a nobis actu possint clare termini, dummodo propositio in se medio vacet. Intima quippe rei ratio in utroque casu eadem est, nimirum impossibilitas vel possibilitas propositionem seu connexionem vel repugnantiam terminorum perfecte cognoscendi, quin prius necesse sit aliquid aliud, medium nimirum, cognoscere.

Hinc vides, quomodo radix hujus controversiæ dissensionisque reposita sit in diversa propositionis per se notæ intelligentia, ut bene notarunt Capreolus, Sotus, Suarez, Conimbricenses aliique. Nam Scotistæ nomine propositionis ac terminorum accipiunt propositionem ac terminos formales: et quia tunc solum propositio mentalis seu formalis ex sola terminorum apprehensione ponitur, cum apprehensiones actu claræ sunt atque evidentes, quando vero sunt obscuræ non determinatur intellectus ad ponendum actum formalem men-

tis judicantis connexionem terminorum, consequenter postulant ad rationem propositionis per se notæ notitiam ac penetrationem eorumdem. Sed jam notavimus propositionem ac terminos intelligendos esse objective (1).

Adversus hanc doctrinam.

Solvuntur difficultates contra veriorem doctrinam.

193. **Objicies 1.°** Propositio per se nota est ea, quæ ex suis tantum terminis cognoscitur, vel cognoscibilis est. Atqui propositio, quæ habet medium in cognoscendo, licet non habeat in essendo, non cognoscitur ex suis terminis, sed ex terminis alterius. Ergo...

Resp. *dist.* Maj. Est ea, quæ cognoscitur, vel cognoscibilis est ex suis terminis objectivis, *conc.*, formalibus *neg.*

Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 2.° Propositio per se nota est illa, quæ in quovis intellectu evidentem gignere potest assensum, sine alio motivo. Atqui talis non est propositio, quæ licet medium non habeat quoad se, indiget tamen pro nobis medio in cognoscendo. Ergo...

Resp. *dist.* Major. Est illa, quæ in quovis intellectu evidentem gignere potest assensum, dummodo termini rite intelligantur ac sufficienter penetrentur, *conc.*, est illa, quæ in quovis omnino intellectu evidentem gignere potest assensum, quatenus illam nullus possit esse intellectus, qui actu non percipiat penetretque terminos illius, *neg.*, vel *subdist.;* illa est propositio per se nota *quoad nos*, *conc.*, absolute, seu talis est conceptus genericus propositionis *per se notæ*, *neg.*

Nam duplex distinguitur propositio per se nota, *secundum se* tantummodo, et *quoad nos*, ut jam dictum est. Quod vero termini alicujus propositionis debeant omnibus actu innotescere, ut ita possit ab omnibus sine medio cognitionis illa propositio affirmari, requiritur solummodo ad propositionem per se notam quoad nos, non vero ad rationem propositionis per se notæ generatim sumptam, quæ ex eo jam plene constituta manet, quod non habeat medium in se, nec possit a priori demonstrari, quamvis deinde actu non cognoscatur, nisi dependenter a sufficienti terminorum apprehensione ita, ut sicut nemini patefit, si terminos ignoret,

(1) Cfr. Conimbricenses, loc. cit., art. 2.

sic omnibus patefieri necessario debeat, ac perfectissime nota reddi, statim ac termini rite penetrentur.

Objic. 3.° Idem nequit esse per se notum, et non per se notum. Atqui id sequeretur, nisi propositio per se nota excludat medium etiam cognitionis. Propositio enim solum excludens medium quoad esse, foret per se nota, quia talis supponitur; non autem foret per se nota, quia non posset cognosci sine medio cognitionis, ideoque per aliud.

Resp. *conc.* Major. et *neg.* Minor. Et hujus probationem *dist.* quoad alteram partem: non posset cognosci ex defectu perfectæ cognoscibilitatis in se, *neg.*, ex ignorantia terminorum *conc.*

Nam «negandum rem confuse cognitam non esse aptam clare cognosci, etiam dum ita cognita est: non quod sub illa ratione confusa objecta intellectui, possit clare objici, id enim repugnat; sed quia ita sumpta, est de se apta objici conceptibus evidentibus, et per eos per se cognosci. Tota igitur vis opinionis, quam sequimur, in eo est, quod res non habens a parte rei medium distinctum, non accipit ab intellectu, ut hoc vel illo modo cognoscatur, sed a se habet, ut a potentia perfecta clare percipiatur absque ullo medio termino, sitque cognoscibilis, quantum ad rationem per se notæ propositionis exigitur» (1).

Objic. 4.° Propositio etiam objectiva ordinem habet ad intellectum, a quo apprehendatur. Ergo vel termini, quibus constat, apti sunt ad causandum per se assensum, vel non. Si apti sunt, jam propositio illa per se nota est, tum quoad se, tum quoad nos. Si autem non sunt apti, nullo modo est per se nota.

Resp. *conc.* antec. et conseq., et *dist.* primum membrum subsumptæ. Si apti sunt, et satis etiam penetrantur, *conc*, si apti quidem sunt, quantum est de se, non autem sufficienter penetrantur, *neg.*

Alterum etiam membrum *distinguo;* si apti non sunt ex eo solum, quod non penetrentur, *neg.*, ex eo quod dependent ab aliquo medio a parte rei, *conc.*

Et *nego* conseq. Vide plura de his apud Conimbricenses (2).

(1) Conimbricenses, loc. cit., q. 2, a. 2, fin. paragr. *Unde in prima responsione Scoti...*

(2) Loc. cit. art. 1 et 2.

Quæ cum ita sint, amplectendam esse ducimus cum communiori sententia divisionem illam propositionis in per se notam secundum se, et per se notam quoad nos.

Quænam propositiones in numero per se notarum recensendæ.

194. **Jam si quæras**, quænam propositiones in numero per se notarum habendæ sint, facilis est responsio. Nam 1.° Omnis propositio *identica* est per se nota, tum quoad se, tum quoad nos, ut patet. 2.° Omnis propositio, in qua prædicatum est de ratione subjecti, vel exprimit totam hujus essentiam vel partem, est per se nota, saltem secundum se, sive sit, sive non sit per se nota etiam quoad nos. 3.° Per se notæ pariter sunt propositiones negativæ, quarum extrema sunt primo et se totis diversa, quales sunt hæ: *Substantia non est quantitas; Rationalitas non est irrationalitas*, etc. Quia in primo diversis nihil est, quod sive in se, sive etiam quoad nos, sit prius ac ratio diversitatis, cum nihil habeant commune, sed se totis diversificentur. 4.° Propositiones disjunctivæ conflatæ ex membris contradictoriis sunt per se notæ, tum quoad se, tum quoad nos; ut hæc: *Petrus vel currit, vel non currit*. Ratio, quia ex seipsis evidentes sunt, nec demonstrari a priori queunt.

Dices, hujusmodi propositiones demonstrari ex principio exclusi medii, aut etiam contradictionis.

Respondeo, demonstrari quidem illas per hujusmodi principia *indirecte*, non vero *directe* et a priori, nimirum per causam.

Utrum vero et quomodo propositio in qua prima passio vel proprietas prædicatur de subjecto, sit per se nota, controvertitur. Affirmant Cajetanus (1), Gillius (2), Conimbricenses (3), Ferrariensis (4), Joannes a S. Thoma (5), Complutenses (6), Sotus (7), aliique cum S. Thoma (8). Negant autem Mastrius et alii (9).

---

(1) 1.° *Posterior.*, cap. 2, 3.
(2) Loc. cit.
(3) Loc. cit., art. 3.
(4) In lib. 1.um *Contra Gent.*, c. 11, paragr. *Sed occurrit dubium.*
(5) *Logic.*, quæst. 25, a. 2, fin.
(6) Loc. cit.
(7) Loc. cit.
(8) 1.° *Posterior.*, lect. 36, paragr. *f.*
(9) *Logic.*, disp. 3, q. 3, n. 50.

Et videtur dicendum propositionem hujusmodi esse quidem in seipsa per se notam, quamvis non sit per se nota quoad nos.

Prima pars patet, quia prima passio immediate fluit ac necessario ab essentia subjecti: unde nihil est medium quoad rem ipsam inter illam et subjectum, de quo prædicatur, per quod demonstrari a priori possit. Sed sufficit cognoscere subjecti essentiam, ut illico patefiat convenire ipsi talem passionem vel proprietatem.

Secunda pars patet etiam. Quia sæpe ignoratur essentia subjecti, et præterea nescitur num illi conveniat certa proprietas, donec afferatur pro medio definitio subjecti, ex qua statim manifestatur ejusmodi propositio primam passionem enuntians de subjecto. Ut si quis ex eo manifestet hominem esse disciplina capacem, vel admirativum, qua est animal rationale.

Vide Conimbricenses qui fuse de hac de re disputant (1).

COROLLARIUM. Hinc vides, quando Angelicus Doctor propositionem per se notam dixit esse illam, in qua prædicatum includitur in ratione subjecti, vel esse de ratione subjecti (2), non locutum esse in sensu exclusivo, quasi nullam aliam censeret esse per se notam; sed voluisse tantum docere illas certe propositiones, in quibus prædicatum spectet ad rationem vel essentiam subjecti, esse per se notas, quin negaret interea posse quoque alias dari per se notas propositiones, quemadmodum vidimus.

Et sic exponunt mentem Angelici Capreolus (3), Cajetanus (4), Ferrariensis (5), Toletus (6) et Gillius (7).

---

(1) Loc. cit. art. 3.

(2) 1 p. q. 2, a. 1, et locis supra citatis.

(3) 1.ª dist. 2, q. 2, a. 2, *Ad argumenta contra primam conclusionem.*

(4) 1 p. q. 2, a. 1, *Circa hanc partem sunt multa dubia.*

(5) Loc. cit., *Possumus.*

(6) In 1 p. q. 2. a. 1.

(7) Loc. supr. cit.

CAPUT II.

DE EXISTENTIA PRIMORUM PRINCIPIORUM INDEMONSTRABILIUM.

Prima principia considerari possunt vel in actuali assensu, vel in habituali seu secundum habitum et facilitatem illa pronuntiandi. Quare sub utralibet consideratione vindicanda est illorum existentia.

ARTICULUS I.

Utrum admittenda sint aliqua prima principia, simpliciter indemonstrabilia seu propositiones per se notæ.

Status quæstionis.

195. Proprium est principiorum generatim, ut non demonstrentur, saltem in ea scientia, in quæ munus principiorum exercent. Quæ, si absolute demonstrabilia sint a priori, propterea quod habeant, medium in essendo, diximus vocari *principia indemonstrabilia secundum quid*, si vero medio in essendo careant, esse indemonstrabilia *simpliciter*. Quæret quispiam nunc, utrum dentur ulla principia vere prima, quæ nempe cognoscantur sine ulla demonstratione, sed ex suis tantum terminis rite penetratis patescant.

Quinam negaverint dari prima principia simpliciter indemonstrabilia: Sceptici,

Id enim duplex hominum genus negavit. Primo enim Pyrrhonici et Sceptici (1) negarunt quidpiam certo cognosci posse sine demonstratione: unde non solum negarunt principia prima, sed consequenter etiam omnem scientiam proprie dictam, quæ nempe fit per demonstrationem, omnemque certitudinem de medio sustulerunt. Si enim nullum sit

(1) Apud. Conimbricens., In 1.um *Posterior.* cap. 3, in Commentario, initio.

principium, in quo sistat demonstratio, procedendum erit in infinitum in probatione cujuslibet propositionis. Cum autem infinitum pertransiri nequeat, nec ulla conclusio tamquam certa admittatur, donec finis fiat in demonstrando; consequens est, ut negatis primis principiis, quorum non habeatur ulterior demonstratio, pereat omnis certa cognitio et scientia.

patroni demonstrationis circularis.

Alii conveniunt cum primis in eo, quod nihil sciri quomodolibet aut cognosci putant sine demonstratione; nihilominus contendunt principia certo cognosci posse per demonstrationem circularem, per quam et conclusiones ex principiis, et principia ex conclusionibus vicissim probentur (1).

Quid circulus in probationibus.

Vocatur enim *circulus* in probationibus progressus a principiis ad conclusiones, et regressus a conclusione ad principia, assumendo nempe principia vel præmissas ad probandam conclusionem aliquam, quæ vicissim assumitur ad probanda ipsa principia. Id autem bifariam fieri potest: primo, regrediendo a conclusione ad eadem quidem principia, sed sub diversa formali ratione seu medio: ut si ex effectibus creatis probes existentiam causæ primæ, et mox ex notione causæ primæ penitius notæ, redeas ad illustrandam perficiendamque cognitionem ipsarum creaturarum. Et hic circulus vocatur *materialis*, non vero *formalis*, quia extrema talis argumentationis, quæ invertuntur assumendo pro principiis, id quod prius fuit conclusio ex illis probata, licet sint eadem *materialiter*, non tamen *formaliter;* quia cum ex cognitione Dei v. g. vis illustrare ac perficere notitiam creaturarum, non uteris *sola* illa cognitione Dei, quam ex creaturis hausisti, non enim posset illa juvare ad melius manifestandas creaturas, cum non aliam contineat lucem præter illam, quam ex prævia earum cognitione derivaverat; sed uteris alia cognitione causæ primæ præstantiori, quam ex accuratiori meditatione novisque ratiociniis comparasti, independenter ab effectibus creatis. Unde revera medium probationis distinctum est, quia ex natura entium creatorum probatur causa prima, et ex causa prima, quatenus infinite perfecta et sapienti, (quæ cognitio haberi potest, quin probetur ex ipsis effectibus creatis)

Duplex circulus: alter materialis, vel difformis vel imperfectus;

(1) Vide Arist., ib. lib. 1.° *Posterior.*, cap. 3, initio.

alter formalis, vel uniformis vel perfectus, qui continet petitionem principii

demonstratur mox a priori perfectio ipsius mundi. Alter est circulus *formalis*, in quo fit a conclusione regressus ad principia eadem, non solum materialiter, sed etiam formaliter, quia nempe medium vel ratio probandi est idipsum, quod prius ex principiis fuit cognitum, ut si probare velis intellectum esse facultatem immaterialem, quia operationis immateriales elicit; et mox contra negantem immaterialitatem operationum intellectualium probes intellectum operari immaterialiter, quia immaterialis facultas est. Circulus materialis vocari etiam solet *difformis* vel *imperfectus;* et formalis, *uniformis* vel *perfectus;* et continet petitionem principii.

Jam ut duplex hic modo explicatus error excludatur, sit:

196. PROPOSITIO 1.a **Repugnat demonstratio circularis formalis; non autem materialis, quæ vitiosa non est.**

Demonstratio circularis formalis vitiosa est;

Probatur prima pars, ab Aristotele (1) tribus argumentis, ex quibus duo tantum hic exponemus cum Sylvestro Mauro. «Primo, quia demonstratio.... debet esse ex prioribus et notioribus. Sed non possunt duo esse mutuo priora et notiora, ut patet. Ergo non possunt duo per se invicem demonstrari: nisi forte unum, quod est per se notius secundum naturam, probetur per se notius nobis. Sed tunc non habetur scientia perfecta, de qua hic agimus» (2).

Probatur secundo, quia in demonstratione circulari id, quod non est per se notum, probaretur et fieret per se notum per seipsum. Patet: nam conclusio probatur et fit nota non solum per præmissas immediatas, sed etiam per præmissas mediatas, ex quibus probantur præmissæ immediatæ. Sed inter præmissas mediatas daretur ipsa conclusio probanda. Ergo conclusio per seipsam probaretur, et fieret nota, atque esset, sicut si diceretur quod A est, quia A est; seu quod est A, si est A.

---

(1) Vide Aristotelem, lib. 1.° *Posterior. Analyticor.*, cap. 3, initio.

(2) Sylvest. Mauri, *Paraphras.*, lib. 1 *Posterior.*, cap. 3. Vide S. Thom. ibid. lect. 8 initio; Tolet., Conimbricens., aliosque Commentatores in citatum locum Philosophi.

Hæc probatio plane convincit, Aristotelem hic agere de demonstratione stricta, de ea nempe, quæ fit ex prioribus simpliciter et secundum se.

«**Explicatur.** Sicut cum A probatur per B, et B per C, A probatur per C; sic cum A probatur per B, et B per A, A probatur per A. Nihil vero refert, an ponantur tres termini vel plures; et an reflexio fiat per plures terminos vel per pauciores» (1).

materialis autem recta.

Probatur secunda pars (2). Quia nihil repugnat aliquid notius secundum se, nobis esse minus notum. Tunc ergo licebit illud per effectus nobis notiores demonstrare a posteriori. Perspecta autem hoc modo una veritate, non repugnat in profundiori ejusdem comprehensione lucem reperire, qua illuminentur aliæ veritates, atque adeo ipsa etiam veritas, ex qua prior cognita primum est, ut patet in exemplo supra posito. Nam, cognita per effectus existentia causæ primæ, facile probatur ipsam esse actum purum, et perfectissimum, talemque, qui in omnibus sapientissime operetur. Ex quo invicte probare poterimus mundum hunc perfectum ordinatissimumque esse.

Et declaratur res amplius, quia nemo jure negaverit, posse duo invicem probari, dummodo unum eorum independenter ab alio innotescat. Atqui hoc est, quod in demonstratione pure materialiter circulari, seu regressiva locum habet. Sane, quod causa prima, si revera detur, debeat esse actus primus, perfectissimus, infinitus etc., cognoscitur independenter a notione vel existentia causarum secundarum. Sicut etiam independenter ab existentia vel notione causarum secundarum innotescit nobis, effectus entis sapientissimi debere esse ordinatissimos, et ad aliquem finem rectum directos. Si ergo ex effectibus creatis ostendas existentiam causæ primæ, ac deinde non jam ex existentia causæ primæ, sed ex ejusdem infinita sapientia, probes ordinem mundanum, revera non idem per idem probas: nec conclusio et principia sunt sub eadem ratione magis et minus nota. Nullum ergo vitium est in hujusmodi argumentatione.

Confirmatur auctoritate Aristotelis, qui non semel circulum hujusmodi pure materialem adhibuit in demonstratio-

(1) Mauri ibid. Cfr. S. Thom. et alii Commentatores, ibid.

(2) Fuse de hac parte disputat P. Cosmus Alamanni in *Summa Philos.* Prima part., quæst. 22, a. 2.

nibus (1); eumdemque communissime admittunt Scholastici (2).

197. PROPOSITIO 2.a **Admittenda sunt aliqua principia per se nota.**

Dantur prima principia per se nota.

Prob. 1.° Ratione S. Thomæ desumpta ex Philosopho. Nisi in demonstrationibus veniendum tandem sit ad aliqua principia immediata, quæque non possint ex alio medio priori cognosci, oporteret *dicere, quod inter duo extrema, scilicet subjectum et prædicatum, essent infinita media in actu; et plus, quod non esset aliqua duo accipere, inter quæ non essent infinita media. Qualitercumque autem media assumantur, est accipere aliquid alteri immediatum. Immediata autem, cum sint priora, oportet esse indemonstrabilia. Et ita patet, quod necesse est haberi aliquorum scientiam sine demonstratione* (3).

Prob. 2.° Quia, nisi principia quædam indemonstrabilia ponantur, necessario ruendum est in scepticismum, negandaque erit omnis certa cognitio, ut initio notabamus. Atqui scepticismus absurdus est, existentia vero certitudinis in mente nostra irrefragabili conscientiæ testimonio comprobatur. Ergo...

Prob. 3.° Denique a posteriori patet propositio in multis exemplis, qualia sunt hæc: *Idem non potest simul esse et non esse; Quidlibet aut est, aut non est; Totum est majus sua parte,* aliaque id genus principia, quæ manifeste carent medio, atque adeo per se ipsa innotescunt, intellectis terminis.

Bene ergo docuit Albertus M. (4), quemadmodum corpora visibilia in duplici sunt differentia, quædam opaca, quæ lumine externo indigent, ut videantur, quædam luminosa,

---

(1) Vide lib. 2.° *Poster.*, cap. 13. Cfr. ib. S. Th., lect 12, initio; lib. 2.° de *Cœlo et mundo*, text. comm. 59. Cfr. ib. S. Th., lect. 16, initio.

(2) Vide Cardin. Cajet. in lib. 1.° *Posterior*, c. 13; Tolet., in lib. 1.um *Posterior.*, c. 3, in *quæstione;* Conimbric. ib. c. 3, quæst. 1; Joann. a S. Thoma, *Logic.*; quæst. 25, a. 3; Mauri, *Quæstion. philosoph.* 1, q. 68; Lossada', *Logic.* tract. 5, disp. 2, cap. 1, n. 18; Alamanni, loc. cit.

(3) S. Th., 1.° *Posterior.*, lec. 7, paragr. *d.*

(4) Tract. 2, cap. 6.

quæ proprio lumine manifestantur, ita etiam propositiones duplicis esse generis, alias, quæ non statim cognoscuntur veræ, quantumvis termini satis penetrentur, sed probatione indigent, alias vero, quæ, statim ac termini ipsi apprehenduntur, absque ullo discursu patefiunt.

Quæ cum ita sint, quando Aristoteles (1) docet dari scientiam non solum conclusionum, sed etiam principiorum, nomen *scientiæ* non adhibuit in sensu strictiori pro cognitione per demonstrationem comparata, sed generalius pro cognitione certa, quæ haberi potest, vel per demonstrationem, ut in conclusionibus demonstratis, vel ex sola terminorum apprehensione, ut in principiis ac propositionibus per se notis (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

198. **Objic. 1.°** In causis datur perfectus circulus. Ergo etiam in demonstrationibus. Consequentia patet, quia demonstratio fit per causas.

Antecedens vero conceditur ab Aristotele, cum docet quasdam esse ad invicem causas, sicut finis et causa efficiens, nam finis movet efficientem, et efficiens ponit in esse finem sæpe. Et ita etiam materia et forma dicuntur sibi causæ vicissim, forma quidem in quantum dat materiæ esse actu, materia vero in quantum sustentat formam (3).

Resp. *neg.* antec. Nam mutua illa dependentia, quam quædam causæ habent, est in diverso genere causæ, quemadmodum diserte notat idem Philosophus. Jam vero in diverso genere causarum nihil vetat, quin aliquid sit prius et posterius, notius minusque notum alio (4).

Objic. 2.° Philosophi in investiganda rerum præsertim physicarum cognitione, circulo usi sunt, ex effectibus prius

---

(1) 1.° *Posterior.*, cap. 3.

(2) Cfr. S. Thom. 1.° *Posterior.*, lect. 7, paragr. *d.*

(3) Vide Arist., lib. 2. *Physicor.*, cap. 30, text. Comm. 30; 5.° *Metaphysicor.*, cap, 2, text. Comm. 2. Cfr. ib. S. Thom., lib. 2 *Physicor.*, lect. 5, paragr. *c;* et 5.° *Metaphys.*, lect. 2, paragr. *c.*

(4) Conimbricens., in lib. 1 *Posterior.*, cap. 3, q. 1, art. 3, ad 1.um Cfr. art. 1, arg. 1.°; et Joann. a S. Thoma, *Logic.*, q. 25, a. 3, ad 1.um

notis ad causarum notitiam assurgentes, et rursus ex causarum cognitione ad cognitionem effectuum descendentes.

Resp. in hoc fieri solummodo circulum materialem, quia causæ ostenduntur ex effectibus demonstratione a posteriori, effectus vero demonstrantur per causam a priori, quæ jam etiam aliunde cognoscatur, vel saltem ea de effectibus probantur per causam, quæ ante causæ cognitionem non innotescebant, vel probantur ex eis rationibus, quæ independenter ab effectuum cognitione aliunde manifestæ fiunt intellectui. Secus enim vitiosus foret circulus (1).

Objic. 3.° Saltem in argumentationibus dialecticis seu probabilibus licere videtur perfectus circulus, siquidem in illis probatio non instituitur ex aliquo notiori, quod sit causa alterius; et sic perinde erit procedere incipiendo a conclusione ad præmissas, vel e converso.

Confirmatur quia Philosophus concedens unam definitionem probari per aliam, quæ rursus per primam probetur, hanc affert rationem, quia illæ probationes dialecticæ sunt, non demonstrativæ (2).

Resp. «Etiam in probabilibus non potest committi circulus formalis; quia licet non procedatur per causam intrinsecam, proceditur tamen a notiori probabiliter ad ignotius probabiliter. Unde si hoc ignotum assumatur in eodem genere probationis ad ostendendum antecedens, sumetur tamquam notius illo. Et sic erit notius et ignotius in eodem genere respectu ejusdem; quod eodem modo repugnat in probabilibus ac in aliis. Si vero conclusio probabilis ex alio capite videatur quam antecedens, jam non erit circulus formaliter et uniformiter; sicut de aliis probationibus dictum est. Et ad locum Philosophi respondeo, non probare circulum formalem in probationibus dialecticis, sed solum comparare probationem unius definitionis per aliam modo probationis dialecticæ quantum ad hoc, quod Dialecticus multiplicat media, quia probabiliter procedit, non autem uno tantum modo utitur, sicut demonstrator. Et

---

(1) Vide Conimbricens. In lib. 1.um *Posterior.*, cap. 3. quæst. 1, art. 3 ad 3.um et art. 2, conclus. 2.a, *Confirmatur.*

(2) Vide Aristot., 2.° *Poster.*, cap. 7, fin.. Cfr. ibid. S. Th., lect. 7, paragr. 6.

ita se habet, qui definitionem alias ex terminis notam per aliam definitionem probat, et e converso» (1).

S. Thomas tamen concedit simpliciter syllogismum dialecticum posse esse circularem, simul negans idem dici posse de syllogismo demonstrativo propter disparem rationem. *Ex his apparet,* inquit, *quare dialecticus syllogismus potest esse circularis: procedit enim ex probabilibus. Probabilia autem dicuntur, quæ sunt magis nota vel sapientibus vel pluribus. Et sic dialecticus syllogismus procedit ex his, quæ sunt magis nota nobis. Contingit autem idem esse magis et minus notum quoad diversos. Et ideo nihil prohibet syllogismum dialecticum fieri circularem. Sed demonstratio fit ex notioribus simpliciter; et ideo, ut dictum est, non potest fieri circularis demonstratio* (2).

Et eadem est sententia Apollinaris et Aegidii Romani apud Conimbricenses (3).

ARTICULUS II.

An detur aliquis habitus primorum principiorum.

199. Dubium est, an admittendus sit aliquis habitus primorum principiorum, qui re distinguatur ab intellectiva virtute; nam nemo, arbitror, renuet agnoscere habitum hujusmodi, si eo nomine nihil aliud intelligatur, quam ipse intellectus; nisi forte hunc pariter cum materialistis abolitum per summam insaniam velit.

Quinam negent habitum principiorum ab intellectiva virtute distinctum.

Sunt enim quidam contendentes habitum quidem principiorum dari, eum tamen non distingui realiter, sed «esse re idem cum potentia intellectus, ita ut eadem entitas potentiæ, prout simpliciter est principium actus cognitionis, sit intellectus; ut vero disponit animam ad hoc, ut per ipsammet intelligat et assentiatur principiis, sic formaliter sit habitus

(1) Joann. a S. Thom., *Log.*, q. 25, a. 3, ad *ultimum inconven.* Et eodem modo respondent Conimbricenses, lib. 1, *Poster.*, c. 3, q. 1, a. 3, ad quartum.

(2) S. Th., lib. 1. *Poster.*, lect. 8, paulo post initium.

(3) Loc. nup. cit.

principiorum,» ut refert P. Gregorius de Valentia. (1), Quam sententiam sequitur ipse cum Durando (2), et Dominico Soto (3), quibus perperam adjungunt Conimbricenses (4), Bartholomæum de Medina (5).

Affirmat communior sententia,

At vero sententia communis Philosophorum cum Aristotele (6), S. Thoma (7), Conrado (8), Cajetano (9), Ferrariensi (10), Medina (11), Conimbricensibus (12), et Rubio (13), qui scribit hanc doctrinam communem esse *inter modernos*, quemadmodum etiam fatetur Valentia eamdem esse *fere communem* inter Philosophos ac Theologos.

200. **Secunda hæc sententia nobis amplectenda est,** supponendo ante omnia, nomine habitus principiorum venire facilitatem expeditissime assentiendi primis principiis.

quæ probatur.

Prob. 1.° a posteriori. Nam si nullus daretur habitus principiorum potentiæ intellectivæ superadditus, hæc ab initio ex seipsa prompta esset atque habilis ad assensum principiorum. Atqui potentia intellectiva non sic ab initio prompta et expedita est ad assensum hujusmodi. Etenim, antequam abstrahat intellectus agens species a sensibilibus, potentia intellectiva nequit assentiri principiis, ut constat ex conscientiæ testimonio.

---

(1) *Commentar.* tom. 2, In 1. 2, disp. 4, q. 3, punct. 1, *Nihilominus quoniam.*

(2) 2.ª dist. 24, q. 1, n. 4.

(3) De *Justitia et jure*, lib. 1, q. 4, art. 1.°

(4) *Dialect.*, in lib. 1. *Poster.*, cap. 1, q. 1, art. 4, initio.

(5) In 1. 2, q. 51, a. 1.

(6) Vide lib. 2.um *Posterior.*, cap. ultimo, ubi docet habitum hunc in nobis generari experimento et memoria.

(7) Vide in lib. 6.° *Ethicor.*, lect. 5, post initium; 2.° *Contra Gent.* cap. 78, *Amplius;* in lib. 1.um *Posterior.*, lect. 44, per totam ac præsertim circa fin., et ibid. lib. 2, lect. 20; Opusc. de *Potentiis intellectivis*, cap. 6. fin; 1. 2. q. 62, a. 3 ad 1.um; 2.° dist. 24, q. 2, a. 3. Cfr. 1. 2. q. 68, a 7: *de Virtutib.* q. 1, a 5, ad 3.um

(8) In 1. 2, q. 51, a. 1.

(9) In 1. 2, q. 51, a. 1.

(10) In lib. 2.um *Contr. Gent.*, cap. 78.

(11) In 1. 2. quæst. 51, art. 1.

(12) In lib. 1. *Posterior.*, cap. 1, quæst 1, art. 4.

(13) Lib. 1.° *Posterior.*, tract. 1, de habit. principior.

Adde quod exercitatione major comparetur facilitas assentiendi principiis, ut patet potissimum in assensu positionum, immo etiam in assensu dignitatum. Cur enim dignitatibus non adhæremus, donec experientia inductioque præcesserit? Ergo per inductionem hujusmodi aliquid advenit intellectivæ potentiæ, quod prius aberat, ad reddendam illam expeditam pro assensu principiorum.

Prob. 2.° a priori. Nam ratio ponendi habitus generatim est nativa indeterminatio vel indifferentia potentiæ ad actus certos eliciendos. Etenim potentiæ, natura sua ordinatæ ac determinatæ ad certum genus actuum, non egent habitu, quo inclinentur, ac determinentur ad illos. Atqui intellectus natura sua indifferens est ad hoc vel illud intelligendum. Neque enim determinatur ex se intellectus ad hunc vel illum assensum, nisi per intellectum agentem, mediantibus speciebus intelligibilibus, ut nunc supponimus, et probabitur suo loco in tractatu de Anima rationali. Ergo...

201. **Objic. 1.°** Habitus dari solent, ut potentia inclinetur, et promptior reddatur ad actum. Atqui intellectus natura sua ita propensus est ad actum, ut nequeat propensior effici. Est enim potentia naturalis, quæ objecto sufficienter proposito, confestim absque ulla difficultate tendit in illud. At vero prima principia sunt objectum naturale intellectus, quod, penetratis terminis, sufficienter proponitur illi. Ergo nulla remanere potest indifferentia vel difficultas, quæ per habitum superadditum amovenda sit (1).

Resp. 1.° Si hæc ratio valeret, eodem modo negari posset habitus scientiæ distinctus ab intellectu, qui tamen communi calculo Scholasticorum approbatur.

Resp. *neg. Minor.* Ad probation. iterum *neg. Major.* Nam neque objectum sufficienter proponitur intellectui, neque intellectus sufficientem facilitatem habet ad assensus ex sola sua virtute, si nullum sibi superveniat adjumentum.

Dices. Saltem si adsint intellectui species intelligibiles, jam nihil præterea requirendum est ad prædictam comparandam facilitatem.

---

(1) Vide apud Conimbricenses, lib. 1 *Posterior.*, cap. 1, quæst. 1, art. 4.

Resp. transeat. Ex eo enim solum sequeretur habitum principiorum consistere in speciebus; de qua quæstione mox agetur. Et nunc hoc unum breviter dicimus, adhuc supposi-tis speciebus, posse remanere aliquam indeterminationem vel difficultatem, quæ superanda sit per aliquid aliud, ut manifestum est in conclusionibus seu judiciis mediatis, in quibus potest intellectus habere species subjecti et prædicati, quin sit adhuc dispositus et promptus ad assensum, donec terminos conclusionis per tales species cognitos comparet cum termino medio, et actuum repetitione facilitatem assentiendi assequatur. Et idem cerni videtur in positionibus, et fortasse etiam in ipsis dignitatibus. Quare bene intelligitur, quomodo adhuc post species acquisitas, nondum suppetat tota illa facilitas et inclinatio ad actum, quæ constituit habitum, sed aliquid aliud requiratur, sive illud sit ordinatio aliqua peculiaris specierum, sive aliqua nova qualitas ex illis resultans, pro diversitate opinionum circa naturam habitus.

Et ratio tandem hujus rei esse potest, quia assensus intellectualis, qui adest in quovis judicio, diverso modo tendit in objectum, ac apprehensio; hæc enim mere repræsentat ac veluti depingit intentionaliter objectum, judicium vero reflectens quodammodo in objecta prius cognita, copulat rationes prius perceptas. Ex quo fit, etsi sola species satis sit ad terminum apprehendendum, aliquid aliud præter species requiri posse, ut termini prius apprehensi cum certa facilitate inter sese conjungantur (1).

Objic. 2.° Sensus externi propterea non assequuntur habitus, licet egeant speciebus, quia in objecta sua tendunt naturali necessitate determinati. Et idem dici potest de intellectu simpliciter apprehendente, utpote qui, habita specie, naturaliter et absque ulla difficultate rem sibi repræsentat. Atqui eodem modo videtur se habere intellectiva potentia relate ad prima principia, saltem notissima. Ergo sicut nec sunt habitus in sensibus externis, nec in intellectu pro actu simplicis apprehensionis, ita nec debet admitti vel pro ipsis primis principiis (2).

(1) Cfr. Conimbric., loc. nup. cit. q. 1, a. 4, post. med. *Ad primum pro prima sententia....*

(2) Apud Conimbric. loc. cit.

Resp. *neg.* Minor.; quia, ut nuper notabamus, alia est ratio apprehensionis et alia judicii. Siquidem apprehensio terminorum sequitur determinationem provenientem ex specie, at judicium causatur ex objectiva ratione assentiendi, quam prius perspici et considerari oportet, a qua proinde magis aut minus intellectus potest moveri pro majori aut minori advertentia et quasi usu et consuetudine. Et sic patet quomodo adhuc post apprehensionem terminorum possit remanere in intellectu aliqua indifferentia vel indeterminatio per habitum vincenda, et quomodo facilitas aut pronitas ad assensum in principiis non sit tota in solam potentiam intellectivam, vel etiam in species intelligibiles, refundenda (1).

Objic. 3.° Sicut se habet voluntas ad finem suum ultimum, ita intellectus se habet ad prima vera. Atqui voluntas non eget habitu determinante ad finem ultimum et bonum in genere. Ergo nec intellectus ad prima vera seu principia prima.

Resp. 1.° *neg.* Major. Nam disparitas est inter intellectum et voluntatem. Hæc enim respectu beatitudinis ac boni in genere per suam naturam determinata est quoad specificationem, licet relate ad bona particularia non est per se determinata, sed indifferens. Et ideo indiget quidem habitu, quo inclinetur ac determinetur ad bona particularia, non vero ad beatitudinem ac rationem boni in genere. At intellectus non est ex sese determinatus etiam respectu primorum verorum, atque adeo respectu ipsius rationis entis, cum ad omnia egeat speciebus, sine quibus est penitus in potentia, nec potest quidpiam intelligere.

Apposite Aquinas: *Intellectus indiget speciebus intelligibilibus, per quas intelligat, et ideo oportet, quod in eo ponatur aliquis habitus naturalis, supperadditus potentiæ. Sed ipsa natura voluntatis sufficit ad naturalem ordinem in finem, sive quantum ad intentionem finis, sive quantum ad conformitatem ad ipsum* (2). Itaque sive habitus reponatur in speciebus,

---

(1) Cfr. Conimbric., loc. cit. in med. paragr. *Sed utraque hæc ratio...*

(2) 1. 2. q. 62, art. 3 ad 1.um Cfr. 1. 2. q. 50, art. 5, ad 1.um et ad 3.um; *de Virtutib.* q. 1, a. 5, ad 3.um

sive in aliqua qualitate inde resultante, non est paritas inter intellectum et voluntatem.

Resp. 2.° Non desunt, qui censeant etiam voluntatem indigere habitu vel pro ipsa tendentia in finem ultimum seu beatitudinem (1). Quam sententiam si quis tenere velit, concessa Majori, negabit Minorem objecti argumenti.

Plura dabunt Conimbricenses (2).

Brevis declaratio habitus principiorum.

Quæ cum ita sint, admittendus est cum communissima Doctorum sententia habitus principiorum, *habitus* nempe *intellectum* inclinans et determinans ad assentiendum primis principiis speculativis; quæ ultima particula additur, ut distinguatur a *synderesi*, quæ est *habitus principiorum practicorum:* vocatur autem hujusmodi habitus communiter *intellectus principiorum. Et satis congruit nomen*, inquit Angelicus; *hujusmodi enim principia statim cognoscuntur, cognitis terminis. Cognito enim quid est totum et quid pars, statim scitur, quod omne totum est majus sua parte. Dicitur autem* **intellectus** *ex eo, quod* **intus legit** *intuendo essentiam rei. Unde et in 3.° de Anima dicitur, quod objectum proprium intellectus est* **quod quid est.** *Et sic convenienter cognitio principiorum, quæ statim* **innotescunt** *cognito* **quod quid est, intellectus** *nominatur* (3).

Dubium, utrum intellectus principiorum sit unus habitus an multiplex.

202. **Quæret quispiam** utrum *intellectus principiorum* sit unus habitus, an vero multiplex. Et quamvis quæstio non magni sit momenti, aperiam tamen priscorum Doctorum opiniones.

Distinguenda principia practica et speculativa; evidentia at probabilia

In primis distinguenda sunt hac in re principia speculativa a practicis: illa versantur circa rerum naturas, hæc respiciunt mores. Item distinguenda sunt principia seu propositiones immediatæ probabiles, quæ versantur circa materiam pure probabilem, vel saltem inevidentem, et principia necessaria ac certa, quæ versantur circa materiam necessariam et evidentem; quod enim præter prima principia certa et evidentia,

---

(1) Vide Conimbr., loc. nup. cit. vers. fin., *Confirmatio attingit difficultatem inter Theologos admodum controversam.*

(2) Ibid.

(3) S. Th. *Ethicor.*, lib. 6, lect. 5, post initium.

admittenda sint alia pure probabilia, jam superius notavimus cum priscis auctoribus ex Aristotele et S. Thoma (1).

Habitus principiorum evidentium distinctus ab habitu principiorum pure probabilium.

Jam habitus principiorum evidentium distinguitur ab habitu principiorum probabilium, ut patet; opponuntur enim inter se evidens et probabile, necessarium et contingens, ac proinde nequeunt eodem habitu attingi. Adde, quod proprium est habitus evidentium principiorum non posse errare, atque adeo *intellectus* numeratur inter virtutes intellectuales ex communissima sententia. At habitus principiorum probabilium, quantum est de se, indifferens est sive ad verum sive ad falsum, nec potest consequenter esse virtus intellectualis.

Principia item speculativa et practica diversos postulant habitus.

Item principia practica et speculativa diversos videntur postulare habitus, quia veritas practica, circa quam versatur habitus principiorum practicorum, est diversa formaliter a veritate speculativa, circa quam versatur habitus principiorum speculativorum (2).

Ad rem Joannes a S. Thoma: «Certitudo practica perficitur certitudine morali, secundum convenientiam moralem et prudentialem, quæ tendit et applicat ad actiones contingentes, ad quas inclinat: quales sunt actiones voluntatis et opera factibilia per artem; licet enim principia practica tandem resolvantur in aliquas veritates necessarias et in universali, tamen ut practica sunt, in particulari contingentiam includunt, sicut hoc principium: *Bonum* est *faciendum: Deus est colendus*, in universali et quasi speculative resolvitur sic: *Ratio boni postulat de se, seu convenientiam habet, ut fiat: Deo debitus est cultus*. Practice autem in particulari applicatur per modum imperii vel consilii sic: *Tibi convenit hoc bonum facere; Deum colere* etc. Et primo modo habent certitudinem neccessariam (metaphysicam); secundo vero modo inferunt actum certitudine morali, non metaphysica, quæ simpliciter est contingens» (3).

---

(1) Vide supra n. 188.

(2) P.Anton. Rub., *Logic.*, In lib. 1.um *Posterior.*, trat. 1, *de habitu principiorum*, n. 19

(3) *Logic.*, q. 26, a. 1, *Ratio primæ partis*.

Hinc etiam S. Thomas (1) et ejus commentatores communissime distinguunt *intellectum principiorum a synderesi*.

Relate ad principia speculativa evidentia, variæ dantur opiniones: quidam affirmant unum pro omnibus habitum sufficere,

Denique relate ad principia evidentia speculativa, quorum, ut sæpe monuimus, duo sunt genera, *axiomata* nempe seu *dignitates* et *positiones* seu principia particularia singularum scientiarum propria, diversæ apud Philosophos sunt sententiæ. Alii contendunt omnia principia speculativa, sive sint communia omnibus scientiis, ut dignitates, sive particularia seu propria, videlicet positiones, ad eumdem habitum pertinere. Ita inter alios Joannes a S. Thoma (2) et Complutenses (3). Et hanc suæ sententiæ rationem reddunt. «Quia in omnibus primis principiis, sive sint communissima, sive minus communia, invenitur eadem ratio formalis assentiendi, scilicet sine medio probante. Quod autem termini sint nobis magis vel minus noti et communes, ideoque constituant principia communissima vel minus communia, hoc solum pertinet ad faciliorem et communiorem explicationem terminorum, non ad diversum modum assentiendi, posita eorum explicatione» (4).

alii negant.

At vero P. Antonius Rubius (5), Suarez (6), aliique arbitrantur habitus etiam principiorum speculativorum evidentium distingui specie, secundum quod in diversis materiis inveniuntur, ita ut habitus principiorum unius scientiæ, specie distinguatur ab habitu principiorum alterius scientiæ, et similiter etiam distingui habitus principiorum universalissimorum, si dentur. Et rationem hanc afferunt. Habitus distinguuntur per diversos actus, et actus sunt diversi per diversa objecta. Sed assensus principiorum unius scientiæ specie distinguitur ab assensu principiorum alterius; et assensus unius principii universalissimi distinguitur etiam specie ab assensu alterius. Ergo habitus etiam erunt distincti specie.

---

(1) Vide *Quæstion. disputat.*, de *Verit.* q. 16, a 1; 1. p. q. 79, art. 12; 2.° dist. 24, q. 2, art. 3.

(2) Loc. nup. cit.

(3) *Logic.* disp. 20, q. 1, n. 7.

(4) Joann. a S. Thom., ibid.

(5) *Logic.*, lib. 1.° *Poster.*, tract. 1 *de habitu principior.*

(6) Disp. *Metaph.* 44, sect. 11, n. 48.

«Probatur Minor. Quia diversa principia continent diversam veritatem, quam respiciunt assensus tamquam proprium objectum; ut diversam veritatem specie continet hoc principium: *Homo est animal rationale*, ab illo: *Natura est motus principium et quietis ejus, in quo est.* Ergo efficiunt assensus specie distinctos in intellectu. Et diversi assensus efficient habitus etiam diversos. Et idem exemplum adduci potest in diversis principiis universalissimis» (1).

«Et si dicas distingui specie assensus, sed tamen pertinere ad eumdem habitum, quia sunt actus inadæquati respectu illius, ad omnia principia et ad omnes assensus eorum se extendentis; in contrarium est, quod si distinguuntur specie, licet inadæquata, necesse est eos generare habitus partiales specie distinctos; quia quælibet causa producit effectum secundum suam speciem, licet inadæquatam. Ergo a causis specie distinctis, licet inadequatis, necesse est effectus specie diversos, licet inadæquatos, procedere. Quare jam dabuntur diversi habitus, saltem partiales, specie distincti.»

«Verum probatur debere distingui specie totali. Quia habitus principiorum non habet tantam extensionem ac intellectus, ut possit idem se extendere ad omnes veritates; nec habet majorem extensionem, quam habitus scientiæ, cui proportionatur ac necessario præsupponitur. Sed habitus scientiæ distinguuntur specie per diversa objecta formalia. Ergo habitus principiorum, qui eis correspondet, debet etiam distingui specie per diversas veritates principiorum, circa quas versantur, tamquam circa propria objecta» (2).

Ad rationem vero contrariam ex eo petitam, quod in omnibus principiis eadem sit ratio formalis assentiendi, scilicet sine medio probante, respondet Rubius, negando exinde sequi specificam identitatem assensus in principiis. «Nam licet omnibus assentiatur intellecta significatione terminorum sine medio, modus tamen iste assentiendi et ratio generica est, sicut etiam est generica in scientiis assentire conclusionibus per medium demonstrativun. Sicut ergo in scientiis specie

(1) Rubius in *Logic.* lib. 1.° *Poster.*, tract. 1 *de habit. principior.*, n. 21.

(2) Rub. ib. n. 21.

distincta est ratio assentiendi secundum distinctam rationem principiorum, per quæ assentitur intellectus conclusionibus hujus aut illius scientiæ, et sicut per hanc distinctam rationem specificam distinguuntur habitus scientiæ specie, ita in assensu principiorum distincta est ratio assentiendi specifica secundum distinctionem specificam diversarum veritatum, quas diversa principia continent. Nam ratio assentiendi principiis ipsamet veritas principiorum per semetipsam est, et non per aliud medium. Diversa igitur veritas immediata cum sit, diversa etiam ratio assentiendi erit, et diversum assensum secundum speciem efficiet. Et diversi assensus secundum speciem, diversos habitus principiorum generabunt» (1).

Judicium auctoris.

Hæc ultima sententia, supposito quod habitus principiorum generentur per assensus iisdem adhibitos, satis probabilis videtur. Id tamen ipsum satis controversum est; ut videbimus modo.

ARTICULUS III.

Utrum habitus principiorum naturalis sit, an vero acquisitus.

Diversæ hac de re opiniones. Doctorum.

203. Variæ hac de re circumferuntur Philosophorum sententiæ. Quidam namque arbitrantur habitum hujusmodi esse omnino naturæ congenitum, inque ipsa animæ creatione inditum intellectui. Pro hac opinione citantur Bañez (2), Medina (3), aliique (4), quibus favere putatur S. Thomas non uno in loco (5).

Sententia longe communior, negans habitum principiorum esse animo ingenitum.

At multo communius negant Philosophi ac Theologi habitum principiorum esse animo ingenitum, sed volunt esse acquisitum, quamvis non parum discrepent in modo rem explicandi. Plures opinantur habitum principiorum acquiri

(1) Rub. ib., n. 22. Cfr. Suar. disp. 44 *Metaph.*, sect. 11, n. 48.

(2) In 1. p. q. 1, art. 6, *Notabili* 3.°

(3) In 1. 2. q. 51, art. 1, *ult. conclus.*, et *ad tertium* et *ad ultim.*

(4) Apud Complutens., *Logic.*, disp. 20, quæst. 2, n. 10.

(5) Vide 1. p. q. 79, art. 12; q. 83, art. 2; 1. p. q. 91, art. 3; 2. 2. quæst. 47, art. 6 et 15; *de Verit.*, q. 16, a. 1; 2.° Dist. 24, q. 2, art. 3; 3.° Dist. 23, q. 3, art. 2, ad 1.um

repetitis assensibus eorumdem, sicut habitus morales virtutum, v. g. humilitatis etc., comparantur repetitione similium actuum. Hanc opinionem tenuit olim Buridanus apud Gregorium de Valentia (1) et postea Antonius Rubius (2), qui eamdem asseruit communem inter modernos; et etiam Conimbricenses (3).

Hujus opinionis patroni in varias rursus scinduntur sententias, vel explicationes: prima,

Tertia est sententia illorum, qui habitum principiorum esse partim a natura, partim ab acquisitione; non quod compositus sit ex altera parte naturali, altera vero acquisita, sed quia, positis speciebus intelligibilibus per virtutem intellectus agentis, abstractis a phantasmatibus, sine ullo vel motivo vel alio superaddito, intellectus possibilis satis per se habilis est ac determinatus ad ponendum assensum. Quia ergo sine hujusmodi speciebus intelligibilibus terminorum ipsorum non est intellectus habilis ad assensum, illas autem non habet a natura, sed per abstractionem intellectus agentis; ideo habitus principiorum partim dicitur a natura esse, et partim ab extrinseco, vel etiam dicitur inchoative a natura esse, at compleri extrinsecus, per actum videlicet intellectus agentis. Hinc etiam intellectus agens dicitur causa hujusmodi habitus, quia ipsi debetur perfectio et complementum illius per productionem specierum intelligibilium, quemadmodum diserte docet Angelicus (4). Ita Cajetanus (5), Ferrariensis (6), Cappone a Porrecta (7), Nazarius (8), Javellus (9), Complutenses (10) aliique.

altera

Unde latum est discrimen inter duas hasce postremas sententias, quia, licet conveniant in confutando habitu principiorum, qui sit penitus naturalis, in eo tamen dissident, quod secunda vult ante habitum præcedere plures assensus

discrimen utriusque.

(1) In 1. 2, disp. 4, quæst. 3, punct. 1, *Tertia opinio.*
(2) In lib. 1.um *Posterior.*, cap. 26, tract. 1, *de habit. principior.* n. 11.
(3) Loc. cit., quæst. 1, art. 4, in fine.
(4) 1. 2. q. 53, a. 1; 2.a *Contr. Gent.*, cap. 78; 2.o dist. 24, q. 2, a. 3.
(5) In 1. 2. q. 51, a. 1.
(6) In lib. 2.um *Contr. Gent.*, cap. 78.
(7) In 1. 2. q. 51, a. 1.
(8) In 1 p. q. 58, a. 1, contr. 1.
(9) 2.a lib. *Metaph.*, q. 1.
(10) *Logic.*, disp. 20, q. 2, n. 14.

principiorum, tertia vero e converso docet statim post abstractas species, ante omnem assensum principiorum, existere in mente habitum eorumdem.

Diversæ iterum ejusdem rei explicationes.

Verum adhuc dupliciter intelligi et exponi posset hæc tertia sententia pro diversis opinionibus circa naturam habitus: α) ita ut habitus aliud revera non sit præter ipsam potentiam intellectivam instructam speciebus intelligibilibus, et sic naturalis sit, quatenus importat potentiam ipsam intellectivam, acquisitus autem ratione specierum. Et sic rem explicat Masius apud Complutenses (1) et idem forte voluit Capreolus (2). β) Alii vero volunt in intellectu possibili statim acceptis speciebus pullulare ac resultare qualitatem quamdam distinctam, illamque esse habitum, qui proinde dicatur et sit *naturalis*, quia fluit per modum naturæ ad præsentiam specierum aut posita notitia terminorum, et simul *acquisitus*, quia resultare nequit nisi præsuppositis speciebus, quæ certe in nobis innatæ non sunt, sed ministerio sensuum acquiruntur per virtutem intellectus agentis. Unde e converso habitus principiorum in angelis penitus naturalis est, quia speciebus utuntur angeli naturaliter infusis, et ab ipsa sui creatione ingenitis. Hæc est sententia Cajetani, Nazarii, Ferrariensis, Complutensium (3) et aliorum.

204. In hac quæstione investigari potest et res ipsa et mens Angelici Doctoris, quæ non satis perspicua videtur esse, ut vel ex eo constat, quod ab ipsis Thomistis diversimode intelligatur.

Mens Aquinatis.

Et circa mentem quidem Aquinatis, existimo ipsum non admisisse habitum principiorum vere innatum. Et ratio est, quia sæpe disertissime docet habitum hujusmodi esse naturalem dumtaxat secundum *inchoationem*, non vero totaliter vel secundum perfectionem et complementum (4). Ex quo facile patet etiam vera intelligentia eorum omnium locorum, in quibus S. Doctor naturalem vocat sive habitum sive cogni-

(1) Ibid. n. 12.

(2) In 3.° q. proleg. in respons. ad 3.um arg. contr. 1.am conclus.

(3) Locis citatis.

(4) Vide v. g. 1. 2, q. 51, a. 1; q. 63, a. 1; 3.° dist. q. 33, q. 1, art. 2. solut. vel quæstiuncula 1.a

tionem principiorum (1). Quæ loca nihil vetat, quominus cum illa distinctione interpretemur; secus enim non possemus tantum Magistrum a contradictione excusare.

Adde quod ipsemet S. Thomas quandoque utatur diminuente particula, ut cum scribit habitum principiorum esse *quodammodo* naturalem.

Dices: Hæc sunt verba S. Thomæ: *Habitus infusus similis est habitui innato, quia sicut naturalis habitus datur in creatione, ita infusus in reparatione. Naturalis autem habitus, sicut intellectus principiorum, indiget, ut cognitio determinetur per sensum* (2).

Respondeo hæc nullo negotio explicari ex aliorum testimoniorum doctrina, dicendo habitum principiorum appellari *naturalem*, nempe *inchoative*, quomodo habitus ille acceptus profecto datur in creatione.

Mens ergo Angelici Doctoris hæc est, habitum principiorum quoad *inchoationem* esse naturalem, quoad perfectionem vero esse ab exteriori principio. Est quidem quoad inchoationem naturalis, quia sicut in quibusdam hominibus ex peculiari dispositione organorum est major aptitudo ad bene intelligendum, in quantum ad operationem intellectus opus est potentiis sensitivis, vel ad musicam addiscendam, vel ad castitatem, mansuetudinem, aliasve virtutes; ita in omnibus hominibus, ex ipsa specifica perfectione rationalitatis, inest dispositio et habilitas naturalis ad pronuntianda principia, *ex ipsa enim natura animæ intellectualis convenit homini, quod statim, cognito quid est totum et quid est pars, cognoscat quod omne totum est majus sua parte, et simile est in cæteris* (3). Hujusmodi autem habilitas sola non constituit habitum, nec rationem illius assequitur, saltem donec adsint in mente species intelligibiles, quibus notitiam terminorum habeat. At quia nec species nec notitia terminorum sunt ingenitæ nobis, quia intellectus v. g. *quid sit totum et quid sit pars cognoscere non potest, nisi per species intelligibiles a phantasmatibus acceptas; et propter hoc Philosophus in fine*

(1) Vide loca nuper citata in favorém primæ sententia.
(2) S. Thom. 3.° distinct. 23, q. 3, art. 2 ad primum.
(3) S. Thom. 1. 2. q. 51, a, 1 corp.

Posteriorum (1), *ostendit quod cognitio principiorum provenit nobis ex sensu* (2); ideo habitus eorumdem quoad suam perfectionem et complementum, quo in ratione veri habitus constituitur, acquisitus est, non autem innatus aut naturalis, sicut est in angelis, utpote qui concreatam ingenitamque habent non solum dispositionem atque habilitatem pronuntiandi principia, statim cognitis terminis, sed insuper etiam ipsas species, quibus terminos cognoscunt, habent naturaliter in ipsa sui creatione insitas menti (3).

Utrum autem S. Thomas habitum in collectione specierum intelligibilium, an vero in aliqua alia qualitate superaddita reposuerit, alibi resolvendum est, cum sermo erit de natura habituum intellectualium in tractatu *de Anima humana*.

Quid dicendum de re

Jam de re ipsa sic existimo:

205. PROPOSITIO 1.a **Intellectus principiorum non est habitus innatus aut naturalis.**

Probari posset 1.° ex communi effato Scholasticorum cum Pilosopho (4) et Angelico (5) dictitantium, intellectum initio esse in pura potentia, videlicet passiva, in ordine ad intelligendum, ac proinde tamquam tabula rasa. Atqui si habitus principiorum foret innatus, jam intellectus non esset ab initio in pura potentia, sed haberet plenam capacitatem intelligendi; hoc enim est proprium habitus, præbere habilitatem facilitatemque, ut constat omnibus. Ergo...

Sane quomodo intelligi potest adesse facilitatem assentiendi principiis, dum adest impossibilitas assentiendi atque adeo quidpiam cognoscendi, ex defectu videlicet specierum? Ergo saltem, donec species intelligibiles comparentur, non inest intellectui ullus habitus intellectualis naturalis.

---

(1) Lib. 2. *Posterior.*, cap. et text. ult. circ. med.

(2) S. Th. 1. 2. q. 51, a. 1.

(3) Vide S. Thom. 1. 2. q. 51, a. 1; q. 63, a. 1; 3.ª dist. 33, q. 1, a. 2, sol. 1.

(4) Lib. 3.° *de Anima*, text. Comm. 15. Cfr. S. Thom., ib. lect. 9.

(5) Vide S. Thom., 1. p. q. 55, art. 2; quæst. 84, art. 3; quæst. 87. art. 1; *De Malo*, quæst. 16, art. 12 ad 2.um; *de Veritate*, quæst. 10, art. 6 etc.

Prob. 2.° Adde, quod si habitus principiorum foret naturalis et animo ingenitus, non daretur modo major, modo minor facilitas in pronuntiandis primis principiis. Atqui datur major vel minor facilitas pro majori vel minori exercitatione, ut constat potissimum in principiis propriis particularium scientiarum seu positionibus.

Prob. 3.° Denique a priori, quia ut argumentatur P. Rubius, natura non concedit rebus nisi ea, quæ necessarius ant ad essendum et operandum simpliciter; quæ vero ad melius et facilius operandum serviunt, acquirenda eis relinquit propria industria et labore, tribuens principia, quibus possint operari, et operando ea acquirere. Et hac de causa non concessit hominibus habitus virtutum, quia non requiruntur ad operandum simpliciter bona opera, sed ad melius, hoc est, cum facilitate et promptitudine operandum. At habitus principiorum non est necessarius ad assentiendum simpliciter primis principiis, sed solum ad assentiendum cum facilitate. Ergo non est nobis a natura datus, sed propria industria et labore acquisitus... (1).

Dices 1.° Habitus principiorum dicitur, *quasi seminarium totius cognitionis sequentis, sicut et in omnibus naturis sequentium operationum et effectuum quædam naturalia seminaria præexistunt* (2). Ergo sicut hæc naturaliter in sunt propriis naturis, ita etiam cognitio principiorum debet naturaliter inesse homini, atque adeo habitus eorumdem principiorum erit omnino naturalis.

Resp. Ut principia sint seminarium totius cognitionis sequentis, necesse non est, ut habitus illorum sit totaliter naturalis.

Dices 2.° Cognitio principiorum dicitur naturalis. Ergo habitus, unde talis cognitio procedit, naturalis sit oportet.

Resp. *dist.* antec. Cognitio principiorum dicitur naturalis, quia facillime sequitur ex facultatibus, quibus natura omnes homines instructi nascuntur, *conc.*, quia vel ingenita est, vel

---

(1) P. Anton. Rubius, *Logic.* in lib. 2.um *Posterior analyticor*, tract. 1.° *de habit. princip.*, n. 15. Cfr. Conimbr., *Dialect.* in lib. 1.um *Poster.*, cap. 1, quæst. 1, art. 4 fin.

(2) S. Thom., *de Veritat.*, quæst. 16, art. 1.

omnia præsidia ad illam habendam innata sunt, *neg.*, et *neg.* conseq.

Et re quidem vera termini, quibus prima principia constant, tales sunt, ut facillime ab omnibus cognosci possint; quia lumen naturale cujusvis hominis sufficit, ut comparet sibi species eorum intelligibiles, et habilitatem acquirat ad eosdem inter se expedite conjungendos.

206. PROPOSITIO 2.a **Probabilius videtur habitus principiorum non consistere in speciebus intelligibilibus, sed in aliqua alia qualitate distincta.**

Propositio hæc forte transgreditur Logicæ limites, atque ad Psychologiam potius spectat; nihilominus ad materiæ complementum breviter declaranda et probanda est. **Et primo** quidem experientia ipsa suadetur. Constat enim potissimum in positionibus, majorem comparari facilitatem ac promptitudinem et quasi familiaritatem usu et repetitione actuum. Atqui hoc signum est, quod facilitas ac promptitudo prima per ipsos assensus principiorum generata est. Nam simili modo habitus acquisitos augescere atque intendi censendum est, quo primum gignuntur. Ergo...

Præterea hoc est discrimen inter habitus supernaturales et naturales, quod illi dent simpliciter posse operari, hi vero non dent simpliciter posse, sed facile posse. Atqui habitus principiorum si in speciebus intelligibilibus consisterent, darent simpliciter posse operari, siquidem sine speciebus impossibile est intelligere. Ergo...

Denique si habitus principiorum in speciebus intelligibilibus consisterent, non video cur necessaria esset experientia et inductio ad colligenda principia, quemadmodum necessariam esse mox videbimus. Nam si post terminorum cognitionem adhuc inductio plurium singularium casuum requiritur ad facilitatem assentiendi habendam, profecto præter ipsas species aliquid aliud ponendum est.

Dices. Habitum non consistere in solis speciebus vel illarum collectione, sed in speciebus ordinatis vel in specierum ordinatione. Concedi hoc potest; verum recte observat Eximius Doctor ordinationem hujusmodi aliud revera esse non posse nisi habilitatem «quam intellectus acquirit ad ordi-

nate utendum his speciebus et recte judicandum secundum illas» (1), Ac proinde ratio formalis habitus non consistit in speciebus, sed in illa habilitate, quæ vera qualitas est.

Sed de his alibi fusius agendum.

CAPUT III.

QUOMODO COGNOSCANTUR PRINCIPIA.

Quoniam conclusiones omnes cognoscuntur ex præmissis, ac tandem ex primis principiis indemonstrabilibus; inquirendum jam est, quomodo principia ipsa cognoscantur vel colligantur.

ARTICULUS I.

Utrum principia inductione colligantur.

Divisio principiorum apud recentiores AA. usitata in analytica et synthetica

207. Sollemnis est inter recentiores Philosophos distinctio principiorum in *rationalia* seu *analytica*, et *experimentalia* seu *synthetica*. Rationalia vocant principia, quæ intuitione pronuntiantur, quale est hoc: *Totum est majus sua parte;* experimentalia autem vocant, quæ ope experientiæ pronuntiantur; cum enim prædicatum habeant extra notionem subjecti positum, nequeunt affirmari nisi ope inductionis et experientiæ. Addunt prædicti auctores principia rationalia ex sese habere universalitatem et necessitatem; experimentalia vero eam ex se ipsis habere non posse, sed obtinere ope principii cujusdam analytici. Immo asserunt axiomata empirica physicam certitudinem non excedere (2).

reprobatur.

In qua doctrina id mihi primo displicet, quod principia experimentalia dicuntur non habere ex sese universalitatem aut necessitatem, sed eam accipere ope alicujus principii ana-

(1) Suar., disp. *Metaph.*, 44, sect. 4, n. 6.

(2) Vide cl. P. Liberatore, *Institutiones philosophicæ....* vol. 1. *Logicæ pars altera*, cap. 5, art. 1.

lytici. Si diceretur in hujusmodi principiis non *innotescere nobis* universalitatem ac necessitatem sine recursu ad aliquod aliud principium, facilius posset tolerari; at opinor asserendum non esse, quod prædicta principia non habeant in seipsis universalitatem ac necessitatem. Et ratio hæc est, nam prædicatum illorum, vel exprimit accidens logicum subjecti, vel proprium. Si primum dicas, impossibile est principia illa, etiam in virtute principii alterius analytici, universalitatem ac necessitatem inducere, siquidem prædicatum accidentale contingenter convenit subjecto. Sin alterum, principia illa ex seipsis habent universalitatem et necessitatem, nam proprietas necessario convenit subjecto, nec solum in uno individuo particulari, sed in tota specie. Unde etiam certitudo hujusmodi propositionum, si prædicatum exprimit proprietatem metaphysicam, metaphysica est, si vero prædicatum exprimit proprietatem physicam, certitudo illa in aliquo casu particulari per miraculum deficere potest, atque adeo physica est (1); quamvis pro generalitate casuum adhuc metaphysica sit, qualis est etiam certitudo constantiæ legum naturalium generatim inspectæ. Et ratio est, quia cum metaphysice certum sit physicam proprietatem, præciso miraculo, deficere non posse, quoniam nec miracula patrantur a Deo sine causa, nec causæ idoneæ miraculi patrandi pro generalitate casuum occurrunt, certitudo hujusmodi metaphysica, opinor, dicenda est.

Judicia quidem synthetica dantur, non vero principia.

Quamobrem equidem admitto *judicia* synthetica, ea nempe quæ prædicata contingentia subjecto attribuunt, quæ prædicata ex *sola notione* subjecti, utcumque penetretur essentia specifica ejus, cognosci nequit, utrum conveniant illi: talia sunt prædicata harum propositionum: *Petrus est doctus: Homo currit* etc. *Principia* tamen synthetica, qualia describuntur a recentioribus, crediderim admitti nullo modo posse. Nam principia sunt fundamenta scientiarum ac demonstrationum. Et dividuntur, ut superius vidimus, in indemonstrabilia simpliciter et indemonstrabilia secundum quid. Jam principia indemonstrabilia simpliciter omnia sunt analytica, et propositiones immediatæ ac per se notæ,

Idque probatur.

(1) Vide superius dicta de *Proprietate*, n. 186.

saltem secundum se. Principia vero indemonstrabilia secundum quid etiam videntur esse analytica, vel certe non sunt synthetica in sensu recentiorum. Quia principia hujusmodi assumuntur tamquam præmissæ ad ulteriores demonstrationes. Atqui præmissæ demonstrationis, ut paulo inferius videbimus, ex communi sententia Scholasticorum sunt necessariæ ac de prædicato *per se* convenienti subjecto secundum totam suam extensionem (1) Ergo...

Sane prædicatum *per se* conveniens subjecto, quale debet esse prædicatum præmissarum demonstrationis, vel est aliquid spectans ad essentiam subjecti, vel proprietas ejus, ac proinde ex sua propria natura necessario et universaliter convenit subjecto, et est absolute cognoscibile ex consideratione et resolutione ideæ subjecti.

Præterea doctrina illa statuens *sola* principia experimentalia inductione et experientia egere, ut colligantur, videtur contraria esse communi veterum auctorum sententiæ cum Aristotele et S. Thoma, ut jam videndum est.

208. PROPOSITIO. **Principia prima et per se nota cognoscuntur, colligunturque inductione quadam ex notitia sensuum experimentali (2).**

Principia omnia inductione quadam colligi, probatur. Notanda animalium perfectorum et imperfectorum diversitas secundum virtutem sensitivam.

Ante probationem notandum est cum Philosopho, animalium varia esse genera. Quamvis enim omnibus inest virtus quædam discernendi corporeas qualitates, quæ vocatur *sensus*, differunttamen in eo, quod animalia perfectiora conservant species vel impressionem sensibilium, ac proinde possunt illa percipere etiam, quando præsentia non sunt, ope nimirum memoriæ atque imaginationis; alia vero imperfecta aut nullas conservant species, aut nonnisi sensibilium vehementissimorum, et sic non possunt cognoscere ulla sensibilia, nisi præsentia, vel solum cognoscunt in absentia sensibilia illa vehementiora, quorum retinent impressiones.

(1) Vide inferius dicenda in sequenti Disputatione n. 237.

(2) Vide Aristotelem et S. Thomam. locis statim citandis; Suarez, disp. *Metaph.* 1, sect. 6, n. 24 seqq.; Fonsec. *Metaphysic.* lib. 1, cap. 1, quæst 4; Alamanni, *Summ. Philos.*, prim. part. quæst. 21, art. 2; Mauri, *Quæstion. philosoph.*, t. 1, q. 16, etc.

Ita ergo in animalibus perfectis datur cognitio sensitiva, qua præsentia apprehenduntur, et memoria, qua objecta olim percepta iterum repræsentantur.

n homine datur experimentum, quo carent bruta.

At in homine, animali rationali, est adhuc in parte sensitiva alia cognitio, quæ vocatur *experimentum*, exsurgens ex inductione et collatione plurium singularium similium memoria retentorum: licet enim experientia vel experimentum in latiori significatione dici soleat de quacumque perceptione unius singularis, quo modo qui semel se inebriavit, potest dici *expertus* esse vinum inebriare, proprie tamen et stricte ex communi sententia veterum accipi solet pro perceptione plurium singularium. Est enim actus cognitionis simul colligens plura similia facta, quorum extat memoria. Sic postquam *vidi hanc herbam* curasse *hunc hominem*, puta Socratem, et *illum alium*, puta Platonem etc, *in eodem*, id est, *in simillimo morbo*, memoria retinens omnes illos casus, simul percipio, considerans plures individuas herbas simillimas (nempe ejusdem speciei) curasse plures individuos homines, eadem ægritudine laborantes. Hic actus est hominis proprius, et habetur in interiori sensu, qui vocatur *cogitativa* vel *ratio particularis* (1): et diversus est, ut patet, a memoria, quia sicut ex sensu et sensationibus relinquitur memoria, ita ex pluribus memoriis invicem comparatis oritur experientia. Nam ad habendam memoriam sufficit unicus actus, cujus impressio aut species perduret, ad experimentum vero requiruntur multi actus memoria retenti, qui si invicem comparentur, similes inveniantur. Et quia collatio hæc vel comparatio proprie non fit nisi ab homine, ideo experimentum proprium est etiam hominis, in quo ipsa pars sensitiva perfectior est, quam in aliis animalibus, et quamdam participat similitudinem rationis in facultate, quam vocant *cogitativam* (2).

Quid proprie experimentum.

Experimentum habetur in cogitativa; et distinguitur a memoria.

Post experimentum sequitur operatio intellectus

Post experimentum autem succedit operatio intellectus, qui abstrahit a singularibus rationem communem similiter repertam in pluribus illis individuis, quorum experimentum

(1) Vide S. Thom., *Metaph.*, lib. 1. lect. 1, paragr. *c*. Cfr. Suar. disp. *Metaph.* 1, sec. 6, n. 22.

(2) De his alibi agendum est.

habitum est, puta apprehendendo illam specificam herbam, et ægritudinem curatam in homine (1).

rationem communem abstrahens.

Hisce prænotatis, jam satis explicata et fere probata manet propositio.

In primis enim intellectus cognoscere ac pronuntiare nequit prima principia, quin terminos ipsos prius cognoscat; terminos vero cognoscere nequit, nisi prævia sensuum perceptio præcesserit, omnis enim cognitio nostra a sensibus inchoatur. Hoc pacto, ut mens asserat, *totum esse majus sua parte*, debet discere, quid sit *totum* et *pars* in aliqua re sensibili ac singulari, quam sensus apprehendunt. At non sufficit unica perceptio sensus, saltem ordinarie loquendo, ut intellectus abstrahat intellectualem terminorum notitiam satis claram, quæ firmam illam certissimamque adhæsionem judicii determinet, propriam primorum principiorum. Necesse est ergo, ut juvetur experimento, quod plura individua, per inductionem quamdam collecta et similia reperta, simul repræsentet; et sic ex iterata ejusdem phænomeni vel attributi in pluribus subjectis observatione, manifestius innotescant mutuæ relationes terminorum.

Cæterum tum sensatio, tum experientia singularium est dumtaxat, principia vero universalitate gaudent. Necessaria ergo est vis intellectualis, quæ ex multis individuis in experimento relucentibus abstrahat id, quod simile et commune est in illis, relictis differentiis ac varietatibus. Et sic tandem jungendo per actum judicii terminos abstractos a sua individuatione, quam habebant in experimentali cognitione, obtinetur pronuntiatum universale ac necessarium primi cujusvis principii. Hoc pacto videns in experimento *totum hoc* esse majus *quavis ex hisce* suis partibus, et similiter *totum illud*, et *illud aliud* etc.; abstraho rationem generalem *totius* ac *partis*, et universaliter assero id, quod particulariter in pluribus individuis renuntiabat experientia, propterea quod, hac prælucente, sufficienter penetro vim terminorum, mutuas-

(1) Vide Arist., lib. 2.° *Posterior.*, cap. 18. Cfr. ib. S. Th., lect. 20, paragr. *i*, *k*, *l*, *q*, *m*; et lib, 1, *Metaph.*, lect. 1, paragr. *c*; et lib. 4, lect. 6, paragr. *b*; et 3.° dist. 14, a. 3, solut. 3.ª; Mauri, *Paraphrasi* in lib. 2, *Poster.*, c. 11, et Commentatores alios passim in lib. 2, *Poster.*, c. 18.

que illorum relationes, ut plane pronuntiare debeam, *omne totum esse majus sua parte* (1).

Principia ergo prima cognoscuntur et colliguntur inductione quadam ex singularium experimento.

Confirmat pulchre propositionem Aristoteles exemplo militum: Etenim *fusa acie, et fugientibus militibus, aliquando revocatur agmen, et rursus fit principium pugnæ. Accidit enim, ut unus ex fugientibus consistat, paratus ad pugnandum; deinde consistit alius, atque adjungitur primo, deinde alius, donec fiat agmen, quod est principium pugnandi. Proportionaliter, dum animus per sensum percipit sensibilia cognitionibus fluxis et delabentibus, sistit in animo per memoriam et speciem fixam sui cognitio alicujus singularis sensibilis: deinde sistit et adjungitur cognitio et species alterius singularis sensibilis; deinde alterius, donec in animo sistat cognitio universalis, quæ est principium scientiarum et artium* (2).

209. **At circa doctrinam hanc** communissime receptam apud Scholasticos, varia occurrunt dubia, quorum explicatio ad meliorem rei intelligentiam juvabit.

Dubium proponitur, utrum omnia prorsus principia modo prædicto colligantur.

Et primo quidem dubitatur, utrum modus hic colligendi principia ex inductione et experimento singularium, universalis sit ac necessarius pro omnibus prorsus principiis. Quod non aliter colligantur, et cognoscantur principia propria et specialia singularum scientiarum, facile conceditur a Scholasticis, et videtur etiam satis patere ipsa experientia, siquidem termini, quibus prædicta principia constant, satis familiares non sunt scientias particulares primo salutantibus, nec tam facile cognosci solent, sine singularium exemplorum experimento, saltem in multis casibus.

De quibus principiis potissimum controvertitur. Variæ sententiæ.

Dubium autem præcipue versatur circa principia illa, scientiis omnibus communia, quæ *axiomata* vel *dignitates* vel *effata* dicuntur. Affirmant alii etiam hujusmodi principia cognosci non posse absque inductione singularium et experimento. Ita videtur sentire Cajetanus (3) et Javellus (4) ac

(1) Vide Auctores citatos cum Aristole et S. Thoma.

(2) Ita Aristoteles, loc. cit. ex *Paraphrasi* Sylvestri Mauri, lib. 2. *Posterior.*, cap. 11, n. 8.

(3) In lib. 1, *Posterior.*, cap. ultim.

(4) In lib. 1, *Metaphys.*, q. 6.

potissimum P. Fonseca (1). Licet enim concedant ad cognitionem incomplexam terminorum non esse necessarium experimentum, sed sufficere iteratam apprehensionem sensilem; tamen esse prorsus necessarium contendunt ad habendam cognitionem eorumdem complexam pronuntiando prima principia. «Putaturque, inquit Suarez, hæc sententia esse Aristotelis variis in locis, scilicet lib. 1.° *Priorum* cap. 31, lib. 2, cap. 23, et lib. 1.° *Posterior.*, cap. 14 (2) et lib. 2.° *Posterior.*, cap. ult., ubi interpretes antiqui ita sentire videntur» (3).

Sane hoc modo loquitur Philosophus in libro primo *Priorum Analyticorum* (4): *Sunt autem propria principia circa unamquamque scientiam plurima; quare principia circa unumquodque experientiæ est suppeditare. Dico autem, ut astronomica experientia, principium est scientiæ astronomicæ: observatis enim sufficienter phænomenis, sic inventæ fuerunt astronomicæ demonstrationes. Similiter vero etiam res se habet circa aliam quamcumque artem et scientiam.*

Quibus affinia scribit in libro primo *Posteriorum Analyticorum: Perspicuum etiam est, si quis sensus defecerit, necesse esse etiam scientiam quamdam defecisse, quam impossibile erat consequi: siquidem discimus aut inductione aut demonstratione. Est autem demonstratio ex universalibus, inductio vero ex singularibus: impossibile vero est universalia contemplari nisi per inductionem... inductione autem doceri sensu destitutos impossibile est. Sensus enim est singularium; nam non contingit horum adipisci scientiam; nec enim scientiam acquirere licet ex universalibus sine inductione, nec per inductionem sine sensu* (5).

Et pro eadem sententia allegat Fonseca veteres Aristotelis interpretes, Alexandrum Aphrodisæum, Themistium, Philoponum, Averroem, D. Thomam et alios (6).

---

(1) Lib. 1, *Metaph.*, cap. 1, sect. 3, 4.

(2) Cfr. S. Thom. ibid.

(3) Suarez, disp. *Metaph.* 1, sect. 6, n. 26.

(4) Loc. cit.

(5) Aristot., lib. 1.° *Posterior.*, loc. cit. Cfr. S. Thom. lib. 1.° *Posterior.*, lect. 30.

(6) Fonseca, lib. 1.° *Metaph.*, cap. 1, q. 4, sect. 3, *Secunda conclusio.*

Alii vero e converso existimant, communia illa principia seu dignitates non egere propria inductione singularium et experimento, sed, supposita sensuum apprehensione, sufficere lumen intellectus, ut illico, abstractis speciebus intelligibilibus terminorum, assentiatur hujusmodi principiis. Ita Toletus (1), qui pro se citat inter antiquos Albertum, Ægidium et Lincolniensem.

Resolutio dubii. Placet controversiam hanc dirimere cum Eximio Doctore, cujus sententia mihi valde rationabilis videtur. «Si de experientia proprie dicta sit sermo, inquit, mihi videtur distinctione utendum, tam in principiis ipsis, quam in modo acquirendi scientiam. Dixi, *si de experientia propria sit sermo*, quia si generatim agatur de quacumque sensibili cognitione necessaria ad terminorum apprehensionem et intelligentiam, clarum est, hanc esse necessariam ad cognitionem principiorum, quia omnis nostra cognitio a sensu incipit; hæc autem non est proprie experientia, quæ, ut ex dictis constat, in judicio seu habitu judicativo consistit; et de hac sine dubio locutus est Aristoteles.»

«De hac ergo loquendo, distinctione utendum est, principia enim non omnia æqualia sunt. Est enim in primis unum vel alterum generalissimum et notissimum, scilicet: *Quodlibet est, vel non est: Impossibile est idem simul esse et non esse.* Et ad hæc cognoscenda nulla requiritur experientia, sed sola terminorum apprehensio, intelligentia seu explicatio. Immo vix possunt illa principia ad positivam experientiam reduci: nam licet de quocumque singulari possimus experiri quod sit; tamen, quod tunc non careat existentia, non possumus positive experiri distincto experimento ab eo, quo videtur illud esse; sed sola intelligentia id percipitur, explicatis terminis. Et hoc videtur adeo per se notum, ut alia probatione non indigeat. Possumus tamen ad majorem explicationem exemplum adhibere: nam si hominem rusticum, qui ob ignorantiam terminorum nescit assentiri illis principiis, velimus inducere ad eorum assensum, nulla certe nova experientia utemur, sed solum conabimur ita terminos explicare, ut intelligat rem, quam videt esse, non posse absolute non esse.»

(1) In lib. 2. *Posterior.*, cap. ultim., in *quæstion.*

«Præter hæc vero principia notissima, de quibus vix potest, ut opinor, esse controversia, quin propriam experientiam non requirant, sunt alia etiam valde universalia et communia fere omnibus scientiis, ut: *Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se:* et: *Omne totum est majus sua parte:* et: *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, æqualia sunt.* Et de his distinguere oportet, quando talium principiorum notitia inventione acquiritur, vel disciplina. Nam in hoc posteriori modo existimo non esse necessariam experientiam proprie sumptam; sed supposita illa, quæ ad distinctam notitiam terminorum satis sit, et explicatis sufficienter per doctrinam rationibus terminorum, absque alia experientia posse intellectum assentiri suo lumine cum sufficienti evidentia et certitudine. Et ratio est, quia hæc, quæ requiruntur ad hujusmodi assensum evidentem, sive sit experientia, sive quæcumque alia terminorum declaratio, non requiruntur ut formalis ratio assentiendi, neque etiam ut principium per se efficiens seu eliciens actum assentiendi, sed ut sufficiens applicatio objecti (ut mox videbitur). Sed nulla est sufficiens ratio, quæ suadeat experientiam rigorose sumptam, prout includit multorum singularium intuitionem et collationem et inductionem, esse necessariam ad sufficientem applicationem horum principiorum per sufficientem apprehensionem terminorum, eorumque rationum intelligentiam aptamque compositionem. Cur enim non potest hoc per doctrinam supplere, adhibito ad summum uno vel altero exemplo sensibili, quo satis penetrato per intellectum, statim apparet per se evidens veritas principii?»

«Atque hoc ipsum confirmat experientia: ad admittenda enim hæc principia in doctrinis nullus expectat plurium singularium inductionem, vel experimentalem cognitionem, sed facillimo negotio rationes terminorum quisque intelligit, et statim illorum veritatem mente intuetur, præceptoris mediocri diligentia adhibita.»

«At vero, qui sola inventione scientias acquirunt, indigent experientia ad horum principiorum cognitionem: quia sine illa et sine exteriori adjutorio præceptoris et doctrinæ non possunt hæc principia satis proponi, aut rationes terminorum satis cognosci, ut illis evidens præbeatur assensus. Atque

hoc confirmant testimonia Aristolis, et usus ipse satis id-ipsum docet. Ratio autem est, quia nostra intellectiva cognitio valde limitata est et imperfecta, nimiumque a sensu pendet, et ideo sine sufficiente adminiculo ejus non potest cum sufficiente certitudine et firmitate procedere; et inde accidit sæpe, ut qui multum de intellectu confidunt, sensum deserentes, facile in rebus naturalibus errent, ut annotavit Aristoteles 8.° Physicorum, cap. 3.»

«Oportet autem hic limitationem adhibere, nimirum hoc regulariter intelligendum esse; nam adeo posset aliquis pollere ingenio, et tam attente ac considerate rationem totius et partis v. g. in uno tantum singulari perpendere, ut veritatem totius principii inde statim eliceret. Sicut dicunt Theologi animam Christi ex sola efficacia naturalis ingenii sine speciali adminiculo supernaturali, ex uno phantasmate elicuisse multas veritates vel principia. Quia medium experientiæ non est tam necessarium, quin possit aliunde suppleri.»

«Alia denique sunt principia particularia et propria singularum scientiarum. Et de his verisimile est, necessariam esse experientiam et collationem multorum singularium ad firmum et evidentem assensum eorum, non tantum via inventionis, quod est notissimum, sed etiam via disciplinæ; quia rationes terminorum in his principiis non sunt ita notæ ac faciles, ut sufficiat quælibet propositio eorum, nisi is, qui addiscit, eas conferat cum singularibus, quæ novit, et videat cum illis et cum omnibus, quæ de talibus rebus expertus est, recte consentire; nunquam item talia principia instantiam, ut dicunt, passa esse.»

«Denique in his tanta fere semper est difficultas, ut vix perveniatur ad assensum proprium principiorum, seu per se notum, de illis habendum, sed in inductione et notitia a posteriori sistatur. Ergo signum est ad obtinendum assensum evidentem, ex ipsorum terminorum rationibus probe cognitis, multam esse necessariam experientiam, majorem quidem via inventionis, aliquam vero via disciplinæ; quamvis pro ingeniorum diversitate major etiam vel minor sufficiat» (1).

(1) Suarez, disp. *Metaph.*, 1, sect. 6, n. 26-29.

ARTICULUS II.

Utrum assensus principiorum sit discursivus, et an et quomodo causetur ab experientia.

Alterum dubium procedens ex doctrina præcedentis articuli.

210. Ex hactenus disputatis illud videtur sequi, primorum principiorum cognitionem et assensum discursivum esse, utpote qui habetur ex prævia cognitione experimentali et inductione; cognitio namque per inductionem habita discursiva est. At si cognitio principiorum discursiva sit, eo ipso ruet id, quod superius statuimus, docentes non omnia probari posse, sed aliqua esse admittenda principia indemonstrabilia, quæ scientiarum sint basis ac fundamentum. Neque enim dici potest ipsam cognitionem experimentalem loco primi fundamenti habendam in scientiis esse, cognitio siquidem experimentalis contingens est ac particularis. Itaque si prima illa judicia universalia et necessaria, quæ ope experientiæ, ut vidimus, pronuntiantur, discursum habeant, nullum amplius remanebit veri nominis principium.

Unde pendeat quæstionis solutio.

Hujus solutio quæstionis pendet a causalitate vel influxu, quem in assensum principiorum exercet præcedens experimentum. Si enim experimentum non per se influat, nec se habeat instar motivi ad assentiendum principiis, sicut ipsa principia et præmissæ influunt, ut nunc supponimus, in conclusionem, sed sit mera conditio; plane patet nullum intervenire dicursum in assensu principiorum, quantumvis prævie requiratur cognitio experimentalis. Si autem experimentum tamquam causa per se influat, ac per modum motivi; haud facile apparet, quomodo assensus principiorum discursu vacet.

Antequam, quid hac in re verosimilius nobis videatur, aperiamus, iterum notandum venit, sermonem hic esse de principiis simpliciter indemonstrabilibus, quæ nempe immediata sunt ac per se nota, et proprie atque absolute prima, non vero de principiis indemonstrabilibus secundum quid, quæ licet demonstrari possint, et reapse demonstrentur in aliqua altiori scientia, non tamen demonstrantur, sed assu-

muntur tamquam fundamenta in illa scientia, in qua locum obtinent principiorum.

211. PROPOSITIO 1.a **Experientia nequit esse causa proprie et per se assensus principiorum, sed occasio dumtaxat vel conditio manuducens intellectum, non afferendo rationem vel motivum assentiendi, sed disponendo ac juvando, ut rite penetret terminos, et sic firmiter asssentiatur.**

Ita communissima sententia Philosophorum cum Aristotele (1), S. Thoma (2), Suarez (3), Conimbricensibus (4), Fonseca (5), Cosmo Alamannio (6) aliisque.

Experimentum se habet dumtaxat instar conditionis ad colligenda principia,

Prob. 1.° Quia cognitio principiorum est maxime universalis, necessaria et infallibilis metaphysice; experimentalis autem est particularis, nec metaphysice necessaria vel infallibilis. Atqui cognitio particularis nec metaphysice certa, nequit esse causa per se ac motivum cognitionis universalis ac metaphysice infallibilis et necessariæ. Ergo...

Et re quidem vera, sive contendas experientiam esse unicum motivum assensus in principiis, sive partiale dumtaxat, et quod ut causa inadæquata influat simul cum alio motivo universali ac metaphysice necessario et infallibili; planum est, principiorum assensum, utrolibet modo causatum ab experientia, metaphysica necessitate atque infallibilitate gaudere non posse, nisi velis effectu superari causam in perfectione. Tunc enim assensus principiorum foret instar conclusionis ex utraque, vel saltem alterutra, præmissa particulari nec per se metaphysice necessaria. Jam conclusio ex utraque, vel etiam ex alterutra, præmissa particulari nec metaphysice necessaria fluens, universalis ac metaphysice infallibilis esse non potest.

Prob. 2.° Intellectus, ut principiis assentiatur, debet perspicere necessariam atque immutabilem connexionem et identitatem extremorum. Si ergo experientia foret motivum

(1) Lib. 1. *Poster.*, cap. 3; 1.° *Topicor.*, cap. 1.
(2) Locis mox citandis.
(3) *Met.* disp. 1, sect. 6, n. 26
(4) In lib. 1. *Posterior.*, cap. 1, q. 2. a 3.
(5) Lib. 1. *Metaph.*, cap. 1, q. 4, sect. 4 ad 4.um
(6) *Summ. Philosoph.*, Prim. part. q. 21, a. 2 ad 3.um, 4.um

et causa per se assensus principiorum, ipsa quoque foret lumen manifestans prædictam extremorum connexionem. Id porro impossibile videtur.

Nam experientia solum refert factum, purumque phænomenum *actualis* connexionis extremorum in his casibus concretis, quorum memoria retinetur, minime autem ad ipsam spectat judicium de necessitate atque universalitate prædictæ connexionis in quocumque casu etiam possibili, et nondum experientiæ subjecto. Aliunde vero ex sola actuali connexione extremorum nequit necessitas colligi prædictæ connexionis, quandoquidem actualis connexio datur revera non solum inter ea, quæ separari nequeunt, ut sunt v. g. *homo* et *risibile*, sed etiam inter ea, quæ non repugnat separari, et proinde contingenter conjunguntur, qualia sunt *homo* et *album* vel *doctum*. Vide Conimbricenses (1).

208. PROPOSITIO 2.ª **Assensus principiorum, licet præviam postulet experientiam, discursivus tamen non est (2).**

quamobrem assensus principiorum discursivus non est.

Prob. 1.° Ex communi Philosophorum effato, dictitantium ita se habere principia in speculativis, sicut finis ultimus in practicis. Atqui in practicis finis ultimus non appetitur propter aliud, sed e converso cætera propter ipsum appetuntur. Ergo etiam principiis non assentimur, propter aliud motivum ab ipsis extremis diversum.

Prob. 2.° Si assensus principiorum foret discursivus, vel habet discursum a priori, vel a posteriori. At neutrum dici potest. Non primum, quia secus nulla daretur propositio immediate nota. Non alterum, quia tunc dicendum foret experientiam influere per se in assensum principiorum: cujus contratium ostendimus.

Confirmatur 1.° congruentia illa, qua utitur Angelicus Doctor (3) ex Dionysio (4). Nam *divina sapientia sic universa disposuit, ut supremum infimi attingeret infimum supremi. Sed*

(1) Lib. 1.° *Posterior.*, cap. 1, q. 2, art. 3.°

(2) Vide S. Thom. *de Veritat.*, q. 16, a. 1; *Ethicor.* lib. 6, lect. 5; Scot., 1.° dist. 3. q. 4; et 1.° *Poster.*, cap. 1, q. 1, et auctores citat. in præced. proposit.

(3) *De Veritat.*, q. 16, a. 1.

(4) *De Divin. Nomin.*, cap. 7.

nostra suprema cognitio naturalis est principiorum. Ergo ut attingat modum cognoscendi angelicum, qui est sine discursu, non erit discursiva (1).

Confirmatur 2.° comparatione fidei divinæ. «Assensus fidei in fideli adulto pendet minus principaliter a rationibus probabilibus, quibus manu ducitur ad credendum; et tamen, quia præcipua causa assentiendi est divina auctoritas, non est assensus discursivus. Ergo licet principium aliquo modo inductionem prærequirat, cum principaliter, immo absolute, fiat ex penetratione terminorum cum lumine intellectus, non erit discursivum» (2).

Et sic relinquitur, solum lumen intellectuale esse causam per se assensus principiorum præeunte experimento per modum conditionis, ut manu ducatur ad firmiter assentiendum.

Quomodo inductio et experientia manuducat ad assensum principiorum.

212. **Jam si quæras**, quomodo experientia et inductio manu ducat intellectum ad assensum principiorum, non una est auctorum sententia. Cajetanus enim (3) et alii existimant experimentum inservire ac necessarium esse non solum ad rite apprehendendos percipiendosque terminos complexionis, sed etiam ad ipsam complexionem extremorum peragendam.

Alii vero censent, experimentum necessarium esse dumtaxat ad claram perceptionem penetrationemque terminorum, quibus sufficienter penetratis, intellectus illico firmiter adhæret principia pronuntiando. Ita Antonius Andreas apud Conimbricenses (4) et, ut videtur, etiam Fonseca (5) et Suarez (6).

P. Cosmus Alamannius utitur distinctione. Quædam enim sunt principia universalia omnium scientiarum, quæ axiomata seu dignitates appellantur; «et horum cognitio principiorum, inquit, non fit ex præexistenti cognitione experimentali ratione complexionis terminorum, ex ipso enim lumine naturali intellectus agentis hujusmodi prima principia fiunt cognita, nec acquiruntur per ratiocinationes, sed solum per

(1) Conimbricens., lib. 1, *Posterior.*, cap. 1, q. 2, a. 3.
(2) Conimbric. ib.
(3) In lib. 2.um *Posterior.*, cap. 13.
(4) Loc. cit. q. 2, a. 3, *Ut igitur omittamus.*
(5) Loc. sup. cit.
(6) Loc. sup. cit.

hoc, quod eorum termini innotescunt, ut dicit Philosophus (1). Scito enim quid *totum* et quid *pars*, cognoscitur quod *omne totum est majus sua parte...*»

«Quædam vero sunt (principia), quorum termini non sunt apud omnes noti, quæque non est necesse habere in mente quemlibet, qui debet doceri in demonstrativa scientia, quæ *positiones* dicuntur; et hujusmodi principiorum cognitio, ratione complexionis terminorum, necessario debet fieri ex præexistenti cognitione experimentali» (2).

Equidem crediderim experientiam necessariam dumtaxat esse, ut termini ipsi sufficienter penetrarentur. Terminis autem sufficienter penetratis, ipsum naturale lumen facile intellectum adiget ad firmiter assentiendum principiis. Et hoc tandem modo inductio experimentalis juvat, et manu ducit intellectum in assensum principiorum. Nec video, quid amplius requiratur in propositionibus immediatis, qualia sunt omnia principia, sive sint dignitates sive positiones, ad firmissimum assensum præter terminorum claram perceptionem penetrationemve.

Quæ vero P. Alamanni ex Aristotele (3) mutuatur, ipsi non favent revera. Ibi enim Philosophus, ut vidimus in articulo præcedenti, tractat generatim modum colligendi et cognoscendi principia; et nulla facta distinctione axiomatum positionumve, docet illa experimento atque inductione indigere. Quo ergo jure, quæ generatim a Philosopho dicuntur, ad solas positiones detorqueamus?

Dices 1.° Cum Alamannio: «Si universalia, ex quibus procedit demonstratio, cognosci possunt absque inductione, et consequenter sine præexistenti cognitione experimentali sensitiva, sine qua essse non potest inductio; sequeretur, quod posset homo accipere scientiam eorum, quorum non habet sensum; quod est impossibile» (4).

Sed facilis est responsio. Negatur enim sequela. Aliud nempe est experientiam necessariam esse ad cognoscenda

---

(1) 1.° *Posterior.*, cap. 3, text. Comm. 6.
(2) Alaman. *Summ. Philos.*, Prima part., quæst. 21, art. 2.
(3) 2.° lib. *Posterior.*, cap. ultimo.
(4) Ita P. Alamanni, loc. cit.

principia, et aliud experientiam esse necessariam non solum ad sufficientem apprehensionem terminorum, verum etiam ad complexionem et unionem eorumdem. Primum nos quoque admisimus cum communi sententia in articulo præcedenti; alterum autem, donec probetur, nolumus admittere.

Dices 2.° Cum Cajetano: Ex Aristotele (1) experientia edocemur, quod hæc medicina Calliæ profuerit itemque Socrati, ac eodem modo pluribus singulatim. Ergo experimentalis cognitio complexa est, non mera simplex apprehensio, et consequenter complexæ cognitioni intellectus deservit. Ideo etiam Philosophus ait (2) quod ex experimentali cognitione hujus et illius fiat universale complexum.

Resp. iterum *negando* consequentiam. Hæc enim solum probant experimentalem cognitionem esse necessariam ad assentiendum principiis, non autem probant eam esse necessariam non solum ad rite penetrandos terminos, verum etiam ad uniendos.

Dices 3.° Oportet ponere aliquod motivum et determinativum intellectus ad talem complexionem faciendam. Termini autem, seorsim accepti, licet si componerentur, haberent ex se evidentiam, non sufficiunt tamen ad movendum et determinandum intellectum ad hanc potius, quam illam compositionem. Experimur enim sæpe, quod habemus diu multorum terminorum conceptus absque notitia principiorum complexorum, quæ ex illorum terminorum conjunctione constat. Fateor enim me cognovisse quid sit *æquale*, quid *demere*, quid *remanere*, nescivisse tamen hoc principium: *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*. Oportet ergo ultra conceptus terminorum incomplexorum ponere aliquod determinativum seu motivum intellectus ad talem compositionem. Tale autem motivum est in sensu, quia Aristoteles ante cognitionem principiorum nullum motivum novit nisi sensum. Ergo necessario cognitio complexa principiorum requirit sensitivam experimentalem.

Resp. eamdem esse solutionem hujus argumenti. Fatemur enim, ex dictis in articulo præcedenti, cognitionem

(1) Lib. 1.° *Metaph.*, cap. 1 in procem.
(2) Ibib.

experimentalem, saltem ut plurimum, præcedere debere ante principiorum assensum etiam in ipsis axiomatis; censemus autem id requiri dumtaxat, ut vis terminorum clare penetretur. Si enim vis terminorum clare penetretur, intellectus non eget ulteriori motivo ac determinativo ad assentiendum: quo si egeret, assensus ille non foret *ex ipsis terminis tantum*, nec immediatus, sed mediatus, ac discursivus. Quin etiam in contraria opinione experientia non tantum *manu duceret* intellectum ad assensum principiorum, verum etiam per modum motivi determinaret, contra ea, quæ superius ex communissima doctrina statuimus.

Verum hactenus de his, neque enim necesse est omnia minutatim persequi in quæstione obscurissima, nec sane maximi momenti.

DISPUTATIO TERTIA.

DE DISCURSU ET ARGUMENTATIONE.

Suppositis notionibus, quas circa discursum in Dialectica explanavimus, restant nunc enucleandæ abstrusiores quædam controversiæ tum generatim de argumentatione, tum de præcipua ejus specie, demonstratione, quæ communis parens est scientiarum omnium.

CAPUT I.

DE DISCURSU GENERATIM.

Discursus generatim est, ut alibi diximus, operatio mentis, qua ex una cognitione ad aliam procedimus. Neque enim perinde est unum cognoscere *in* alio, vel post *aliud*, et *ex* alio. Quando unum cognoscitur *in* alio, utrumque cognoscitur eodem actu cognitionis; unum cognosci *post* aliud importat meram actuum succesionem, sive cognitiones illæ habeant inter sese connexionem ac dependentiam, sive non habeant.

At unum cognoscere *ex* alio non solum importat duos actus distinctos ac successivos cognitionis, sed insuper dependentiam alterius ab altera (1). De qua re varia occurrunt dubia.

ARTICULUS I.

In quo consistat essentia syllogismi.

213. Quoniam in omni discursu adest antecedens et consequens, vel si mavis, omnis syllogismus, quæ forma est discursus præstantissima omnium, præmissas continet et conclusionem; disceptatur inter Logicos, num essentia syllogismi sola conclusione syllogismi absolvatur, an vero coalescat ex præmissis et conclusione. Qua in re Albertus M., Niphus et alii apud Conimbricenses (2), negant conclusionem esse de essentia syllogismi, sed volunt esse illius dumtaxat effectum et finem. Philoponus vero (3), Rhodes (4) aliique e converso docent præmissas minime spectare ad syllogismi essentiam, sed essentiam sitam formaliter esse in sola illatione conclusionis ex præmissis, licet quasi materialiter et in obliquo comprehendat præmissas quoque et conclusionem. Tertia demum et longe communior sententia tenet essentiam syllogismi in complexu præmissarum conclusionisque reponendam esse. Ita existimant Conimbricenses (5), Alamanni (6), Joannes a S. Thoma (7), Arriaga (8), Oviedo (9), Soarez lusitanus (10), De Benedictis (11), Lossada (12), aliique.

Sententiæ auctorum:

sententia communior

214. **Et hæc videtur probabilior sententia.**

---

(1) Vide fuse dicta de hac re in Dialect. Disput. 3, cap. 1, art. 2.
(2) In libr. 1.um *Prior. analyticor.*, cap. 1, quæst. 2, art. 2 vers. fin.
(3) Apud Conimbricens. ibid.
(4) *Philos. perip.*, lib. 1, disp. 4, quæst. unic., sect. 2.
(5) Loc. nup. cit.
(6) *Summ. Philos.*, Part. 1, quæst. 20, art. 2.
(7) *Logic.*, *Illustrationes in Summulas*, quæst. 8, art. 3.
(8) *Logic.*, disp. 15, n. 11.
(9) *Logic.*, *Controver.* 9, cap. 1.
(10) *Logic.*, tract. 8, disp. 2, sect. 2, n. 63 seqq.
(11) *Logic.*, lib. 4, quæst. 1, cap. 1.
(12) *Logic.*, tract. 6, disp. 1, cap. 1.

probatur.

Prob. 1.° Ex Aristotelica syllogismi definitione, quam omnes uno ore recipiunt in Dialectica. Definitur nempe syllogismus *oratio, in qua, quibusdam positis, aliud quidpiam ab iis, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt* (1). Unde habetur syllogismum esse orationem, eamque orationem, quæ plura complectatur, et ea, ex quibus aliud derivetur, ut consideranti patet.

Enimvero si ex mente Aristotelis syllogismus hæc omnia non complecteretur, sed aut solas præmissas, aut solam conclusionem, definiendus esset *oratio, ex qua* aliud quidpiam sequi necesse est, vel oratio, *quæ* ex aliis quibusdam positis necesse est evenire aut sequi.

Prob. 2.° Quia ex iisdem præmissis per solam conclusionis diversitatem diversus conficitur syllogismus, ut manifestum est in modis directis et indirectis primæ figuræ; et e converso, si eadem conclusio ex diversis præmissis colligatur, diversus quoque evadit syllogismus (2). Adde quod eadem ipsissima conclusio potest colligi argumentando per formam sive syllogismi sive enthymematis, sive inductionis etc. Si ergo essentia syllogismi tota quanta est, sisteret in conclusione, dicendum foret syllogismum posse essentialiter non discrepare ab aliis formis argumentationis.

Sola intuitio illationis non constituit discursum.

Denique neque etiam sola intuitio illationis vel consequentiæ constituit discursum. *Non enim ex hoc aliquis ratiocinatur vel discurrit, quod inspicit qualiter ex præmissis conclusio sequatur, simul utrumque considerans, hoc enim contingit non argumentando, sed argumenta judicando. Sicut nec cognitio materialis est ex hoc, quod materialia dijudicat* (3).

Hinc licet Deus etiam videat hujusmodi consecutiones inter præmissas et conclusionem; et generatim inter varias veritates, non discurrit. Et similiter Angeli non discurrunt.

Dices 1.° Aristoteles syllogismum demonstrativum definit *syllogismum vel ratiocinationem, quæ scientiam efficit.* Cum ergo in ea definitione scientia importet conclusionem ex præmissis necessariis derivatam, Philosophus videtur syllo-

(1) Vide Arist., lib. 1, *Prior. Analyticor.*, cap. 1.
(2) Vide Lossada, loc. cit.
(3) S. Thom. 1.ª *Contr. Gent.*, cap. 57, initio.

gismum demonstrativum, atque adeo etiam alium quemcumque, in solis præmissis reposuisse; illæ quippe sunt causa conclusionis.

Resp. Definitio illa, qua demonstratio dicitur efficere scientiam, intelligi potest commode in sensu formali, nempe syllogismum demonstrativum esse actum vel formam, quæ dum inhæret intellectui, denominat illum scientem, sicut albedo est forma constituens ac denominans album, et calor, calidum.

«**Respondetur 2.°** syllogismum dici causare scientiam aut opinionem, quia secundum unam sui partem causat aliam, hoc est, secundum præmissas efficit conclusionem. Nec est incommodum in rebus, quæ non sunt unius essentiæ, unam partem esse causam effectivam alterius, quemadmodum in compositis naturalibus una est causa formalis vel materialis alterius» (1).

Dices 2.° Discursus est una cognitio ex alia. Ergo solam importat essentialiter cognitionem ex alia derivatam.

Resp. *neg.* assertum, quia non est una simplex cognitio, sed complexio plurium cognitionum; quare potius est progressio vel processus ab una in aliam cognitionem, quam cognitio ex alia derivata.

COROLLARIUM. Ex iis infertur, syllogismum actum simplicem non esse, sed compositum: de quo alibi disputandum est, cum de judicio agetur. Interea vide, sis, Cosmum Alamannium (2).

ARTICULUS II.

Quomodo præmissæ causent conclusionem.

Status quæstionis.

215. Quod antecedens vel præmissæ aliquo modo causent conclusionem, communis est vox Philosophorum. Ob eamque causam distingui solet duplex discursus, alter impro-

(1) Conimbric., loc. cit, fin. artic.

(2) *Summ. Ppilos.*, Prim. part, q. 20, art. 2. Cfr. Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 1, cap. 1, n. 3.

prius, secundum meram successionem plurium cognitionum, alter proprius secundum causalitatem, quatenus una cognitio procedat, et causetur ex alia; et hic secundus necessarius esse dicitur ad veram ratiocinationem, quemadmodum monuimus in Dialectica (1). Non est tamen adeo certum quamnam exerceant causalitatem præmissæ respectu conclusionis.

Ut porro statum quæstionis rite percipias, ac terminos, quibus utuntur Auctores, intelligas, nota præmissas considerari posse dupliciter: *objective* seu *materialiter*, et *subjective* seu *formaliter*. Præmissæ objective seu materialiter spectatæ sunt ipsum objectum vel res, quæ per judicium mentis exprimitur, vel circa quam mens judicat in præmissis; præmissæ autem formaliter spectatæ sunt ipsi assensus vel judicia mentalia. Et præsens dubitatio versatur potissimum circa præmissas formaliter sumptas.

Quotuplex causalitas et de quanam hic agatur.

Deinde causa et causalitas, ut aliunde notum nunc supponimus, potest esse vel *finalis*, vel *materialis*, vel *formalis*, vel *efficiens*. Ac difficultas sita est circa efficientem causalitatem; nempe dubium est, an præmissæ sint causæ efficientes conclusionis. Etenim constat apud omnes non posse præmissas esse causas finales conclusionis, cum potius e converso conclusio sit finis præmissarum, siquidem harum assensus ordinatur ad inferendam conclusionem tamquam ad finem suum proprium. Et idem dicatur de causalitate materiali, si proprie loqui velimus; nam causa materialis est illa, quæ causat per modum subjecti sustentantis actum vel formam aliquam. Quis porro dicat assensus præmissarum esse subjectum sustentans assensum conclusionis? Solum dici potest sumendo præmissas et conclusionem objective, præmissas esse causam materialem conclusionis in sensu minus proprio, quatenus materia conclusionis est eadem ac præmissarum, seu quatenus hæc materiam illi præbent ac terminos, nam termini conclusionis fuerant prius termini præmissarum (2).

---

(1) Vide S. Th., 1.° *Contr. Gent.*, cap. 57, *Amplius, in omni scientia;* 1 p. q. 14, a. 7.

(2) Vide Aristotelem 2.° *Physicor.*, text., comm. 31; et S. Thomam (ib. lect. 5, vers. fin.) ita diserte loquentes: *Ex terminis propositionum constituitur conclusio. Unde secundum hoc propositiones dicuntur materia conclusionis, licet non secundum quod stant sub*

Ob eamdem rationem præmissæ non possunt esse causæ formales vel forma, saltem intrinseca, conclusionis, quia non illam actuant vel informant. Dixi forma saltem intrinseca, quia concedunt plures Doctores præmissas esse causam formalem extrinsecam conclusionis, quia sunt motivum formale vel ratio formalis *sub qua* assensus illius.

Variæ sententiæ:

Circa causalitatem ergo præmissarum respectu conclusionis est multorum sententia, præmissas esse causam

prima,

efficientem conclusionis. Et ita existimat S. Thomas (1), Ferrariensis (2), Dominicus Soto (3), Toletus (4), Rubius (5), Conimbricenses (6), Franciscus Soarez lusitanus (7), De Benedictis (8), Alamanni (9), P. Ant. Bernald. Quiros (10), Complutenses (11), Joannes a S. Thoma (12), Cosmas de Lerma (13), Mastrius de Meldula (14), Pontius (15), aliique. Prima hæc sententia tribuit præmissis physicam efficientiam in conclusionem ita, ut assensus ipsi præmissarum simul cum potentia intellectiva producant assensum conclusionis ad eum modum, quo species intelligibilis potentiam informans physice producit intellectionem.

---

ordine propositionum: sicut farina dicitur materia panis, licet non secundum quod stat sub forma farinæ. Ideo tamen potius dicuntur propositiones materiam conclusionis, quam e converso; quia termini, qui conjunguntur in conclusione, separatim ponuntur in præmissis. Cfr. etiam *Metaphysicor.*, lib. 5, lect. 3, initio.

(1) Locis nup. cit.; et lib. 1.° *Posterior.*, lect. 3 initio; 1.° *Cont. Gent.*, c. 57, *Amplius*, arg. 4.

(2) In. lib. 1.um *Contr. Gent.*, cap. 57, arg. 4.

(3) In lib. 1.um *Poster.*, cap. 1, quæst. 1, ad 2.um

(4) In lib. 1.um *Posterior.*, cap. 1, in fin. expositioni stextus primi, *Adverte præterea.*

(5) In lib. 1.um *Posterior.*, cap. 1, quæst. 5.

(6) In lib. 1.um *Posterior.*, cap. 1, quæst. 4, a. 2.

(7) *Logic.*, tract. 8, disp. 2, sect. 4, paragr. 4.

(8) *Logic.*, lib. 4, q. 1, cap. 2.

(9) *Summ. Philos.*. Prim. part., q. 25, art. 4.

(10) *Opus Philosoph.*, tract. 2, part. 6, disp. 32, sect. 5.

(11) *Log.*, disp. 17, q. 3.

(12) *Logic.*, q. 24, a. 2.

(13) *Philos. ex doctr. sapientissimi Magistri Fr. Domini de Soto*, tom. 2, lib. 8, q. 3.

(14) *Logic.*, disp. 11, q. 3.

(15) *Integer Philosoph. curs., Logic.*, disp. 20, q. 2.

quæ bifariam explicari potest:

Iste porro concursus præmissarum in assensum conclusionis dupliciter intelligi potest: primo ita ut ipsi assensus præmissarum immediate per seipsos simul cum intellectu producant assensum conclusionis, sicut species producit simplicem apprehensionem, vel sicut in sententia quorumdam Thomistarum (1) actus intellectus concurrit ad productionem actus voluntatis: secundo ita ut per assensus præmissarum producatur in intellectu species quædam impressa distincta ab speciebus, quæ per intellectum agentem abstrahuntur a sensibilibus, et illa deinceps simul cum intellectu producat assensum conclusionis: quo modo plures docent sensationes externas concurrere ad actum sensationis internæ, quatenus nempe visio v. g. oculorum producat, et imprimat in sensu interiori speciem quamdam, qua mediante, actus consentaneus in eo generetur (2). Verum fusior hujus rei declaratio ad Psycologiam spectat.

secunda sententia:

Alia est sententia negans præmissis efficientem causalitatem in conclusionem. Eaque tribui solet Durando (3), ac postea propugnata est ab Hurtado (4), Arriaga (5), Georgio Rhodes (6), Francisco Oviedo (7) et aliis, qui arbitrantur præmissas concurrere ad eliciendum assensum conclusionis, «quasi directive, quatenus ostendendo identitatem extremorum cum medio, inclinant et determinant intellectum ad affirmandam identitatem eorum inter se: quod genus concursus illuminando, invitando, inclinando, dicitur causalitas moralis, qualem habent regulæ artis in artefacta, et juxta communem sententiam, cognitio objecti amabilis in amorem» quemadmodum scribit P. Ludovicus Lossada (8). Hanc causalitatem vocant etiam propriam causæ formalis extrinsecæ (9).

---

(1) Vide v. g. Cajetan., in 1 p, q. 80, a. 2.
(2) Cfr. Complutens., *Log.*, disp. 17, q. 3, n. 34.
(3) Lib. 2, dist. 24, q. 1, num. 12.
(4) *De Anim.*, disp. 7, sect. 8.
(5) *Logic.*, disp. 15, sect. 5.
(6) *Philos. perip.*, lib. 1, disp. 4, quæst, unic., sect. 1, Dico 3.ª
(7) *Log.*, *Controv.* 9, punct. 5, n. 6.
(8) *Log.*, tract. 6, disp. 1, cap. 1, n. 4.
(9) Vide Mastrium., loc cit. n. 18.

tertia. Denique sunt alii, ut Aversa et Amicus (1) qui existimant assensum præmissarum se habere ut conditionem agentis et velut instrumentum.

Tota controversia hic, ut vides, versatur circa physicam efficientiam et causalitatem præmissarum. Nam nemo erit, qui non concedat præmissas concurrere ad conclusionem, saltem instar conditionis, et etiam directive illuminando et objective movendo. At primæ sententiæ assertores his non contenti, physicam requirunt causalitatem, cæteri necessariam minime esse arbitrantur.

Eligitur prima, 216. **Harum sententiarum prima, quæ physicam præmissarum causalitatem propugnat probabilior videtur.**

et probatur. **Prob. 1.°** Tria potissimum signa nobis manifestant physicam efficientiam et causalitatem alicujus agentis: α) continentia virtualis illius, cujus causa dicitur: β) assimilatio effectus ad causam: γ) dependentia effectus a causa. Atqui tria hæc videntur deprehendi inter præmissas et conclusionem.

Sane: α) Præmisæ continent virtualiter conclusionem, ut communissima testatur opinio cum Aristotele (2).

β) Præterea conclusio assimilatur præmissis, quatenus sequitur conditionem illarum, sive in gradu certitudinis et evidentiæ, sive in universalitate, sive in veritate; siquidem prout præmissæ fuerint certæ vel contingentes, evidentes vel obscuræ, universales ambæ vel particulares, veræ vel falsæ; ita etiam conclusio est certa vel contingens ac probabilis, evidens vel inevidens, universalis vel particularis, vera vel falsa, saltem per se loquendo. Et notandum est id accidere, quomodocumque se habeat objectum ipsum et materia conclusionis. Etenim licet materia sit certa et evidens objective et prorsus necessaria, conclusio nihilominus accommodabitur naturæ assensuum præmissarum. Atqui hoc nequit in primis explicari dicendo præmissas esse puras conditiones respectu conclusionis; mera enim conditio non potest speciem effectus variare.

Nec secundo satis explicatur hoc in sententia tribuentium moralem dumtaxat causalitatem præmissis. Quia si præmis-

(1) Apud. Mastrium., ibid.

(2) 1.ª *Posterior.*, cap. 1. et. 2.

sæ solum illuminant intellectum, nec ullum complementum intrinsecum addunt illi; non satis percipitur, quomodo conclusio assimiletur illis, quomodo ex sola varietate adjumenti pure extrinseci varietur specificatio conclusionis secundum certitudinem vel probabilitatem aliasve dotes ejusdem.

γ) Denique dependentia conclusionis a præmissis tanta est, ut eadem assertio contenta in conclusione desineret esse conclusio, nisi aliquo saltem modo procederet ex præmissis. Quæ causa est, cur conclusiones discursuum nostrorum, licet enuntientur ab angelis, non tamen habeant rationem conclusionis in illis, quia non asserunt hujusmodi propositiones discurrendo seu inferendo illas ex præmissis, ac per influxum earumdem, sed immediate atque unico simplicissimo actu.

Dices, intellectum ex eo quod est cognoscitivus evidenter, probabiliter et discursive, sufficienter continere, suppositis speciebus terminorum, prædicata seu formalitates omnes illas, quin opus sit recursu ad præmissas, nisi per modum applicationis, aut comprincipii moraliter præcontinentis conclusionem.

Resp. *neg.* assertum. Si enim absque ulla in speciebus mutatione fieri potest, ac porro fit, ut conclusio eadem objective varietur in sua natura physica pro sola varietate præmissarum, necesse est in his aliquam activitatem agnoscere influxumque majorem, quam sit influxus puræ conditionis vel etiam causæ moralis.

Prob. 2.° Motivum formale actus est causa efficiens ejusdem. Atqui præmissæ sunt motivum formale conclusionis, nam sunt ratio impellens ad illius assensum. Ergo...

Hæc tamen ratio probat quidem præmissas, saltem objective spectatas, esse causam efficientem; at non videtur probare, quod præmissæ subjective spectatæ, seu assensus ipsi, in quibus relucent motiva impellentia intellectum ad assensum conclusionis, sint hujus causa efficiens.

Denique confirmatur, quia species impressa concurrit physice ad effectionem cognitionis. Atqui præmissæ habent se instar speciei ad conclusionem. Ergo...

Dices cum Arriaga, non præmissas ipsas, sed species præmissarum concurrere ad eliciendam conclusionem.—**Sed**

respondeo, species solum concurrere ad cognitionem formalem sui objecti; conclusio vero non est objectum specierum præmissarum, sed ipsæ præmissæ. Verum de his agendum est in Psychologia.

In contrarium afferuntur hæc argumenta.

217. **Arg. 1.um** Paritas cognitionis, quæ solum directive concurrit ad actum voluntatis, non vero per physicam causalitatem, itemque paritas apprehensionis suasivæ seu evidentis, quæ, licet determinet, et necessaria quoque sit ad judicandum, non causat effective judicium.

Præterea intentio finis, licet connectatur cum electione mediorum, non causat illam physice, sed moraliter dumtaxat, nempe inclinando voluntatem. Ergo pariter dicendum de assensu præmissarum respectu conclusionis (1).

Resp. *neg.* paritatatem ob ea, quæ in prima probatione notata sunt. Cæterum conclusio magis dependet a præmissis, quam judicium ab apprehensione terminorum, et quia præmissæ per vim illativam conferunt ad conclusionem, et quia conclusio specificatur per præmissas, ut jam notavimus; siquidem conclusio de iisdem terminis ac de eadem materia potest specifice variari pro varietate præmissarum aut principiorum, ex quibus demonstretur.

Arg. 2.um Approximatio ignis ad lignum non causat effective calorem in ligno. Atqui præmissæ sunt intentionalis approximatio motivi ad inferendam conclusionem (2).

Resp. *neg.* Minor. Quid, quæso, responderes illi, qui ob simile argumentum negaret physicam causalitatem speciei impressæ in cognitionem? Negares profecto paritatem. At causalitatem physicam speciei non aliter posses probare, quam argumentis similibus primæ nostræ probationis. Ergo quod de specie communissime dicitur, dicendum quoque videtur de assensu præmissarum, seu de formalibus præmissis.

Arg. 3.um Nequit unus actus vitalis alium actum vitatem producere in eadem potentia: alioquin visio visionem, auditio auditionem pareret (3).

---

(1) Vide apud Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 1, cap. 1, n. 5.

(2) Apud Lossada ib.

(3) Id. ibid.

Resp. *dist.* assertum; si virtute non contineat illum, *conc.*, secus, *neg.* Ad probationem *neg.* assertum, et retorqueo argumentum. Si quid enim ea ratio valet, probabit quoque nullum actum vitalem posse esse conditionem nec moralem causam alterius. Visio certe aut auditio una non concurrit ad alteram etiam per modum conditionis vel causa moralis. Itaque licet unus actus vitalis alium numero solo distinctum gignere nequeat, non apparet ratio convincens quod non possit producere vel active concurrere ad productionem alterius specie diversi. Sic actus imperans habet pro effectu actum imperatum, et in plurium sententia actus imperans producit imperatum

Arg. 4.um Causa efficiens agit, in quantum est actu in rerum natura; quod enim non est, nihil potest efficere. Sed dum intellectus assentitur conclusioni, jam non sunt assensus principiorum. Quia intellectus non potest simul habere plures actus vel assensus, sed unum post alterum. Ergo dum habet assensum conclusionis, jam transivit assensus præmissarum. Quare non poterit esse causa efficiens. Ita Durandus (1), apud Rubium (2).

Resp. *neg.* Minor.; ut enim mox dicemus, dum intellectus assentitur conclusioni, eodem tempore manent in eo assensus præmissarum.

Ad probationem *disting.;* intellectus nequit simul habere plures actus vel assensus invicem ordinatos, atque adeo per modum unius, *neg.*, inter se non ordinatos, ac per modum plurium, *conc.*

Tum *neg.* conseq.

Arg. 5.um Si assensus præmissarum sunt causa efficiens conclusionis, erunt causæ æquivocæ, non vero univocæ, nam sunt assensus specifice distincti, saltem si loquamur de præmissis, quæ sint principia immediata; horum quippe assensus discursivus non est, sed immediatus, assensus autem conclusionis discursivus ac mediatus est. Atqui præmissæ non possunt esse causæ æquivocæ conclusionis. Etenim causa æquivoca est causa universalis, seu quæ se extendit ad

(1) In 2.° dist. 2, q. 2.

(2) In lib. 1.um *Posterior.*, cap. 1, q. 5.

plura genera effectuum, et remota, ut patet v. g. in sole, calore: præmissæ autem proxime, et instar causæ particularis, concurrunt ad conclusionem (1).

Resp. *conc.* Major., et *neg.* Minor., et rationem additam. Quia ratio causæ æquivocæ vel univocæ judicanda non est solum ex eo, quod proxime vel remote, particulariter vel universaliter influat, sed ex eo quod pariat, vel non, effectus ejusdem speciei; si enim effectus sit ejusdem speciei, causa univoca est, secus vero æquivoca. Cæterum non desunt alia quoque exempla causarum æquivocarum, quæ non sunt universales ac remotæ; ita species causat operationem, actus habitum, habitus actum, objectum vel intellectus agens speciem impressam, etc.

Arg. 6.um «Quandoque recordamur actus conclusionis, quin recordemur præmissarum. Ergo potest esse conclusio sine præmissis,» ac proinde conclusio non necessario pendet a præmissis.

«Neque dicas tunc non esse conclusionem; quia ille actus causatur a specie derelicta ab actu conclusionis in memoria: ergo cum species non concurrat nisi ad similes actus, ex quibus fuit producta, jam illa conclusio erit eadem specie, sive cum præmissis sive sine præmissis eliciatur» (2).

Respondeo 1.° adhuc in objecta hypothesi, conclusio pendet a præmissis saltem remote, quia nisi, præcessisset præmissarum assensus, non fuisset earum recordatio, ex qua objicitur fluere conclusionem absque formali existentia ipsarum præmissarum.

Resp. 2.° Ad probandum, quod præmissæ efficiant conclusionem, non puto necesse esse probare, quod nequeat existere eadem conclusio sine talibus formalibus præmissis. Sic ad hoc ut revera calor viginti graduum, qui est in meo cubiculo, procedat a sole efficienter, necesse non est, quod idem gradus caloris nequeat procedere in cubiculo ab alia quoque causa, puta ab igne accenso in camino. Neque ut certum pondus vere dicatur pendere ab hoc clavo, necesse

(1) Ita iterum Durandus, ibid.
(2) Apud Mastrium, loc. cit. n. 22.

est, quod non posit illud pendere ab alio clavo, vel a manu. Quare objectio nihil probat contra statutam doctrinam. Certum enim est conclusionem in omni veri nominis ratiocinio pendere aliquo modo a præmissis; quod vero pendeat tamquam a causa efficiente, satis, credo, probabiliter confirmatum est. Et hæc sufficiunt ad respondendum objectioni, data hypothesi illa conclusionis, quæ ex sola recordatione olim cognitarum præmissarum ponatur, de quo in sequenti articulo aliquid iterum dicendum est.

Arg. 7.um In hac argumentatione: *Omne animal rationale est homo. Ergo Christus est homo;* conclusio non causatur ab antecedente, siquidem est propositio de Fide, ac proinde veritas supernaturalis, supernaturale autem causari a naturali non potest. Ergo verum non est, saltem universaliter, quod præmissæ concurrant ad conclusionem (1).

Resp. Conclusio illa objecti enthymematis in se quidem est veritas de Fide. Si autem affirmetur propter vim illationis, desinet jam esse assensus Fidei, et erit dumtaxat conclusio theologica. Verum hæc ad Theologos spectant.

ARTICULUS III.

Utrum præmissarum assensus existere debet simul tempore cum assensu conclusionis.

Status quæstionis.

218. Extra dubium est, assensum Majoris adesse, cum nondum adest assensus conclusionis, quia nempe prius intellectus ponit Majorem propositionem, ac postea Minorem et conclusionem. Simili etiam modo si mens a Minori exorditur suum discursum, certum est Minoris assensum dari ante assensum conclusionis.

Sed quæstio est, utrum assensus Majoris et Minoris desinant actu existere in intellectu, quando ponitur assensus conclusionis, an vero assensus præmissarum, utcumque inceperint prius, debeant etiam tamdiu perdurare, donec adsit assensus conclusionis, vel si interrupti sunt, debeant iterari ad hoc, ut mens assentiri conclusioni possit.

(1) Apud Mastrium, loc. cit. n. 22.

Et licet quidam arbitrati sint, præmissas ita præcedere assensum conclusionis debere, ut cum hic adest, illæ jam amplius non existant in intellectu, communissima tamen opinio contrarium tenet, præmissas nempe debere existere simul tempore cum conclusione seu perdurare, donec ponatur conclusio (1).

Variæ sententiæ.

Solum disputant hi auctores, utrum sufficiat existentia virtualis et habitualis præmissarum ad conclusionem eliciendam, an vero actualis omnino requiratur. In qua quæstione Conimbricenses (2) et Franciscus Soarez (3) putant sufficere quod præmissæ virtute, nempe in recordatione, adhuc durent, licet non amplius formalis earum assensus detur; negant tamen, satis esse, quod habitu solum, existant præmissæ. At Mastrius (4) cum aliis negat ad conclusionem ponendam sufficere præmissas sive habituales, sive etiam virtuales.

219. DICO 1.° **Præmissæ, necesse est, saltem regulariter loquendo, ut actu simul existant aliquo modo in eodem instanti cum conclusione, quando eam causant.**

Prob. 1.° Quia sive velis præmissas esse causas physicas conclusionis, sive morales dumtaxat, causare conclusionem nequeunt, nisi existant in eodem instanti, in quo ponitur conclusio. Si sunt causæ physicæ, (quod nos tamquam probabilius propugnavimus) quia cum operatio sequatur esse, quod non est actu, non potest actu causare. Ut ergo præmissæ physice efficiant conclusionem, oportet existant tum, cum hæc elicitur. Idemque valet, si præmissæ sint causæ morales dumtaxat, et influant illuminando; quia lux, quæ jam non est, licet prius fuerit, nequit actu illuminare. Quemadmodum etiam ob eamdem rationem cognitio quamvis possit præcedere tempore volitionem, non ita tamen, ut actu sit volitio, quin simul detur cognitio, siquidem impossibile est

(1) Vide Conimbric. in 1.um *Posterior.*, cap. 1, q. 4, a. 1; Rub. ibid. q. 7; Soarez, *Logic.*, tract. 8, disp. 2, sect. 4, n. 78 seqq.; Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 1, cap. 1, n. 8.

(2) Loc. cit., art. 2.

(3) Ib. n. 81, seqq. n. 84 seqq.

(4) *Logic.*, disp. 11, q. 4, n. 26.

voluntatem quidpiam appetere, quod in ipso temporis puncto non monstretur ac proponatur ab intellectu (1).

Prob. 2.° Nisi foret necesse præmissas existere tum, cum ponitur conclusio, fieri posset, ut falsa conclusio inferretur ex præmissis certis atque evidentibus; id quod absurdum esse ille solum ignoraverit, qui nesciat ex vero nonnisi verum sequi posse.

Sane «existat unicus in orbe leo; sed existat in instanti A, et pereat in B; videat illum Petrus existentem in A, et eliciat has præmissas: *Si existit leo, existit rugibile; sed existit leo.* Tum si potest in instanti B legitime inferri conclusio ex præmissis jam non existentibus in B, sed in instanti præcedenti, poterit Petrus in B sic rite concludere: *Ergo existit rugibile;* quod falsum est tunc, Et tamen utraque præmissa fuit evidens, cum extitit» (2).

Quæres autem utrum præmissæ actu *formaliter* existere debeant, cum adest assensus conclusionis, an vero satis sit ut existant habitualiter et virtualiter; ita ut habitus præmissarum et recordatio supplere possit concursum ipsorum actualium assensuum.

220. DICO 2.° **Videtur non sufficere, ut præmissæ habitu dumtaxat existant.**

Et ratio est, quia præmissas habitu existere nihil aliud significat, nisi quod insit menti habitus præmissarum. Atqui habitus præmissarum, sine actuali earum assensu, concurrere nequit ad conclusionem eliciendam. Nam habitus gignere nequit nisi actus similes illis, a quibus ipse productus est. Atqui præmissæ (loquor de principiis immediatis) specie differunt a conclusione. Ergo habitus præmissarum poterit quidem influere in productionem aliorum assensuum circa ipsas præmissas, non vero in productionem conclusionis.

Et hæc quidem valent supposita sententia, concursum physicum præmissis tribuente respectu conclusionis. At idem patet in alia sententia. Etenim cum habitus actus alicujus non illuminet actu, nec reddat, intellectum actu cognoscentem

(1) Vide Soarez, et Lossada, locis cit.
(2) Lossada, loc. cit. n. 8.

objectum præmissarum, sed solum se habeat instar qualitatis mortuæ vel sopitæ; nequit supplere concursum illuminativum ac directivum actualium præmissarum. Sicut etiam habitualis objecti cognitio non sufficit ad hoc, ut voluntas illud appetat, donec actualis ejusdem cognitio præluceat.

Adde quod si habitus principiorum supplere posset actualem eorumdem assensum ad efficiendam conclusionem, conclusio eo modo elicita, revera non foret cognitio discursiva, utpote quæ non penderet nec procederet actu e præcedente cognitione (1).

Quid dicendum de virtuali præmissarum existentia.

221. **Denique utrum sufficiat virtualis præmissarum existentia** in eo consistens, quod quis recordetur se olim præmissas, unde conclusio infertur, cognovisse, iisque assensum præstitisse, sufficiat ad assentiendum conclusioni; videndum jam est.

Affirmant, ut dixi, Conimbricenses ac Soarez, negantibus aliis.

Priori sententiæ favere videtur experientia. Nam sæpe conclusionibus firmiter adhæremus, quin actu præmissas ponamus, immo etiamsi actu nesciamus, qua ratione quibusve principiis ea conclusio innitatur, dummodo recordemur nos olim eas rationes ac fundamenta percepisse. Ex quo videtur illud statim consequi, ad conclusionem aliquam tenendam, absolute non requiri actualem assensum præmissarum, sed sufficere solam recordationem.

Sententia Auctoris.

Circa hanc controversiam equidem existimo, posse proculdubio ex sola recordatione præmissarum asseri propositionem, quæ olim ex illis præmissis tamquam conclusio illata fuit; non tamen adeo perspicuum est, utrum sic asserta propositio revera sit conclusio, vel saltem sit ejusdem speciei conclusio ac illa, quæ per actualem illationem ex iisdem præmissis olim derivata fuit; jam enim superius notavimus eamdem *objective* propositionem posse esse vel non esse conclusionem, prout asseratur, vel non asseratur propter illationem ex alia. Et quod saltem non sit conclusio ejusdem speciei ac illa, quæ ex præmissis actu formaliter existentibus

(1) Cfr. Conimbric., in lib. 1. *Posterior.*, cap. 1, q. 4, a. 2, *Ad confirmationem.*

posita est, mihi persuadeo ex hac ratione. Nam si propositio, ex mera recordatione olim assertarum præmissarum affirmata conclusio est, fluit profecto ex hoc vel simili ratiocinio: *Hoc ita est*, v. g. *Anima humana simplex est, si adsint argumenta, quæ id evincant. Atqui adsunt hujusmodi argumenta; nam recordor me olim ea cognovisse. Ergo hoc est ita, v. g. Anima humana est simplex.* Plane porro vides conclusionem hoc modo elicitam, licet objective eadem sit cum conclusione ex propriis præmissis directe deducta, re tamen vera discriminari ab illa, quia ordinem importat ad diversissimas præmissas.

Sed fortasse neque est veri nominis conclusio, quia nullum continet discursum actualem, sed enuntiatur instar propositionis immediatæ propter confusam recordationem olim habiti discursus et in virtute speciei intelligibilis relictæ ex conclusione olim illata.

Videtur enim propositio hujusmodi ex recordatione præmissarum hoc pacto affirmari; ex assensu conclusionis per justam ratiocinationem derivatæ relinquitur species intelligibilis impressa repræsentans illud objectum: quæ species immediate potest excitari, quin excitentur species præmissarum clare repræsentantes objecta illarum; et sic ex concursu efficiente speciei illius et ex objectiva motione solum confusa præmissarum in recordatione existentium affirmari potest propositio, quæ olim tamquam illatio ex suis præmissis collecta fuerat, quin actu formaliter existant præmissæ in mente, sed solum virtualiter seu in recordatione sint illi præsentes. Verum horum fusior declaratio non est hujus loci (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

222. **Objic.** 1.° Discursus importat, quemadmodum docet S. Thomas, actuum successionem, quia qui discurrit non omnia simul considerat. Ergo oportet, ut prius sint in mente præmissæ, mox conclusio.

Resp. S. Thomam nihil docere contra nos.

Non enim negamus prius poni assensum præmissarum, sed illum debere perdurare, donec adsit assensus conclusio-

(1) Vide interea P. Hurtado, *de Anima*, disp. 7, sect. 7, n. 49; Lossada, *de Anima*., disp. 8, cap. 4, n. 100; Mastrium, loc. cit. n. 22.

nis. Neque vero Angelicus unquam docuit in discursu ita reperiri successionem actuum, ut cessante assensu præmissarum, subsequatur assensus conclusionis.

Objic. 2.° Non potest duplex simul in intellectu dari actualis cognitio, dicente Aristotele: *Contingit autem scire plura* (id est habitualiter) *cogitare vero unum* (1). Ergo cum datur actualis assensus conclusionis, impossibile est simul dari actu assensum præmissarum.

Resp. *dist.* ant., si plurium illarum cognitionum objecta non habeant connexionem, mutuumque ordinem, *trans.*, si ordinem connexionemque habeant, *neg.* Et *neg.* conseq.

Ad rem Angelicus: *Duæ operationes possunt esse unius potentiæ, quarum una ad aliam refertur; ut patet cum voluntas vult et finem, et ea quæ sunt ad finem; et intellectus simul intelligit principia et conclusiones per principia; quando jam scientiam acquisivit* (2).

Et ad Aristotelem eadem est responsio, cum enim idem sit objectum præmissarum et conclusionis, licet simul dentur assensus conclusionis et præmissarum, proprie loquendo non plura cogitantur.

Objic. 3.° Habitus, quo voluntas inclinatur ad amandum finem, inclinatur etiam ad eligenda media, licet intentio finis atque electio mediorum sint actus, specie distincti. Ergo a pari habitus principiorum et præmissarum sufficere poterit ad conclusionem eliciendam, supplendo defectum actualium præmissarum, cum, docente Philosopho, perinde se habeant principia in speculabilibus, ac finis in practicis (3).

Resp. *neg.* parit. Quia nullus habitus vagare potest extra rationem formalem objecti sui, siquidem est genus quoddam potentiæ, quæ ferri extra suum objectum nequit; quæ etiam ratio est, cur habitus principiorum distincti sint ab habitibus conclusionum vel scientiarum. Nam ratio formalis assentiendi principiis est ipsa eorum intrinseca veritas, ratio vero formalis assentiendi conclusioni est partim veritas principiorum, par-

(1) *Topicor.*, cap. 4.

(2) S. Thomas, 1 p. q. 58, a. 7. ad 2.um

(3) Apud Conimbricenses, loc. cit, q. 4, a. 2, *Sed contra Gabrielem;* Soarez, loc. cit. n. 84.

tim etiam veritas ipsius conclusionis, ut alibi dicetur (1). At ratio formalis intentionis finis et electionis mediorum est eadem, finis nempe bonitas: quare unicus habitus satis est ad utrumque actum (2).

Adde, quod conclusionem eliciendam præmissæ debent exercere etiam causalitatem moralem illuminando intellectum circa terminorum identitatem. Quomodo enim mens assentiri conclusioni potest, terminorum identitate non perspecta? Atqui solus habitus principiorum, sine actuali eorumdem assensu vel saltem recordatione, non certiorem reddit intellectum identitatis terminorum. Ergo iterum non est par ratio intentionis finis respectu electionis mediorum, et assensus principiorum respectu assensus conclusionis (3).

Objic. 4.° Id quod potest aliquod agens, potest etiam illius virtus activa, «si loco ejus relinquatur, ut patet in calore producto ab igne, et in semine deciso a vivente. Sed habitus sunt virtutes activæ assensuum præmissarum. Ergo si illi poterant conclusionem efficere, idem quoque hi poterunt» (4).

Resp. antecedens verum non esse in quacumque virtute, sed in ea quæ est suapte natura instrumentum agentis, ut constat in objectis exemplis. At vero habitus principiorum non est naturale eorumdem instrumentum ad conclusionem efficiendam (5).

Objic. 5.° Ad propositionem, quam ex virtuali præmissarum existentia concedimus affirmari posse, videtur concurrere non solum species, verum etiam habitus conclusionis ex præmissis actu formaliter existentibus illatæ. Atqui tunc certe propositio illa vere conclusio est, eaque ejusdem speciei cum primitiva conclusione. Nam proprium est habitus acquisiti generatim, ut producat actus similes illis, a quibus productus est. Ergo habitus, conclusionis non producit nisi alios similes assensus, nam per hujusmodi actus productus est.

---

(1) Vide Conimbric., in lib. 1.° *Posterior.*, cap. 23, quæst. unic.
(2) Conimbric., lib. 1. *Poster.*, cap. 1, q. 4, a. 2, loc. cit.
(3) Cfr. Soarez, loc. cit. n. 86.
(4) Conimbric., 1.° *Posterior.*, cap. 1, loc. cit.
(5) Conimbric., ibid.

Resp. *trans.* Major., *neg.* Minor. Nam licet actus aliquis enuntiationis efficiatur cum concursu habitus conclusionis, conclusio formalis revera non potest esse, nisi sit effectus discursus; nec eadem specifica conclusio cum alia olim habita, nisi ex iisdem præmissis, ac illa, derivetur.

ARTICULUS IV.

Utrum ad inferendam conclusionem necessario requiratur prævia notitia de bonitate consequentiæ.

223. Ante omnia notandum est aliud esse veritatem conclusionis vel consequentis, et aliud illationem vel bonitatem consequentiæ. Potest quippe verum esse consequens, et non sequi ex præmissis, nec connecti cum illis, quamvis cum præmissæ sunt veræ recteque dispositæ, nunquam stet veritas conclusionis absque illatione ac bona consequentia. Hinc ergo existit dubium, an colligi ex præmissis conclusio queat, quin perspiciatur illatio seu connexio præmissarum cum conclusione seu veritate illata.

Duplex illatio vel consequentia.

Duplex est illatio seu consequentia, altera *objectiva*, *formalis* altera. Objectiva consistit in connexione objectorum, vi cujus nequit objectum præmissarum esse verum, quin sit etiam verum conclusionis objectum; formalis posita est in recta dispositione terminorum formalium secundum Logicæ præcepta, quatenus idonea sunt ad recte concludendum convincendumque in quacumque materia, vel si mavis, illatio formalis est conformitas syllogismi cum regulis Logicæ. Prima harum consequentiarum stare potest sine secunda, quemadmodum notatum est in Dialectica (1). Et de utraque procedere potest præsens quæstio, investigando nempe, an ante conclusionem debeat semper explicite ferri judicium sive de conformitate ratiocinii cum logicis præceptis, sive saltem de necessaria connexione objecti præmissarum cum objecto conclusionis.

(1) Vide Lossada, *Log.*, tract. 6, disp. 1, cap. 3, n. 1.

Bonitas consequentiæ dupliciter cognosci potest.

Denique bonitas consequentiæ cognosci potest vel per actum judicii, vel per actum apprehensionis. Itaque quod ad inferendam conclusionem necessarium absolute ac per se non sit judicium de bonitate consequentiæ, communissima est sententia cum Conimbricensibus (1), Soarez (2), de Benedictis (3), Rhodes (4), Lossada (5), Hurtado (6), Arriaga (7), Oviedo (8), Antonio Mayr (9) aliisque. Non vero ita constat apud auctores, num saltem requiratur apprehensio simplex bonitatis consequentiæ. Affirmat Arriaga, negant Soarez, Hurtadus, Oviedo, Mayr et alii.

In quo conveniant communiter AA.

in quo discrepent.

224. DICO 1.°. **Non est per se necessaria cognitio de bonitate consequentiæ formalis ad eliciendam conclusionem.**

Statuitur doctrina quæ verisimilior videtur.

Prob. Quia secus nulla conclusio erui posset ex præmissis, sine actuali reflexione ad regulas artis logicæ circa rectam dispositionem terminorum legesque bonæ consequentiæ. Atqui hoc est contra experientiam in iis, qui Logicam callent, sæpe enim ratiocinantur sine actuali advertentia logicorum præceptorum, et insuper artis logicæ ignaros redderet impotentes ad ratiocinandum conclusionemque ullam inferendam, cum tamen passim videamus homines, qui Logicam nunquam salutarunt, discursus demonstrationesque efficere, v. g. in Mathesi atque in aliis materiis (10).

Dixi in propositione, cognitionem de bonitate consequentiæ formalis *per se* necessariam non esse, quia potest quandoque necessaria esse per accidens ratione dispositionis terminorum obscurioris, ut accidit in figuris indirectis, in quibus interdum non satis apparet identitas extremorum conclusionis sine reflexione ad regulas artis logicæ.

---

(1) Lib. 1. *Poster.*, cap. 1, q. 3, a. 5.
(2) *Logic.*, tract. 6, disp. 2, sect. 3.
(3) *Logic.*, lib. 4, q. 1, cap. 4.
(4) *Philos. perip.*, lib. 1, disp. 4, quæst. unic. sect. 4, paragr. 1.
(5) *Log.*, tract. 6, disp. 1, cap. 3.
(6) Disp. 7, de *Anim.*, sect. 5.
(7) *Log.*, disp. 3, sect. 3.
(8) *Log.*, Controv. 9, punct. 1, n. 4.
(9) *Log.*, disp. 6, q. 1, art. 1.
(10) Vide Lossada, loc. cit. et *Logic.*, tract. 1, *proœmiali* disp. 1, cap. 7, ubi fuse de hac re; Ant. Mayr., loc. cit. n. 922.

225. **Dico 2.° Non requiritur etiam per se cognitio saltem judicativa, de bonitate objectivæ consequentiæ.**

Probari 1.° patet experientia; quotiescumque enim, materia perspicua est, ac dispositio terminorum in præmissis plana, conclusiones elicimus, quin advertamus explicite ad bonitatem consequentiæ.

Prob. 2.° Si necessarium foret judicium de bonitate consequentiæ, distinctum ab ipsa conclusione inferenda; non posset mens conclusionem ullam ex præmissis elicere, quin prius judicaret actu distincto veritatem præmissarum necessario connecti cum veritate conclusionis. Atqui hoc falsum esse videtur. Secus enim tres præmissæ ad syllogismum essent necessariæ, non duæ dumtaxat. Nam v. g. ex his: *Omnis homo est animal* et *Petrus est homo*, non posset inferri conclusio: *Ergo Petrus est animal*, donec præmitteretur hoc aliud judicium: *Quod omnis homo sit animal, et Petrus sit homo verum esse nequit, nisi verum sit, quod Petrus sit animal.* Unde sequeretur etiam syllogismum non tribus constare terminis, contra communem sensum omnium Philosophorum (1).

Prob. 3.° Ex principio identitatis sufficit perspicere duos terminos identificari cum uno tertio, ut illico pateat illos inter se identificari. Si autem pateat illos inter se identificari, nihil amplius requiritur, ut judicetur illorum identitas. Atquiin præmissis perspicitur, et judicatur identitas duorum terminorum conclusionis cum uno termino medio. Ergo positis præmissis, nullum jam alliud judicium requiritur ad hoc, ut intellectus jungat terminos illos in conclusione. Sicut etiam in ipsis judiciis immediatis ad asserendam identitatem duorum terminorum, non requiritur prævium judicium, quo judicetur illa identitas; secus enim nullum daretur immediatum judicium.

Et simili modo argui potest ex principiis *Dici de omni* et *Dici de nullo*, quibus forma syllogistica, docente Aristotele, innititur. Si enim quidquid universaliter distributive affirmatur vel negatur de aliquo subjecto, necesse est, ut affirmetur vel

(1) Vide Lossada, *Logic.*, tract. 6, loc. cit. Cfr. De Benedictis, ibid.

negetur de omnibus inferioribus, quæ sub illo subjecto continentur, ad hoc ut judicare possim num prædicatum aliquod affirmandum vel negandum sit de aliquo inferiori, aliud non requiritur, nisi quod noverim prædicatum illud convenire vel repugnare universaliter distributive alteri subjecto, sub quo inferius illud comprehenditur. Atqui hoc cognoscitur per assensum et cognitionem præmissarum. Ergo præter harum assensum nullum aliud judicium necessarium est ad eliciendam conclusionem (1).

Difficilius definitur, an requiratur ad eliciendam conclusionem apprehensio de bonitate consequentiæ. At si de modis perfectis agatur, quales sunt modi syllogismorum primæ figuræ, fortasse ne apprehensio quidem distincta atque explicita connexionis præmissarum cum conclusione est necessaria. Ipsa enim cognitio et assensus præmissarum adeo vivide exhibet identitatem terminorum conclusionis inter se, ut nihil jam amplius desideretur ad illam enuntiandam.

Aliæ discrepantiæ in modo rem explicandi.

225. Cæterum inter eos, qui negant explicitam cognitionem de bonitate consequentiæ, non una est ratio rem explicandi. Nam aliqui volunt ipsam formalem conclusionem esse virtuale quoddam et implicitum judicium de bonitate consequentiæ; ob eamque causam rejiciunt quodvis aliud judicium hujusmodi a conclusione distinctum. Ita Conimbricenses et Rhodes (2). Hæc vero explicatio rejicitur a P. Mayr (3), et a P. De Benedictis (4); nec mihi multum arridet. Nam, ut alia omittam, judicium de bonitate consequentiæ est veritas atque enuntiatio diversissima a conclusione. Aliud quippe est dicere: *Ex his præmissis objectivis sequitur Petrum esse rationalem*, et aliud dicere: *Petrus est rationalis;* et potest alterum esse verum, et alterum falsissimum. Quare credendum non est ipsam conclusionem esse judicium de bonitate consequentiæ.

Alii autem, ut PP. Lossada et Mayr, volunt judicium de bonitate consequentiæ identificari cum præmissis, vel implicite contineri in illis, quia intellectus in ipsis præmissis videt

(1) Cfr. De Benedictis et Lossada, locis citatis.
(2) Locis cit.
(3) Loco cit, n. 921.
(4) Loc. cit. *Dico 2.°*

virtualiter et æquivalenter illam, quatenus, qui videt identitatem extremorum cum uno tertio, eo ipso videt identitatem eorum inter se. Itaque intellectus per ipsas præmissas, formaliter repræsentantes identitatem extremorum cum tertio, determinatur ad asserendam identitatem illorum inter se, quin sit necessarius alius actus distinctus cognitionis, formaliter repræsentans connexionem necessariam harum duarum identitatum, seu bonitatem consequentiæ (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

227. **Objic. 1.°** Causa distinguitur a suo effectu. Sed judicium de bonitate consequentiæ est causa conclusionis. Ergo judicium de bonitate consequentiæ debet esse distinctum a conclusione.

Resp. *neg.* Minor., vel *dist.;* judicium de bonitate consequentiæ, quod implicitum latet in ipsis præmissis, *conc.*, aliud distinctum, *neg.* Hujusmodi enim judicium, licet dari potest in quibusdam casibus, non tamen est absolute necessarium, ut jam ostendimus.

Objic 2.° instando. «Conclusio infertur propter objectum præmissarum non utcumque consideratum, sed ut connexum cum objecto conclusionis. Ergo debet formaliter et explicite præcognosci talis connexio; non enim ad concludendum movet, nisi ut præcognita. Sed non ita cognoscitur per solas præmissas, utpote quæ solum virtualiter et implicite connexionem illam attingunt; alioquin si cognoscerent illam explicite, consequenter exprimerent conclusionis objectum, saltem de obliquo. Ergo judicium aliud de tali connexione prærequiritur» (2).

Resp. *neg.* prim. conseq. «Objectio, ut summum, probat necessariam esse connexionis illius explicitam apprehensionem.»

«Sed neque hoc probat. Nam talis connexio non semper debet cognosci formaliter et explicite, sed sufficit, quod proponatur per notitiam, quæ intra lineam repræsentationis virtualis et implicitæ sit summe vivida, et proxima explicitæ,

(1) Vide P. Mayr., n. 927.
(2) Apud Lossada, loc. cit. tr. 6, cap. 3, n. 5.

et quæ proinde explicitam suppleat, illique prorsus æquivaleat in ordine ad determinandum intellectum, ut assentiatur objecto consequentis. Hujus indolis est, quantum ad illam connexionem, repræsentatio præmissarum in modis perfectis primæ figuræ: tali quippe modo exprimit suum objectum, ut fere ponat ob oculos objectum conclusionis vel connexionem cum ipso, non solum apprehensive, sed etiam judicative» (1).

Instabis. Si præmissæ solum implicite et virtualiter proponunt objectum conclusionis, nempe quatenus proponunt aliquid necessario connexum cum tali objecto, non necessario sequetur explicita cognitio atque assensus conclusionis. Nam qui assentitur uni objecto, non cogitur assentiri formaliter cæteris, quibuscum illud connectitur. Alioquin nemo posset sic judicare: *Petrus est albus*, quin haberet hunc assensum explicitum: *Petrus est ens*, vel hunc alium: *Deus existit*. Adde, quod assensus unius objecti virtualiter continet dissensum contradictorii, et tamen ad exercitium illius non necessitat. Qui enim sic judicat: *Datur lux*, non cogitur continuo sic inferre: *Ergo non dantur tenebræ* (2).

Resp. *neg.* assert. Ad probation *dist.* Qui assentitur uni objecto, non cogitur assentiri cæteris, cum quibus formaliter connectitur, si assensus unius non excitet, sive formaliter sive saltem æquivalenter, apprehensionem cæterorum, *trans.*, si excitet, *neg.*

Etenim combinatio extremorum cum medio in prima figura talis est, ut vel necessario excitet vividissimam apprehensionem de connexione infallibili objecti præmissarum cum objecto conclusionis, vel saltem suppleat illam, quia in linea ostensionis virtualis claritatem summam attingit, et proxime accedit ad ostensionem formalem, ut videtur experientia notum.

Hinc allegata exempla non obsunt, quia ex hoc solo actu: *Petrus est albus*, non necessario excitatur apprehensio explicita de eo, quod inde inferatur, *Petrum esse ens*, vel *Deum existere*. Si autem cum eo actu conjungeretur hic: *Quidquid*

(1) Lossada, ib, n. 6.
(2) Vide apud Lossada, ib. cap. 2, n. 16.

est album est ens, vel hic: *Si Petrus est albus, Deus existit;* vel si cum eo: *Datur lux*, simul esset hic: *Quando datur lux, non dantur tenebræ;* aliter esset judicandum, nam tunc necessario excitaretur vel suppleretur prædicta apprehensio evidens, nec posset cohiberi assensus circa objectum consequens (1).

Objic. 3.° Positis iisdem præmissis, sæpe contingit, ut alter statim conclusionem inferat, alter cunctetur. Atqui id non aliunde provenire videtur, quam ex judicio de bonitate illationis, quod alter habet, alter vero non. Ergo (2).

Resp. Hoc «solum probat necessitatem apprehensionis, immo nec illam probat absolute, sed tantum quando præmissæ formam habent imperfectam, aut per accidens non bene penetrantur.» Nempe solum probat, non semper assensum præmissarum sufficere ad hoc, ut pateat identitas terminorum conclusionis; non vero probat nunquam posse patere hanc identitatem ex solo præmissarum assensu. Nam quod in aliis figuris præter primam, et generatim quoties præmissæ non necessitant ad conclusionem, requiratur apprehensio explicita, et, si velis, judicium de illatione, sive objectiva sive formali; permitti potest, quia id erit per accidens respectu syllogismi perfecti, de quo nunc loquimur et loquuntur auctores, cum absolute disserunt de syllogismo. Non aliter ac cum disputatur absolute, quid possit natura hominis vel intellectus humanus, non est sermo de natura infirma, vel de intellectu rudi, sed de habente totam perfectionem, cujus est capax humana conditio (3).

Objic. 4.° Ut intentio finis determinet in actu secundo ad electionem, debet expresse judicari utilitas aut necessitas medii. Ergo pariter, ut præmissæ ultimo determinent ad conclusionem, debet expresse judicari necessaria ipsius illatio (4).

Resp. *neg.* paritat. Voluntas enim est potentia cæca, quæ proinde media nequit eligere, quin ut eligibilia vel eligenda sibi proponantur; at vero intellectus est potentia ocu-

---

(1) Lossada, ib. cap. 2, n. 16.
(2) Lossada, loc. cit. cap. 3, n. 5.
(3) Lossada, ib. n. 7,
(4) Apud Lossada, ib. n. 5.

lata. Cum potissimum in casu nostro præcedat judicium æquivalens explicito circa necessitatem objectivam conclusionis, et nihil simile præcedat in casu electionis medii (1).

Objic. 5.° Voci *ergo* in conclusione positæ aliqua certe respondet cognitio. Atqui non cognitio repræsentans veritatem illatam, eam enim reliquæ voces conclusionis significant. Ergo cognitio repræsentans illationem seu consequentiam.

Resp., «voci *ergo* in conclusione positæ respondere *cognitionem illativam*, non *cognitionem* de *illatione* (saltem explicitam et judicativam); cognitionem autem illativam, satis est, quod præcedant præmissæ» (2).

Objic. 6.° Sæpe concessis præmissis, sola negatur consequentia, non vero consequens. Sed nisi dicatur in his casibus negari judicium de bonitate consequentiæ, nequit explicari, quid negetur. Ergo negatur hujusmodi judicium. Atqui si hoc negatur in talibus casibus, debet adesse in aliis casibus syllogismorum recte concludentium. Ergo...

Resp. *neg.* Minor. Nam in tali casu negatur vera esse conclusio, non quod falsa sit ex defectu objecti, sed quod falsa sit ex modo tendendi, qui exprimitur per particulam *ergo*, quæ indicat hanc conclusionem ex his præmissis inferri, quod falsum est. Sicut hæc: *Atqua est frigida, quia sol ortus est*, negatur, licet constet partibus veris, ob particulam *quia* indicantem causalitatem, quæ in casu non adest (3).

Dices: Negatur quandoque consequentia ipsa objectiva, concessis præmissis. Ergo non tantum negatur conclusio ratione modi tendendi, sed negatur aliquid ex parte ipsius objecti, quod nequit explicari quid sit, nisi dicatur esse consequentia objectiva.

Resp. retorq. argum. Ergo in tali casu non negatur judicium de bonitate consequentiæ, nam illud non se tenet ex parte objecti.

Resp. 2.° In talibus casibus saltem præcipue negatur consequentia formalis, et ideo solet argumentans petere, ut ostendatur sibi vitium syllogismi, quia si præmissæ sint veræ

(1) Lossada, ib. n. 8.
(2) Soarez, loc. cit., n. 75, *Ad tertium*.
(3) Mayr, ibid. n. 935.

et recte dispositæ, non potest, illis concessis, negari conclusio, nisi valde imperite.

Resp. 3.° In tali casu negatur ex parte objecti connexio objecti conclusionis cum objecto præmissarum: quam connexionem cum significet conclusio ratione particulæ *ergo*, merito ipsa quoque negatur.

«Nec dicas, quod si negetur a respondente consequentia objectiva, debeat ea prius fuisse ab argumentante affirmata. Nam sæpe negatur, quod argumentans non formaliter, sed tantum aliquo modo æquivalenter aut virtualiter affirmavit, quod ex ejus discursu inferri potest. Potest autem ex quolibet syllogismo inferri bonitas consequentiæ objective, vel etiam judicium de ea, etsi actu non inferatur, aut affirmetur. Idem respondendum est, si objiciatur, sæpe negari consequentiam formalem» (1). Plura dabit P. Mayr.

ARTICULUS V.

Utrum et quomodo conclusio attingat præmissas, vel assensus præmissarum includatur in assensu conclusionis

Alii modi proponendi hanc quæstionem.

228. Quæstio hæc ab aliis etiam sub his vocibus proponi solet: *Utrum conclusio reflectat in præmissas*. Cum enim præmissæ contineant rationem ac motivum assentiendi conclusioni, dubitatur, utrum assensus conclusionis non solum enuntiet asseratque connexionem extremorum, tamquam objectum assertum, sed præterea proponat, repræsentetque sibi connexionem eorumdem cum medio termino, tamquam asserendi motivum. Vel aliter, «quæstio... est, an postquam intellectus habuit assensum principiorum, et accedit ad assentiendum conclusioni, sic ei assentiatur propter principia, ut assensum eorum iterum, saltem implicite, repetat; vel satis sit, ut dicatur assentiri conclusioni, propter principia, quod assensum eorum immediate ante habuerit, absque

(1) Mayr, loc. cit., n. 936.

ejus repetitione. Nam si primo modo fiat, includetur formaliter assensus principiorum in assensu conclusionis; si vero, secundo modo, non includetur formaliter, sed solum præsuppositive, quod est vere non includi, sed præsupponi» (1).

Bifariam attingi præmissæ possunt per assensu n conclusionis: *ut quod*, et *ut quod*.

Cæterum bifariam præmissæ per assensum conclusionis intrinsece ac formaliter attingi possunt, ut *quod* et ut *quo*. Attingitur ut *quod* per aliquam enuntiationem id, cui præstatur assensus, nempe ipsum enuntiabile, quod directe enuntiatur tamquam materia judicii: attingitur vero ut *quo* id, quod se habet tamquam ratio assentiendi alicui enuntiabili, vel illud motivum, quo mens inducitur ac movetur ad aliquid enuntiandum. Sic respectu visionis, quia videtur domus v. g., domus est objectum attactum *ut quod*, illa enim est visibile, ad quod hic et nunc actus visionis terminatur, lux autem est objectum attactum *ut quo*, quia est ratio videndi domum, vel est id, quod præsupponi ex parte visibilis necesse est ad hoc, ut oculus determinari possit ad apprehendendum tale objectum. Discrimen hoc statuunt auctores inter objectum attactum *ut quod* et *ut quo* per quemvis assensum, quod objectum attactum vel inclusum *ut quod* cognoscitur et expresse affirmatur, et judicatur per illum actum; at objectum attactum *ut quo* præsupponitur quidem ut expresse cognitum et affirmatum prævio aliquo actu, non tamen iterum explicite ac formaliter exprimitur, et repetitur ab actu attingente *ut quo;* et nihilominus implicite ac virtualiter affirmatur, vel ut verum supponitur ita, ut, si quis interrogetur, quare asentiatur, illico rationem reddat explicite afferendo pro motivo id, quod *ut quo* attingi dicitur.

Discrimen utriusque modi attingendi.

Prima sententia:

In hac ergo controversia sunt duæ potissimum sententiæ: altera docet præmissas præsupponi quidem ad conclusionem, negat tamen formaliter attingi per eam, vel in eadem includi. Hanc tenent Scotistæ, Pontius (2) et Mastrius (3), cum suis (4), itemque PP. Hurtadus, Compton, Alphonsus et Izquierdo (5),

(1) P. Ant. Rub., *Logic.*, in lib. 1.um *Posterior.*, cap. 1, q. 6, n. 30.
(2) *Log.*, disp. 20, q. 1.
(3) *Log.*, seu *Organ. Arist.*, disp. 11, q. 2.
(4) Apud Mastrium ib.
(5) Apud Lossada, *Log.*, tract. 6, disp. 1, cap. 3, n. 10.

secunda. De Benedictis (1), Antonius Mayr (2), aliique. Altera sententia affirmat præmissas formaliter attingi per conclusionem, teneturque a S. Thoma (3), et Thomistis, Capreolo (4), Soncinate (5), Ferrariensi (6), Cajetano (7), Fonseca (8), Rubio (9), Conimbricensibus (10), Rhodes (11), Arriaga (12), Oviedo (13), Amico (14), Sylvestro Mauro (15), Lossada (16), et aliis.

229. PROPOSITIO. **Præmissæ videntur attingi formaliter et intrinsece a conclusione, non quidem ut quod, sed ut quo.**

Probatur vera sententia **Prima pars probatur** 1.° ex natura cognitionis discursivæ. In hoc differt cognitio discursiva a non discursivis, ut tendat in suum objectum, non solum quatenus verum (quod commune est omni cognitioni), sed quatenus *verum propter aliud*. Atqui cognitio tendens in objectum suum propter aliud, necesse est, ut illud aliud formaliter et intrinsece attingat. Ergo conclusio, utpote cognitio discursiva, intrinsece ac formaliter attingit præmissas, propter quas objecto suo assentitur.

Major patet ex natura discursus.

Minor probatur. Nam id, quod potentiam determinat, et objective movet ad assentiendum objecto, non potest considerari ut extrinsecum quidpiam illi, sed ut forma quædam ipsi conferens, quod attingi a potentia possit. Ergo cognitio

(1) *Log.*, lib. 1, q. 1, cap. 3.
(2) *Log.*, disp. 6, q. 1, a. 2.
(3) S. Th. 1 p, q. 8, a. 3, corp. et ad 2.um; q. 12, a. 4; 2.° dist. 38, q. 1, a. 4, corp. Cfr. *de Verit.* q. 14, a. 1.
(4) In 1.° dist. 1, q. 1, in solut. ad *arg.*, *cont.* 4.am *conclus.*
(5) *Metaph.*, lib. 6, q. 10.
(6) In lib. 1.um *Cont. Gent.*, c. 57.
(7) In 1. 2, q. 8, a. 3.
(8) Fons., *Metaph.*, lib. 6, cap. 1, q. 4.
(9) *Log.*, in lib. 1. *Post.*, cap. 1, q. 6.
(10) *Log.*, in lib. 1.um *Poster.* cap. 1, q. 4, a. 5.
(11) *Logic.*, lib. 1, disp. 4, quæst. unic., sect. 4, paragr. 2.
(12) *Logic.*, disp. 15, sect. 4, n. 4.
(13) *Log.*, controv. 9, punct. 3.
(14) *Log.*, tract. 23, disp. 2, q. 5.
(15) *Quæstiones philos.*, tom. 1, q. 65.
(16) *De Anima*, disp. 8, cap. 4, n. 97 seqq.

tendens ad aliquid propter aliud, formaliter et intrinsece illud aliud attingat, necesse est.

Hæc ratio potest etiam sic proponi: Eodem actu fertur potentia quælibet in objectum et rationem formalem seu motivum ejus. Atqui præmissæ sunt ratio formalis et motivum conclusionis. Ergo...

Minor patet.

Major probatur. Quia ex objecto materiali et ratione formali constituitur unum objectum totale et completum attingibile a potentia per suum actum; nec objectum materiale habet attingibilitatem, nisi prout informatum a ratione formali, ac proinde si præscindatur ab ea, terminari nequit ab actu.

Et confirmatur, quia simili modo se habent præmissæ respectu conclusionis, sicut se habet lumen ad videnda objecta sensibilia; sunt namque præmissæ lumen objective illustrans ac manifestans conclusionis veritatem. Atqui lumen procul dubio attingitur formaliter, cum visu percipiuntur corpora. Ergo.

Itaque, quemadmodum tamdiu lumen adesse debet et objectum illustrare, quamdiu hoc videtur, ita etiam quamdiu durat assensus conclusionis, tamdiu coram adesse debet aliquo modo ratio formalis illius, utpote quæ necessaria est, ut menti innotescat identitas extremorum.

Prob. 2.° Ut assensus rationalis sit, necesse est, ut attingat motivum suadens assensum, vel percipiat rationem, eamque sufficientem, assentiendi. Atqui objectum conclusionis in se non habet rationem sufficientem assensus, sed illam desumit, saltem inadæquate, ex præmissis, in quibus cognoscitur identitas extremorum cum termino medio manifestans identitatem illorum inter se. Nam secus conclusio non foret propositio mediata, sed immediata. Ergo necesse est, ut assensus conclusionis percipiat aliquo saltem modo præmissas, quæ simul cum ipsa conclusionis veritate constituunt completam, adæquatam sufficientemque rationem assentiendi, ac proinde non potest non assensus ille attingere præmissas.

Prob. 3.° Propositum peregrinationem instituendi, pœnitentiæ causa, pœnitentiæ actus est, itemque voluntas dandi eleemosynam, ut Deo placeam, vel propter voluntatem Dei,

rationem induit actus amoris divini. Ergo actus hujusmodi attingunt intrinsece ac formaliter motivum propter quod eliciendi sunt. Atqui eadem ratio est, cur conclusio attingat formaliter præmissas, tamquam motivum ac rationem formalem ejus. Ergo...

Primum conseq. probatur, quia motiva illa pœnitentiæ ac bonitatis divinæ, dant speciem actibus, qui propter illa eliciuntur. Motivum autem specificans actum, videtur non posse non intrinsece ac formaliter attingi ab illo actu.

Denique confirmari potest hæc prima pars propositionis quodam modo ipsa experientia. Quamvis enim non experiamur, quod præmissas iterum in assensu conclusionis expresse ac formaliter repetamus, aut iterum affirmemus, experimur tamen quod conclusio habeat tendentiam præsuppositivam et allusivam ad præmissas, quam tendentiam exprimit particula *ergo*, quæ idem valet atque *hinc*, vel *idcirco*, vel *hoc cum ita sit*. Cui particulæ ex parte intellectus respondet «perceptio illationis objectivæ ut fundatæ in objecto nunc præjudicato, repræsentando simul hoc objectum intuitu quodam simplici et confuso, tametsi non vago nec indefinito, sed contracto ad tale objectum ut præjudicatum hic et nunc, sicut accidit in eo intuitu, quo visus confuse percipit sub luce modica objectum præsens (1). Is vero intuitus cum sit objecti, ut nunc præjudicati, supponit ex modo tendendi formales præmissas ut præsentes, in easque proinde reflectitur... Hinc oritur, quod conclusio sit essentialiter conclusio seu judicium illatum et propositio mediata; quia nimirum essentialiter habet modum tendendi supponentem præmissas, nec movetur ex solis terminis objecti, quod affirmat, sed unice, vel simul ex motivo in præmissis asserto, et saltem ratione distincto, et sub alia ratione proposito» (2).

Unum tamen hic adverte, non esse prorsus necessarium, quod omne motivum aut determinativum actus cujusvis intrinsece ab eo attingatur, sed dari potest, «motivum pure extrinsecum seu non terminativum illius actus, ad quem

(1) Nam conclusio non attingit veritatem sui objecti, nisi prout dependentem a veritate præmissarum.

(2) Lossada, *de Anim.*, disp. 8, cap. 4, n. 99.

movet medio alio actu præcedente: id enim sæpe contingit in actibus imperatis voluntatis et in humanis actionibus externis». Hoc tamen locum habere nequit in actu, «qui nullum aliud attingat motivum seu formale objectum sibi sufficiens, præcipue vero in assensu discursivo, qui peculiari titulo debet esse rationalis intrinsece ac ratione sui. Quare præmissarum objectum respectu conclusionis et est objectum formale intrinsecum seu terminativum, et simul motivum extrinsecum (licet non pure) quatenus mediis præmissis intellectum determinat ad conclusionem eliciendam» (1).

Secunda pars propositionis constare videtur experientia, quæ testatur, quamvis possint ex imperio voluntatis iterum in assensu conclusionis repeti atque affirmari explicite præmissæ, ordinarie tamen id non fieri. Ordinarie namque soli objecto conclusionis adhibetur assensus, licet hujusmodi assensus non tendat ad suum illud objectum, nisi quatenus dependens a præmissis. Quæ causa est, cur conclusio attingat intrinsece ac formaliter præmissas ut rationem formalem sui assensus, atque adeo *ut quo*.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

230. **Objic.** 1.° Si vera foret nostra sententia: α) ex præmissis categoricis non inferretur conclusio categorica, sed hypothetica. Nam si conclusio reflectitur in præmissas, syllogismi hujus conclusio: *Omne animal est substantia: Sed homo est animal: Ergo homo est substantia*, reapse esset hæc: *Ergo homo est substantia, quia homo est animal, et omne animal est substantia:* β) Deinde si eadem doctrima vera esset, medius terminus ingrederetur conclusionem, contra regulas dialecticas. Patet id in allato exemplo, ubi vides terminum *animal* reperiri in conclusione tamquam partem utriusque præmissæ, continentis rationem ac motivum illius assensus.

Resp. ad α), *neg.* assertum. Necesse enim non est rationem affirmandi explicite affirmari per assensum ipsum, quem determinat, licet ab eo attingatur. Id quod patet vel in ipsis propositionibus immediatis. Sic cum asseris: *Totum est majus sua parte*, ratio assensus est convenientia vel identitas ter-

(1) Lossada, loc. cit. cap. 4, n. 102.

minorum, quam ille procul dubio intrinsece respicit, et nihilominus non affirmat explicite, sed solum implicite vel virtualiter. Idem ergo dici potest de præmissis, quæ sunt ratio formalis conclusionis, quæ proinde non est propositio causalis vel hypothetica formaliter, licet habeat tendentiam quasi causalem, utpote quæ non assentitur objecto suo, nisi prout dependet a præmissis (1).

Ad β) similis esto responsio. Nam «Summularum regulæ satisfit, si medium non ingrediatur conclusionem *ut quod*, id est, ut objectum affirmatum, vel ut subjectum aut prædicatum affirmationis explicitæ; nec prohibetur ingredi *ut quo*, id est, ut ratio affirmandi, qualiter per voculam *ergo* denotatur» (2).

Objic. 2.° In nostra doctrina, numquam posset verum sequi ex falso, contra ac præcipiunt leges bonæ consequentiæ. Nam in hoc syllogismo: *Omnis lapis est animal: Omnis homo est lapis; Ergo omnis homo est animal*, conclusio erit falsa, si reddat hunc sensum: *Omnis homo est animal, quia est lapis, et omnis lapis est animal* (3).

Quo sensu ex falso colligi possit verum.

Resp. «Conclusio mentalis deducta ex præmissis falsis semper est *absolute* falsa propter falsum suppositum, seu propter implicitam et virtualem affirmationem motivi falsi; pariterque conclusio vocalis, prout continens particulam *ergo*. Utraque tamen potest explicite affirmare objectum in se verum; atque adeo, si spectetur ut affirmans objectum materiale, præscindendo a motivo, poterit vera dici. Et in hoc sensu dicitur verum sequi ex falso, nempe quod sit verum ex alio capite, non ex vi consequentiæ vel illationis. Ideo autem consequentia non dicitur a Summulistis *vera* vel *falsa* sed *bona* vel *mala*, quia non continet explicitam affirmationem motivi» (4).

Cur consequentia dicatur bona vel mala, et non vera vel falsa.

Objic. 3.° Ex nostra sententia conclusio non eget præmissis, quandoquidem ipsa sibi proponit motivum assensus; ob hanc enim causam propositio per se nota non indiget aliis

(1) Cfr. Lossada, loc. nup. cit., n. 96, 98.

(2) Lossada, ib. n. 101. Cfr. Rub. loc. cit., *in respons. ad testim. Aristot.*

(3) Apud Lossada, ib. n. 96.

(4) Lossada, ib. n. 101.

prioribus, per quas probetur, quia nempe habet in se rationem formalem assensus, quam sibi proponens ad assentiendum determinetur. Ergo tantum abest, ut conclusio intrinseca attingat objectum præmissarum, ut e converso desinat esse conclusio, si objectum istiusmodi attingat (1).

Resp. *neg.* assertum. Conclusio enim nequit sibi repræsentare ac proponere objectum præmissarum, quin præcesserint præmissæ.

Neque vero, ut propositio dicatur immediata, satis est, quod intrinsece attingat motivum assensus, secus enim hypothetica hæc propositio: *Homo est risibilis, quia est admirativus*, foret immediata. Ut ergo propositio sit immediata aut per se nota, requiritur immediata convenientia prædicati cum subjecto, seu quod motivum ac ratio assensus non aliunde petatur, sed in ipsis rationibus terminorum reperiatur. At motivum conclusionis syllogisticæ vel est extrinsecum objecto illato, ut in hoc syllogismo: *Testimonium gravium historicorum pro vero habendum est: Atqui gravissimi historici ferunt Pompejum victum a Cæsare fuisse: Ergo Pompejus victus est a Cæsare;* vel saltem ita ratione distinctum, ut vocari possi*medium;* unde ipsa etiam conclusio vere est, ac dicitur propositio *mediata*, utpote utens motivo ac medio re aut saltem ratione distincto (2).

Objic. 4.° «Cum notitia præmissarum sit causa notitiæ conclusionis, si actus idem attingeret præmissas et conclusionem; idem actus esset causa suipsius, quod fieri nequit» (3).

Resp. *neg.* sequel. Nam actus, per quos præmissis assentimur, sunt diversi ab actu conclusionis, quo assentimur objecto illato propter præmissas. Non ergo datur ullus assensus, qui sit causa suipsius, sed dantur dumtaxat assensus, qui sunt causa alterius assensus (4).

Objic. 5.° «Ita se habent conclusiones ad principia in intelligibilibus, ut se habent media ad suos fines in agibili-

---

(1) Apud Lossada, loc. cit. 96.
(2) Vide Lossada, loc. cit. n. 102.
(3) Apud Fonseca, *Metaph.*, lib. 6, cap. 1, q. 4, sect. 1, arg. 1.°
(4) Cfr. Fonseca, ib. sect. 3 ad 1.um

bus, quod Aristoteles sæpe docet (1). Atqui fieri non posse videtur, ut idem actus cadat simul in medium, quod propter finem eligit, et in finem, quem intendit; tum quia electio et intentio sunt actus voluntatis specie differentes; tum etiam quia, cum sæpe propter amorem finis habeamus odio rem, quæ nobis impedimento est, ne illum assequamur, idem actus esset simul amoris et odii; tum denique quia, cum sæpe propter bonum finem eligamus mala media, ut cum quis furatur, ut honeste alat familiam, aut contra eligit bona media propter malum finem, ut qui inanis ostentationis causa diutius orat, aut sæpius jejunat, idem actus esset simul bonus et malus, quod fieri non potest» (2).

Resp. *conc.* Major. *neg.* Minor.

Ad primam probation. *neg.* suppositum; actus enim, quo medium eligitur propter finem, non est intentio finis, sed tantum electio medii propter finem intentum. «Quod si medium, seu potius res, quæ est medium, expetatur propter se, ut ab ægroto appetitur suavis potus, qui simul est salubris, nulla habita ratione sanitatis obtinendæ, jam actus voluntatis circa illud non erit electio medii, sed intentio cujusdam medii.»

Ad secundam probation. *concedo* sequelam, et *neg.* conseq. Etenim idem numero actus, qui est amor finis, potest reipsa simul esse odium ejus rei, quæ fini intento repugnat, neque enim hæc pugnant inter se; tametsi amor et odium ejusdem rei, eadem ratione consideratæ, repugnent mutuo, non solum in eodem actu, sed etiam in eodem subjecto.

Ad tertiam probation. *neg.* assert., siquidem electio perversi medii, est simpliciter mala, quia bonum ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus, ut Dionysius docet (3); eademque ratione electio rei bonæ propter finem malum est etiam mala, non simul bona et mala (4).

Cætera quæ objiciuntur a P. De Benedictis et Mastrio, facile ex dictis resolvuntur.

---

(1) Vide 2.um *Physicor.*, cap. ult. text. comm. 89; 7.º *Ethicor.*, cap. 8.

(2) Apud Fonseca, loc. cit. sect. 1, arg. 3.º

(3) *De Divinis Nomin.*, cap. 4.

(4) Vide P. Fonseca, loc. cit., sect. 3, ad 3.um

ARTICULUS VI.

Utrum discursu ac ratiocinatione novæ veritates detegantur

Platonis commentum.

231. Existimavit Plato, ut ex ipsius *Menone*, *Phædro*, libro decimo de *Republica* aliisque locis constat, «animis nostris antequam hisce corporibus unirentur, omnium scientiarum habitus fuisse concessos, neque in hac vita ullam a nobis scientiam comparari; sed cum discimus, id solum a nobis præstari, ut per phantasmata in sensibus efformata, excitetur scientia in animo insidens, quæ materiæ caligine circumfusa erat, et ita nostrum discere non esse aliud, quam eorum, quæ novimus, recordando reminisci. In eadem sententia fuit Pythagoras, ut refert D. Augustinus (1), cujus Pythagoræ est illud testimonium a Platonicis eductum *quædam se meminisse, quæ nunquam fuerat expertus*» (2). Eamdem doctrinam tenuere Platonici apud Conimbricenses (3) et Rhodes (4); ex quo plane sequitur nihil novi discursu et ratiocinatione colligi.

Ratiocinio veritates novæ deteguntur.

232. **Hæc autem doctrina falsa est.** Et primo quidem, prout a Platone propugnatur, supponit fundamentum præviam animarum existentiam, antequam corporibus infundantur. Atqui commentum hoc, tamquam Fidei ac rationi repugnans, alibi profligendum est, cum de anima rationali sermo erit. Ergo... Verum

Probatur assertio ratione: 1.° quia nisi ratiocinio novæ veritates detegerentur, cognitiones nostræ arctissimis limitibus propositionum immediatarum ac per se notarum, et judiciorum singularium, quæ relationi sive sensuum, sive conscientiæ, vel etiam aliorum hominum testimonio innituntur, circumscriberentur. Hæc enim sola obtineri sine ratiocinio valent. Atqui plenæ sunt scientiæ multis aliis præterea veri-

(1) Lib. 12 *de Trinit.* cap. 15.

(2) Conimbric., in lib. 1.um *Posterior.*, cap. 1, q. 1, art. 1. Cfr. S. Th., lib. 1, *Posterior.*, lect. 3; 3.° dist. 23, quæst. 1, art. 2, solut. vel quæstiunc. 1.a

(3) Loc. nup. cit.

(4) *Philos. peripat.* lib. 1, disp. 5, quæst. unic., sect. 1, parag. 1.

tatibus et cognitionibus. Ergo necesse est dicere ope ratiocinii eas comparari.

Prob. 2.° experientia. Nemo enim est, quin sentiat multa se didicisse ope ratiocinii, quæ nosse aliter non potuisset.

Dices, his nihil probari, saltem contra Platonicos, quia ex eorum sententia responderi potest ea, quæ nos de novo addiscere putamus, revera non de novo addisci, sed olim nota et oblivioni tradita in memoriam dumtaxat, novis excitationibus ex sensuum testimonio accedentibus, revocari. Fere *sicut ferri æruginem auferentes, videmur claritatem, quæ ei naturaliter inest, inducere* (1), cum tamen revera nihil inducamus.

Resp. Assertio Platonicorum adeo est gratis conficta, ut nequeat evidentiam experientiæ rationisque allatæ obscurare. Probent ergo prius ipsi animo nostro ab ipsa creatione insitam rerum omnium inesse scientiam, et tum demum jus habebunt ridiculam illam reminiscentiam obtrudendi.

Quo pacto ratio novas veritates inveniat.

Cæterum si quæras quo pacto ratiocinatione novæ detegantur veritates, responsio in promptu est. Nam generatim loquendo cum ratiocinamur, prima principia et veritates jam notas ad aliquam materiam determinatam applicamus, vel conceptus varios inter se comparamus; in qua comparatione et applicatione novæ relationes deteguntur, novæque veritates patefiunt, quæ prius non innotescebant. Sicut admoto lumine ad aliquod objectum, quod prius clare non perspiciebatur, multa quæ videri non poterant, vivido fulgore incurrunt in oculos. Verum hæc nullo negotio intelliges, si paululum respicias, quid nos hactenus in demonstrandis propositionibus fecerimus.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

233. **Objic. 1.°** Qui ad ratiocinandum accedit, vel scit rem propositam, vel ignorat. Si scit, non opus est eam inquirere. Si ignorat, frustra inquiret, cum nesciat, quid quærat. Quare, etiamsi in id incurrat, adhuc se invenisse ignorabit. En celebre dilemma Platonis in *Menone* (2).

(1) S. Th., 3.° dist. 33, q. 1, art. 2, solut. 1.

(2) Vide apud Arist., lib. 1.° *Posterior.*, cap. 1, et apud Conimbric., lib. 1, *Posterior.*, cap. 1, quæst. 1, art. 1.

Et declaratur res amplius, quia, quod est ignotum quæri non potest, immo nec cognosci, etiamsi in illud incidamus.

Adde quod conclusio rationem habet finis, et præmissæ rationem medii. At finis ante medium cognoscatur necesse est (1).

Resp. Qui aliquid scire cupit, partim scit, partim ignorat; scit in virtute, quatenus tenet principia, in quibus virtualiter conclusiones scientificæ continentur; ignorat autem, quatenus nescit adhuc conclusionem formaliter et in propriis terminis. Ad sciendum porro formaliter, necesse non est, ut quis habitum scientiæ, aut conclusionum possideat, sed satis est, ut teneat principia, ex quorum apta applicatione ad subjectam materiam conclusiones colliget.

Ad rem Angelicus cum Aristotele: *Antequam inducatur inductio vel syllogismus, ad faciendum cognitionem de aliqua conclusione, conclusio illa quodammodo scitur, et quodammodo non; simpliciter enim nescitur, sed solum secundum quid... Cujus quidem ratio est, quia, sicut jam ostensum est, oportet principia conclusionis præcognoscere. Principia autem se habent ad conclusiones in demonstrativis, sicut causæ activæ in naturalibus ad suos effectus: unde in secundo Physicorum propositiones syllogismi ponuntur in genere causæ efficientis. Effectus autem antequam producatur in actu, præexistit quidem in causis activis virtute, non autem actu, quod est simpliciter esse. Et similiter antequam ex principiis demonstrativis deducatur conclusio, in ipsis quidem præcognitis, præcognoscitur conclusio virtute, non tamen actu. Sic enim in eis præexistit. Et sic patet quod non præcognoscitur simpliciter, sed secundum quid* (2).

Cæterum *illud quod quis addiscit, nihil prohibet primo quodammodo scire, et quodammodo ignorare. Non enim est inconveniens, si aliquis quodammodo præsciat id, quod addiscit; sed esset inconveniens, si hoc modo præcognosceret, secundum quod addiscit. Addiscere enim proprie est, scientiam in aliquo generari. Quod autem generatur, ante generationem non fuit omnino ens, sed quodammodo ens, et quodammodo non ens: ens quidem in potentia, non ens vero actu. Et hoc est generari, reduci*

(1) Cfr. apud Tongiorgi, *Instit. logic.*, lib. 2, cap. 6, art. 6, n. 574.
(2) S. Thom., lib. 1.° *Posterior.*, lect. 3, initio.

de potentia in actum. Unde nec id, quod quis addiscit, erat omnino prius notum, ut Plato posuit, nec omnino ignotum... sed erat notum potentia sive virtute in principiis præcognitis universalibus, ignotum autem actu secundum propriam cognitionem. Et hoc est addiscere, reduci de cognitione potentiali seu virtuali aut universali in cognitionem propriam et actualem (1).

Nec vero mihi oggeras, quod ignotum est, quæri non posse, immo nec cognosci, etiamsi quis in illud incidat: nam id verum esse potest de eo, quod penitus est ignotum, non vero de eo, quod est notum virtute et implicite. Sic etiamsi non nosses de facie servum, quem quæris, si tamen haberes signa, quæ eum proderent, eo ipso nosses profecto illum virtute, et ex illis signis mox posses quoque illum quærere ac deprehendere. Jam ergo in principiis virtute tenes conclusionem, illaque recte applicata monstrabunt latentem conclusionem. Adde, quod non semper rem, quam quis invenit, quærebat, sed non raro res non quæsitæ inveniuntur. Idque ipsum interdum ratiocinantibus et studentibus usuvenit.

Ex quo etiam solutum manet id, quod ex comparatione finis et mediorum opponebatur. Finis enim non semper explicite cognoscendus est ad hoc, ut quæri possit, mediaque apta ad illum inveniendum adhiberi. Sic ex generalibus dumtaxat quibusdam indiciis poteris terram fodere ad inveniendum thesaurum, quamvis nescias, qualis ille sit. Nec aliter, qui ratiocinatur sæpe propositum sibi habet id, quod scire cupit, sub forma quæstionis v. g. utrum Deus sit æternus; utrum universale existat a parte rei: quæ rei cognitio sufficit, ut media vel principia apta quærantur ad conclusionem obtinendam. Item si quis norit principia, certasque habeat rerum notiones, satis habet, ut illa comparet inter sese, atque ad subjectam materiam applicet, et quid inde concludendum sit, possit judicare.

Objic. 2.° Veritas æterna est, et ante nos cognoscebatur. Ergo nihil novi ratiocinatione cognoscitur.

---

(1) S. Thom., ib. fin., lect. 3. Cfr. Conimbric. loc. cit., *Præcipuum fundamentum Platonis.*

Resp. *dist.* antec. Veritas æterna est in mente Dei, *conc.*, in mente nostra, *neg.*

Dist. etiam conseq. Nihil novi, quod novum prorsus omni intellectui et incompertum sit, *conc.*, nihil novi, quod nobis, ac fortasse etiam omnibus hominibus, novum et incompertum sit, *neg.*

Objic. 3.° Si quis puer vel rudis scite et ordinate interrogetur de principiis per se notis, ex quibus conclusio aliqua infertur, ac mox de ipsa conclusione, verum ad omnia respondebit. Atqui hoc signum est, quod rerum illarum omnium jam tenebatur prius notitia, quæ de novo per aptas illas interrogationes excitata refricetur. Ergo (1).

Resp. *trans.* Major, *neg.* Minor. Sufficit enim notitia virtualis conclusionis in principiis ad hoc, ut hæc recte proposita et applicata faciant cognoscere formaliter conclusionem. Apta vero interrogatio, quæ rudi alicui a magistro facta fingitur in objectione, id præcise efficit, ut ob oculos ea omnia proponantur, quorum cognitio et attenta consideratio ad inferendam conclusionem, prius formaliter ignotam et solum virtute notam in principiis, adducat.

Objic. 4.° Qui quærit servum fugitivum, quem antea non noverat, etiamsi in illum incidat, non cognoscet illum. Ergo simili modo, si quis ante actum ratiocinii non cognoscit conclusionem, non poterit veritatem illius cognoscere.

Resp. *Dist.* antec. Nisi sciat certa signa, unde agnosci servus possit, *trans.*, si sciat, *neg.*

Tum *neg.* conseq. et paritatem. Quia, quamvis servus non semper præ se ferat signa, ex quibus cognoscatur, at conclusio semper se manifeste prodit per principia. Positis enim aptis principiis, illico patet, quænam sequi debeat conclusio, secundum normas et fundamenta rectæ argumentationis. Cæterum sicut veritas primorum principiorum per se ipsa innotescit, ita veritas conclusionum lumine principiorum illustrata latere non potest.

Objic. 5.° Qui cognoscit subjectum et prædicatum conclusionis, scit conclusionem. Atqui passim ante actum ratio-

(1) Cfr. S. Th., loc. cit., lect. 3, paragr. *b*.

cinii cognoscimus subjectum et prædicatum conclusionis. Ergo saltem tunc nihil novi per ratiocinium scitur.

Resp. *dist.* Major. Si cognoscit insuper relationes, quæ inter subjectum et prædicatum intercedunt, *conc.*, secus *neg.*

Contradist. Minor. Quando conclusiones olim cognitas iterum novo ratiocinii actu revocamus, *trans.* Cum primum conclusionem ex præmissis inferimus, *subdist.;* cognoscimus subjectum et prædicatum, et simul etiam relationes, quæ inter ipsa vigent, *neg.;* cognoscimus subjectum et prædicatum, quin tamen cognoscamus mutuas eorum relationes, *trans.*

Et *neg,* conseq. (1)

CAPUT II.

DE DEMONSTRATIONE.

Argumentationem, spectata materia, solemne fuit priscis philosophis in *demonstrativam, probabilem* seu *dialecticam* et *sophisticam* dividere: argumentatio demonstrativa seu demonstratio versatur circa materiam certam ac necessariam, probabilis vel dialectica circa probabilem et contingentem, sophistica demum circa illam, quæ nec certa nec probabilis est, licet talis appareat. Harum argumentationum præcipua demonstratio est, de qua proinde accuratius agere oportet, utpote quæ parens est scientiarum fecundissima.

ARTICULUS I.

Quid sit demonstratio.

Duplex definitio demonstrationis:

234. Duplex desumitur ex Philospho (2), demonstrationis definitio, et communis commentatorum veterumque Philosophorum calculo comprobatur. Altera petita ex fine,

(1) Plura dabunt Tongiorgi, loc. cit.; Conimbric., loc. cit.; Sylvester Mauri, *Quæstion Philos.*, tom. 1, quæst. 66; Semery *Trienn. philosoph.*, vol. 1, disp. 7, quæst. 4; Rhodes, loc. sup. cit.

(2) Lib. 1.° *Posterior.*, cap. 2.

sic se habet: *demonstratio est syllogismus seu argumentatio faciens scire* (1). Quæ definitio ut melius intelligatur, notandum est in primis, id quod mox fusius dicetur, demonstrationem dividi in demonstrationem *propter quid* et demonstrationem *quia*. Illa ex causa proxima probat effectum, ut si eclipsim lunæ fore probetur ex interpositione terræ, vel hominem esse risibilem, quia est admirativus. Demonstratio *quia* e converso causam probat per effectum, vel etiam effectum per causam remotiorem; ut si Dei existentiam probes ex creaturis, vel hominis risibilitatem ex rationalitate. prima desumpta ex fine, declaratur.

Porro *scire* rem aliquam tunc proprie dicimur, quando illam non quomodolibet cognoscimus, sed certo et per suam causam proximam, quemadmodum mox amplius declarabitur, cum scientia definienda erit. Itaque cum Philosophus definivit demonstrationem: *syllogismum facientem scire;* intellexit illam esse talem argumentationem, quæ facit cognoscêre rem per proximam ejus causam.

Hinc communissime Commentatores censent ab hac definitione demonstrationis excludi non solum opinionem, sed etiam omnem argumentationem *quia* et a posteriori, etiamsi certa sit atque evidens, solamque comprehendi argumentationem certam *propter quid* (2). Cum enim demonstratio *quia* non faciat perfecte rem cognoscere, imperfectior est, talisque, ut facile intelligi possit per analogiam ad demonstrationem *propter quid*.

Si quis vero mallet hac definitione complecti omnem demonstrationem sive *propter quid*, sive *quia;* verbum *scire* latius deberet extendere ad significandam omnem prorsus certam cognitionem per discursum comparatam. Et tunc sensus definitionis hic foret: demonstratio est syllogismus, faciens rem certo cognoscere.

Prima ergo hæc definitio petitur ex causa finali.

---

(1) Vide S. Th. 1.° *Poster.*, lect. 4; Cajet., Sotum., Toletum, etc. in lib. 1.um *Poster.*, c. 2; Conimbric., ib. q. 2; Complut., *Logic.*, disp. 18; Rubium, ib. in Comment. et q. 1; Alamanni, Prim. part. q. 24, a. 1.

(2) Vide Rubium et Complutens., loc. cit., Conimbric., ib. q. 2, a. 1; Dominic. Sot. 1.° *Poster.*, cap. 2, q. 2, *ad* 2.um *principale;* Joann. a S. Th. *Logic.*, q. 25, a. 1.

Altera desumpta ex causa materiali:

Hinc aliam infert Aristoteles definitionem per causam materialem, quæ definitio declarat, qualibus præmissis constare demonstratio debeat. «Definitio enim per causam finalem, quæ est causa extrinseca, est ratio definitionis per causam materialem et formalem, quæ sunt causæ intrinsecæ, et est medium probans talem definitionem. Ex. gr. ex eo, quod serra sit instrumentum aptum ad secandum, quæ est definitio serræ per causam finalem, infertur, quod serra est ferrum dentatum, quæ est definitio per causam materialem et formalem» (1).

Altera itaque definitio petita ex materia hæc est: *demonstratio est syllogismus vel argumentatio procedens ex veris, primis et immediatis, notioribus, prioribus causisque conclusionis.*

declaratur.

Primo demonstratio debet constare ex præmissis *veris.* Quia scientia non est nisi de vero, cum falsum sciri nequeat. Atqui demonstratio est argumentatio faciens scire. Ergo demonstratio facit habere cognitionem veram. At vero cognitio causari per se nequit nisi ex principiis veris, nam solum per accidens verum sequi ex falso potest. Ergo...

Deinde constare debet ex propositionibus *primis* sive *immediatis:* quæ duæ voces idem valent reipsa, ponuntur autem a Philosopho, ut notat Angelicus (2) ad designandos duos respectus, sub quibus eadem propositio dici potest *prima* et *immediata; prima* nempe comparatione aliarum, quæ per ipsam probantur, et *immediata*, quia caret medio, ac proinde non habet aliam priorem propositionem, per quam demonstretur. Perinde ergo est demonstrationem constare ex *primis* sive *immediatis*, ac constare ex præmissis *indemonstrabilibus*.

Demonstratio autem constare debet ex præmissis primis seu immediatis vel indemonstrabilibus, non quod nulla possit esse demonstratio, quæ fiat per præmissas ulterius demonstrabiles, nam sæpe instituuntur hujusmodi demonstrationes in scientiis; sed quia demonstratio perfecta nequit esse, donec ad prima et immediata seu indemonstrabilia principia deveniatur. Sic si hominem demonstres risibilem esse, quia est

(1) Sylvestr. Maur., *Paraphras. Opp. Arist.* 1.° *Posterior.*, cap. 2.
(2) 1.° *Posterior.*, lect, 4, *Concludit ex prædictis definitionem.*

admirativus, veram quidem demonstrationem instituis, non tamen perfectam, nisi rationem etiam reddas, cur homo sit admirativus, nempe quia rationalis est. Et sic fit, ut demonstratio debeat esse ex primis et immediatis, quia vel proxime vel immediate deveniendum est ad indemonstrabilia. Ratio vero in comperto est, quia conclusio sciri demonstratione non potest, nisi sciantur præmissæ; præmissæ vero si sint demonstrabiles non possunt sciri, nisi et ipsæ demonstrentur, et ita porro, donec tandem veniatur ad indemonstrabilia principia, quæ ex ipsis terminis perfecte cognoscuntur.

Præterea demonstratio fit ex *notioribus, et prioribus causisque conclusionis*. Ex causis quidem, quia finis demonstrationis est scire, non autem res scitur, donec causæ ejus sciantur, ut magis declarabitur, cum de scientia sermo erit. Oportet itaque demonstrationem procedere ex iis, quæ sunt causæ rei demonstrandæ.

Hic autem nota, aliquid posse esse causam alterius vel in essendo, quia dat esse illi, vel in cognoscendo, quia nempe facit illud cognoscere. Et præmissæ quidem semper sunt causa conclusionis, saltem in cognoscendo, non tamen semper sunt causa conclusionis in essendo, sed solum in demonstratione propter quid et a priori, quia solum in hujusmodi demonstratione objectum præmissarum continet causam objecti conclusionis. Et quoniam Aristoteles, ut supra monuimus, cum suis Commentatoribus, hic potissimum definire voluit demonstrationem *propter quid*, particula illa *ex causis*, intelligenda est non solum de causis in cognoscendo, sed de causis tum in cognoscendo tum in essendo, ut sensus definitionis sit hic, demonstrationem procedere debere ex cognitione illius, quod est causa, ad cognitionem illius, quod est effectus.

Illud etiam nota *causam* hic sumendam esse sive formaliter sive etiam virtualiter pro eo nempe, quod vel est vere ac formaliter causa, vel solum virtualiter, id est, se habens instar causæ. Porro causa formaliter sumpta hic est illa, a qua vere producitur aliquid sive per realem actionem sive per emanationem. Causa vero virtualis illud, a quo revera non fluit aliud, aut dependet in esse, quia idem realiter est cum eo, nihilominus apprehenditur ut radix alterius, quod proinde concipitur ut dependens ab illo et subordinatum eidem.

Hoc modo immortalitas licet re idem sit cum spiritualitate, atque adeo non procedat ab ea secundum realem ac formalem causalitatem, distinguitur tamen ratione atque apprehenditur ut habens rationem ac radicem in ea, probarique proinde potest per illam demonstratione propter quid, quia spiritualitas est causa virtualis immortalitatis. Et ob hanc causam divina attributa probantur alia ex aliis hoc genere demonstrationis, licet nulla inter ea intercedat realis distinctio vel causalitas. Itaque, cum demonstratio dicitur fieri ex causis, intelligendum id est de causis, quæ sint sive formaliter sive virtualiter tales (1).

Hinc jam satis innotescit demonstrationem fieri ex *prioribus*, nec solum ex prioribus *quoad nostram cognitionem*, quomodo omnis demonstratio et argumentatio fit ex prioribus, etiamsi ex effectibus causa probetur, sed etiam ex prioribus *secundum naturam*, seu quoad rem ipsam; siquidem causæ priores sunt effectibus. Si ergo demonstratio fit ex causis, eo ipso ex prioribus fiat, necesse est.

Demum demonstratio fit ex *notioribus*, et quidem notioribus secundum naturam, quales sunt causæ respectu effectuum. Nam effectus, sicut a causis participant esse, ita etiam suam intelligibilitatem et cognoscibilitatem. Illud autem, quod alteri tribuit cognoscibilitatem, notius illo per se ac natura sua est, licet sæpe ob imbecillitatem ingenii nostri eveniat, ut quæ secundum se notiora sunt, minus nota sint nobis (2).

Et confirmatur quia præmissæ vel sunt propositiones immediatæ, vel mediatæ. Si immediatæ, per se patet illas esse notiores conclusione. Si vero sint mediatæ, debent etiam esse notiores. Nam generatim id, unde aliquid participat cognoscibilitatem suam, notius illo est. Atqui conclusio participat cognoscibilitatem suam a præmissis, ut pote quæ illam manifestant. Ergo...

Quæ ratio proportione applicari potest etiam ad præmissas demonstrationis minus perfectæ, quæ fit a posteriori. Omnis

(1) Vide Conimbric., lib. 1.° *Poster.*, cap. 2, quæst. 1, art. 2, *In secundo est gravis contentio...* Suarez, disp. 1, *Metaphys.*, sect. 5, n. 38.

(2) Vide Conimbric., in lib. 1.um *Posterior.*, cap. 2, quæst. 2, art. 5.

enim demonstratio, licet fiat ex iis, quæ secundum se sunt minus nota, necesse est, ut procedat ex notioribus *hic et nunc nobis*, quandoquidem conclusio, utpote quæ ex præmissis infertur, ex iisdem cognoscenda est, atque adeo etiamsi secundum suam naturam notior sit præmissis, tamen quatenus conclusio est, necessario derivat cognoscibilitatem suam ex illis.

Probatur utraque definitio.

Jam rectitudo harum definitionum constat in primis ex communi consensu Peripateticorum. Probari autem potest præterea rectitudo primæ, quia scire est per demonstrationem intelligere, ut inferius explicabitur. Ergo demonstratio est syllogismus scientialis, seu faciens scire, vel est syllogismus, quem, cum habemus, eo ipso scimus id, quod per talem syllogismum concludimus et probamus (1).

Secunda vero definitio probatur ex prima hoc modo. Demonstratio est syllogismus vel argumentatio faciens scire. Sed nullus syllogismus potest causare scientiam, nisi constet ex propositionibus veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus causisque conclusionis. Ergo demonstratio est syllogismus constans ex propositionibus veris etc. Adeoque syllogismus carens prædictis conditionibus, poterit quidem esse argumentatio, non vero demonstratio.

Minor constat ex declaratione prædictarum conditionum, supposito quod scientia, ut mox dicetur, est cognitio certa et evidens rei per causam necessariam et immediatam (2).

Cæterum concedi potest has conditiones revocari commode posse ad tres, nempe ut demonstratio fiat: α) *ex præmissis veris:* β) *ex immediatis seu indemonstrabilibus a priori:* si vero sin tales, eo ipso erunt quoque primæ: γ) *ex causis conclusionis:* in qua conditione jam implicite continetur, quod præmissæ sint *priores* ac *notiores*, causa siquidem prior est natura, quam effectus, et est etiam notior, «quatenus illa dicuntur notiora, in quibus fundari debet exacta cognitio rerum aliarum, quas accurate et radicitus scire volumus» (3).

(1) Vide Mauri, *Paraphras. Aristot.* 1.° *Poster.*, cap. 1, *Quoad secundum.*

(2) Cfr. Mauri, ibid, *Probat Aristoteles;* Alamanni, Prim. part., q. 24, art. 1.

(3) Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 2, cap. 2, n. 1.

Hactenus expositæ conditiones ex communissimo interpretum consensu, conveniunt, ut jam monuimus, proprie solum demonstrationi *propter quid*. Si quis tamen velit illa, extendere aliquo modo etiam ad demonstrationem *quia* «dici potest, quod omnis demonstratio etiam a posteriori constare debet primum ex præmissis evidenter *veris:* deinde ex *immediatis,* vel indemonstrabilibus, saltem virtualiter seu ex non indigentia, quatenus præmissæ evidentes, undecumque tales evadant, non indigent hic et nunc novo medio, ut evidentiam contineant, et refundere possint in conclusionem. Demum ex *causis conclusionis*, quæ sint causæ saltem in cognoscendo, licet non semper in essendo; ita scilicet ut objectum præmissarum, quamvis non sit causa nec radix objecti conclusionis, sit tamen titulo necessariæ connexionis efficax motivum et ratio, cur assentiamur conclusionis objecto» (1).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

235. **Objic.** 1.° Unius rei non est nisi una definitio, docente Philosopho (2). Ergo alterutra ex assignatis definitionibus rejicienda est.

Resp. *dist.* Major. Objectiva, *conc.*, formalis, *subdist.;* si ex eodem capite petatur, *conc.*, si ex diversis, *neg.* Et *neg.* conseq.

Conceptus objectivus rei unus est, quocumque tandem modo exprimatur, quia res ipsa per definitionem declaranda una est. Nihil tamen vetat, quominus declaratio illa ex diversis capitibus petatur, ut in casu nostro. Nam prima definitio explicat demonstrationem per ordinem ad finem, vel si mavis, per ordinem ad effectum formalem; altera vero per ordinem ad causam materialem (3).

Objic. 2.° Verum potest concludi ex falsis, ut dicit Philosophus (4). Necesse ergo non est, ut demonstratio procedere debeat ex veris (5).

---

(1) Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 2, cap. 2, n. 6.
(2) Apud Alamanni, Prim. part. q. 24, art. 1, arg. 1.
(3) Cfr. Alamanni, ibid. ad 1.um
(4) 1.a *Poster.*, text. 17.
(5) Apud Alam., loc. cit., arg. 2.

Resp. licet verum possit *concludi* ex falsis, non tamen potest *sciri* ex falsis. Cum itaque demonstratio sit syllogismus faciens *scire*, non potest procedere nisi ex veris (1).

Objic. 3.° Idem est demonstrationem debere esse ex primis, ac ex prioribus. Ergo in secunda definitione redundat alterutra ex his vocibus (2).

Resp. *dist.* antec.; quoad rem ipsam, *conc.*, quoad respectum, *neg.*, et *neg.* conseq.

Etenim «propositiones demonstrationis propter quid dicuntur primæ in ordine ad alias, per quas probari possint, ut dictum est, et dicuntur priores in ordine ad conclusionem, nam propositiones continent causam, conclusio effectum, quo prior semper est secundum naturam causa» (3).

Objic. 4.° Ab Aristotele definitur demonstratio *syllogismus* faciens scire. Atqui videtur etiam enthymema posse eadem virtute pollere, ut nempe faciat scire. Ergo perperam demonstratio definitur eo modo.

Resp. *dist.* Minor. Si subintelligatur propositio, quæ in enthymemate reticetur, *conc.*, secus, *neg.* Nisi enim reducatur ad formam syllogisticam, supplendo unam ex præmissis, aptum quidem esse poterit ad aliquem assensum probabilem generandum, non vero ad generandum assensum certum atque evidentem, atque adeo scientiam, quia una tantum propositio in antecedenti expressa non sufficit ad ostendendam identitatem vel repugnantiam extremorum in conclusione (4).

Objic. 5.° Demonstratio dicitur fieri ex notioribus. Atqui hoc esse nequit. Nam α) Præmissæ dicuntur notiores, vel quia veriores, vel quia certiores. Non primum, quia veritas est in indivisibili, nec admittit magis et minus. Non secundum, quia præmissæ sunt causæ naturales, et prout tales influunt in conclusionem: ergo totam suam perfectionem certitudinis illi communicent necesse est, præsertim cum con-

(1) Cfr. Alaman. ib. ad 2.um Vide *Summ.*, *totius Log. Arist.* tract. 9. cap. 3.

(2) Apud. Alam., loc cit. arg. 7.°

(3) Alamanni ad 7.um

(4) Cfr. Conimbric., lib. 1.° *Posterior.*, cap. 2, q. 2, art. 1; Joann. a S. Th., *Logic.*, q. 25, a. 1.

clusio, saltem quandoque, re non differat a præmissis. β) Præterea in conclusione theologica fluenti ex una præmissa de Fide et altera naturali, adest major certitudo, quam in præmissa naturali. Potest ergo conclusio superare alteram de præmissis in certitudine. Quidni utramque?

Resp. *neg.* Minor.

Ad probation. α) in primis negari posset disjunctio addendo tertium membrum, nempe quod præmissæ dicantur notiores, quia evidentiores. Necesse proinde non est ex eo, quod præmissæ sint notiores, ut sint quoque veriores aut certiores.

Cæterum neque etiam debent esse præmissæ notiores conclusione, quatenus habeant evidentiam majorem, secundum perfectionem specificam, sed sufficit, ut intra eamdem speciem evidentiæ præmissæ superent conclusionem, saltem in aliquo gradu intensitatis. Siquidem ex duabus præmissis metaphysice evidentibus, procul dubio sequitur conclusio etiam metaphysice evidens.

Deinde ad primum membrum probationis respondeo veritatem quidem formaliter sumptam sitam esse in indivisibili, nempe quatenus importat formalem rationem adæquationis; si vero consideretur ex parte fundamenti, prout importat majorem vel minorem firmitatem atque immutabilitatem adæquationis, non consistit in indivisibili; sed capax graduum est, et suscipere potest magis et minus. Et hoc modo verius est *Deum esse*, quam *me sedere nunc*. Et sic etiam nihil vetat præmissas esse veriores, id est firmiores secundum veritatem aut certiores conclusione, saltem quatenus hæ ab illis suam mutuantur veritatem et firmitatem, quam servare nequeunt nisi dependenter a veritate et firmitate præmissarum.

Adde, quod sæpe conclusio physica dumtaxat gaudeat certitudine, dum alterutra præmissa metaphysicam certitudinem habet, nempe si conclusio inferatur ex altera præmissa metaphysica et altera physica. Fateor, quando utraque præmissa est metaphysicæ certitudinis, eamdem quoque esse conclusionis certitudinem; nihilominus etiam tunc in aliquo sensu dici possunt præmissæ veriores fundamentaliter seu certiores conclusione, quatenus illa non nisi dependenter ab iis suam retineat firmitatem ac veritatem.

Ad alterum membrum respondeo causam quidem naturalem, si univoca sit, posse tribuere effectui totam suam perfectionem, at non si æquivoca sit. Jam vero præmissæ sunt causæ non univocæ, sed æquivocæ, respectu conclusionis, ut jam monuimus in præcedenti capite.

Quamvis autem «conclusio identificetur *aliquando* cum præmissis ex parte rei cognitæ quantum ad entitatem, et sic sit ejusdem certitudinis identice, tamen in ratione veritatis est diversa; et quia una se habet ut illata et illuminata, alia ut illuminans, hæc, saltem quoad nos, debet esse notior» (1).

Ad β): in discursu Theologico non est conclusio notior in sensu proprio, nempe evidentior, sed solum certior præmissa naturali, si hæc seorsim sumatur. «Si autem consideretur ut elevata et conjuncta præmissæ de Fide, sic illa conjunctio præmissarum est certior conclusione illata. Comparatio autem inter conclusionem et præmissam non debet fieri respectu unius præmissæ tantum solitarie sumptæ, sed ut præmissa est formaliter, id est, conjuncta alteri præmissæ, unde desumitur tota et integra ratio inferendi. Et sic est certior conclusione theologica præmissa naturalis, ut conjuncta præmissæ de fide» (2).

ARTICULUS II.

Utrum demonstratio debeat procedere ex præmissis *necessariis*, et de prædicato *de omni, per se* ac *secundum quod ipsum* itemque *ex propriis*.

236. Expositis conditionibus essentialibus demonstrationis in articulo præcedenti, expendendæ sunt aliæ, quas Philosophus addidit ad rem amplius declarandam; neque enim parum utilitatis afferre illarum tractatio poterit. Semper tamen meminisse oportet Aristotelem in assignandis hisce conditionibus habuisse præ oculis demonstrationem *propter quid*.

(1) Joann. a S. Th., *Logic.*, q. 25, art. 1, vers. fin., *Ad secundum respondetur...*

(2) Joann. a S. Th., loc. cit., ubi plura videri possunt.

Præmissæ debent esse necessariæ.

Primo itaque præmissæ in demonstratione oportet, ut sint necessariæ. Nam finis demonstrationis est *scire*. Sed quod *scitur* aliter esse non potest, seu necessario ita est. Ergo conclusio demonstrationis necessaria est. Atqui conclusio necessaria *sciri* nequit nisi ex præmissis seu principiis necessariis. Ergo...

Minor subsumpta patet, quia licet necessarium quandoque possit *inferri* per accidens ex contingenti, ut in Dialectica docuimus, at *sciri* non potest ex contingentibus. Non enim *scitur* proprie, ut jam exponemus infra, nisi quando cognoscitur causa rei. At conclusionis necessariæ causa contingens esse non potest. Ergo impossibile est conclusionem necessariam sciri ex causa seu præmissis contingentibus (1). Et hæc est doctrina communissima veterum contra paucos. Lege Auctorem *Summæ totius Logicæ* Aristotelis (2).

Existimo tamen non omnem demonstrationem veram debere constare præcise præmissis necessariis absolute ac metaphysice, sed posse etiam constare præmissis hypothetice solum ac physice necessariis. Et sic forte in concordiam cum communi aliquorum sententia revocari poterunt quidam recentiores (3), existimantes posse etiam ex præmissis contingentibus confici demonstrationem. Nam exempla, quæ in confirmationem suæ doctrinæ producunt, non continent revera præmissas prorsus contingentes, sed contingentes quidem metaphysice atque absolute, sed necessarias physice et hypothetice (4).

Cæteræ conditiones, declarantur.

Secundo demonstratio constare debet præmissis habentibus prædicatum α) de omni: β) per se, et γ) secundum quod ipsum seu de prædicato universali.

237. Prius autem quam id probetur, declarandæ sunt hæ voces.

(1) Vide S. Th., 1.° *Poster.*, lect. 9 initio, et lect. 13 ante med., cum Aristotele ib. Cfr. Conimbric., in lib. 1.um *Poster.*, cap. 5, 7, q. 1, a. 1; Tolet. Rub. etc. ib.

(2) Tract. 9, cap. 3.

(3) Vide apud Soarez, *Logic.*, tract. 8, disp. 1, sect. 5 ad 27.

(4) Cfr. Lossada, v. g. *Logic.*, tract. 6, disp. 2, cap. 2. n. 12, cap. 4, n. 6, 11; et Rubius, in lib. 1.° *Posterior.*, cap. 4, q. 1, in argumentis et solutionibus; Joann. a S. Thom., *Logic.*, quæst. 25, art. 2; Soarez, *Logic.*, tract. 8, disp. 3, sect. 5, n. 127 seqq.

Quid sit propositio habens prædicatum de omni.

α) *Propositio de prædicato* **de omni** dicitur propositio, in qua nihil est sumere sub subjecto, de quo non dicatur prædicatum, et quidem pro omni tempore; nempe est propositio, in qua prædicatum cum veritate convenit *omnibus* et singulis inferioribus subjecti et semper, ut hæc: *Homo est rationalis;* vel *Animal est substantia;* animalitas enim vere convenit omni individuo speciei humanæ et quidem semper, et similiter substantia prædicari semper cum veritate potest de quovis animali (1).

Cæterum notant interpretes ad propositiones de prædicato *de omni* revocari posse propositiones negativas de *nullo*, licet illas non expresserit Stagirita: nam præmissæ negativæ tales esse debent, ut nihil infra earum subjectum sumi possit, a quo non sit removendum prædicatum pro omni tempore, ut contingit in hac: *Nullus lapis est vivens.*

Illud etiam nota prædicatum de *omni* posse sumi non solum *positive*, quando nempe subjectum est terminus communis plura continens inferiora sub sua extensione, sed etiam *negative*, quando videlicet subjectum est terminus singularis, saltem si sit individuum aliquod immultiplicabile in sua specie, ut in hac: *Deus est ens a se.* Nam etiam tunc revera nihil est

(1) Vide *Sum. totius Logicæ Aristot.*, tract. 9, cap. 2.

Ad intelligentiam veterum scriptorum nota duplex distingui prædicatum de *omni*, aliud *prioristicum*, aliud *posterioristicum*. Prioristicum est prædicatum attributum subjecto secundum totam suam extensionem ac temporis durationem, *præscindendo ab eo, quod vere vel falso attribuatur sub ea universalitate.* Posterioristicum autem est prædicatum, quod vere attribuitur subjecto, secundum totam suam extensionem pro quavis duratione. Ratio appellationis ac diversitatis hujus ex eo petitur, quod Aristoteles tum in libris *Priorum Analyticor.*, tum in libris *Posterior.*, locutus fuerit de hujusmodi propositionibus universalibus *de omni*, Sed quoniam in libris *Priorum* solum intendit exponere formam syllogismi, in qua non expectatur veritas, sed apta dumtaxat dispositio terminorum ad recte concludendum, solam respexit universalitatatem, præscindendo a veritate. Secus in libris *Posteriorum*, in quibus, quia agitur de resolutione scientiæ in sua principia ac de demonstratione, præscindere non potuit a veritate in propositionibus de omnibus, nam scientia et demonstratio veritatem essentialiter postulant. Vide S. Thomam, Lib. 1.° *Posterior.*, lect. 9; Albertum M., Sotum, Toletum, Conimbric., Rubium etc. hic in cap. 4, lib. 1 *Posterior.*

sumere sub subjecto, cui non conveniat tale prædicatum. Et aliunde nihil vetat, quominus possint esse scientificæ atque aptæ ad conficiendas veras demonstrationes propositiones quædam de subjecto singulari, iisque plenæ sunt demonstrationes Theologiæ sive naturalis sive supernaturalis (1). In aliis vero propositionibus, quarum subjectum singulare habeat, vel certe habere possit alia individua sibi similia intra eamdem speciem, quales sunt istæ, v. g.: *Socrates est homo, Petrus est risibilis* etc., videtur non valere hæc doctrina; primo quia revera istæ propositiones non sunt demonstrativæ ac scientificæ, cum scientia non sit de singularibus; deinde quia non eadem viget in illis ratio. In Deo enim, cum idem sit natura et individualis differentia, quidquid de ipso prædicatur, essentialiter prædicatur, et ipsam naturam respicit; et sic propositiones, quæ de Deo formantur, quatenus. Deus per ra tionem cognosci potest, æquivalent universalibus, vel virtute universales sunt, quia essentiales sunt; quia si per impossibile plura essent individua illius speciei, omnibus illis convenirent eadem prædicata. At vero e converso, innumera sunt prædicata, quæ conveniunt singularibus aliis, in quibus differentia individualis non est de ipsa essentia naturæ specificæ, quæ non conveniunt aliis individuis similibus, illa nempe quæ sequuntur individualem cujusque differentiam (2).

Quid sit propositio de prædicato per se. Primus modus dicendi per se,

β) *Ut quænam sit propositio de prædicato* per se innotescat, notandum est ex Aristotele (3), quatuor modis posse aliquid dici *per se*. Primus modus dicendi per se est ille, in quo prædicatum est de intrinseca et essentiali ratione subjecti, ac proinde pertinet ad ejus definitionem, non tanquam additamentum aut terminus connexionis, sed tanquam tota quidditas, aut pars quidditatis, vel tamquam quid formaliter imbi-

---

(1) Vide Rubium hic cap. 4, q. 2, n. 15; Conimbric., ib. q. 1, a. 1, ubi licet oppositum prius defendant, permittunt tamen in fine hanc doctrinam, eamque tuendi etiam modum proponunt. Cfr. Lossada, loc. cit., cap. 2, n. 8; Rhodes, *Logic.*, lib. 1, disp. 5, quæst. unic. sect. 6, paragr. 3, in fine, *Dico secundo*.

(2) Vide Rub., loc. cit., q. 2, n. 15.

(3) Lib. 1.° *Posterior.*, cap. 4. Vide S. Thom., lib. 1.° *Poster. Analyt.*, lect. 10; *Summ. totius Log., Arist.*, tract. 9, cap. 2.

bitum in aliqua parte essentiali (1). Ut si dicas: *Homo est animal rationale*, vel *rationalis*, vel *animal vivens*, *substantia*, *ens*.

secundus.

Secundus modus dicendi per se est ille, in quo subjectum ponitur in definitione prædicati, utpote habens cum hoc necessariam connexionem, ut si sic enunties: *Homo est risibilis;* nam risibile si definire velis, dices esse hominem aptum ad ridendum; vel si mavis, secundus modus dicendi per se obtinet, *quando prædicatum est propria passio subjecti* (2); proprietas enim, licet sit extra essentiam subjecti, ex ea tamen necessario sequitur, tanquam id, sine quo saltem naturaliter essentia subjecti esse nequit, cui proinde per se convenit.

tertius.

Tertius modus dicendi per se assignatus a Philosopho non respicit prædicationem, sed existentiam tantummodo, nempe non est modus aliquis *per se prædicandi*, sed est modus *per se essendi*. Tertius ergo modus dicendi per se convenit substantiæ, prout distinguitur ab accidenti, et idem valet ac *non esse in alio*.

quartus.

Quartus denique modus dicendi per se est, cum subjectum est causa per se prædicati, ut si dicatur: *Jugulatus moritur: medicus medetur: Citharœdus pulsat* etc. Nam *jugulatio* est causa mortis, et *medicus* medicationis, et *citharœdus* pulsationis scite factæ. E converso esset prædicatio per accidens, si diceretur: *Medicus citharizat*, aut *citharœdus medetur*, nam per accidens spectat ad *medicum citharizare*, cum non possit citharizare qua *medicus*, sed qua *citharœdus*.

Quare ex quatuor istis modis per se, duo priores dumtaxat exprimunt perseitatem prædicationis; tertius vero perseitatem essendi, et quartus perseitatem causandi.

Unum forte quæres, utrum nempe dicendæ sint *per se* propositiones indirectæ, ut: *Omne risibile est homo*, et similes; nam videtur his quoque convenire definitio primi modi dicendi per se, siquidem prædicatum *homo* est pars definitionis subjecti *risibile*. Cajetanus apud Rubium (3) affirmat. Alii

(1) Vide Lossada, loc. cit. n. 9, et generatim AA. antiquos.

(2) Vide Auctor. *Summ. totius Logic., Aristot.* tract. 9, cap. 2. Cfr. ib. tract. 1, cap. 6; et Auctores antiquos passim.

(3) Vide Rubium, lib. 1 *Posterior.*, cap. 4, q. 2.

vero negant ullam propositionem indirectam esse per se, aut ex ea fieri posse demonstrationem, cum careat modo naturali propositionum, in quibus prædicatum exprimit modum formæ, subjectum vero modum materiæ, subjectantis formam.

Definitio ergo Aristotelica modorum dicendi per se supponit propositiones esse directas constructasque modo naturali, ac proinde indirectæ, utcumque similitudinem habeant cum propositionibus de prædicato per se, non tamen sunt tales.

Quid sit propositio de prædicato universali,

γ) *Denique prædicatum* **universale**, seu **universaliter dictum**, prout hic sumitur, est id, quod prædicatur de omni, per se et **secundum quod ipsum**. In qua descriptione patent ex dictis duæ priores particulæ; sed circa tertiæ interpretationem non una est auctorum sententia. Nam Themistius et Aversa ac Ferrariensis (1), apud Conimbricenses (2), arbitrantur dici vel prædicari universaliter seu secundum quod ipsum, perinde esse ac convenire subjecto per se. Alii vero cum S. Thoma (3), Böetio, Alberto et Cajetano (4), Toleto (5), Dominico Soto (6), Conimbricensibus (7), Rubio (8), Complutensibus (9), aliisque censent *universaliter* vel *secundum quod ipsum dici* aliquid addere supra *dici de omni* ac *per se*, idemque valere ac prædicari *primo*, ut ait Philosophus, id est, *convertibiliter*, quemadmodum interpretatur Böetius, et sequuntur plurimi alii, quibusdam tamen reclamantibus (10). Itaque secundum hanc interpretationem prædicatum secundum quod ipsum seu universale, est prædicatum de omni et per se, quod convenit subjecto, prout tale est, ac proinde cum eo convertitur seu reciprocatur. Hujusmodi prædicatum universale habent propositiones, in quibus prædicatur tota definitio de definito, vel etiam differentia speci-

et *secundum quod ipsum*.

(1) In lib. 2.um *Contr. Gent.*, cap. 15.
(2) 1.º *Poster.*, cap. 4, q. 1, a. 4.
(3) In lib. 1.um *Poster.*, lect. 11, et 2.º *Contr. Gent.*, cap. 15 initio.
(4) Apud Conimbr.
(5) Lib. 1. *Poster.*, cap. 4.
(6) Ibid.
(7) Loc. cit.
(8) Ib. lib. 1.º *Poster.*, cap. 4, q. 3.
(9) Complutens., *Log.*, disp. 18, q. 2, n. 21.
(10) Vide apud Conimbricens., loc. cit.

fica de specie, vel passio seu proprietas de specie vel genere, a quo proxime et adæquate procedit (1). Et hæc est expressa sententia etiam Auctoris *Summæ totius Logicæ Aristotelis* (2).

Quæ cum ita sint, tria hæc prædicata *de omni*, *per se*, et *secundum quod ipsum* comparantur inter se sicut superiora ad inferiora, ita ut prædicatum *de omni* latius pateat, quam prædicatum *per se*, et hæc duo quam prædicatum universale seu *secundum quod ipsum*. Nam omne prædicatum universale est quoque *per se* et *de omni*, sed non e converso; itemque omne *per se* est etiam *de omni*, non autem e converso (3). Potest nempe prædicatum *de omni* (saltem si sit prioristicum) esse accidentale, ut in hac propositione: *Omnis homo ambulat*, et tunc certe non est *per se;* et potest similiter prædicatum esse *per se* et non universale, ut accidit in hac propositione: *Omnis homo est sensibilis: Triangulus isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis*. Nam neque homo est sensibilis quatenus homo, sed quatenus animal, ideoque homo et sensibile non convertuntur; neque isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis, ex eo quod isosceles est, sed ex eo quod est triangulus (4). Hisce præstitutis

Quomodo inter se comparantur prædicatum de omni, prædicatum per se et prædicatum secundum quod ipsum.

Dicendum cum Aristotele est omnem demonstrationem, saltem propter quid, debere constare præmissis habentibus prædicatum α) de omni et β) per se; at non omnem demonstrationem etiam propter quid, sed solum eam, quæ potissima vocatur, constare debet præmissis de prædicato universali.

Probatur jam in demonstratione præmissas debere habere prædicatum de omni, per se et secundum quod ipsum.

Probantur duæ priores partes α) et β). Etenim omnis demonstratio debet constare præmissis necessariis. Atqui omnis propositio necessaria est in aliquo duorum modorum priorum dicendi per se. Ergo præmissæ demonstrationis debent constare prædicatis *per se*. At omnis propositio de prædicato per se est etiam de omni. Ergo...

Probatur tertia pars γ). In primis demonstratio potissima debet habere prædicatum universale. Nam ea dicitur

(1) Vide Rubium, loc. cit. q. 3.
(2) Tract. 9, cap. 2, fin.
(3) Vide *Summ. totius Logicæ Aristot.*, loc. nup. cit.
(4) Vide contrariam opinionem bene refutatam apud Rubium et Conimbricenses, loc. cit.

demonstratio *potissima*, in qua prima passio probatur de subjecto proprio, ostendendo propter quid ei conveniat talis passio. Atqui et propria passio et id, unde propria passio fluit, nempe specifica differentia, sunt prædicata universalia, ut constat ex præmissa terminorum declaratione. Ergo...

At vero in aliis demonstrationibus imperfectioribus non est necesse utramque præmissam esse de prædicato universali. Res patet exemplis, ut si velis passionem propriam generis probare de specie, vel speciei de individuo v. g.: *Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. Atqui isosceles est triangulus. Ergo habet tres angulos* etc. Vel si ita demonstres passionem generis de alio genere altiori particulariter sumpto: *Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. Sed omnis triangulus est figura. Ergo aliqua figura habet tres angulos* etc. Istæ demonstrationes, ut vides, habent Minorem, quæ non est de prædicato universali. Quamobrem perfectior est demonstratio concludens propriam passionem de pærdicato adæquato, quam quævis alia.

Demonstratio fieri debet ex propriis.

238. **Denique restat inquirendum an demonstratio debeat esse ex propriis,** quemadmodum præcipit Aristoteles (1).

Proprium porro bifariam sumi potest, vel quatenus opponitur alieno seu extraneo, vel quatenus opponitur communi.

Jam quod demonstratio debeat procedere ex propriis in primo sensu, nempe ex non extraneis, patet ex superius dictis. Si enim demonstratio est ex iis quæ, *per se sunt*, ut probavimus, plane conficitur non posse fieri ex alienis.

Accedit quod omnis scientia suum habeat peculiare objectum, extra quod egredi non licet. At egrederetur extra suum objectum, si præmissis uteretur alienis et expectantibus ad aliam materiam, nullamque habentibus connexionem cum re demonstranda.

Denique ex extraneis non potest sciri, *cur* res ita sit, esto sciri possit rem ita *esse*. Demonstratio vero cum causet scientiam, debet ostendere quare res ita sit, saltem si sermo sit de demonstratione perfecta et propter quid.

Nota autem, si res agatur de scientiis subalternis, posse subalternatam demonstrare suas conclusiones ex objecto sub-

(1) Lib. 1.º *Posterior.*, cap. 7.

alternantis, utpote quod nequit dici penitus extraneum scientiæ subalternæ (1).

Deinde licet dentur axiomata pluribus scientiis communia, tamen debent etiam singulis inesse principia et præmissas proprias, saltem in demonstrationibus propter quid. Quia si ad rem probandam afferantur ea, quæ aliis quoque conveniunt, nequit reddi ratio, cur illa res talis sit (2). Proinde non potest fieri hujusmodi demonstratio ex communibus.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit demonstratio

239. Primo dividi potest in demonstrationem *a priori* et *a posteriori*. Prima assumit pro medio causam rei sive *formalem* aut physicam, sive *virtualem* aut metaphysicam, ad probandum effectum vel proprietatem. Ut si probes *risibilitatem* hominis *ex admirativo*, vel *admirativum ex rationali*. Demonstratio a posteriori, quæ etiam *a signo* dicitur (3), est illa, quæ assumit pro medio effectum aut proprietatem ad causam vel essentiam rei demonstrandam.

Demonstratio a priori

et a posteriori, quæ etiam a signo dicitur.

Aliam speciem quidam interserunt inter has duas mediam, demonstrationem nimirum *a concomitante*, in qua res probatur per medium, quod, licet nec causa sit nec effectus illius, intimam tamen habent cum ea connexionem: ut si hominem *risibilem* esse demonstres, ex eo quod sit *flebilis*, vel si ex duratione rei *in tempore* concludas existentiam ejusdem *in loco* (4).

Demonstratio a concomitante.

---

(1) Vide *Summ. totius Logicæ Aristotelis*, tract. 9, cap. 6.

(2) Vide Complutens., *Logic.*, disp. 18, quæst. 2. paragr. 3; et alios priscos auctores.

(3) Vide S. Th., 4.° dist. 1.ª, q. 1, a. 1, sclution. 1. ad 5.um Nihilominus non penitus idem esse videtur demonstratio a signo et demonstratio ab effectu; sicut non idem est signum atque effectus, siquidem latius patet signum, quam effectus. Nam sunt signa, quæ proprie nec causa sunt nec effectus rei significatæ, ut v. g. lac habere vaccam vel capram, signum est quod peperit, nihilominus partus nec causa est nec effectus lactis.

(4) Vide Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 2, cap. 1, n. 5. Forte tamen istæ demonstrationes non sunt ultimæ, nam fere demonstran-

Demonstratio *propter quid* et *quia*.

240. Cum hac bimembri divisione confundunt quidam (1) celebrem illam divisionem in demonstrationem *propter quid* et demonstrationem *quia*, quamquam aliter sentit communissima veterum opinio cum Aristotele (2), S. Thoma (3) et Commentatoribus (4).

Demonstratio ergo *propter quid* (Διὸ τί) est illa, quæ non solum ostendit, quod *res sit*, sed etiam *cur ita sit*, afferendo videlicet causam propriam et adæquatam, qualis est proxima et immediata rei causa. Ut si probes *risibile* per *admirativum*, *defectum lunæ* per *interpositionem terræ*. Demonstratio vero *quia* (ὅτι) est illa, quæ solum ostendit, quod *res sit*, non vero cur res sit (5). Et bifariam fieri potest, ab effectibus, et per causam non proximam sed remotam. Causa enim remota sola non ostendit, cur res sit; quia licet, ipsa sublata, res esse non possit, sed adhuc, ipsa posita, nondum sequitur effectus, donec aliud accedat, v. g. cur leo respiret, non scitur solum per hoc, quod sciatur illum esse animal. Nam licet nihil, quod non sit animal, respiret, non tamen sufficit esse animal ad respirandum, nisi habeatur pulmo. Quare demonstratio *quia* comprehendit tum omnes demonstrationes a posteriori, seu per effectum vel signum, tum demonstrationes a priori, quæ sint per causam remotam.

Ex his patet præstantia demonstrationis *propter quid* præ alia *quia*. Illa enim demonstrat, cur res sit, et consequenter explet sitim sciendi, quam non explet demonstratio *quia* ob oppositam rationem.

Duo dubia: primum, sitne adæquata prædicta divisio.

Circa hanc divisionem solent duo disputari: primum, an sit adæquata, secundo utrum sit univoca, an vero analoga.

---

dum ulterius erit medium illud concomitans habere cum re demonstranda connexionem.

(1) Apud Complutenses, *Logic.*, disp. 18, q. 3, n. 34.

(2) 1.° *Posterior.*, cap. 10.

(3) In 1.um *Posterior.*, lect. 23, 24.

(4) Vide Sotum, Conimbricenses, Toletum, Mauri, aliosque in 1.um *Posterior.*, cap. 10; et Joann. a S. Thom., *Logic.*, q. 25, n. 4.

(5) Notat hic Dominicus Soto ita appellatam esse hanc demonstrationem ex versione Severini Böetii, qui græcam particulam ὅτι textus Aristotelici convertit per latinam *quia*: quamquam nec græca nec latina particula hic significent causam rei, sed solum *quod res est*.

Quod ad primum attinet, quamquam aliqui cum Averroe (1), ac Themistio (2), aliter sentiant, communissima tamen sententia docet divisionem esse adæquatam; nam inter demonstrationem per causam proximam, et demonstrationem, quæ non fit per causam proximam, nihil medium assignari potest. Atqui si demonstratio fiat per causam proximam, vocatur propter *quid;* si vero non fiat per causam proximam, vocatur *quia*, sive interea medium probationis petatur ex effectu, sive ex causis remotioribus.

Difficultates, quæ in contrarium objiciuntur, videri possunt apud Dominicum Sotum (3), Complutenses (4), Cosmam de Lerma (5), Soarez (6) et alios.

Alterum dubium, utrum eadem divisio sit univoca.

Gravior existit controversia de ratione prædictæ divisionis. Sunt enim non pauci, qui contendant divisionem in demonstrationem *propter quid* et *quia* esse univocam atque adeo generis in suas species. Ita inter alios P. Rubius (7) aliique (8). At vero sententia communior antiquorum cum Sancto Thoma (9), Soto (10), Conimbricensibus (11), Complutensibus (12), et Joanne a S. Thoma (13), tenet divisionem illam esse analogam. Licet enim utraque demonstratio con-

(1) 1.° *Posterior.*, text. 95.

(2) 1.° *Poster.*, cap. 29, apud Complutens., disp. 18, *Logic.*, q. 3, n. 39.

(3) 1.° *Posterior.*, cap. 10, 11, quæst. 5.ª

(4) Loc. nup. citato.

(5) *Logic.*, lib. 8, q. 9.

(6) *Logic.*, tract. 8, disp. 3, sect. 1.

(7) Lib. 1.° *Posterior.*, cap. 10, q. 2, n. 11 seqq.

(8) Apud eumdem, et apud Complutens., *Log.*, disp. 18, q. 4.

(9) Vide 1.° *Poster.*, lect. 4, *Quarto ibi...* quo in loco sic habet post relatam demonstrationem *ab effectibus: Sed proprius et perfectus sciendi modus est, qui prædictus est*, nempe *propter quid*. Vide etiam ibid. lect. 23, ubi demonstrationem *propter quid* vocat demonstrationem simpliciter.

(10) Vide 1.° *Posterior.*, cap. 3, q. 2 ad 2.um *principale*, ubi ait demonstrationem *quia* non facere simpliciter scire; et ib. cap. 10, in expositione paulo post initium docet solam demonstrationem *propter quid* esse demonstrationem simpliciter, eique soli convenire Aristotelicam demonstrationis definitionem superius expositam.

(11) 1.° *Poster.*, cap. 10, q. 1, a. 3, *Circa ultimum argumentum.*

(12) *Logic.*, disp. 18, q. 4.

(13) *Logic.*, q. 25, art. 4.

veniat in evidentia ac certitudine veri nominis habenda; nihilominus longe distant inter se in parienda scientia. Demonstratio nempe *propter quid* facit scire rem ostendendo causam ejus, at demonstratio *quia* non facit scire rem simpliciter. Simpliciter enim rem tunc scimus, cum causam vel rationem, cur res sit, cognoscimus: id quod solum per demonstrationem *propter quid* obtinetur. Ideo hæc dici debet demonstratio simpliciter, altera vero est demonstratio dumtaxat secundum quid.

Demonstratio potissima

Jam vero inter demonstrationes *propter quid* illa, in qua prima passio rei demonstratur, vocari solet demonstratio *potissima;* cujus proinde medium est ipsa rei essentia, unde proxime et immediate manat talis passio seu proprietas: ut si *admirativum* probes ex *rationali.*

Demonstratio ostensiva et ducens ad impossibile:

241. Est et alia demonstrationis divisio in ostensivam et ducentem ad impossibile. Prima est illa, quæ ex præmissis veris ac necessariis positive rem demonstrat: demonstratio autem ducens ad impossibile, quæ etiam *ab absurdo* vel *ab inconvenienti* vel *ab incommodo* dicitur, rem demonstrat, oppositum esse falsum ostendendo: quare bifariam fieri potest: primo indicando absurdum, quod sequeretur ex non admissa aliqua conclusione, ut si sic arguas: *Si homo non foret intelligens, non discreparet a belluis. Atqui falsum est hominem a belluis non discrepare. Ergo...* Deinde fieri potest etiam assumendo propositionem contradictoriam alteri negatæ ab adversario, et ex ea et altera præmissa ab eodem concessa, eruendo conclusionem impossibilem: qui modus expositus fuit in Dialectica, cum sermo esset de probatione modorum syllogismi imperfectorum.

Hic unum nota cum pluribus auctoribus (1) demonstrationem etiam ducentem ad impossibile revocari posse vel ad demonstrationem propter quid, vel ad quia, prout ducat ad impossibile per causas talis impossibilitatis, ut si dicas: *Si lapis est rationalis, erit admirativus ac risibilis;* vel per effectus, ut si hoc pacto arguas: *Si equus discurrit, erit animal rationale.*

(1) Vide Auctores citatos nuper pro quæstione illa, num adæquata sit divisio demonstrationis in demonstrationem *propter quid* et *quia.*

Universalis et particularis: affirmativa et negativa,

Denique demonstratio dividitur in *universalem* et *particularem*, et in *affirmativam* et *negativam;* quæ divisiones per se patent, atque etiam in Dialectica expositæ sunt.

et quomodo hæ inter se comparentur.

Cæterum si has ultimas divisiones inter se comparaveris, facile videbis, universalem particulari, affirmativam negativæ, et ostensivam ducenti ad impossibile præferendam esse. Id quod fuse probat Aristoteles (1).

ARTICULUS IV.

De prærequisitis ad demonstrandum seu de præcognitis et præcognitionibus.

Omnis doctrina fit ex præcedenti disciplina:

242. *Omnis doctrina*, inquit Philosophus (2), *omnisque disciplina intellectiva (discursivam* alii vertunt) *ex præcedenti fit cognitione* (3). Quorum verborum triplex est inter commentatores interpretatio (4): prima est eorum, qui per doctrinam et disciplinam (quæ idem valent sub diverso respectu, siquidem id quod *doctrina* vocatur relate ad magistrum, *disciplina* audit relate ad discipulum) dicunt (5) intelligi posse omnem cognitionem intellectualem sive simplicis apprehensionis, sive judicii; nam semper verum est omnem hujusmodi cognitionem fieri ex præeunte alia cognitione, nempe sensitiva. Alii arbitrantur nomine doctrinæ ac disciplinæ venire cognitionem dumtaxat judicativam, sive immediatam, sive discursivam aut mediatam; talem enim cognitionem necessario præcedit alia non solum sensitiva, sed etiam intellectiva, saltem simplex apprehensio. Tertio demum alii attentius respicientes scopum totius hujus capitis Aristotelici, sentiunt notitia illa intellectiva, quæ fiat ex præcedenti cognitione, comprehendi ex mente Philosophi solam discursivam. Et quamvis tres

variæ interpretationes hujus præcepti Aristotelici.

(1) Lib. 1.° *Posterior.*, cap. 20, 21 et 22. Vide ib. Commentator. et S. Th., lec. 37-42.

(2) Lib. 1.° *Posterior.*, cap. 1.

(3) De voce *doctrina* et *disciplina* ab Aristotele usurpata vide Conimbric., 1.° *Posterior.*, cap. 1, q. 2, a. 2.

(4) Vide Conimbric., 1.° *Posterior.*, cap. 1, quæst. 2, art. 1; Toletum 1.° *Poster.*, cap. 1; Complutens., *Log.*, disp. 17, q. 1.

(5) Vide Sotum, Lib. 1.° *Poster.*, cap. 1, in exposit. textus; Conimbric., ibid. q. 2, art. 1, initio; et Rubium, ib. cap. 1, q. 1 initio.

istæ interpretationes vere explicent, quomodo omnis doctrina et disciplina ex præcedenti fiat cognitione; nihilominus tertia præferenda videtur, utpote magis conformis fini, quem sibi præfixit Stagirita. Et sic sentiunt inter alios Toletus (1), Rubius (2), Conimbricenses (3), Complutenses (4), Joannes a S. Thoma (5), aliique cum Alberto et multis priscis commentatoribus (6).

Jam supposito, quod omnis discursiva cognitio ex prævia alia cognitione fieri debeat, ea quæ ante demonstrationem præcognoscere oportet, ac modos, quibus præcognoscantur, nunc declaranda veniunt. Pro quorum intelligentia

Quid præcognita et præcognitiones.

Advertendum est ea dici *præcognita*, quorum cognitio est necessaria ipsi demonstrationi adeo, ut demonstratio absque tali eorum cognitione non possit procedere; non tamen in ipsa demonstratione, sed extra cognoscuntur. «Modus autem cognitionis, quo hæc præcognoscere necesse est, *præcognitio* dicitur» (7).

Quot sint præcognita,

243. Et præcognita quidem ex Aristotelis et communi veterum Dialecticorum sententia tria recensentur, *subjectum*, *passio* et *principia*, Subjectum est id, de quo aliquid demonstrare intendimus; passio est in hac tractatione prædicatum illud, quod de subjecto demonstrandum assumimus. Nam «licet in demonstratione non semper concludatur vera passio de subjecto, ut cum una pars essentialis, aut una definitio per aliam probatur, vocavit autem Aristoteles omne ejusmodi prædicatum passionem; et quia, dum ita concluditur, passionis modum habet, et quia plerumque demonstratio in veris passionibus conficitur» (8). Principia denique sunt præmissæ, ex quibus colligitur in conclusione passionem subjecto convenire (9).

(1) In lib. 1.º *Poster.*, cap. 1.
(2) Ibid. q. 1.
(3) Ibid. q. 2, art. 1.
(4) *Log.*, disp. 17, q. 1.
(5) *Logic.*, q. 24, art. 1.
(6) Vide illos apud Conimbricenses et Toletum.
(7) Toletus, loc. cit. n. 3, et auctor. antiq. passim.
(8) Conimbric., 1.º *Poster.*, cap. 1, quæst. 3, art. 4, initio.
(9) Vide de his Conimbric., loc. nup. cit. quæst 3, art. 3, seqq.; Rubium ibid. quæst 2 et 3; Sotum ibid. in exposition. capitis primi.

Quod tria hæc prænosci oporteat, nemo in dubium revocare potest. Quid enim demonstrari possit de subjecto, quod ignoratur? aut quomodo de subjecto demonstrari possit passio vel prædicatum, cujus notitia non habetur? et quomodo conclusio possit inferri, nisi cognoscantur prius præmissæ, unde illa derivanda est? Quamobrem tria sunt præcognita.

quot præcognitiones,

Præcognitiones autem, seu modi, quibus hæc præcognita oportet cognoscere, sunt duæ, *an est*, et *quid est*. Præcognitio *an est* bifariam dividitur, quandoquidem versari potest circa esse rei, cognoscendo nempe rem existere, aut saltem esse possibilem, et circa esse veritatis, nimirum cognoscendo propositionem aliquam esse veram. Similiter prænotio *quid est*, in duas alias dispescitur, in *quid nominis* et *quid rei;* primum horum habetur per significationem nominis, alterum per definitionem rei.

et quo ordine se habeant.

Cæterum quo ordine se habeant inter se istæ prænotiones, explicat Angelicus hisce verbis: *Antequam sciatur de aliquo,* **an sit**; *non potest sciri proprie de eo,* **quid sit**; *non entium enim non sunt definitiones. Unde quæstio* **an est** *præcedit quæstionem* **quid est**. *Sed non potest ostendi de aliquo,* **an est**, *nisi prius intelligatur* **quid** *significatur per nomen. Propter quod etiam Philosophus in 4.° Metaphysicæ in disputatione contra negantes principia docet incipere a significatione nominum* (1).

Quid prænoscendum de subjecto.

244. **Jam de subjecto generatim prænosci oportet** in primis, *quid sit*, saltem quoad nomen, ut per se patet. Deinde cognoscendum quoque est de subjecto, *an sit*, saltem possibile (nisi forte de ipsa possibilitate subjecti disputetur, aut de ente chimærico); nam necesse non est prænoscere, an *actu* existat. Primum horum probatur; nam res impossibilis nullas habet veri nominis passiones, quæ demonstrentur. Non autem necesse est prænoscere quod subjectum actu sit, quia unio prædicati cum subjecto *absolvitur a tempore* (2). Neque enim ut concludam animum humanum esse immortalem, requiritur ut animus actu existat, cum propositio illa

(1) S. Thom. 1.° *Posterior.*, lect. 2, post initium.

(2) Quid sit propositionem *absolvi a tempore* exposuimus in Logica Minori, n. 100.

sit æternæ veritatis. Si quando autem attributum de subjecto demonstretur, quod non conveniat nisi rei existenti, etiam prænoscendus est, ut patet, subjectum actu existere. Et hæc quidem dicta sint de his demonstrationibus, in quibus veræ passiones de entibus realibus demonstrantur. Potest tamen eadem doctrina cum proportione extendi ad entia etiam rationis et negativa, de quibus aliquod esse, saltem possibile, prænoscendum est; de ente quidem rationis, *quod objective existere queat in intellectu*, de negativo autem, *quod negative esse queat in rerum natura per remotionem scilicet formæ* eo modo, quo dari in re potest cæcitas vel tenebræ etc. (1).

Denique de subjecto non necesse est prænoscere *quid rei*, nisi in demonstratione potissima, in qua ipsa rei essentia desumitur pro medio ad primam passionem demonstrandam (2). Et hæc intelliguntur de subjecto particularium demonstrationum.

Quid prænoscendum de subjecto totius scientiæ.

Quæri autem potest, quid dicendum sit de subjecto, quod est objectum scientiæ alicujus totalis. Et primo quidem quod attinet ad prænotionem *quid sit*, censent Conimbricenses cum S. Thoma, Alberto, Cajetano etc. (3) de subjecto totalis scientiæ habendam esse prænotionem *quid sit*, id est, prænoscendum esse, quæ sit ejus natura et essentia. Ratio est, quia quævis scientia ante omnia præmittit, ac supponit principia. Sed nullum est in scientia principium potius quam definitio. Ergo. Præterea quidditativa rei definitio est primum illius prædicatum maximeque intrinsecum. Ergo nullum potest esse medium, quo demonstretur, intellige demonstratione *propter quid*. Nam medium hujusmodi demonstrationis est causa et prius eo, quo demonstratur. Quare si definitio exprimit primum, quod in re est, demonstrari nequit, sed præsupponenda est (4).

Quod vero attinet ad existentiam subjecti scientiæ totalis, sic præcipiunt iidem Conimbricenses cum pluribus aliis Au-

(1) Vide Conimbric., 1.* *Posterior.*, cap. 1, quæst. 3, art. 3, *sect. articuli*, in 3.a conclusione.

(2) Vide Conimbric., ib. q. 3, a. 3, post med. et in *section. artic.*; Rub. ibid. q. 2, et 3.

(3) Vide Conimbric., loc. cit., quæs. 3, art. 3.

(4) Plura dabunt Conimbricens. loc. cit.

ctoribus: «Licet totali scientiæ demonstrare a posteriori suum subjectum esse; idque præstare debet, quando illud non est aut sensu aut ex terminis notum; quamvis ea demonstratio aut a sola Metaphysica, aut non sine ejus beneficio construi possit» (1).

Quid prænoscendum de passione, vel proprietate.

245. **Sed jam veniamus ad passionem**, de qua prænoscendum est ante omnia *quid nominis*, ut manifestum est. Non tamen prænosci debet de illa, *an sit*, vel *quid sit secundum rem*. Ut primum horum probetur, nota, quod hic loquimur formaliter de passione, quatenus passio est, non vero quatenus accidens est, vel secundum aliam generalem rationem. Potest enim quis scire risibilitatem hominis, ignorare tamen an sit passio ejus; et tunc, licet cognoscat *an sit* risibilitas, secundum quod *est ens*, aut *accidens*, non tamen cognoscit *an sit illius*, secundum quod est propria passio. Hoc ergo posito, probatur conclusio quoad priorem partem, quia *an sit* passionis, ostenditur per demonstrationem: ergo non præcognoscitur ante illam. Probatur antecedens, quia *an sit* seu esse proprium passionis est inesse subjecto; sed hoc demonstratur. Ergo... «Secunda pars etiam patet. Nam *quid rei* passionis pendet ex proprio subjecto, per quod debet definiri. Sed per demonstrationem cognoscitur, quodnam sit passionis subjectum. Ergo non fuit præcognitum, et per consequens neque *quid rei* ipsius passionis» (2).

Quid prænoscendum de principiis.

246. **De principio** non cognosci debet *quid sit*, sed solum *an sit* in esse veri, nempe an sit verum. Primum patet, quia quid sit res, cognoscitur per definitionem; at definitio non cadit in propositiones, utpote quæ sunt complexum quiddam, sed in terminos. Ergo non est proprium principii, ut cognoscatur præcognitione *quid sit*. Alterum etiam probatur, quia in demonstratione ante assensum conclusionis necesse est, ut præcedat assensum præmissarum seu principiorum; quare jam hæc præsupponuntur, ac debent præsupponi vera, ut possit conclusio sequi.

---

(1) Conimbric., ib. q. 3, art. 3, *sectio articuli*, *conclusio sexta*, quam vide ab iisdem probatam. Cfr. Suarez, disp. *Metaph.* 1.ª, sect. 4, n. 14.

(2) Complutenses, loc. cit., q. 2, n. 25. Cfr. S. Thomam 1.ª *Posterior.*, lect. 2; et Conimbricenses, ibid. art. 4, ubi fuse.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

247. **Objic. 1.°** Contra numerum præcognitorum. Præter tria enumerata præcognita, necesse est quoque prænoscere tum α) bonitatem consequentiæ, tum etiam β) medium demonstrationis, siquidem virtute medii in conclusione subjectum et prædicatum uniuntur: item γ) axiomata seu principia communissima, quæ sunt basis ac fundamentum omnis demonstrationis. Ergo Aristotelis hac in re præcepta corrigenda sunt.

Resp. ad α) *dist.* assertum. Necesse est prænoscere explicite consequentiæ bonitatem, *neg.*, implicite ac virtualiter, *conc.* Qua de re superius actum est in præcedenti capite. Adde, quod si deberet bonitas consequentiæ prænosci, id foret necessarium ratione dumtaxat formæ; nos autem hic non agimus de prærequisitis ex parte formæ, sed ex parte materiæ.

Ad β) pariter distinguo. Medium debet præcognosci extra præmissas, *neg.*, in ipsis præmissis, *conc.* Nam subjectum et passio præcognoscuntur extra præmissas, ut partes quæstionis, antequam demonstratio instituatur. Medius autem terminus sufficit, ut cognoscatur in ipsis præmissis (1).

Ad γ) Respondeo principia quædam communissima implicite præcognoscenda esse in ipsis præmissis vel tamquam basis omnis objectivæ certitudinis, ut principium contradictionis, vel ut fundamentum rectæ formæ argumentandi. Non tamen necesse est, hæc actu expresse cognoscere ante omnem demonstrationem, cum passim instituantur demonstrationes sine ulla saltem explicita attentione ad hujusmodi principia.

Objic 2.° Quandoque de ipso subjecto inquirimus an sit, ut cum in ipso limine Theologiæ demonstratur an Deus sit: itemque solent sæpe misceri controversiæ circa ipsas definitiones, e quibus aliæ respuuntur, aliæ approbantur, totumque id ope demonstrationis fiat necesse est.

---

(1) Vide Conimbric., 1.° *Poster.*, cap. 1, q. 3, n. 2, post initium; Joann. a S. Thom. *Log.*, q. 24, a. 1; Rhodes, *Philos. Perip.*, lib. 1, disp. 5, quæst. unic., sect. 2, *Neque dicas* 2.°

Resp. *dist.* assert. Quandoque inquiritur de subjecto particularis demonstrationis, *an sit, neg.*, nisi in aliquo casu disputatio sit de ipsa rei alicujus existentia; inquiritur an sit de subjecto totalis alicujus scientiæ, *subdist.;* per medium intrinsecum et a priori, *neg.*, a posteriori vel ex principiis ab alia scientia mutuatis, *conc.*

Ita Theologia ex principiis metaphysicis demonstrat a posteriori existentiam Dei, idque fieri etiam potest, in scientiis subalternatis, in quibus, si necesse sit, ex principiis subalternantis probatur existentia subjecti.

Plura de his apud Joannem a S. Thoma aliosque.

Quod vero attinet ad definitiones, fateor sæpe contingere de illis disputationes. Id tamen accidit in quibusdam abstrusioribus notionibus, quæ certa non sunt fundamenta principiave ullius scientiæ. Nam definitiones objecti scientiarum aliæve, quæ principiorum locum tenent, non debent patere controversiis, sed probari, seu potius declarari solent ex communi hominum sensu atque intelligentia.

DISPUTATIO QUARTA.

DE SCIENTIA.

Hæc postrema tractatio est, ad quam dirigebantur quæcumque in superioribus disputata sunt sive de universalibus, sive de principiis, sive de discursu ac demonstratione. Supposita scientiæ existentia vel certa humani ingenii ad eam assequendam habilitate, quam suo loco adversus Scepticos et Academicos vindicavimus, aliæ nunc restant investigandæ quæstiones.

CAPUT I.

DE NATURA SCIENTIÆ.

Quinque assignantur a Scholasticis cum Aristotele (1) et S. Thoma (2) virtutes intellectuales: *Intellectus principiorum, Sapientia, Scientia, Prudentia et Ars.* Et ratio est, quia *virtutes intellectuales sunt habitus, quibus anima dicit verum. Sunt autem quinque numero, quibus anima semper dicit verum vel affirmando vel negando: scilicet, Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia et Intellectus. Unde patet, quod istæ sunt quinque virtutes intellectuales* (3). Cæterarum omnium aliquam declarationem necessariam reddet melior intelligentia naturæ scientiæ.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit scientia.

Variæ acceptiones scientiæ.

248. Variæ sunt scientiæ acceptiones. Ut enim omittamus notitias supernaturales, de quibus nostrum non est disputare, modo sumitur α) latissime pro quacumque cognitione sive clara sive obscura, sive certa sive dubia: quo pacto *scire* dicimur, quidquid quomodolibet cognoscimus; β) modo paulo minus late pro sola notitia certa et evidenti, sive sit immediata sive discursiva seu mediata, sive ordinis pure experimentalis sive rationalis: γ) modo denique proprie ac presse pro sola cognitione certa et evidenti discursiva (4); et in hac postrema acceptione nunc sumenda est scientia, quatenus non solum distinguitur a cognitione opinativa, sed etiam a cognitione primorum principiorum et experimentali. Illam quippe

Quænam propria.

(1) Lib. 6.° *Ethicor.*, cap. 3, seqq.

(2) Lib. 6.° *Ethicor.*, lect. 3; 1. 2, q. 17, art. 2 et 3; *de Virtutibus*, quæst. 1, art. 12 et 13 etc.

(3) S. Thom., lib. 6.° *Ethicor.*, lect. 3.

(4) Vide Conimbr., lib. 1.° *Poster.*, cap. 2, q. 1, a. 1.; Tolet, ibid. quæst. 1, *circa primum;* Sotum, ibid., quæst. 2, *Ad quæstionem:* Lossada, *Logic.*, tract, 6, disp. 2, cap. 4; Albert. M., et Lincolniensem apud Conimbricenses.

scientiam definiendam assumimus, quæ proprie nomen istud meretur, et per quam res perfecte ac simpliciter cognosci dicitur. Atqui nec cognitio opinativa nec experimentalis est hujusmodi. Cognitio autem primorum principiorum perfecta quidem est, immo et perfectior in genere cognitionis, quam scientia, nihilominus ex communi more loquendi non solet scientiæ nomen sortiri.

Et quoniam scientia in hac propria acceptione gignitur per demonstrationem, et hæc duplex est, *propter quid et quia*, ut superius exponimus; duplex et ipsa esse potest, altera quæ comparatur per discursum ex effectibus vel ex causis remotioribus vocaturque scientia *quia;* altera, quæ comparatur per discursum ex causa proxima, et nomen habet scientiæ *propter quid*. Hinc duplex dari potest definitio scientiæ, altera quæ utrumlibet discursum permittat, altera quæ omnino requirat demonstrationem *propter quid:* quamvis solam postremam, utpote præcipuam ac præstantissimam omnium, exponendam assumpsit Philosophus, quemadmodum etiam ob eamdem causam, præcipue demonstrationem *propter quid* ac potissimam describendam sibi proposuerat, ut superius notavimus. Itaque scientia, quatenus præscindit ab specie demonstrationis, per quam obtineatur, definiri potest: *cognitio certa et evidens rei per demonstrationem comparata*. Dicitur *cognitio certa*, ut excludatur *error*, *opinio*, *suspicio* ac *fides humana*, quæ, saltem plerumque, assensum dumtaxat probabilem gignere valet. Est autem scientia cognitio certa, quia nemo proprie ac simpliciter *scire* dici potest, nisi rem infallibiliter cognoscat, seu nisi cognoscat rem ita esse et aliter esse non posse.

Duplex scientiæ definitio:

prima,

explicatur:

Dicitur *evidens*, ad excludendam fidem divinam, quæ obscura sit, oportet. Reliquæ particulæ secernunt scientiam a cognitione principiorum, atque adeo a visione beatifica hominis Deo fruentis in cælo. Et per easdem particulas etiam excluditur ab hac definitione scientia Dei et angelorum, quæ licet *scientia* vulgo audit, non tamen est in proprio et stricto sensu scientia, de qua modo loquimur, utpote carens omni discursu.

At vero scientia perfecta, quæ fructus sit demonstrationis *propter quid*, sic ad mentem Aristotelis definiri potest: *cogni-*

secunda definitio:

tio certa et *evidens ex causis;* vel si mavis, *ex præmissis causam continentibus;* ubi ex communi interpretatione *causa* sumenda est non tantum *in cognoscendo* sed etiam in essendo.

Quid importet cognoscere rem per causam.

Cæterum *cognoscere rem* per causam tria importat: α) cognoscere causam; β) cognoscere illam esse causam rei, et γ) rem propter illam causam ita esse, ut aliter esse non possit (1). Primum per se patet. Alterum non est etiam minus evidens; quia si quis causam quidem cognoscat in seipsa, non vero causalitatem ejus in effectum, quamvis mox aliunde venerit in hujus notitiam, nequit profecto dici effectum cognoscere per causam. Tertium quoque patet, quia sciri proprie nequit, nisi id quod tamquam certum et immutabiliter tale cognoscitur. Et quoniam scientia notitiam rei per causam importat, oportet, ut causa ita necessario cum re connectatur, ut hæc aliter esse non possit. Non tamen necesse esse videtur, ut quis inter demonstrandum, reflexe, explicite et signate advertat præmissas esse causas conclusionis; sed sufficit ipsum directum præmissarum judicium (2).

Cur scientia sit notitia per causam.

Quæret quispiam, cur scientia sit notitia rei per causam eamque proximam et adæquatam. Respondetur, quia scientia est notitia rei non qualiscumque sed perfecta. At perfecta rei notitia obtineri nequit, nisi cognoscantur principia ejus causæque. Et ratio est, quia docente Aristotele (3), «ut se res habet in esse, ita in sui perfecta cognitione. Sed esse rei pendet ex causa. Ergo ab ea pendebit illius perfecta cognitio. Quod Philosophi pronuntiatum, ut semel explicetur, in eo fundatur, quod perfecta cognitio non solum attingit prædicatum inesse subjecto, sed quomodo insit, mutabiliterne, an immutabiliter. Cum autem id percipi non possit, nisi cognoscendo radicem hujus inhæsionis, quæ vel est in ipsis extre-

---

(1) *Scire arbitramur unumquodque simpliciter... cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, et quoniam illius causa est, et non est contingere, hoc aliter se habere.* Aristot. lib. 1.° *Posterior.*, cap. 2 initio.

(2) Si quis tamen particulam illam *ex causis* prorsus vellet referre ad causas rei sive in essendo, sive in cognoscendo, is hac definitione non solum scientiam perfectam et *propter quid* comprehenderet, sed etiam imperfectam et *quia*, sicut monuimus de præcedenti definitione.

(3) Lib. 1.° *Metaphysicor.*, cap. 2.

mis, quæ junguntur, vel extra: quando est in extremis, caret res causa, et per seipsam cognoscitur, ut primum principium; quando vero est extra, tunc res seu conjunctio illa dicitur habere causam, quæ si ignoretur, non poterit radicitus attingi conjunctio» (1).

Hinc est, quod scientia per causam, sive physicam et formalem, sive virtualem, id est, scientia habita per demonstrationem *propter quid* expleat plenissime cupiditatem, qua incitatur animus, rem cognoscendi: id quod minime præstat scientia habita per demonstrationem *quia*, propterea quod est cognitio imperfecta, et ostendens dumtaxat, quod *res ita sit*, non autem *cur ita sit*.

Per quas causas demonstratio fieri possit.

Cæterum cum causa quadruplex sit, formalis, materialis, efficiens et finalis, ut nunc supponimus, quæret quispiam per quasnam earum scientia cognoscat res. Et responsio Aristotelis est, scientiam demonstrationes suas instituere posse per quamlibet harum quatuor causarum (2). Nihilominus nequeunt adhiberi in omni materia indiscriminatim demonstrationes ex qualibet causa petitas, sed aliæ ex aliis convenientius fiunt. De quo videri potest Aristoteles et Conimbricenses (3).

Probatur definitio scientiæ.

249. Jam si rationem aliquam vel declarationem traditæ definitionis scientiæ petas, ea sic potest ex sensu omnium communi, reddi cum Aristotele: quia *tam scientes quam non scientes, æstimantes tamen se scire, hoc modo accipiunt scire, sicut dictum est. Non scientes enim, qui æstimant se scire, opinantur sic se habere in cognoscendo, sicut dictum est. Scientes autem vere sic se habent. Est autem hæc recta manifestatio definitionis. Definitio enim est ratio, quam significat nomen, ut dicitur in 3.° Metaphysicor. Significatio autem nominis accipienda est ab eo, quod intendunt communiter loquentes per id nomen significare. Unde in 2.° Topicorum*

(1) Conimbricens., lib. 1.° *Posterior.*, cap. 2, quæst. 1, art. 2, *Prima conclus.* Cfr. S. Thom., lib. 1.° *Posterior.*, art. 4, paragr. *b.*

(2) Vide Aristot., lib. 2.° *Posterior.*, cap. 3. Cfr. ibid. 1, Thom., lect. 9; Mauri., *Paraphras.*, lib. 2. *Posterior.*, cap. 6. Conimbricens., lib. 1.° *Posterior.*, cap. 2, quæst. 3.

(3) In locis nuper relatis.

dicitur, quod nominibus utendum est, ut plures utuntur (1). Notant autores cum S. Thoma (2), Ægidio Romano aliisque (3) definitionem, qua Aristoteles declarat, quid sit *scire* potius esse nominalem: bene tamen advertunt Toletus (4), et Conimbricenses (5), non ita nominalem esse, quin per eam satis quoque intelligatur, quid reipsa sit scientia. Cæterum definitio, prout a nobis proposita est, realis omnino videtur esse dicenda, cum constet genere ac differentia.

Quotuplex scientia: actualis et habitualis,

250. Divisiones scientiæ multæ sunt: alia enim est scientia *actualis*, alia *habitualis*. Actualis est assensus certus et evidens per demonstrationem comparatus: habitualis est habitus mentis ac facilitas inclinans intellectum ad hujusmodi assensus eliciendos. Utrique perfacile accommodari potest definitio scientiæ supra ex Aristotele proposita; «at cui præcipue competat ex mente Philosophi, non vacat questione, quibusdam pugnantibus pro habituali, quæ absolute scientia dicitur, aliis pro actuali, quam magis sonant verba Philosophi, scire enim et cognoscere significant actionem. Æquior est horum pars, et propter rationem assignatam, et quia actualis perfectior consummatiorque scientia est, et ad eam ordinatur habitualis, ut ad ultimam perfectionem in eo genere; unumquodque enim perfectius est in actu, quam in habitu, quod docuit Aristoteles (6), definiens virtutem dispositionem perfecti ad optimum, hoc est, interprete divo Thoma, qualitatem qua subjectum perficitur ad exercendum actum. Ex quibus etiam soluta manet ratio pro altera parte» (7). Quidquid sit de hac controversia, non est res tanti momenti, quæ debeat nos diutius detinere.

propter quid et quia,

Alia est divisio scientiæ in scientiam *propter quid* et *quia* pro ratione demonstrationis, per quam comparetur.

partialis et totalis.

Tertio dividitur in *partialem* et *totalem*. Totalis est complexus conclusionum omnium, quæ circa unum objectum

(1) S. Thom., 1.° *Posterior.*, lect. 4, *Tertio ibi manifestum est.*
(2) Lect. nup. cit.
(3) Apud Conimbris., 1.° *Post.*, cap. 2, q. 1, a. 2.
(4) Libr. 1. *Poster.*, cap. 2, quæst. 1, *Est* 3.° *advertendum.*
(5) Loc. nup. cit. in fin. art. 1.
(6) Lib. 7. *Physicor.*, cap. 3, text. 17.
(7) Conimbricens. 2.° *Poster.*, cap. 2, q. 1, a. 1, paulo post init.

formale versantur: talis est v. g. *Metaphysica*, *Mathesis* etc. Partialis est quævis conclusio per demonstrationem comparata.

Scientia humana opinionibus et erroribus admixta.

Notandum est hic, vix in humanis reperiri totalem scientiam, quæ non sit plena multis conclusionibus non scientificis, nempe certis atque evidentibus, sed aut falsis aut mere opinabilibus ac probabilibus: id quod ex imbecillitate ingenii nostri accidit. Nihilominus istæ omnes vocantur scientiæ, et quia omnes habent scientificam methodum, etiam in quæstionibus incertis atque opinativis, et quia versantur circa objectum scibile, de quo passiones inquirunt, ac tandem quia nobiliores partes earum sunt conclusiones demonstratæ, unde in totum eadem scientiæ denominatio derivatur (1).

Subalternans et subalternata.

Quarto divitur in *subalternantem* et *subalternatam*, de qua divisione mox uberius agendum est.

speculativa et practica.

Denique dividitur in *speculativam* et *practicam*. Speculativa sistit in contemplatione rei, qualis est v. g. *Metaphysica*, *Physica*. Practica habet pro fine operationem, ut *Philosophia moralis*. Inter hæc duo scientiæ genera, docente Aristotele (2), consentientibusque communissime veteribus Philosophis, speculativa practicæ generatim in ratione scientiæ preferenda est. Nobilius enim est id, quod est propter se, quam quod est propter aliud: at scientia speculativa est propter se, sistit quippe in veritatis contemplatione, practica autem est propter aliud, nempe propter operationem (3). Quamquam enim possit aliquis practicam scientiam propter seipsam appetere tantum sciendi causa, nec ulterius ad opus ordinare, quia et ipsa etiam, seclusa utilitate ad opus, aliquam veritatis cognitionem præ se fert, ratione cujus appetibilis est, etiamsi aliam utilitatem non afferret, cum sit perfectio naturæ intellectualis; nihilominus id est per accidens, semper enim verum erit, scientiam practicam natura sua, seu quantum est de se, aptam esse ac tendere ad directionem operis, et in hoc discriminari a scientiis speculativis, quæ natura sua in contem-

Practica cedit in dignitate speculativæ.

(1) Cfr. De Benedictis *Logic.*, Quæst. *proœmial.*, cap. 3, *Unum est*; Lossada *Logic.*, tract. 1.° *proœmial.* disp. 1, cap. 8, n. 18.

(2) Aristot., lib. 1. *Metaph.* cap. 1.

(3) Vide S. Thom., libr. 1. *Metaphys.*, lect. 1.ª, *Deinde cum dicit. Primum quidem*; Suar., *Metaphys.*, 1. disp. sect. 6, n. 31.

platione veritatis delitescunt (1). Et hæc quidem sufficiant de scientiæ notione ac speciebus.

251. SCHOLION. Quæret forte quispiam utrum Theologia, quam *scholasticam* dicunt, sit veri nominis scientia.

Utrum Theologia scholastica sit scientia, dubitatur: quidam affirmant,

Variæ sunt de hac re opiniones Doctorum. Nam Dyonisius Carthus., Alexander Alensis (2), P. Jacobus Granadus (3), Canus et Zumel (4) et alii (5) tenent Theologiam esse scientiam. Alii vero ut Scotus, Durandus, Gregorius, Gabriel ac Nominales (6) negant. Alii denique ut Cajetanus (7), Toletus (8) et Bañez (9) sentiunt Theologiam esse quidem scientiam, sed imperfectam. Notat enim Cajetanus, et alii Theologiam *nostram* viatorum bifariam posse considerari; secundum se, et prout in nobis viatoribus reperitur. Secundum se Theologia importat cognitionem principiorum fidei et eorum, quæ inde derivantur; prout autem est in nobis importat obscuritatem ex eo procedentem, quod principia revelata ac per fidem credita careant evidentia, quare Theologia prout in nobis est præ se fert imperfectionem hanc propriam status viatorum. Docet ergo Cajetanus Theologiam, prout est in nobis, consideratam, esse quidem scientiam, sed imperfectam cum non resolvat conclusiones suas in principia evidentia. Quæstio tamen a nobis, agitanda respicit Theologiam, prout in nobis reperitur in hac vita; sive habeat, sive non habeat locum in hac materia distinctio illa Cajetanica in Theologiam secundum se et prout est in nobis. Aliis enim discutiendum relinquimus, num obscuritas sit essentialis necne Theologiæ huic nostræ, vel num hic idem habitus Theo-

alii negant, alii scientiam esse putant, sed imperfectam.

Distinctio Cajetani in Theologiam secundum se, et prout est in nobis.

(1) Fuse de his P. Benedictus Pererius, *De Communibus omnium rerum naturalium principiis* libr. 1. cap. 4. Cfr. Alaman., *Summ. Philosoph.*, Prim. part., quæst. 33, art. 4, et 5.

(2) Apud Granadum Commentar. in 1.am part. tract. *de natura theolog.*, disp. 6; et Vazquez, in 1.am part., disp. 4, cap. 2 seqq.

(3) Loc. cit.

(4) Apud Petrum Arrubal, in 1.am part. disp. 2, cap. 5.

(5) Apud citatos. AA.

(6) Apud AA. citatos.

(7) In 1.am part. q. 1, a. 2.

(8) In 1.am part. q. 1, art. 2, *Conclus. 4 et ultima.*

(9) In 1.am part. q. 1, art. 2.

logiæ possit in alio statu, nempe beatifico, evidentiam sortiri, sicut evidens redditur scientia subalternata, cum addiscitur subalternans; nam prima principia subalternata scientiæ, cum sint conclusiones subalternantis, evidenter cognosci nequeunt nisi per demonstrationem, quæ a scientia subalternata datur: an vero Theologia, quæ in altera vita evidentiam habitura est, sit alius habitus distinctus ab hujus nostræ Theologiæ habitu.

Proposita quæstio magis est de voce.

Questio ergo proposita videtur potius esse de nomine, nam res certa est. Certum est in primis Theologiam nostram discursivam esse ac certissimam, et in hoc convenit cum scientiis humanis. Certum est etiam hunc nostrum habitum Theologiæ obscurum et inevidentem esse: in quo differt ab omnibus scientiis humanis. Quæstio ergo tota huc revocatur, an Theologia, quia cognitio certa et discursiva est, scientia proprie dicenda sit, necne, licet evidentia careat: quæ quæstio in illa controversia generaliori continetur, utrum ad veri nominis scientiam evidentia requiratur, an vero sufficiat certitudo cum discursu, ita ut mox dividi scientia possit in evidentem atque inevidentem, sicut datur actus certus evidens et actus certus inevidens, quemadmodum patet ex dictis de certitudine.

Quæ controversia, si ex auctoritate Philosophi veterumque Peripateticorum decidenda foret, facillimam solutionem haberet, quippe qui nullam scientiam agnoverunt, quæ careret evidentia. Idque fatentur etiam auctores arbitrantes Theologiam esse veram ac propriam scientiam; tamen putant Aristotelem, si cognovisset principia fidei, quæ certissime creduntur, quamvis non fulgeant evidentia, procul dubio Theologiam nostram, non opinionem aut fidem, sed scientiam appellaturum fuisse. Itaque sicut admittitur certitudo sine evidentia, quamvis Aristoteles nullam talem agnoverit certitudinem, ita etiam admittendam esse scientiam evidentia carentem, ac talem esse Theologiam.

Resolvitur quæstio.

Nihilominus dico Theologiam non videri proprie et univoce scientiam, sed improprie et analogice dumtaxat. Ita sentiunt AA. citati pro secunda sententia et præterea Gregorius de Valentia (1), Vazquez (2), Arrubal (3), aliique et, quod

(1) In 1.am part. dist. 1, q. 1, punct. 3.
(2) In 1.am partem disp. 4, cap. 6.
(3) Ibid. disp. 2, cap. 6.

caput est, S. Thomas, quamvis ab adversariis in contrariam sententiam pertrahatur. Sed perperam. Nam sic scribit: *De ratione opinionis est, quod accipiatur unum cum formidine alterius oppositi, unde non habet firmam inhæsionem; de ratione vero scientiæ est, quod habeat firmam inhæsionem cum visione intellectiva; habet enim certitudinem procedentem ex intellectu principiorum. Fides autem medio modo se habet; excedit enim opinionem in hoc, quod habeat firmam inhæsionem; deficit vero a scientia in eo quod non habet visionem* (1). Atqui Theologia licet habeat firmam inhæsionem, visione tamen intellectiva caret. Ergo...

Auctoritas S. Thomæ

Et alibi: *Quæcumque sciuntur* proprie accepta scientia, *cognoscuntur per resolutionem* (al. relationem) *in prima principia, quæ per se præsto sunt intellectui* (nempe sunt evidentia, ut paulo ante declaraverat S. Doctor, exponens *quid sit præsto esse intellectui*) *et sic omnis scientia in visione rei præsentis* (id est, evidentis, ut ibi declaratur) *perficitur: unde impossibile est, quod de eodem sit fides et scientia* (2). Atqui conclusiones Theologicæ non cognoscuntur per reductionem in prima principia evidentia, nec Theologica cognitio in visione rei præsentis perficitur. Ergo...

Hac eadem ratione utitur alibi S. Thomas ad probandum idem non posse esse scitum et creditum (3): id quod iterum ostendit, quid senserit S. Doctor de evidentia ad veri nominis scientiam requisita.

Denique in alio loco hæc habet æque manifestissima: *Si esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis, nec univoce scientia diceretur* (4).

Quando ergo S. Thomas vocat Theologiam scientiam (5) intellexisse dici potest scientiam, non univoce cum humana scientia, sed analogice. Et simili modo intelligi potest Ange-

---

(1) S. Thom. 1. 2. quæst. 67, art. 3.

(2) S. Thom., *de Veritat.*, quæst. 14, art. 9.

(3) In. 2, 2, q. 1, a. 5.

(4) 3.a Dist. 33, q. 1, a. 2, quæstiuncula 4.a Cfr. de mente S. Thomæ P. Gabriel Vazquez, loc. cit. cap. 6, n. 14 et 13.

(5) Ita vocat eam in 1 p. q. 1, art. 2; et 2, 2, q. 1, a. 5.

licus, quando fuse probat de divinis, quæ fidei subsunt, scientiam esse posse (1).

Probatur ratione.

Ratio autem assertionis est, quia cum quærimus, an Theologia nostra sit vere et proprie scientia, nomen scientiæ usurpandum est in ea significatione propria, in qua a Philosophis semper usurpatum est. Sicut quando de Deo quæritur, utrum in Deo sit misericordia, justitia aut ira, secundum proprietatem id quæritur, supposita communi et ab omnibus recepta horum nominum significatione, supposita etiam definitione, qua Philosophi horum nominum propia significata definire consueverunt. Alioqui Theologis liceret, ad nova significata hæc nomina detorquere (2). Atqui scientia in sensu stricto et proprio importat cognitionem discursivam evidentem. Nam secundum Logicos communiter scientia proprie et stricte per demonstrationem existit; demonstratio autem evidentiam principiorum sibi vindicat.

In sensu, inquam, *proprio et stricto* scientia cognitionem discursivam evidentem importat. Jam enim suo loco monuimus scientiam in fusiori vocis significatione accipi posse pro quavis cognitione, et pro ipso intellectu principiorum, qua ratione etiam notitia, quam Deus et Angeli habent, licet discursiva non sit, scientia appellatur. Ita ergo, quia Theologia ex omnibus cognitionibus simillima est scientiæ, apellata est scientia, nec potest appellari opinio, cum sit certa, nec fides, quia utitur discursu.

Dices 1.° Philosophi prisci passim certitudinem solam requirunt ad scientiam. Ergo potest stare veri nominis scientia absque evidentia.

Resp. Idipsum ostendit nomine scientiæ intellectum ab illis esse habitum evidentem, ideo enim ita sæpe locuti sunt veteres, quia ignorabant certitudinem separari posse ab evidentia: quare vel solam commemorantes certitudinem, evidentiam simul intelligebant.

Dices 2.° Sed sicut Philosophum circa certitudinem corrigimus, admittentes videlicet certitudinem sine evidentia, quidni etiam persuasionem veterum circa scientiam corriga-

(1) S. Thom., Opusc. de *Trinit. super. Böet.*, q. 2, a. 2.
(2) Vazquez, in 1.am part., disp. 4, cap. 7, n. 2.

mus, statuentes ad rationem scientiæ ac demonstrationis sufficere certitudinem sine evidentia?

Resp. esse discrimen intes scientiam et certitudinem. Quia certitudo ex communi sensu Philosophorum adhæsionem firmam mentis importat, excludentem omne dubium atque oppositi formidinem. Et quamvis veteres sapientes arbitrarentur actum hujusmodi rationabiliter gigni non posse nisi ex objecto evidenti, atque adeo sejunctum ab evidentia esse non posse; postea vero id falsum esse comprobatum est a Patribus et Theologis in actu divinæ fidei. Non tamen ideo debuit ipsa certitudinis notio variari, utpote quæ præscindit ab evidentia, sed solum deserta fuit, tamquam falsa, opinio illa et persuasio, quæ ipsam certitudinis definitionem non attingebat. At vero nunc e converso in ipsa definitione communique intelligentia scientiæ continetur evidentia. Quare necesse est dicere significationem propriam vocis *scientia* restrictam esse ad actum cognitionis, evidenti discursu partæ, ideoque non licet Theologis Philosophisve christianis pro suo arbitrio vim vocis pervertere, sed potius e converso loquendum illis est secundum usum communi veterum auctoritate firmatum.

Dices 3.° Teneri potest, Theologiam nostram, saltem secundum se consideratam, subalternari scientiæ Dei vel scientiæ Beatorum, et sic posse esse veram ac propriam scientiam, licet careat evidentia. Id namque proprium est scientiæ subalternatæ, ut non habeat evidentiam nisi dependenter a subalternata, ad quam spectat probare a priori principia subalternatæ, saltem si hæc nequeat per seipsam probare a posteriori principia sua. Ita ergo Theologia hæc vera scientia esse potest, subalternata scilicet, quia licet nunc non habeat evidentiam, habere tamen illam potest, ac porro habebit, cum Theologus principia fidei clare intuebitur in visione beatifica.

Resp. In primis hæc difficultas convincit Theologiam, prout est in nobis, non esse scientiam. Nam juxta veram sententiam, mox probandam, subalternata non habet rationem scientiæ, nisi dependenter a subalternante, quatenus nempe continuetur cum hac, ut sic evidentiam suorum principiorum participet, saltem si ipsa nequeat aliunde probare

evidenter sua principia. Atqui Theologia prout in nobis reperitur, non habet evidentiam principiorum suorum ullo modo: Ergo vera scientia, etiam subalternata, non est.

Quod vero nec secundum se consideratam Theologia hæc ñostra sit scientia subalternata scientiæ Beatorum, probabitur inferius, Deo favente.

ARTICULUS II.

Quid sit sapientia.

252. Diximus in limine hujus operis (1) triplicem esse acceptionem *sapientiæ*. Primo enim hac voce significari videtur non unus determinatus habitus intellectus, sed rectitudo quædam intellectualis ad bene judicandum de rebus omnibus, consurgens ex perfecta possessione scientiarum omnium: «ad eum modum, quo *justitia* in una acceptione non significat unum singularem habitum, sed concentum, et rectitudinem omnium virtutum voluntatis. Atque ad hanc sapientiæ acceptionem videntur optime accommodari descriptiones illæ Ciceronis: *Sapientia est rerum divinarum atque humanarum causarumque, quibus hæ res continentur scientia* (2). Atque eodem sensu videntur de sapientia locuti antiqui Philosophi, qui de ratione sapientiæ ajebant esse, ut omnium rerum sit cognitio, etiam usque ad infimas species et omnes proprietates earum: hoc enim non fit una scientia, sed omnium collectione. Immo si de homine sit sermo, neque per omnes scientias simul sumptas tam exactam rerum omnium cognitionem assequitur; et ideo ipsi ajebant non esse in homine veram sapientiam, sed fucatam; nos autem verius dicimus esse in homine veram sapientiam, etiam naturalem, sed humanam hac proinde valde limitatam.»

Triplex acceptio sapientiæ: prima,

«Alio vero modo, magisque apud sapientes usitate, sumitur *sapientia* pro aliquo peculiari habitu, idque dupliciter. Est enim quædam, quæ dicitur sapientia simpliciter, alia quæ

altera,

(1) *Introduct. in univers. Philosoph.*, paragr. 1, ubi tres hasce acceptiones breviter indicatas vide.

(2) Lib. 2 *de Officiis*, cap. 2.

tantum secundum quid. Illa est quodammodo universalis, non prædicatione aut omnium collectione, sed eminentia et virtute, ut statim declarabimus; hæc est particularis non tantum habitu, sed etiam materia et virtute. De hac posteriori sapientia est longus sermo Socratis apud Platonem, dialogo tertio, seu de *Sapientia*, ubi distinguit sapientiam artificum et gubernatorum, et similes. Et hoc eodem modo videtur dixisse Paulus (1): *Ut sapiens architectus fundamentum posui.* Dicitur enim sapiens in aliquo genere vel materia, qui scientiam vel artem, quæ circa eam versatur, perfecte novit, et per supremas causas illius generis, ut notavit D. Thomas (2). Alio denique modo, ut ait D. Thomas (3), quædam particularis scientia, seu intellectualis virtus dicitur sapientia simpliciter; et hoc modo usus est Aristoteles hac voce (4) et hoc sensu tribuit Metaphysicæ dignitatem sapientiæ» (5). Et in hoc tertio sensu nunc sapientiam declarandam suscipimus.

tertia.

Hic agitur de sapientia in hac tertia acceptione.

Est ergo sapientia simpliciter dicta *scientia, quæ considerat altissimas rerum omnium causas.* Ad rem Angelicus: *Quod est per aliud notum, non statim percipitur ab intellectu, sed per inquisitionem rationis; et se habet in ratione termini. Quod quidem potest esse dupliciter: uno modo ut sit ultimum respectu totius cognitionis humanæ. Et quia ea, quæ sunt posterius nota quoad nos, sunt priora et magis nota secundum naturam, ut dicitur 1. Physicor* (6), *ideo id quod est ultimum respectu totius cognitionis humanæ est id, quod est primum cognoscibile secundum naturam. Et circa hujusmodi est sapientia, quæ considerat ultimas causas, ut dicitur 1.° Metaphysicor.* (cap. 1 et 2), *unde convenienter judicat, et ordinat de omnibus, quia judicium perfectum et universale haberi non potest nisi per resolutiones ad primas causas. Ad id vero, quod est ultimum in hoc vel illo*

---

(1) Cor., cap. 3, v. 10.

(2) 2. 2. q. 45, a. 1.

(3) Ibid.

(4) Lib. 6 *Ethicor.*, cap. 2, seqq. et lib. *Metaphisic.*, cap. 1.

(5) Suarez, disp. *Met.*, 1, sect. 5, n. 7. Cfr. de his Cardin. Aguirre, *Disputationes selectæ in Logicam et Metaphisicam*, *Logic.*, tract. 1, disp. 1, sect. 2, n. 14, 15.

(6) Text. Comm. 2 et 3.

genere cognoscibilium, perficit intellectum scientia: et ideo secundum diversa genera scibilium sunt diversi habitus scientiarum, cum tamen sapientia non sit nisi una (1).

Variæ conditiones sapientiæ:

Ad declarandam probandamque notionem hanc sapientiæ subjicit Aristoteles quasdam conditiones, quas communis hominum sensus in sapientibus ac sapientia requirit (2), quarum conditionum aliquæ communes sunt sapientiæ cum aliis scientiis speculativis, «aliæ sunt illi propriæ; et illæ quæ communes esse videntur, ita accipiendæ sunt, ut secundum quamdam eminentiam et singularem perfectionem sapientiæ conveniant» (3).

prima,

Prima conditio, sapientem maxime scire omnia, seu sapientiam versari circa omnia, esseque omnium scientiam, ut possibile est, non quod attingat notitiam ipsorum singularium, immo neque etiam descendat ad tractandas distincte ac singillatim omnes rationes proprias seu quidditates diversorum entium in particulari, quemadmodum tractari in specialibus scientiis solent; sed quia cum causas altissimas ultimasque rerum omnium persequatur, et consideret, jure merito rerum omnium cognitionem aliquo modo comprehendere dicitur, nimirum in universali (4). Hoc enim sensu crediderim interpretamdam esse primam istam conditionem ex communi Philosophorum sententia, secus enim Metaphysica non obtineret dignitatem sapientiæ, quam tamen omnes tribuunt ipsi cum Aristotele (5); nam Metaphysica agit de ente in communi quin descendat ad disputandum de peculiaribus entium generibus. Ratio etiam idem persuadet: *quicumque enim scit universalia, aliquo modo scit ea, quæ sunt subjecta universalibus, quia scit ea in potentia. Sed his, quæ sunt maxime universalia, sunt omnia subjecta. Ergo ille qui scit maxime universalia, scit quodammodo omnia* (6).

---

(1) S. Thom., 1. 2 q. 57 a. 2 corp. Cfr. 2. 2 q. 47 a. 2.

(2) Vide Aristot, 1.° *Metaphysic.*, cap. 2; et S. Thom., ib. lect. 2.

(3) Suarez, *Metaphys.*, disp. 1, sect. 5, n. 8.

(4) Vide Suarez, loc. cit. sect. 5, n. 8, et sect. 2, per totam.

(5) 1.° *Metaphys.*, cap. 2.

(6) S. Thom. 1.° *Metaphysic.*, lect. 2., *Deinde cum dicit: Istorum autem».*

secunda, Secunda conditio est hæc *quod illum ponimus sapientem, qui est potens ex virtute sui intellectus cognoscere difficilia* (1), et consequenter sapientia in rebus difficilioribus et a sensu remotioribus versetur. «Nam ea cognoscere, quæ omnibus sunt obvia, quaque sensibus percipiuntur, non ad sapientes, sed ad quoscumque vulgares homines spectat. Hæc autem conditio intelligenda videtur de cognitione rerum difficiliorum, quanta homini possibilis est, non enim spectat ad hominis sapientiam altiora se quærere, et quæ lumine naturali cognosci non possint, quales sunt futurorum contingentium eventus et similia, quæ per humanam scientiam velle cognoscere, non sapientia est, sed temeritas» (2).

tertia, Tertia conditio est, *quod nos dicimus illum sapientem esse, qui de his, quæ scit, habet certitudinem magis quam alii communiter habent* (3). «Sub qua conditione etiam evidentia et claritas comprehenditur, quia naturalis certitudo, de qua sermo est, ex evidentia nascitur, eique commensuratur. Ratio autem perspicua hujus conditionis est, quia sapientia significat perfectam scientiam, et eximiam cognitionem; maxima autem perfectio cognitionis humanæ in certitudine et evidentia posita est» (4).

quarta, Quarta conditio est, quod *illum diximus magis sapientem in omni scientia, qui potest assignare causas cujuslibet quæsiti, et per hoc docere* (5). «Hoc ipsum significaverat Aristoteles, cap. I dicens, signum sapientis esse posse docere, et ad sapientem pertinere causas rerum cognoscere ac tradere. Item in unaquaque arte vel scientia illum sapientiorem existimamus, qui rerum causas intimius et universalius comprehendit. Denique humana cognitio tum perfectior est, cum causam assequitur, alioquin semper est imperfecta; cujus signum est, quia inquirentis animus non quiescit, donec causam inveniat: igitur sæpientia simpliciter illa erit, quæ rerum causas altiores

(1) S. Thom. ex Arist., libr. 1.° *Metaph.*, lect. 2, *Deinde cum dicit: Postea difficilia.*

(2) Suar. disp. *Metaphysic.* 1, sect. 5. n. 9.

(3) S. Thom. ex Arist., loc. cit., lect. 2.

(4) Suar., loc. cit., n. 10.

(5) S. Thom. ex Aristot., loc. cit., lect. 2.

et universaliores assequitur, unde etiam fiet, ut aptior sit ad docendum» (1).

Quinta conditio est: *Quod illa de numero scientiarum sapientia est, quæ per se est elegibilis et voluntaria, id est, volita gratia scientiæ, et propter ipsum scire, quam illa scientia, quæ est causa quorumcumque aliorum contingentium, quæ possunt ex scientia generari: cujusmodi est necessitas vitæ, delectatio et hujusmodi alia* (2). quinta.

Et ratio est, quia quod per se appetatur aliquid, ad ejus dignitatem pertinet, ut per se constat. «Cum ergo sapientia dignitatem quamdam et excellentiam inter scientias obtineat, non est dubium, quin in eo genere scientiarum collocanda sit, quæ propter ipsum scire quæruntur, et quod in eo habeat supremum quemdam et excellentem gradum, atque adeo quod propter se sit maxime appetibilis» (3).

Sexta conditio demum est, quod sapientiæ proprium est, præesse aliis scientiis, potius quam eis ministrare vel famulari. *Quod quidem ex præhabitis intelligi potest. Nam in artibus mechanicis famulantes sunt illæ, quæ assequuntur manu operando præcepta superiorum artificum, quos supra architectores et sapientes nominavit (Philosophus). Et quod magis conveniat ratio sapientæ scientiis imperantibus, quam famulantibus, probat* (Aristoteles) *per duo. Primo, quia scientiæ famulantes ordinantur a superioribus scientiis. Artes enim famulantes ordinantur in finem superioris artis, sicut ars equestris ad finem militaris. Sed sapientem secundum omnium opinionem non decet ordinari ab alio, sed ipsum potius alios ordinare.* sexta.

Item inferiores architectores, persuadentur a superioribus, in quantum credunt superioribus artificibus circa operanda vel fienda. Credit enim navifactor gubernatori docenti, qualis debeat esse forma navis. Sapienti autem non convenit, ut ab alio persuadeatur, sed quod ipse aliis persuadeat suam scientiam (4).

Istæ igitur sunt tales opiniones, quas homines accipiunt de sapientia et sapiente. Ex quibus omnibus potest quædam sapien-

(1) Suarez., loc. cit., n. 11.
(2) S. Thom. ex Aristot., loc. cit.
(3) Suarez, loc. cit., n. 12.
(4) S. Thom., loc. cit.

tiæ descriptio formari, ut ille sapiens dicatur, qui scit omnia etiam difficilia, per certitudinem et causam, ipsum scire propter se quærens, alios ordinans et persuadens (1).

Probatur definitio sapientiæ.

Quod si hæc ex communi hominum sententia conveniunt sapienti, sequitur sapientiam esse formam ob quam hujusmodi conditiones in sapiente reperiuntur, ac proinde recte sapientiam a nobis definitam esse scientiam, quæ altissimas rerum causas considerat. Qui enim hujusmodi scientia ornatus est, profecto scit quodammodo omnia, etiam difficilia, per certitudinem et causam, ipsum scire propter se quærit, alios ordinans et persuadens; et e converso nemini hæc omnia simul conveniunt, nisi scientiam rerum per altissimas causas possideat.

Discrimen sapientiæ ab intellectu principiorum et scientia.

Quæ cum ita sint, patet discrimem inter *intellectum* principiorum, *sapientiam* et *scientiam*. Intellectus distinguitur ab aliis duobus habitibus intellectualibus, quia assensus illius discursivus non est, sed immediatus. Sapientia vero distinguitur a scientia in stricto sensu, in quo eam nunc sumimus, quia illa considerat altissimas omnium causas; ad rationem autem scientiæ id non requiritur.

ARTICULUS III.

Quid sit ars.

Complementum doctrinæ postulat, ut post definitionem scientiæ sapientiæque, artis etiam naturam, quæ cum illis non parvam habet affinitatem, declarandam assumamus. Sed prius explicanda magis est divisio scientiæ vel cognitionis in *speculativam et practicam:* quæ tractatio, licet alibi tamquam in sede propria collocanda esset, præmitti nunc debet utpote necessaria ad nonnullas quæstiones.

§ I.—COGNITIO SPECULATIVA ET PRACTICA.

Quid scientia speculativa, et quid practica.

253. Cognitio vel scientia speculativa est illa, quæ pro fine habet contemplationem veritatis; practica vero, quæ ad opus ordinatur, *praxis* enim, unde *practicum* derivatur, idem

(1) Id. ibid.

valet atque opus. Et quamvis in strictissima vocis acceptione omnis cognitio est practica, quatenus aliquid operatur producendo nempe habitum, et omnis etiam cognitio est speculativa seu veritatis contemplativa, quandoquidem cognitio essentialiter consistit in repræsentatione objecti, ac proinde in aliqua speculatione vel contemplatione; nihilominus usu sapientium effectum est, ut sola cognitio, quæ regulat operationem, practica vocetur, quæ vero solum intendit notitiam veritatis, speculativa. «Ad cujus differentiæ declarationem. est notandum intellectum nostrum circa duo versari, primo quidem circa cognitionem rerum tam externarum, quam proprie etiam naturæ, secundo circa generationes proprias, inter quas aliæ sunt in potestate hominis, quoad usum et exercitium atque etiam quoad rectitudinem et pravitatem, aliæ vero fiunt necessario, quæ proinde in potestate hominis non existunt. Circa priores autem operationes dupliciter potest intellectus versari, aut cognoscendo illas secundum entitates suas naturales, aut regulando constituendoque in illis modum, quo optime fiant. Quando ergo intellectus noster versatur circa rem quamlibet sibi extrinsecam vel intrinsecam, cognoscendo tantum naturam et proprietates illius, ea cognitio speculativa est: quando vero circa operationem hominis ipsius regulando ponendoque illi modum, talis actio erit communiter practica. Quapropter cognitio speculativa vindicat pro materia proxima, circa quam versatur, rem cognitam; pro fine autem ipsam veritatem, quæ de re illa potest demonstrari. At vero cognitio practica pro materia et objecto sortitur operationem humanam, et pro fine rectitudinem illius, et ut ita dicam, regulationem in facto esse... Et hac de causa intellectus practicus rem considerat ut operabilem, quia nimirum immediate considerat operationes hominis ac res alias, ut sub talibus cadunt operationibus» (1).

254. **Differunt ergo scientia vel cognitio speculativa et practica**: α) fine, nam, docente Aristotele (2), *finis speculativæ est veritas, hoc enim est quod intendit, scilicet veritatis cognitionem; sed finis practicæ est opus. Quia etsi practici, hoc*

Discrimina inter scientiam speculativam et practicam: primum ex fine;

(1) Suar., *de Anim.*, lib. 4 cap. 9. n. 1.
(2) Lib. 2 *Metaph.*, cap. 1.

est operativi, intendant cognoscere veritatem, quomodo se habeat in aliquibus rebus, non tamen quærunt eam ut ultimum finem. Non enim considerant causam veritatis secundum se et propter se, sed ordinando ad finem operationis sive applicando ad aliquod determinatum particulare et ad aliquod determinatum tempus (1). Quare communiter dici solet scientiam speculativam, esse *gratia sui*, et *quærere scire propter ipsum scire;* practicam vero esse *gratia operis*, et *quærere scire propter utilitatem operis* (2).

Hic autem probe nota, quando docemus scientiam speculativam et practicam fine differre, id intelligendum esse de fine ipsius scientiæ, non vero de fine scientis, per se loquendo. Neque enim finis scientis variare potest rationem practici vel speculativi. «Sic scientia, qua cognoscitur Deus cum attributis ipsius, speculativa est, quamtumlibet ipse sciens finem aliquem extrinsecum per illam sibi proponat acquirendum. Alioquin vana foret divisio scientiarum in practicas et speculativas, nam quælibet posset practica evadere aut speculativa juxta placitum addiscentis, quod est ridiculum. Ac ratio a priori est, quia habitus practicus dicitur, eo quod directivus sit operationis; quod vero actu non dirigat per directionem et intentionem addiscentis, per accidens est, nec illius mutat naturam: sicut regula semper talis est, quamvis ad regulandam non applicetur. Ita Cajetanus (3), Ferrariensis (4) et Soto (5). Fatemur tamen finem scientis modum mutare in acquisitione scientiæ, operationemque et habitum practicum reddere non quidem per se, sed quasi per accidens et occasionaliter. Veluti si quis acquirat scientiam de re operabili non animo operandi, sed cognoscendi naturam illius, procedit quidem, ex accidenti, speculativo modo; qui vero addiscit animo operandi, procedit practico. Atque

(1) S. Thom., 2.° *Metaphys.*, lect. 2. post init.

(2) Vide Aristot., libr. 1 *Metaph.*, cap. 1.°, libr. 3.° *de Anim.*, text. 49; S. Thom., libr. 1 *Metaphysicor.*, sect. 1.ª n. 2; 1 p. q. 14. art. 16; libr. 3.° *de Anim.*, lect. 15; *de Verit.*, quæst. 3, art. 3. Cfr. Lossada, *Logica*, tract. 1, disp. 1, cap. 9, n. 3.

(3) In 1. p. q. 14, a. 16.

(4) In libr. 3.° *contr. Gent.*, cap. 20.

(5) In quæst. 4 *procemial. in Logicam.*

adeo cognitio hæc practica erit, illa speculativa; quod quidem ex fine scientis ortum habuit, occasionaliter tamen id habent ex intrinseco modo procedendi. Et ita est intelligendus S. Thomas (1). Si tamen quis non variaret modum acquirendi scientiam, quamvis variaret propositum et finem suum, ratio scientiæ non mutaretur. Et ita per se loquendo finis scientis non variat rationem habitus practici vel speculativi (2).

secundum, ex modo respiciendi objectum, vel ex objecto formali.

β) Ex hac differentia colligitur altera. Nempe scientia practica respicit rem operabilem et modo operabili; speculativa vero aut non respicit rem operabilem, aut si quidem habeat pro objecto rem operabilem, non illam respicit modo operabili.

Primum patet, quia quomodo potest scientia habere pro fine praxim seu operationem, nisi terminetur ad objectum operabile? aut quomodo scientia potest esse utilis et conducens ad operationem vel regulatrix operationis, nisi respiciat objectum operabile modo operabili?

Unde consequenter innotescit secundum. Hoc est, quod alii docent speculativam et practicam scientiam discrepare *objecto formali*. Nam licet utraque possit idemmet objectum materiale respicere, at non formale, nempe quia illud respiciunt diverso modo, altera modo operabili, altera modo non operabili.

Ubi probe nota, scientiam practicam debere respicere rem, non quomodocumque operabilem, sed operabilem ab ipso sciente (3). Impossibile est enim scientiam esse regulativam operis, nisi opus sit factibile ab ipso, qui scientia illa ornatur. Tota hæc doctrina est S. Thomæ: *Aliqua cognitio practica dicitur ex ordine ad opus: quod quidem contingit du-*

(1) In 1. part. q. 14, a. 16; q. 79, art. 11. Cfr. *de Veritate;* q. 3, a. 3; et q. 2, a. 8.

(2) Suarez, *de Anim.*, libr. 4, cap. 9. n. 3. Cfr. Conimbr., *Dialect.* quæst. 4 *proœm.* art. 2, in med.; et Domin. Sotus, *Logica*, quæst. 4, *proœm.*; Joann. a S. Thom., *Log.*, 2.ª part. q. 1.

(3) Intellige sive proxime sive remote, et saltem *per se*, licet *per accidens*, ob aliquod impedimentum, non possit scientiam actu dirigere ad opus. Sicut enim pictor amittat oculos aut manum, non propterea desinit ejus cognitio esse practica.

pliciter, quandoque in actu, quando scilicet ad aliquod actu ordinatur, sicut artifex præconcepta forma proponit illam in materiam inducere: et tunc est actu practica cognitio et cognitionis forma. Quandoque vero est quidem ordinabilis cognitio ad actum, non tamen actu ordinatur (intellige de fine subjectivo artificis); *sicut cum artifex excogitat formam artificis et scit per modum operandi, non tamen operari intendit: et certum est, quod est practica habitu vel virtute, non actu. Quando vero nullo modo est ad actum ordinabilis cognitio, tunc est semper speculativa, quod etiam dupliciter contingit: uno modo quando cognitio est de rebus illis, quæ non sunt natæ produci per scientiam cognoscentis; sicut nos cognoscimus naturalia; quandoque vero res cognita, est quidem operabilis per scientiam, non tamen consideratur ut est operabilis; res enim per operationem in esse producitur* (1).

Pergit S. Doctor declarare, quid sit res cognoscere operabili modo: *Sunt quædam, quæ possunt separari secundum intellectum, quæ non sunt separabilia secundum esse. Quando autem consideratur res per intellectum operabilis distinguendo ab invicem ea, quæ secundum esse distingui non possunt, non est practica cognitio nec actu nec habitu, sed speculativa tantum; sicut si artifex consideret domum investigando passiones ejus, genus et differentias et hujusmodi, quæ secundum esse indistincte inveniuntur in re ipsa. Sed tunc consideratur res ut est operabilis, quando in ipsa considerantur omnia, quæ ad ejus esse requiruntur simul* (2).

Tripliciter scientia practica esse potest.

Hinc facile intelligitur ex doctrina Aquinatis, triplicem esse modum, quo scientia potest esse practica vel speculativa, 1.° ex *parte rerum scitarum*, prout sunt vel non sunt operabiles ab ipso sciente; 2.° ex *parte modi*, prout objectum in se quidem operabile respicit, sed non respiciat operabili modo: 3.° *ratione finis* prout ordinetur vel non ordinetur ad finem operationis (3).

Tertium, discrimen, ex modo tendendi in objectum:

γ) Tertio sequitur aliud discrimen: nam cognitio practica tendit in objectum modo compositivo, qui est utilis ad

(1) S. Thom., *de Veritate*, q. 3. a. 3. corp.
(2) S. Thom., ibid.
(3) S. Thom., 1 p. q. 14, a. 16.

actualem operationem, utpote quæ docet operari, vel inducendo formam materiæ, vel partes in unum componendo, vel dando existentiam essentiæ. At vero speculativa e contrario tendit in objectum per modum analysis ac resolutionis, seorsim contemplanda universalia prædicata rei ac principia formalia, partesque et proprietates, quæ in re separatæ esse nequeunt (1).

quartum, ex diversa habitudine, qua se habet cognitio respectu objecti:

δ) Quarta speculativa scientia res contemplatur ex earum principiis, relegendo et considerando quid in seipsis sint, at practica considerat easdem quasi ponens in seipsa, principium illarum, quandoquidem ipsa dirigit ac regulare debet modum, secundum quem fiant (2).

In idem recidit, quod aliis cribunt, speculativam et practicam diversimode comparari ad suum objectum, nam speculativa respicit illud ut *mensuram* sui, cui se conformando vera dicitur; practica vero respicit objectum ut *mensuratum* a se (3).

quintum, ex diversitate objecti quod contemplantur.

ε) Denique scientia speculativa versatur potissimum circa universalia; practica vero circa particularia, quia licet versetur etiam circa universalia, sed semper est cum ordine ad singularia', quia tendit ad operationem, quæ non potest terminari nisi ad singularia. Hinc etiam speculativa est maxime de æternis ac necessariis, quod si attingit etiam corruptibilia, ea plane abstrahit, et quasi perpetue considerat: at practica est de contingentibus, quia respicit singularia particularesque circumstantias eorum, quæ facile mutabiles sunt (4).

Quid sit praxis.

255. **Nunc restat**, ut videamus, quænam operatio veniat nomine *praxis*, unde scientia *practica* nomen habet. Nempe hactenus docuimus scientiam practicam esse illam, cujus finis est opus vel operatio seu *praxis*. Quæritur ergo, quænam actio veniat nomine *praxis*, utrum quævis operatio sive immanens sive transiens, an vero solæ operationes aliarum potentiarum ab ipso intellectu distinctarum.

---

(1) Cfr. S. Thom., 1 p. q. 14, a. 16; Sot., *Logic.*, quæst. 4 *procem.*

(2) Cfr. Suarez, *de Anim.*, lib. 4, cap. 9, n. 2.

(3) Cfr. P. de Benedictis, *Philos. Perip.*, vol. 1, quæst. *procem.* cap. 4, paragr. 1.

(4) Vide Suar., loc. cit.

In quo conveniant auctores.

In qua controversia in primis ut certa ab incertis secernamus, conveniunt auctores nomine *praxis*, intelligendas esse actiones dumtaxat intellectualis naturæ, easque tales, quæ dirigibiles aliquo modo sint. Quare neque actiones brutorum, nec entium inanimatorum sunt praxes, neque etiam actiones naturales hominis, qualis est v. g. *vegetatio* et reliquæ a voluntatis imperio independentes, omnes siquidem istiusmodi actiones dirigi ac regulari nequeunt. At hisce seclusis, remanent tria alia genera actionum, actus nempe intellectus, actus voluntatis, et actus externi membrorum corporeorum in homine.

Sententia Scoti.

Definitio praxis a Scoto data.

Qua de re censet Scotus, actiones intellectus non posse esse praxim, sed solum actiones aut voluntatis aut aliarum potentiarum corporearum. Quare etiam a Scoto definitur praxis: *actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ ad hoc, ut sit rectus* (1).

Cum Scoto sentiunt Scotistæ ac plures Thomistæ.

Hanc Magistri sui sententiam sequuntur Scotistæ (2), ac plures Thomistæ, inter quos numerandus est Card. Aguirre (3); favet etiam Angelicus sic scribens: *Practicum vel operativum, quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori, ad quod non habet ordinem habitus speculativus, sed solum ad interius opus intellectus, quod est speculari verum* (4). «Ubi D. Thomas cum de opere exteriori loquitur non intelligit solas actiones transeuntes, sed omnes actus alterius potentiæ ab intellectu; agit enim de opere interiori et exteriori comparationi ipsius intellectus» (5). Et idem docet e nostris P. Cosmus Alamannius (6).

Quorumdam limitatio.

Quidam vero Thomistæ, ut Capreolus (7), Soncinas (8), Javellus (9), Complutenses Carmelitani (10), aliique limitant

(1) *In Prologo Sententiar.*, quæst. 4.
(2) Apud. Mastrium., *Logic.*, disp. 12, quæst. 5, art. 1, n. 99.
(3) *Disput. selectæ in Logic.*, tract, 1, disp. 5, sect. 1.
(4) S. Thom., 1. 2, q. 57, art. 1.
(5) Suarez, disp. *Metaph.*, 44, sect. 13, n. 21.
(6) *Summ. Philos.*, prim. part. quæst. 1, art. 4.
(7) Quæst. 2, *Prolog.*
(8) *Metaphys.*, lib. 6, quæst. 2.
(9) Lib. 6 *Metaph.*, quæst. 4.
(10) *Logic.*, disp., 1 *procem.* quæst. 6.

hanc doctrinam quadantenus, dicentes etiam actus intellectuales posse esse praxim, dummodo sint liberi et imperati a voluntate, vel aliter praxim esse actus voluntatis sive elicitos sive imperatos. Quam limitationem notat Suarezius (1) non negaturum forte fuisse Scotum, et revera eamdem arrisisse nonnullis Scotistis testantur Mastrius (2) et Pontius (3), qui etiam illam amplectuntur (4).

Aliorum sententia.

At pro opposita sententia citantur Nominales, Gregorius, Aureolus, Gabriel et Ocham (5). Et eadem opinio tribuitur etiam Doctori Eximio (6), et Petro Fonseca (7), Conimbricensibus (8), Rubio (9), De Benedictis (10), Semery (11), Benedicto Pererio (12), Molina (13), Vazquez (14), Francisco Soarez Lusitano (15), Georgio Rhodes (16), Antonio Mayr (17), Lossada (18), Arriaga (19), Hurtado (20), Bernaldo Quiros (21) aliisque. Et idem videtur sequi etiam Cosmas de Lerma (22).

Verum notat Suarezius (23). Nominales, qui pro hac secunda sententia adducti sunt, in eodem sensu locutos esse

(1) *Metaphys.*, disp. 44, sect. 13, n. 23.
(2) *Logic.*, disp. 12, q. 5, art. 1, n. 99.
(3) *Logic.*, disp. 2, q. 8, n. 80.
(4) Mastrius., loc. cit., n. 101; et Pontius, loc. cit.
(5) Apud. Suarez, *Metaph.*, disp. 44, sect. 13, n. 25.
(6) Loc. nup. cit.
(7) *Metaphys.*, lib. 2, cap. 3, quæst. 2, sect. 3. Cfr. lib. 6, cap. 1 q. 5, sect. 2.
(8) *Logic.*, *Procem.*, q. 4, a. 5, *Tertio*, *Scientia Moralis.*
(9) *Logic.*, quæst. 5, *procem.*
(10) *Logic.*, *quæst. procem.*, cap. 4, paragr. 1.
(11) *Trienn. Philoph.*, tom. 1, disp. 1, q. 5, a. 1.
(12) *De Comm. omn. rer.*, etc., lib. 1, cap. 2.
(13) In 1, part. q. 1. a. 4.
(14) In 1.ª part., disp. 8.
(15) *Log.*, Tract. 1.º, *procem.*, disp, 1, sect. 1, n. 4 seqq. et n. 10.
(16) *Philosoph. Perip.*, lib. 1, disp. 1, q. 2, sect. 3; lib. 4. disp. 2, q. 1, sect. 3, lib. 4; disp. 2, q. 1, sect. 3, paragr. 2.
(17) *Philos. peripat.*, part. 1, disp. 1, q. 1, a. 6.
(18) *Logic.*, tract. 1, disp. 1, cap. 9, n. 8, 16.
(19) *Logic.*, disp. 1, sect. 4.
(20) *Logic.*, disp. 1, sect. 12; *de Anim.*, disp. 11.
(21) *Curs. Philos.*, tract. 2, part. 1.ª, disp. 13. sect. 1.
(22) *Logic.*, lib. 1, quæst. 8.
(23) Suarez, disp. *Metaph.*, 44, sect. 13, n. 25.

ac Capreolum: nempe volunt quidem actus intellectus posse dici et esse praxim, at non actus intellectus nude spectatos, sed prout voluntati subjectos, et quatenus cadunt sub imperium et electionem voluntatis, eo enim modo dirigibiles sunt per norman ac regulam intellectus alii actus posteriores. Et in eodem sensu hanc sententiam tuentur ipse Suarez aliique plures e Nostris nuper laudati, quemadmodum ipsimet diserte animadvertunt.

Dissensio est magis de voce inter prædictas sententias.

Quæ cum ita sint jure merito scripsit Suarez inter predictas opiniones «dissensionem esse magis de nominum significatione, quam de re: quia in re constat actum intellectus posse subesse directioni et regulis artis, et voluntarie ita fieri potius, quam alio modo; quæ conditiones sufficiunt in actibus aliarum potentiarum (etiam ex mente Scotistarum Thomistarumque), ut sint praxis. Ergo an actus intellectus ita sit appellandus necne, tantum potest pertinere ad usum vel significationem vocum» (1).

Ultima tamen sententia probabilior videtur.

256. **Mihi quoque placet hæc secunda sententia**, sive res sive nomen spectetur.

Et primo quidem, si res spectetur. Nam si actus voluntatis potest esse praxis, quia elici potest ex directione cognitionis, quæ ostendat, quomodo exerceri valeat debeatque; cur actus intellectus non possit esse praxis, quandoquidem et ipse elici potest ex directione præviæ cognitionis præscribentis modum, secundum quem apte construatur? Quænam, quæso, causa afferri potest disparitatis, ob quam ratio nomenque praxis ad actus alterius potentiæ ab intellectu restringatur? Nam praxis certe, consentientibus communissime Philosophis, est actus vel operatio ex regula posita. Atqui actus intellectus est operatio, quæ ad normam regulæ alicujus elici potest. Ergo donec solida aliqua ratio afferatur, dicere quod actus inellectus non potest esse praxis, quia praxis debet esse actus alterius potentia, non est nisi mera petitio principii (2).

---

(1) Suarez, *Metaphys.*, disp. 44, sect. 13, n. 26. Cfr. *de Anim.*, lib. 4, c. 9, n. 8.

(2) Vide Suarez, disp. 44, *Metaph.*, loc. cit. n. 24. Cfr. Lossada, loc. cit c. 9, n. 16.

Et confirmatur. Nam actus cognitionis dirigens ac regulans actus subsequentes intellectus, «non est speculativus omnino, quia neque est propter seipsum tantum, sed propter dirigendos alios actus intellectus; neque est propter solam cognitionem veritatis, sed propter directionem alicujus potentiæ in operando.» Ergo actus illi intellectus regulati ac directi per præcedentem cognitionem ejusdem intellectus, sunt vere praxis; ac proinde non est de ratione praxis, quod sit actus alterius potentiæ ab intellectu. Nam «unus actus intellectus regulans et dirigens alium, practice comparatur (seu practice se habet) ad illum: ergo e converso actus regulatus et directus comparatur ut praxis ad alium» (1).

Præterea «actus elicitus ex directione prudentiæ est praxis etiam juxta adversarios. Ergo quoties prudentia dictat studium Metaphysicæ vel actum credendi mysteriis revelatis, actus intellectus erunt praxes.»

«Dicunt, eos actus esse praxes, prout a voluntate imperatos. Fateor; sed licet tunc formalis ratio imputabilitatis ac meriti, consistat præcipue vel unice in actu voluntatis, tamen ratio praxeos consistit etiam in actu imperato; tum quia hic actus expresse dictatur a prudentia, et expresse cadit sub præceptum credendi vel studendi, quod præceptum non est reductum ad praxim, donec actus ipse intellectus exerceatur; tum etiam paritate actus externi, v. g. largitionis eleemosynæ, qui actus licet meritorius evadat ab actu voluntatis, se ipso est praxis prudentiæ et regulæ charitatis. Jam ergo actus intellectus in semetipso participat rationem praxeos» (2). Et hinc patet etiam

Idem dicendum esse de modo loquendi. Nam cum nulla sufficiens ratio reddatur, ob quam actus intellectus directus ac regulatus ex imperio voluntatis ab alio actu intellectus non possit esse ac dici praxis, existimo melius sentiendum loquendumque esse cum fautoribus secundæ opinionis.

257. **Dices 1.°** cum Scoto: Intellectus, ut desumitur ex Aristotele (3) extensione fit practicus; vel ut scribit Angelicus,

(1) Suarez, ib. n. 24.
(2) Lossada, loc. cit. n. 17. Cfr. Quiros qui fuse de his, loc. cit.
(3) 3.° de *Anim.*, text. 49.

sola extensio ad opus facit aliquem intellectum esse practicum (1). Atqui non habetur extensio intellectus hujusmodi, nisi se extendat ad actus aliarum potentiarum. Ergo...

Resp. *neg.* Minor., quia intellectus dirigens ac regulans se extendit ad *actum regulatum;* secus atque accidit in speculativa cognitione, quæ mere sistit in contemplanda veritate aliqua, nec præscribit regulas pro directione aliorum actuum.

Dices 2.° Omnis actus intellectus est speculatio quædam. Atqui speculatio certe non est praxis, opponuntur enim hæc inter se.

Resp. *dist.* Major., omnis actus intellectus est speculatio quædam, id est, omnis actus intellectus est contemplatio veritatis vel repræsentatio alicujus objecti, *conc.*, id est, omnis actus intellectus est pura contemplatio veritatis vel repræsentatio sui objecti *neg.*, secus enim nulla daretur cognitio practica. Itaque dantur cognitiones, quæ præterquam quod veritatem aliquam contemplentur, dirigunt etiam aliquam operationem; et talis est omnis cognitio practica. Ideoque major illa propositio, nisi sub hac distinctione intelligatur, ipsam divisionem cognitionis in practicam et speculativam pessumdat. Sed veniamus ad minorem objecti syllogismi.

Disting. pariter Minor. Speculatio certe non est praxis respectu unius ejusdemque *conc.*, respectu diversorum *neg.* Quid enim vetat actum intellectus, qui sit speculatio respectu sui objecti ac veritatis, quam contemplatur, rationem habere praxis respectu alterius actus ejusdem intellectus, per quem regulatus ac directus fuit? Nam si actus voluntatis aut alterius potentiæ, non ob aliud, nisi quia dirigitur ac regulatur, ut recte exerceatur, praxis est, fatentibus adversariis; cur non erit praxis actus intellectus, si ab alio præcedenti normam accipiat, ut apte ponatur?

Itaque non possum non mirari, quod gravissimus vir, Dominicus Sotus, qui præcedentem Scoti rationem inanem putaverat (2), hanc alteram magis esse commendandam putaverit, ex eaque probari, quod Logica non sit scientia

(1) S. Thom., *de Veritate*, q. 14 art. 4.

(2) *Logic.*, quæst. 4. *proœm*, paragr. tertio, *Tandem notandum.*

practica, sed speculativa, propterea quod opera quæ dirigit, nempe actus intellectus, sunt *speculationes* (1).

Dices 3.° S. Thomas ita scribit: *Operativum* (seu practicum) *quod dividitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori* (2). Atqui operatio intellectus non est opus exterius. Ergo...

Resp. «D. Thomas nomine operis *exterioris* intelligit opus quodlibet ex electione voluntatis fieri potens, ut exponit Thomistarum princeps Capreolus (3), patetque in actu fidei, dum est praxis prudentiæ. Hoc autem sensu etiam actus intellectus, a Logica regulatus, est opus exterius» (4).

Vel si mavis dic cum Magistro Sanchez ex Sacro Prædicatorum ordine, S. Thomam non loqui hic de omni practico vere tali, sed de solo practico mechanico (5).

Quæ cum ita sint, patet, quid dicendum sit de prima particula scotisticæ definitionis, qua praxis dicitur *actus alterius potentiæ ab intellectu.*

«Aliæ particulæ definitionis ab Scoto positæ, vel non omnes necessariæ sunt, vel juxta ea, quæ hactenus diximus, sunt interpretandæ. Quod enim ait *praxim debere esse actum naturaliter posteriorem intellectione*, simpliciter verum est de omni praxi, quæ est extra intellectum, nam de ratione praxis est, quod sit actus regulabilis per intellectum practicum; et ideo praxis ut sic natura sua supponit intellectionem illam, quæ est ejus regula. At vero si aliquis actus intellectus est praxis, non oportet, ut sit posterior quacumque intellectione vel sub quacumque ratione, sed cum proportione, scilicet quod quatenus est actus artificiose factus, sit posterior ea intellectione, per quam applicatur regula talis artificis» (6).

«Denique quod ultimo loco Scotus ait, *praxim debere esse actum conformem rationi rectæ*, primum non simpliciter convenit omni praxi, sed praxi bonæ, nam etiam mala operatio

---

(1) Sotus ibid. paulo inferius, paragr., *Ad quæstionem ergo.*
(2) S. Thom. 1. 2. q. 57. a. 1.
(3) *Prolog.*, quæst. 2. concl. 4.
(4) Lossada, loc. cit. cap 10 n. 10.
(5) Apud Lossada, loc. nup. cit.
(6) Suarez., *Metaphys.*, disp. 44, sect. 13. n. 27.

est praxis mala. (1) Et re quidem vera duplex rectitudo considerari potest in praxi, una moralis, quæ solet dici rectitudo in usu, aliam generali nomine possumus appellare artificialem, quæ dici etiam solet quoad facultatem operandi: quæ duæ rectitudines et divissim et conjunctim possunt reperiri in praxi. Nam si quis optime depingat, non tamen recta intentione, erit praxis recta artificiose, non moraliter; et e converso, si bona intentione et prudenter depingat, et non juxta regulas artis, erit praxis moraliter recta, non tamen artificiose; si vero utrumque habeat, erit utroque modo recta. Praxis ergo abstrahit ab utraque rectitudine. Et præterea si generaliter loquamur, abstrahit etiam a rectitudine; datur enim praxis vitiosa duplici modo opposito prædictæ duplici rectitudinis» (2).

Vera definitio praxis.

258. **Itaque vera notio praxis hæc est,** ut sit *actus in nostra constitutus potestate, quatenus dirigibilis aut regulabilis per humanam rationem* (3). Hinc practicum est illud, quod praxim continet, vel servit praxi. Atque adeo notitia practica est illa, quæ dirigit vel regulat operationem seu praxim. Et quia nullus actus proprie seipsum dirigit, sed aliud, scientia vel cognitio practica distinguitur a praxi, quam dirigit.

Duplex practicum, seu praxis, morale et artificiale.

Cæterum practicum, sicut et praxis, ut nuper notabamus ex Doctore Eximio, duplex est, alterum morale, alterum artificiale. Practicum morale respicit rectitudinem morum, quatenus actio exerceatur secundum regulas honestatis: hoc pacto est practica prudentia, cujus proprium est dictare, quomodo hic et nunc honeste fiant actiones. Practicum vero artificiale regulat rectitudinem artefactorum, ut fiant secundum regulas artis: quo modo practica est v. g. ars pictoria. «Utrumque practicum, ut in actu secundo perveniat ad opus sive ad praxim, requirit actum voluntatis; sed aliter et aliter. Nam practicum morale requirit actum voluntatis vel tamquam praxim unicam (quia nempe praxis in eo casu est ipse actus voluntatis) vel tamquam formam praxeos prout mo-

(1) Vide Aristotelem, lib. 6. *Ethicor.* cap. 2.

(2) Suarez, loc. cit. n. 27. Cfr. Sot. loc. cit.

(3) Vide Lossada, loc. cit. cap. 9, n. 8. Cfr. Suarez, disp. *Met.* 44, sect. 33, n. 28.

raliter rectæ sive honestæ;» cum enim prudentia dictat v. g. nunc loquendum esse, locutio hujusmodi «prout est praxis recta moraliter, constituitur ab actu voluntatis ut a forma. Et hoc sensu docuit Scotus praxim formaliter et primario consistere in opere immediate libero seu voluntario. At practicum artificiale solum postulat actum voluntatis tanquam puram conditionem ad applicationem potentiæ executivæ: neque enim domus v. g. prout est praxis artificiosa, constituitur per actum voluntatis» (1).

Duplicis generis praxis, actio et factio:

Illud denique notandum est *praxim* seu *operationem*, quam scientia practica dirigit, duplicis generis esse posse, alteram, quam vocat Aristoteles *actionem* (πράξιν), alteram, quam nominat *factionem* (ποιητικὴν). Quamvis enim sæpe *actio* generatim significet quamlibet operationem, interdum tamen a Philosopho contraponitur factioni (2).

discrimen inter utramque.

Harum porro operationum discrimen ipse Philosophus assignat, quamvis varie illud possit exponi. Primo enim ita distinguit, ut actio videatur dici actus prout moraliter regulabilis, factio vero actus ut artificiose regulabilis. «Quem sensum indicat Aristoteles 6.° *Metaphysicorum* (3), ubi distinguens scientiam practicam in *activam* et *factivam*, ait, idem esse *agibile* quod *eligibile*. Et juxta hanc interpretationem idem actus poterit esse factio sub una ratione, et actio sub alia; inter habitus vero *ars* erit factiva, *prudentia* vero activa.»

«Secunda expositio est ut *per actionem* intelligat Aristoteles actus immanentes, per *factionem* vero transeuntes» (4).

«Tertia expositio est, ut *actio* dicatur illa, quæ non est propter aliquod opus efficiendum, quod maneat et perseveret post actionem; *factio* vero sit, quæ relinquit aliquod opus

---

(1) Lossada. loc. cit. n. 6.

(2) Vide Aristot., *Metaph.*, lib. 9, cap. 9. Cfr. ibid., S. Thomas., lect. 8, lib. 9; Arist., *Metaph.*, lib. 6, cap. 1. Cfr. ibid., S. Thom., lib. 6, lect. 1; Arist., lib. 1: *Magnor. Moral.*, lib. 1, cap. ult. et *Ethicor.*, lib. 6, cap. 5. Cfr. S. Thom., lib 6, *Ethicor.*, lect. 3.

(3) Cap. 1. Cfr. ibid., S. Thom., lect. 1.

(4) Vide Aristot., lib. 6, *Metaph.*, cap. 1, lib. 9, cap. 8. Cfr. S. Thom., lib. 6, lect. 1.ª; et lib. 9, lect. 8; et 1. 2., quæst. 57, art. 4.

factum et permanens» (1) *Eorum quæ fiunt, quæque aguntur, non est communis quædam facultas, tam ad faciendum, quam ad agendum apta. Facultati enim ad faciendum idoneæ alius est præter effectionem finis, ut in ædificandi arte, cujus est domos ædificare, præter effectionem finis ei est propositus, domus. Idem est in arte fabrili et reliquis omnibus, quæ pertinent ad faciendum aliquod opus. At in iis artibus, quæ ad res agendas pertinent, præter actionem nullus est alius finis, ut præter citharæ modulationem finis non est alius, sed idipsum pro fine est, operatio atque actio* (2).

Quibus similia scripsit S. Thomas: *Duplex est operatio, ut dicitur in 9.° Metaphysicor.: una quæ manet in ipso operante, sicut videre, velle, et intelligere et hujusmodi operatio proprie dicitur actio. Alia autem operatio transiens in exteriorem materiam, quæ proprie dicitur factio. Quandoque enim aliquis exteriorem materiam assumit solum ad usum, sicut equum ad equitandum et citharam ad citharizandum; quandoque autem assumunt materiam exteriorem, ut mutent eam in aliquam formam, sicut cum artifex facit domum aut tectum. Prima igitur et secunda operationum non habent aliquod operativum, quod sit finis, sed utraque earum est finis, prima autem nobilior quam secunda in quantum manet in ipso operante. Tertia vero operatio est sicut generatio quædam, cujus finis est res generata. Et ideo in operationibus tertii generis ipsa opera sunt fines* (3).

«Unde juxta hanc tertiam expositionem, sub actione comprehunduntur omnes actus immanentes regulabiles per rationem et præterea aliqui transeuntes, quia omnis actio immanens nihil operatum ex se relinquit, transiens vero non omnis (ut v. g. citharizare) sed aliqua» (4). «Atque hæc tertia expositio maxime videtur intenta ab Aristotele, quamquam quia inter actiones præcipuæ sunt immanentes, et in

(1) Suarez., disp. 44, *Metaph.*, sect. 13, n. 29.

(2) Aristot., lib. 1.°, *Magnor Moral*, cap. 33, apud Sylvestr.; Mauri cujus vide *Paraphrasin* in eumdem locum.

(3) S. Thom., lib. 1.° *Ethicor.*, lect. 1. paragr. *c*. Cfr. Arist., *Ethicor.*, lib. 6, cap. 4; S. Thom., ibid. lect. 4, paragr. *f*; lib. 1.° *Metaphys.*, lect. 1; Opuscul. *de Trinit. super Böetium*, quæst. 5, art. 1. ad 4.um; 1. 2, quæst. 57, art. 3.

(4) Suarez, Disp. *Metaph.* 44, sect. 13, n. 29.

eis rectitudo moralis præcipuum locum habet, ideo interdum soleat actionem et agibile in actionibus immanentibus et in ordine ad prudentiam et bonitatem et malitiam explicare, ut videre licet in locis citatis. Quidquid vero sit de hac distinctione actionis et factionis, quod ad præsens spectat, utraque comprehenditur sub nomine praxis, quia utraque est actio humana, voluntaria et regulabilis per rationem» (1).

§ II.—NOTIO ARTIS.

Triplex artis acceptio.

259. Triplici acceptione reperio nomen artis usurpari ab auctoribus: α) latissime pro quacumque scientia et habitu intellectus, sive speculativo, sive practico. Hoc sensu vocem illam adhibuit Aristoteles non uno in loco (2) aliisque Philosophis (3): β) minus late pro solis scientiis et habitibus practicis (4): γ) strictissime pro solo habitu et cognitione practica ac directiva operis exterioris transeuntis in externam materiam. Ita sæpe Aristoteles (5) et S. Thomas (6). Quæritur ergo in quanam ex his tribus acceptionibus sumatur hic ars. Et videtur sumi non posse in prima acceptione, quandoquidem acceptio illa tam late patet, quam ipsa scientiæ; non quidem in latissima scientiæ significatione, sed in stricta quam exposuimus in præcedenti articulo, eam definientes cognitionem certam et evidentem rei demonstratione comparatam. Quæstio itaque tantum esse potest de aliis duabus acceptionibus.

In quanam acceptione hic sumatur.

Multorum hac in re sententia.

Multi censent nomine artis, prout a scientia distinguitur, intelligi proprie dumtaxat cognitionem practicam directivam operationis transeuntis in externam materiam, quæque proinde versetur circa rem, non *agibilem*, sed factibilem, vel

(1) Suarez, disp. *Metaphys.* 44, sect. 13, n. 30.

(2) Vide libr. 1.° *Poster.*, cap. 1, lib. 1; *Metaphys.*, cap. 1.

(3) Vide S. Thom., lib. 1.° *Metaphys.* sect. 1.ª; 2. 2. quæst. 47, art. 2; Opusc. *de Trinit. super. Böet.*, quæst. 5, art. 1, ad 3.um; 1. 2, quæst. 57, art. 3.

(4) Vide Aristot., lib. 1.° *Ethicor.*, cap. 1; S. Thom., ibid. sect. 1; Opusc. *de Trinit. super. Böet.*, quæst. 5, a. 1, ad 4.um; 1. 2. quæst. 57, art. 3.

(5) Vide lib. 6, *Metaphys.*, cap. 1; *Ethicor.*, lib. 6.°, cap. 3.ª; lib. 1.° *Magnor. Moral.*, cap. ultim.

(6) Opusc. de *Trinit. sup. Böetium*, quæst. 5, art. 3 et 4.

cognitionem practicam directivam non *actionis*, sed *factionis*. Nam *facere* et *factio* solum convenit operationibus transeuntibus, ex quibus remanet opus factum, ut est v. g. actus ædificandi; at *agere* et *actio* comprehendit operationes internas, et eas etiam ex externis, quæ nullum post se opus relinquunt, ut est *citharizatio* v. g. vel *sallatio*, secundum ea quæ superius docuimus de significatione vocum *factio* et *factibile* in oppositione ad voces *actio* et *agibile*. Unde definiri solet ars cum Aristotele, *habitus vera cum ratione factivus* (1): vel cum S. Thoma, *recta ratio aliquorum operum faciendorum* (2): vel cum Cicerone, *Ars est præceptio, quæ dat certam viam rationemque faciendi* (3). Hæc videtur esse sententia S. Thomæ in locis superius citatis pro tertia acceptione *artis*, qui etiam animadvertit *artes liberales* ita vocatas esse, per *quamdam similitudinem* cum artibus mechanicis, quia nempe etiam in illis inest *aliquid per modum cujusdam operis, puta constructio syllogismi* (in Logica) *aut orationis congruæ* (in Rhetorica) *aut opus numerandi* (in Arithmetica) *vel mensurandi*, (in Geometria) (4). Et idem sentit Dominicus Sotus (5) et P. Georgius Rhodes (6).

quomodo hi definient artem,

Alii vero existimant non tam stricte sumendam esse artem, sed paulo fusius, quatenus comprehendat etiam *actiones* immanentes atque internas, et sic generatim definiunt artem, *collectionem multarum de una re comprehensionum ad finem aliquem utilem vitæ:* quam definitionem non parum apud antiquos celebrem fuisse testantur Conimbricenses (7). Cui similis est definitio illa S. Thomæ, secundum quam *nihil aliud ars esse videtur, quam certa ordinatio rationis, qua per determinata media ad debitum finem actus humani perve-*

Aliorum sententia;

horum definitio artis.

---

(1) Aristot., lib. 6, *Ethicor.*, cap. 3.

(2) S. Thom., 1. 2. q. 57, a. 3. Cfr. ib. a. 4; 2. 2. q. 47, a. 2, ad tertium.

(3) Cicero ad *Herennium*, lib. 1.

(4) S. Thom., 1. 2. q. 57, a. 3, ad 3.um Cfr. 2. 2. quæst. 47, art. 2, ad 3.um; Opusc. de *Trinit. super. Böet.*, q. 5, a. 1, ad 3.um

(5) *Logic.*, quæst. 4, *proœm.*, concl. 2, et 3.°

(6) *Philosoph. Perip.*, lib. 1, disp. 1, q. 2, sect. 2.

(7) *Dialect.*, quæst. 1.° *proœm.*, art. 2, init.

niunt (1). Ita opinantur P. Antonius Mayr (2), P. Lossada (3), P. Semery (4), Joannes a S. Thoma (5), Mastrius (6), Valentia (7) et Vazquez (8).

Ratio horum est, quod præter habitus *factivos* operum externorum, quos tantum videtur S. Thomas in citatis superius locis nomine *artis* voluisse comprehendere, sunt quidam alii activi ac directivi operationum, qui nec sunt scientia veri nominis, ut *Grammaticæ, Saltatoriæ, Musicæ* etc., nec etiam partes prudentiæ, siquidem non sunt directivi actionum moralium, qualis, fatentibus omnibus, debet esse prudentia ejusque partes. Hujusmodi ergo habitus, nisi velimus illis nomen genericum habitus activi tribuere, necesse erit ad artem, sin minus strictissime, saltem minus stricte, proprie tamen sumptam, revocare. Cum potissimum nomine *praxis* seu operis, quod dirigit ars, intelligi possit non solum opus externum, post actionem aliquam remanens, verum etiam ipsi actus interiores mentis nostræ, quemadmodum superius notavimus circa scientiam practicam.

Secundum hanc ergo sententiam nomine artis venit *habitus directivus operationum non moralium, seu collectio præceptorum ad opus aliquod apte et scite perficiendum.* Ex qua definitione colliguntur tria, quæ ad artem necessaria sunt: α) objectum artis esse aliquid *contingens*, nempe tale, quod non uno modo fieri possit, eo nempe modo, quem ars præcipit, secus enim si res necessario fit certo aliquo modo, cur opus est præceptis ad illam apte sciteque faciendam? Quia ergo res et apte et imperite fieri potest, et in hoc contingentiam quamdam habet, ars efficit, ut scite recteque fiat. β) Rectitudo hæc, quam ars importat, non est rectitudo moralis, per quam nempe actio sit in genere morum bona,

Quænam requirantur ad artem in hac altera sententia.

(1) S. Thom., lib. 1. *Poster. Analiticor.*, lect. 1, paulo post init.
(2) *Philos. Perip.*, part. 1. disp. 1. q. 1, a. 3, n. 212.
(3) *Logic.*, tract. 1.° *proœm.*, disp. 1, cap. 8, n. 3, 4.
(4) *Trienn. philos.*, t. 1. disp. 1. q. 4, a. 1, fin., et a. 2 et 3.
(5) *Logic.*, 2.ª pars., q. 1, a. 2.
(6) *Logic.*, quæst. *proœm.*, art. 4, n. 42.
(7) *Comment. in D. Thom.*, tom. 2, disp. 5, quæst. 3, punct. 2, paulo post initium.
(8) In 1. 2. disp. 85.

sed physica, per quam opus affabre efficitur. Quare bene fieri potest, opus artificiosissime factum esse vitiosum in genere morum, et e converso. γ) Ars non exigit demonstrationes, quibus præcepta ejus assertionesve probentur, secus atque scientia, utpote quæ est cognitio per demonstrationem comparata. At ars contenta est experientia vel inductione vel auctoritate, quibus fere inniti solent artifices, ut vel ipsi sequantur vel discipulis sequenda prsæcribant artis præcepta. «Quod si quis artifex per demonstrationem probaret, ut posset, regulas artis nauticæ vel militaris v. g., ea tunc ars simul esset scientia. Sic Rhetorica, prout communiter traditur, non est scientia; et tamen scientia censetur, prout ab Aristotele tradita est» (1), Quæ omnia in allata definitione continentur.

Discrimen artis a scientia

Hinc facile est assignare discrimen artis a scientia et prudentia. Et primo quidem differt a scientia objecto: nam scientiæ objectum est necessarium, seu quod aliter se habere nequit; at objectum artis est contingens, quemadmodum expositum est; in quo ars convenit cum prudentia (2). Adde, quod scientia demonstrationem requirit, minime vero ars: itemque scientia in suo conceptu generali præscindit ab hoc, quod sit speculativa vel practica, unde mox dividi solet in speculativam et practicam, at ars essentialiter practica est (3).

et prudentia.

A prudentia vero distinguitur, quia prudentia sectatur rectitudinem ac bonum morale ipsius operantis, ars vero rectitudinem ac bonum physicum ipsius operis artificiose effecti. *Et ideo ad prudentiam, quæ est recta ratio agibilium, inquit Angelicus, requiritur quod, homo sit bene dispositus circa fines* (siquidem ex fine dependet rectitudo moralis subjecti): *quod quidem est per appetitum rectum. Et ideo ad prudentiam requiritur moralis virtus, per quam fit appetitus rectus. Bonum autem artificialium non est bonum appetitus humani, sed ipsorum operum artificialium: et ideo ars non præsupponit appetitum rectum* (4). *Et inde est, quod magis laudatur artifex, qui volens*

(1) Lossada, loc. cit., cap. 8, n. 11.

(2) Vide Aristot., 6.° *Ethicor.*, cap. 3. Cfr. ib. S. Thom., lect. 3.

(3) Vide alia apud Arist., 6.° *Ethicor.*, c. 3. fin. Cfr. ibid. S.Thom., lect. 3, *Deinde cum dicit: Neque enim.* Cfr. Tolet., *Dialect.*, q. 4.

(4) S. Thom., 1. 2, q. 57, a. 4. Cfr. ibid. art. 3.

peccat, quam qui peccat nolens; magis autem contra prudentiam est, quod aliquis peccet volens, quam nolens, quia rectitudo voluntatis est de ratione prudentiæ, non autem de ratione artis (1). Id quod jamdiu notaverat Aristoteles (2), cujus doctrinam sic exposuit lucidissime P. Sylvester Mauri: «Tertia proprietas est, ut qui contra prudentiam peccat sponte, pejor sit, quam qui peccat per ignorantiam; e converso in artibus pejor est, qui peccat per ignorantiam, quam qui sponte. Ex. gr. si aliquis comprehendatur, quod peccavit contra Grammaticam, faciendo solæcismum, et se excuset dicens: *Sponte feci*, affert idoneam excusationem; si vero se excuset dicens: *Ignorabam*, affert excusationem plane ineptam. E converso cum quis reprehenditur, quod peccaverit contra prudentiam, si dicit: *Sponte peccavi*, affert excusationem ineptam; et ut afferat excusationem idoneam, debet dicere: *Peccavi per ignorantiam, vel vix sponte propter vehementiam passionis*. Ex quibus patet prudentiam esse virtutem ad modum virtutum moralium, quæ requirunt rectitudinem appetitus, non autem ad modum artium, quæ sunt perfectiones solius rationis» (3).

Alia est differentia, quam sic exposuit idemmet Sylvester Mauri ex Philosopho: «Secunda proprietas est, inquit, quod quia ars potest conservari sine virtute morali, ad hoc ut qui habet artem, sit dispositus potius ad bonum, quam ad malum usum artis, indiget virtute morali: ex gr. orator ad hoc, ut sit dispositus oratoria potius in favorem causæ justæ quam injustæ, indiget justitia; at prudentia cum non possit existere sine virtute morali, seipsa disponit hominem ad bonum usum sui» (4).

Discrimen artis ab experientia

Ex his patet, quid differat ars a scientia et prudentia. Si quis autem nosse cupiat, in quo discriminetur ab experientia, Aristoteles rem declarat comparans artem cum experientia, sive quoad operationem, sive quoad cognitionem. Et primo quidem *quantum ad actum pertinet, experientia nihil videtur*

(1) S. Thom., ib. art. 4.

(2) 6.° *Ethicor.*, cap. 4.

(3) Sylvest. Mauri, *Paraphras.* in lib. 6 *Ethicor.*, cap. 6. Cfr. S. Thom., 6.° *Ethicor.*, sect. 4, paulo ante fin.

(4) Mauri, ibid. Cfr. S. Thom., ib., *Deinde cum dicit: Sed tamen.*

differre ab arte. Cum enim ad actionem venitur, tollitur differentia, quæ inter experimentum et artem erat per universale et singulare; quia sicut experimentum circa singularia operatur, ita et ars, unde prædicta differentia erat in cognoscendo tantum. Sed quamvis in modo operandi ars et experimentum non differant, quia utraque circa singularia operatur, differunt tamen in efficacia operandi. Nam experti magis proficiunt in operando illis, qui habent rationem universalem artis sine experimento. Cujus causa est, quia actiones sunt circa singularia, et singularium sunt omnes generationes. Universalia enim non generantur nec moventur nisi per accidens, in quantum hoc singularibus competit. Homo enim generatur, hoc homine generato. Unde medicus non sanat hominem nisi per accidens, sed per se sanat Platonem aut Socratem aut aliquem hominem singulariter dictum, cui convenit esse hominem, vel accidit in quantum est curatus...: Unde cum ars sit universalium, experientia singularium, si aliquis habet rationem artis sine experientia, erit quidem perfectus in hoc, quod universale cognoscat; sed quia ignorat singulare, cum experimento careat, multoties in curando peccabit, quia curatio magis pertinet ad singulare quam ad universale, cum ad hoc pertineat per se, ad illud per accidens.

Deinde quantum ad cognitionem, eminentia artis supra experimentum in tribus consistit: *Scilicet, quantum ad scire, quod quidem magis arbitramur esse per artem, quam per experimentum: item quantum ad obviare, quod in disputationibus accidit, nam habens artem potest disputando obviare his, quæ contra artem dicuntur, non autem habens experimentum: item quantum ad hoc, quod artifices plus accedunt ad finem sapientiæ, quam experti*, nimirum quia ars importat cognitionem intellectualem (1).

Divisio artis secundum hanc alteram sententiam.

Ars sic accepta dividi potest in *factivam* et *activam*. Prima relinquit opus post suam operationem, qualis est ars pictoria v. g.; activa vero non relinquit opus post suam operationem, ut est v. g. ars musica, ars saltandi.

Deinde dividitur ars in *liberalem* et *mechanicam*. Liberalis excolit animum, et ideo vocatur liberalis, vel quod ingenium liberumque hominem maxime decent, vel quia partem

(1) S. Thom., lib. 1.° *Metaph.*, lect. 1, *Deinde cum dicit: Ad agere.*

superiorem animi, in qua residet libertas, perficiunt. Serviles exercentur per aliquod membrum corporeum, et vocari etiam solent *mechanicæ*. Horum duorum generum diversas species antiqui Philosophi versibus hisce comprehenderunt:

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra:
Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Quorum prior continet septem artes liberales, *Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, Arithmeticam, Musicam, Geometriam et Astrologiam*. Posterior indicat totidem serviles seu mechanicas, *Agriculturam, Venatoriam, Militarem, Nauticam, Chirurgicam, Textoriam* et *Fabrilem*. Illud tamen notandum est, nec liberales artes, nec mechanicas tam exiguo numero comprehendi, quamvis nec vacet nec necesse nobis sit nunc accuratiorem artium catalogum conficere (1).

Inter artes liberales sunt quædam, quæ nunc pulchra dici solent, in quibus enumerandis variant auctores, quidam enim quatuor tantum pulchrarum artium nomine honestant, *Architectonicam, Picturam, Sculpturam* et *Musicam*, quibus alii *Rhetoricam* addunt, immo et *Mimicam;* alii sex hasce recensent: *Eloquentiam, Pöesim, Picturam, Sculpturam, Architectonicam* et *Musicam*.

ARTICULUS IV.

Qualenam debeat esse objectum scientiæ.

260. Objectum ab *objiciendo* dicitur, quasi id quod potentiæ vel habitui vel actui objicitur, ut attingatur; et in latissima sua acceptione est terminus, circa quem versatur potentia vel habitus vel actus: sicque dicuntur res possibiles esse objectum divinæ omnipotentiæ, et res, quam cognoscis, est objectum tuæ cognitionis, bonum quod amas, tui amoris, domus, quam vides, tuæ visionis, et ita porro. Nam licet proprie sola potentia attingit aut respicit objectum aut versatur circa illud, non vero habitus et actus, intellectus nempe Quid objectum.

(1) Vide Conimbr. *Dialect.*, quæst. 2. *procem.*, a. 3. Cfr. art. 1; Lossada, *Logic.*, tract. 1, Disp. 1, cap. 8, n. 3; Mayr, *Philosoph. Peripat.* par. 1, disp. 1, q 1, a. 4.

dicitur intelligere, non autem intelligit ipsa intellectio, et voluntas dicitur amare, non vero amat amor; nihilominus etiam actus et habitus, locutione quidem minus propria, usitatissima tamen apud omnes, suum habere dicuntur objectum; actus quidem, quia sunt ipsæ formales tendentiæ, quibus potentiæ suum respiciunt atque attingunt objectum, habitus vero, quia potentiam adjuvant ad actus, per quos in objectum tendit. Nunc itaque agimus de objecto actus et habitus potentiæ intellectualis, nimirum de objecto scientiæ.

Objectum multiplex:

Objectum scientiæ multiplex distingui potest. Et licet variant mirifice auctores in explicandis objectis diversis, oportet tamen communiores expositiones declarare.

materiale et formale.

Primo ergo dividitur objectum in *materiale* et *formale*. Objectum formale est illud, quod propter se vel *ratione sui aut ex propriis meritis* attingitur; vel si mavis, est illa ratio vel determinatio, qua mediante, aliquid attingitur ab actu, habitu vel potentia: materiale autem est illud, quod ratione alterius, nempe ratione formalis objecti attingitur. Ita v. g. *color* et *lux* est objectum formale visus, quia attingitur ab oculo per se primo ac ratione sui; at paries est objectum materiale, quia ratione coloris attingitur visione. «*Attingi* autem, inquit Mayr (1), non est tantum quomodocumque a potentia vel habitu cognosci aut respici, sed respectu potentiarum cognoscitivarum est *affirmari*, respectu potentiarum appetitivarum est *amari;* similiter respectu habituum moralium est *amari;* et respectu intellectualium speculativorum est *affirmari;* et respectu habituum practicorum, quantum ad formam, est *in materiam introduci*, quantum ad materiam est *immutari*.»

Quid sit attingi objectum.

Quare cum objectum formale dicitur illud, quod propter se attingitur, vel illud, propter quod aliquid attingitur, particula *propter* non debet exprimere finem, sicut significare solet in actibus voluntatis, in quibus semper objectum formale rationem finis obtinet. At in actibus intellectus particula illa *propter* exprimit rationem ex parte objecti desumptam, qua interroganti, cur actus aliquis attingat objectum, directe respondemus per adverbium *quia*. Ut si quæratur, cur oculus videat parietem, respondetur *propter* colorem, seu *quia* est

(1) *Philosoph. Perip.*, part. 1, disp. 1, q. 2, a. 1, n. 288.

coloratus. Et quærenti, cur firma fide credam mysterium Smæ. Trinitatis, respondeo, *quia* Deus verax id revelavit (1).

Ratio hujus primæ divisionis in objectum materiale et formale est, quia eadem res potest esse indifferens, ut a diversis scientiis possit considerari secundum diversas rationes. Unde sicut in corporibus et artefactis illud dicitur materia, quod commune esse potest pluribus, diversasque suscipere species pro varietate formarum, forma vero id, quod materiam contrahit, ac determinat ad certam aliquam speciem; ita etiam id, quod secundum hanc vel illam rationem tractatur in scientia, dicitur objectum ejus materiale, formale vero est illa ratio, per quam et propter quam res attingitur ab aliqua scientia. Sic corpus humanum est objectum materiale Philosophiæ naturalis et Medicinæ, Philosophiæ quidem prout naturale, Medicinæ vero prout sanabile, possetque similiter considerari a Mathesi, quatenus quantum est: simili modo pomum potest esse objectum materiale visus, prout coloratum; gustus, prout sapidum, odoratus prout odoriferum; auditus prout sonorum; tactus, prout durum ac resistens. Omnes vero istæ rationes, quæ velut totidem formæ contrahunt commune illud objectum materiale ad peculiare cujusque scientiæ vel actus, constituunt objectum formale.

Cæterum necesse non est objectum materiale ac formale realiter distingui, quamvis sæpe ita revera distinguuntur; nam nihil vetat et rem, quæ attingitur et consideratur, et rationem, propter quam attingitur, unum idemque reipsa esse. Sic evenit v. g. in assensu primorum principiorum, et in visione divinæ essentiæ, in quibus et terminus actus et ratio propter quam attingitur, quoad rem ipsam non distinguuntur.

Objectum formale dividitur in *intrinsecum* et *extrinsecum*. Intrinsecum est, quod immediate terminat actum, ut color v. g. respectu visus. Extrinsecum est, quod non terminat actum, cui comparatur, sed alium præcedentem, a quo ipse oritur vel determinatur. Sic objectum præmissarum est formale extrinsecum respectu conclusionis in sententia eorum,

Objectum formale dividitur in intrinsecum et extrinsecum.

(1) Lossada, *Logic.*, tract. 1, *proœm.*, disp. 2, cap. 1, n. 5, 6.

qui negant eam reflectere in præmissas (1). Qua de re superius egimus.

Objectum formale *quod* et *quo* vel *sub quo*; vel ratio formalis *quæ* et *sub qua*.

Præterea dividitur objectum formale in *formale quod* et *formale quo* vel *sub quo*. Quæ divisio ab aliis alio modo solet explicari. Objectum formale *quo*, quod vocatur etiam ratio formalis *sub qua*, est communis illa ratio, vi cujus redditur objectum attingibile per actus alicujus potentiæ vel scientiæ, ac proinde complectitur aliquo modo sub se quidquid potentia illa vel scientia respicit vel attingit. Ita potentiæ intellectivæ objectum formale quo, vel ratio formalis sub qua, est ratio veri transcendentalis, quia nihil attingere intellectus potest, quod non sit transcendentaliter verum, seu veritas transcendentalis reddit attingibile, quidquid intellectus attingit: itemque ratio formalis *sub qua* respectu voluntatis est bonitas, vel bonum ut sic; et color, respectu visus; et sonus, respectu auditus; et quantitas, respectu Matheseos, etc.

Objectum formale *quod*, seu ratio formalis quæ, est objectum illud peculiare sub generali ratione *sub qua* contentum, quod expresse attingitur ab aliquo actu; vel si mavis est conditio illa, in objecto præsupponenda necessario, ut attingi a potentia vel habitu vel actu aliquo possit; ita hoc verum peculiare, quod hic et nunc apprehendit intellectus, est ratio formalis *quæ* hujus actus; itemque singula bona peculiaria, quæ propter se vel ex propriis meritis appetuntur a voluntate per suos actus, sunt totidem rationes formales eorumdem; et albedo cæteræque colorum species, quæ per singulos actus visionis attinguntur, sunt formales rationes *quæ*.

Ratio formalissima sub qua.

Cum ratione formali *sub qua* cohæret ea, quæ vocari solet ratio *formalissima sub qua*, nec differt a priori, nisi quatenus addit expressum respectum ad potentiam vel scientiam, a qua attingitur. Sic *intelligibile* est ratio formalissima sub qua respectu intellectus, et *amabile* respectu voluntatis, *visibile* respectu visus, *audibile* respectu auditus, *scibile* respectu scientiæ, *dirigibile* respectu actus. Nempe ratio formalissima est ratio formalis sub qua sumpta, non secundum intrinseca sua prædicata, sed per denominationem ad potentiam. «Hu-

(1) Lossada, *Log.*, tract. 1, disp. 1, cap. 2, n. 9.

jusmodi ratio licet implicite imbibatur in omni objecto formali, tamen explicite nunquam attingitur a potentiis materialibus, ut quæ reflecti supra semetipsas nequeunt, nec semper a potentiis spiritualibus, ut notavit D. Thomas (1 p. q. 16, a. 3 ad 3.am)» (1).

Alii aliter explicant divisionem hanc, dicentes solam rationem formale *sub qua* proprie dicendam esse objectum formale, eam vero, quam nos rationem formalem *quæ* appellavimus, dicendam esse objectum materiale proprium et per se. Qui modus loquendi, qui apud plures auctores occurrit, habendus est præ oculis, licet minus placeat eo, quem secuti sumus, ob rationes, quæ videri possunt apud P. Ludovicum de Lossada (2).

Objectum formale vocari solet specificativum.

«Objectum formale vocari solet *specificativum*, id est extrinsecus index aut regula, ex qua plerumque discernimus species actuum, habituum et potentiarum inter se: aliter tamen et aliter. Nam si actus unius potentiæ vel *scientiæ* totalis comparetur cum actibus alterius (potentiæ diversæ vel scientiæ totalis) eorum specificativum seu distinctivum sufficiens est ratio formalis sub qua; si vero inter se comparentur (actus diversi ejusdem potentiæ vel scientiæ) specificativum erit unumquodque objectum formale *quod* (nam in ratione formali sub qua conveniunt penitus inter se). Sic ut bruta omnia specie differant ab homine, sufficit irrationalitas tamquam specificativum intrinsecum; ut vero inter se discernantur, specificari debent ex differentiis *rugibilis*, *hinnibilis* etc.» (3).

Objectum formale scientiæ vocatur etiam subjectum.

«Objectum formale, cum de scientiis est sermo, vocari solet *subjectum* scientiæ, quia scientiæ considerationi subjicitur (4), estque id, de quo scientia disserit, et proprietates demonstrat. Quamquam stricte loquendo subjectum est, quod in conclusionibus scientiæ subjicitur; objectum vero

(1) Lossada, loc. nup. cit., disp. 2, cap. 1, n. 12, apud quem plura in num. 13.

(2) Loc. nup. cit. n. 14, 15.

(3) Lossada, ib. n. 16.

(4) Alii, ut Dominicus Soto (*Dialect.* q. 5. *proœm.* paulo post initium) censent objectum vocari *subjectum* per ordinem ad passiones vel proprietates, quas de eo scientia demonstrat.

comprehendit insuper quidquid de tali subjecto prædicatur. Subjectum scientiæ, si comparetur ad habitus particulares vel ad singulas actuum species, coincidit cum objecto formali *quod;* si vero ad scientiam totalem, recurrit cum ratione formali *sub qua*, seu cum ratione communi objecti in esse rei, quæ ratio semper est generica, ut in Metaphysica *ratio entis*, in Ethica *morum honestas*, in Logica *rectitudo intelligendi*. Quapropter ab Aristotele et D. Thoma objectum formale totius scientiæ appellatur *Genus subjectum* et objectum *attributum*» (1).

Objectum attributionis et attributum.

Alia est divisio objecti in objectum *attributionis* et objectum *attributum*. Objectum attributionis etiam varie solet explicari; secundum probabiliorem tamen sententiam illud est, cujus præcipue intenditur cognitio tamquam finis totius scientiæ, ad quem proinde finem reliqua omnia quodam modo referuntur: ideoque vocari solet per antonomasiam *subjectum* vel *subjectum principale*, vel *subjectum primo intentum*. Talis est *Deus* in Theologia, et *Demonstratio*, ut multis placet, in Logica. Objectum vero attributum est, quod ad objectum attributionis refertur, seu quod ex fine primario non intenditur propter se in scientia, sed in ordine ad aliud dumtaxat tractatur (2).

Alias divisiones objecti omittimus vel quia facile per se intelliguntur, vel quia commodius explicari poterunt, cum necessitas ocurret (3).

Nunc quæritur utrum objectum scientiæ debeat esse necessarium, æternum seu perpetuum, universale, ingenerabile, et incorruptibile unumque per se. Et quæstio potissimum statuitur de scientiis totalibus.

Objectum scientiæ debet esse necessarium.

261. PROPOSITIO 1.a **Objectum scientiæ esse debet necessarium.**

Et probatur, quia rerum ac prædicatorum ad illarum naturam spectantium conexiones, necessariæ sunt. Atqui scientiæ agunt de hujusmodi conexionibus dumtaxat. Ergo...

(1) Lossada, loc. nup. cit. n. 17. Cfr. Fonseca, lib. 2. *Metaph.* cap. 3, q. 1, sect. 3.

(2) Lossada, loc. nup. cit.; Ant. Mayr., Op. et loc. cit. n. 289.

(3) Vide Lossada, *Logic.*, tract. 1. disp. 2. cap. 1; Mayr. *Philosoph. Perip.*, part. 1. disp. 1. q. 2. a. 1.

Minor constat, nam scientiæ non tractant actuales existentias, esd naturas essentiasque rerum ac proprietates. Hæ autem sunt necessariæ. Sive enim homo v. g. existat sive non existat, necessariæ prorsus atque immutabiles sunt istæ complexiones: *Homo est rationalis, est animal, est risibilis* etc., etc. Nam connexiones prædicatorum non consistunt in reali actuali conjunctione illorum in rerum existentia, sed in mutuis relationibus ac proportione unius ad alterum; quæ relationes proportionesve tales sunt, ut aliter esse non possint.

Præterea spectat ad essentiam scientiæ certitudo. Atqui si objectum indifferenter se habeat, ut sit hoc potius quam alio modo, sive natura sua, sive saltem hic et nunc, impossibile jam erit certam de illo cognitionem habere. Nam si objectum saltem hic et nunc indifferens sit ac contingens, poterit aliter se habere. Demus ergo, quod aliter se habeat, et falsa erit cognitio illud referens. Nisi ergo in objecto necessitas statuatur, poterit scientiæ notitia de illo falsa esse: id quod repugnat certitudini cognitionis.

Hac de re adeo fuit concors antiquorum sententia, ut quidam ex contingentia, fluxu ac mutabilitate corporearum naturarum negaverint scientiam de illis dari posse: adeo persuasum illis fuerat objectum scientiarum necessarium esse debere (1).

Hinc colliges actiones liberas *prout tales*, non posse cadere sub scientiam, quia non possunt demonstrari, antequam fiant, cum non sint determinatæ in suis causis, nec sint futuræ certo aliquo modo, quin possint esse aliter. Idque adeo certum videtur, ut S. Thomas aliique plures Scholastici, quemadmodum suo loco dicetur, docuerint, neque Deum ipsum nosse posse certo futura, *prout futura*. Deus tamen ea, quæ futura sunt, certissime novit, quia illa videt non *prout adhuc sunt in causis ac proinde ut futura*, sed prout *jam in seipsis existunt* pro tali tempore futuro. Sed de his alibi.

---

(1) Vide apud Conimbricenses, lib. 1.° *Poster.*, cap. 7. q. 1. a. 1. paulo post init.

262. **Dices 1.°** Philosophia naturalis versatur circa res mobiles, agitque inter alia de generabilibus et corruptibilibus, de mixtis et elementis, quæ sunt in perpetuo fluxu. Atqui hujusmodi res sunt contingentes, ut patet. Ergo scientia non est de necessariis dumtaxat.

Resp. *disting.* Major. Philosophia naturalis versatur circa res mobiles, agitque de generabilibus etc. secundum quod in eis reperiuntur quædam rationes immutabiles ac necessariæ, quas per media item necessaria demonstrat, *conc.*, aliter. *neg.*

Et *contradist.* Min. Ita tamen ut in eis insint quædam rationes immutabiles, quæ sunt objectum scientiæ naturalis *conc.*, aliter *neg.*

Nam «rerum corruptibilium, ut sunt corruptibiles,... non est scientia; tamen in hujusmodi rebus intellectus noster reperit prædicata quædam universalia et necessaria, quæ colligit, et revocat ad rationem scientiæ. Etenim licet homo sit corruptibilis, tamen hoc ipsum, *hominem esse corruptibilem* est quidpiam incorruptibile. Similiter Petrum sedere, est contingens; tamen *illud esse contingens*, est necessarium. Res item sublunares sunt mutabiles; sed *ipsas esse mutabiles*, est prorsus immutabile» (1).

Dices 2.° Atqui nec rationes etiam rerum naturalium sunt penitus necessariæ atque immutabiles. Nam non raro cernuntur etiam exceptiones ac defectus in ipsis generalibus legibus, vel propter aliquod impedimentum appositum ab aliis causis vel etiam propter miraculum.

Resp. *dist.* instantiam; si adsint omnia requisita *neg.*, si non adsint *conc.*

Et ad probationem similis esto responsio. Ubicumque enim contingunt exceptiones ac defectus, revera non adsunt omnia requisita ad hoc, ut causæ naturales modo consentaneo operentur. Conclusiones autem physicæ solum evincunt, quid rerum natura, suppositis omnibus conditionibus, postulet. Quare si quid contra contingat, vel propter impedimenta ab aliis causis apposita, vel etiam ex speciali causæ primæ interventu miraculum patrantis, revera non mutatur conclusio

(1) P. Benedictus Pererius (Pereira), *de Communibus omnium rerum naturalium principiis.*, lib. 2, cap. 3, ad 6.um

physica vel objectum Philosophiæ naturalis, sed idem, quod prius, ac prorsus immutatum remanet (1).

Dices 3.° Scientiæ practicæ sunt circa contingentia in quantum talia, et tamen sunt vere scientiæ, nam scientia dividi communiter solet cum Aristotele (2), in speculativam et practicam, ut superius vidimus. Ergo potest scientia esse de contingentibus seu non necessariis.

Resp. 1.° Cum objectum scientiarum dicitur esse necessarium, sermonem esse de scientiis speculativis, ut habetur ex Aristotele (3). *Quia contingentium cognitio non potest habere certitudinem veritatis repellentem falsitatem*, scribit Angelicus, *ideo quantum ad solam cognitionem pertinet, contingentia pretermittuntur ab intellectu, qui perficitur per cognitionem veritatis. Est autem utilis contingentium cognitio, secundum quod est directiva humanæ operationis, quæ circa contingentia est: ideo contingentia divisit tractans de intellectualibus virtutibus, solum secundum quod subjiciuntur humanæ operationi. Unde et solæ scientiæ practicæ sunt circa contingentia, in quantum contingentia sunt, scilicet in particulari; scientiæ autem speculativæ non sunt circa contingentia, nisi secundum rationes universales* (4).

Resp. 2.° Addi posset, ipsas practicas scientias secundum propriam formalem rationem, quodammodo necessarias esse, quia habent judicium infallibile circa directionem rectam operum, quæ, si fiant eo pacto, quo dictant prædictæ scientiæ, non possunt non recte fieri per se loquendo.

Dices 4.° Scientia Dei perfectissima est, et nihilominus versatur circa contingentia. Ergo etiam nostra scientia potest esse de contingentibus.

Resp. *dist.* antecedentis 2.am part. Scientia Dei versatur circa contingentia, prout talia sunt, nempe nondum determinata et possibilia aliter se habere hic et nunc *neg.*, prout jam

---

(1) Cfr. Benedict. Pereira, loc. cit.; Alamanni, *Summ. Philosoph.*, 1.a part., q. 29, art. 2, ad 3.am

(2) Lib. 2 *Metaph.*, text. 3; lib. 6 *Metaphys.*, initio.

(3) *Ethicor.*, lib. 6, cap. 3, vers. fin. Cfr. 1. S. Thom., ib. et 3.° *Contr. Gent.*, c. 75, *Adhuc hæc est differentia.*

(4) S. Thom., in lib. 6.um *Ethicor.*, lect. 3.

determinata, ideoque jam hypothetice necessaria *conc.* Nam Deus cognoscit contingentia, prout jam sunt vel erunt in seipsis, v. g. *me ab æterno videt* prout *jam nunc scribentem.* Et quamvis ego contingenter scribam, nihilominus prout hic et nunc scribo, jam impossibile est ex suppositione, me non scribere. Ideoque potest esse certissima divina cognitio, cum non sit de contingenti prout est contingens. Hæc fusius et accuratius in Theologia.

Et simili modo *disting.* conseq. Nam ea, quæ omnino contingentia sunt in seipsis, et propterea non sunt in se certo cognoscibilia v. g. *Petrum sedere, me nunc scribere*, possunt certo cognosci, accedente relatione sensuum. Licet enim Petrum ex sua natura penitus sit ad sedendum vel non sedendum indifferens, et ego ad scribendum, nihilominus si indifferentia illa jam determinata est de facto per actualem sessionem aut scriptionem, potest sessio aut scriptio esse objectum infallibilis certissimæque cognitionis, quandoquidem, stante illa determinatione, sessio vel scriptio hypothetice necessaria evadit. Atqui per sensuum relationem innotescit, utrum contingentia illa determinata sit necne ad alterutram partem contradictionis. Ergo accedente sensuum relatione facta ipsa, quæ non necessario, sed contingenter eveniunt, certo et infallibiliter cognosci queunt (1).

Et ex hac doctrina explicari possunt quædam exempla syllogismorum, quales in demonstrationibus scientificis occurrere possunt, ut v. g.: *Quod currit, movetur. Atqui Petrus currit: ergo movetur:* quæ conclusio licet absolute contingens sit, sicut etiam est præmissa minor, hypothetice tamen necessaria est. *Supposito enim quod Petrus currit*, metaphysice certum est, Petrum moveri: et *supposito quod videam Petrum currentem*, physice certum est, quod revera currit.

Dices 5.° In physicis potissimum sunt plures conclusiones, quæ sæpe fallunt, ut v. g. quod in hyeme sint pluviæ etc.

Resp. *disting.* assert., si sint conclusiones vere scientificæ *neg.*, si tales non sint, *trans.*

---

(1) Cfr. S. Thom., lib. 6.° *Ethicor.*, lect. 3. *Deinde cum dicit: Scientia quidem.*

Jam enim superius notatum est, non omnia quæ in *scientiis totalibus* reperiuntur, rationem scientiæ obtinere, sed ea dumtaxat, quæ demonstrantur; cætera plus vel minus probabilia sunt, immo et falsa absurdaque possunt esse.

Quod vero attinet ad conclusionem de pluviis in hyemali tempore contingentibus, scientia solum intendit pluvias tunc esse connaturales ac frequentiores, idque certissimum est.

Dices. 6.° Opinio versari potest circa objectum in se necessarium. Ergo e converso nihil vetat, quominus scientia versetur circa objectum contingens.

Resp. *neg.* paritatem. Nam ad actum operativum sufficit, vel quod objectum sit contingens, vel quod etiamsi sit necessarium in se, nobis tamen sit inevidens, aut cognoscatur per media solum probabilia, vel non necessario connexa cum illo. At vero si objectum sit contingens ac proinde indeterminatum et indifferens, ut sit hoc vel alio modo, nequit certo attingi, quandoquidem certitudo exquirit, ut res ita sit, prout cognoscitur, nec aliter esse possit.

Objici etiam solent quædam fidei dogmata, ut Incarnatio et alia, quæ facta contingentia sunt, et nihilominus objectum præbent non solum Fidei, sed etiam Theologiæ, quæ est scientiarum regina. Verum objectio nihil evincit, siquidem facta illa non sunt objectum sive Fidei divinæ sive Theologiæ, nisi quatenus a Deo revelata. Facta vero, utcumque in se absolute contingentia, si a Deo revelata sunt, saltem consequenter atque hypothetice certa sunt metaphysice, ac proinde possunt esse objectum et infallibilis Fidei et scientiæ.

263. PROPOSITIO 2.ª **Objectum scientiæ est universale, saltem si sermo sit de naturis illis, quæ non secum formaliter seu essentialiter identificant suam individuationem.**

Objectum scientiarum est universale.

Ita tenet communissima sententia Philosophorum, quamquam non omnes conveniant in reddenda rei ratione, ut videre est apud Conimbricenses (1).

Prob. 1.° Primo itaque patet inductione scientiarum humanarum, de quibus solum agimus, omnes enim contem-

(1) 1.° *Poster.*, cap. 7, q. 1, a. 3.

plantur, saltem tamquam objectum primarium et principale, aliquid universale, ut v. g. Metaphysica *ens ut sic*, Philosophia naturalis *ens mobile*, Mathesis *quantitatem* etc. Quod si quædam scientiæ disserunt de nonnullis corporibus, quorum non est nisi unum individuum in natura, v. g. de *sole*, *luna*, *terra* etc. non respiciunt attributa eorum proprietatesque pure individuales, sed ea dumtaxat sectantur prædicata, quæ possent indiscriminatim convenire cuivis alteri individuo intra eamdem speciem, quod potuisset existere (1).

2.° Præterea scientia est effectus demonstrationis. Atqui omnis demonstratio versatur circa objectum universale. Nam demonstratio fit ex propositionibus universalibus seu *de omni*, ut supra vidimus; at propositiones hujusmodi tales sunt, quarum prædicatum subjecto conveniat universaliter. Ergo.

3.° Adde quod si scientia occuparetur circa individua, numquam objecti sui notitiam obtineret, siquidem infinita sunt individua possibilia cujuslibet speciei, infinitamque exhibent differentiarum varietatem.

4.° Denique differentiæ individuales essentiales cognosci a nobis nequeunt scientifice. Ergo non sunt objectum scientiæ.

Anteced. probatur. Nam essentiales differentiæ cujuslibet individui propriæ non possunt in primis cognosci «scientia demonstrativa, de qua disputamus, cum nulla detur causa a priori, ob quam subjecto conveniant»; scientia quidem definitiva *secundum se* cognoscibiles sunt, minime vero *quoad nos*, «utpote qui differentias non cognoscimus, nisi ex affectionibus vel operationibus sensibilibus; nulla autem est affectio vel operatio in individuo alicujus speciei, quæ secundum eamdem speciem non sit vel esse possit in alio, ut docet experientia; quare non potest indicare differentiam individuantem diversam, saltem tanta evidentia, quanta ad scientiam flagitatur.» Hinc vulgo manavit illud proloquium: *Singularium non est scientia.*

«Quod si Deus alicui communicaret evidentem notitiam singularitatis alicujus individui, haberet quidem propriam illius scientiam definitivam, nunquam tamen demonstrati-

(1) Cfr. Vazquez, in 1.am part. disp. 4, cap. 7, n. 17.

vam; siquidem singularitas ullius passionis principium non est» (1).

264. **Dices 1.°** Philosophus docet (2) impossibile esse scire antequam ad *individua* deveniatur. Ergo scientia est etiam de individuis, ac proinde non est universale dumtaxat objectum scientiæ.

Resp. sensum planiorem textus Aristotelici hunc videri, ut individuum idem valeat atque indivisibile, quasi diceret plenam rei cognitionem definitionemve haberi non posse nisi deveniatur ad suprema genera, quæ sunt simplicissima et indivisibilia, his enim ignoratis, impossibile est inferiora et posteriora cognoscere (3). Objectio itaque non est ad rem.

Dices 2.° Deus est natura quædam singularis, et nihilominus objectum suppeditat nobilissimæ scientiæ.

Resp. *dist.* assert., est natura quædam essentialiter singularis suaque individuatio, ac proinde immultiplicabilis *conc.*, secus *neg.*

Deus est quidem singularis, sed ita, ut idem sit in eo prorsus natura et individuatio, unde attributa et differentia, ut ita dicam, individualis, sunt ipsa natura Dei. Nihil ergo mirum, si scientia theologica agat de Deo, licet hic sit singularis, cum divina natura sit nobis aliquo modo cognoscibilis.

Dices 3.° Non solum de Deo, sed de Christo Domino, qui est individuus homo, disserit sacra Theologia. Ergo potest individuum esse objectum scientiæ.

Resp. 1.° Sacra Theologia, quæ de Christo Domino, B. Virgine aliisque singularibus objectis disputat, non est scientia humana, de qua nos nunc agimus, sed divina et ex lumine revelationis profecta.

Resp. 2.° Omnia attributa differentiæque individuales, quas de Christo Domino docet Theologia, cognoscuntur per revelationem ac traditionem, ac proinde dignissima sunt, quæ scientifice tractentur, sive ad majorem dogmatum revelatorum declarationem, sive ad defensionem eorumdem ab omni

(1) Conimbr., loc. nup. cit. art. 3.°, *Hæc tamen nihil obstant...*

(2) Lib. 2, *Metaphys.*, text. 11.

(3) Cfr. S. Thom., lib. 2. *Metaph.*, sect. 4, *Secundam rationem ponit ibi;* Fonsec., lib. 2. *Metaph.*, c. 2, in comment. text. 11; Mauri, ibid.

errore atque impugnatione. Nihil autem simile contingit in humanis scientiis, quæ assequi cognitione non possunt veras intimasque differentias individuales, ut jam notavimus in probationibus, accidentales autem et exteriores differentias aut penitus contemnunt, quia dignæ non sunt scientifica consideratione, aut Historiæ contemplandas atque narrandas relinquunt.

Dices 4.° Quædam demonstrantur in scientiis, quæ non semper sunt, sed quandoque dumtaxat, ut sunt v. g. defectus lunæ etc. Atqui quæ non semper sunt, universalia non sunt nec perpetua, sed particularia. Ergo...

Resp. *dist. Major.* Quæ non semper sunt, prout considerantur in illis scientiis, *neg.*, in sua physica existentia *subdist.*, quæ non semper sunt, vel quia non semper adest causa, cur sint, vel quia licet adsit causa, obest aliquod impedimentum, *conc.*, aliter, *nego.*

Propositio de lunæ defectu universalis est quoad causam, nempe *quotiescumque* interponitur terra inter solem et lunam in linea diametrali, quod est causa defectus, semper datur hujusmodi phænomenon. Ac proinde si tantum id demonstretur, objectum revera universale est, et demonstratio quoque scientifica et universalis. Si vero defectus lunæ consideretur in sua existentia, quatenus nempe contingat tali tempore, anno, die, hora, tunc demonstratio particularis est, objectumque singulare habet, sed hujusmodi consideratio per se non spectat ad scientiam de astris; sicut non spectat ad scientiam physicam per se contemplari casus particulares applicationesque generalis doctrinæ ad individua phænomena, quæ successu temporum secundum exigentiam naturalem occurrere debent, ac porro occurrent. Scientiæ nempe non descendunt ad hæc infima, sed contentæ sunt generali doctrina, universalibusque conclusionibus, quas qui noverit, facile deinceps judicare de singularibus poterit (1).

Alia etiam tractant scientiæ, quæ in seipsis deficiunt, licet causa eorumdem adsit, ideo nempe quia objicitur causarum

(1) Vide S. Thom., 1.° *Posterior.*, lect. 16, fin., cum Aristot., ib. cap. 7; Domin. Sot. in Comment., cap. 7, text. 22, lib. 1, *Poster.*, Mauri in *Paraphras.*, 1.° *Poster.*, cap. 8, text. 22.

actioni aliquod impedimentum. Sic v. g. «non semper generatur homo duas manus habens, sed quandoque fit defectus propter impedimentum causæ agentis vel materiæ» Sed in iis etiam consideratio scientiæ generalis esse potest ac debet, concludendo nempe ac demonstrando, causas tales certum effectum habituras esse (v. g. ex homine hominem duas habentem manus generatum iri), nisi quid per accidens impediat: quæ conclusio universalis profecto est, et circa objectum universale versatur.

265. PROPOSITIO 3.ª **Objectum scientiarum est perpetuum, ingenerabile atque incorruptibile.**

Objectum scientiarum est perpetuum, ingenerabile, incorruptibile.

Hæc manifeste fluunt ex dictis. Nam objectum scientiæ est universale ac necessarium, tractaturque dumtaxat secundum illa prædicata, quæ vel pertinent ad essentiam rei vel ex ea necessario consequuntur, præscindendo ab actuali existentia illius; quare illa considerat scientia enuntiabilia, quæ suam retinent veritatem, eodemque modo affirmari possunt, sive subjectum existat, sive non, et quandocumque existat. Atqui quæ hoc modo se habent, æterna sunt, non quidem in existendo, sed in verificando propositionem, quandoquidem *numquam non*, seu in omni tempore et ab æterno, affirmabilia sunt. Hoc pacto, *triangulum angulos tres habere duobus angulis rectis æquales*, et *hominem esse admirativum*, ab æterno affirmabile est; atque eodem modo affirmabile foret, etiamsi nunquam extitisset homo, sed in statu puræ possibilitatis relictus fuisset. Ergo scientiæ objectum perpetuum seu æternum est.

Præterea est ingenerabile et incorruptibile, vel quia generatio et corruptio non exercentur per se circa universalia, sed circa singularia; vel quia præscindunt scientiæ ab statu existentiæ sui objecti, generari autem et corrumpi existentium est; vel quia nulla generatio aut corruptio actu exercita variare potest scientiæ objectum quoad munus verificandi actus scientificos: id quod verum est etiam, dum asseritur corruptibilitas ipsa de proprio subjecto (1).

(1) Vide Lossada, *Logic.*, tract. 6, disp. 2, cap. 4, n. 4.

Objectum scientiæ est ens per se, non vero ens per accidens.

266. PROPOSITIO 4.ª **Objectum scientiæ est ens per se, non vero per accidens.**

Ens per accidens bifariam dici potest.

Primum autem nota ens per accidens dupliciter dici posse, primo in ratione entis, quia non est unum per se, sed pluribus essentiis diversis, nec per se connexis, constat, quomodo acervus lapidum v. g. non est ens per se, itemque *grammaticus et musicus* non efficiunt ens vel unum per se; secundo in ratione effectus, quia nempe non habet causam per se, sed præter intentionem agentis evenit; quare hujusmodi ens per accidens idem valet ac fortuitum et casuale. Et utrolibet modo sumatur ens per accidens, non est de eo scientia (1).

Prob. 1.° inductione per omnes scientias, nulla enim est illarum, sive speculativa sive practica, quæ ens per accidens utrovis sensu acceptum, contempletur. «Ex gr. ædificator cogitat de facienda domo et de his, quæ per se conveniunt domui; non vero curat de hoc, quod qui habitat in domo, utatur prospera vel adversa fortuna, neque de aliis hujusmodi quæ possunt esse infinita, et per accidens conveniunt domui. Similiter Geometria, quæ est scientia speculativa, considerat quidem triangulum et ea, quæ per se conveniunt triangulo, v. g. quod habeat tres angulos æquales duobus rectis; at vero quod triangulum sit album vel nigrum, et alia infinita quæ possunt per accidens convenire triangulo, non considerat Geometria» (2). Atque idem patet de his, quæ non sunt unum per se, siquidem a nulla scientia pro objecto assumuntur.

Ab hac inductione solum excipitur sophistica, quæ profecto considerat ens per accidens, cum conficit ac tractat sophismata accidentis: ut v. g.: *Musicus aliud est a gram-*

---

(1) Cfr. Suar. in *Indice locupletissimo* in *Metaph.* Arist., lib. 6, c. 2, quod opusculum *reperitur* in capite *Disputationum Metaphys.* Doctoris Eximii; Fonseca, *Metaphys.*, lib. 6, c. 2, q. 1, a. 2, initio.

(2) Mauri in *Paraphras.*, lib. 6, *Metaphys.*, cap. 2, text. 1 ex Aristot., ib. text. 4 et 5. Cfr. Arist., lib. 11. *Metaph.*, cap. 2, et ibid. Mauri, lib. 11, cap. 9.

matico. Sed hic musicusest grammaticus. Ergo hic vir est aliud a se: vel: *Coriscus differt a musico. Sed Coriscus est musicus. Ergo Coriscus differt a seipso.* (1) Verum sophistica non est vera scientia, sed apparens, quia non facit scire (2).

Prob. 2.° Scientia est de eo, quod est semper vel saltem plerumque. Quædam enim sunt scientiæ. quæ objectum contemplantur simpliciter necessarium, in quo nulla est possibilis exceptio, ut v. g. Mathesis vel Metaphysica; aliæ vero contemplantur objectum, quod, spectata quidem causa, necessarium est, habere tamen exceptionem potest propter aliquod impedimentum ab aliis causis appositum; talis est Philosophia naturalis, cujus quædam conclusiones exceptionem in quibusdam casibus particularibus pati possunt. Atqui ens per accidens seu fortuitum non est semper nec plerumque, sed raro. Ergo scientiæ objectum non est ens per accidens fortuitum ac præter intentionem.

Major hujus syllogismi constat ex superius disputatis de necessitate atque universalitate objecti scientiarum. Nam revera ea, quæ semper aut plerumque eveniunt, necessaria dicuntur, quia vel simpliciter et absolute vel sublatis impedimentis, semper eveniunt: ea vero quæ aliter eveniunt, contingentia dici solent, quia raro aut æque pro utraque parte eveniunt. (3) Et confirmatur, «nam non potest aliquis discere vel docere, quod nec est semper, nec plerumque: ex. gr. medicus potest discere, quod mellicratum juvat, quia plerumque juvat, sed si per accidens solum juvat, quomodo sciet, quod juvat, cum putans juvare, plerumque erraturus sit? Manifeste autem non scit, qui ut plurimum errat, si utatur tali scientia» (4).

Minor etiam principalis argumenti patet, hoc est enim ingenium casus fortuiti, raritas: nam quæ semper aut ple-

---

(1) Cfr. Arist. 1. ib. 6. *Metaphys.*, loc. cit. et ib. S. Thom. lect. 2, *Unde Plato.*

(2) Cfr. Arist. lib. 11, loc. cit. et ib. Mauri.

(3) Fonseca, lib. 6. *Metaph.* c. 2, q. 1. sect 2, *Quarto loco animadvertendum est.*

(4) Mauri in *Paraph.*, lib. 6.° *Metaphys.* cap. 2, art. 2. ex Arist. ibid. Cfr. S. Thom., ibid. lect. 2. fin.

numque accidunt, fortuita nemo existimat, idque alibi probatur (1).

Præterea entia et effectus per accidens, qua talia, non habent ullas certas ac definitas causas, unde proveniant, sed modo ab hac, modo ab alia procedunt. Ergo neque etiam poterunt circa illa demonstrationes institui, ac proinde nec potest haberi de illis scientia, siquidem scientia importat cognitionem rei ex propriis principiis causisque per se ac determinatis.

Simili modo patet etiam objectum scientiæ non posse esse ens per accidens in alio sensu, nempe quatenus ens per accidens idem valeat ac non unum per se, sed unum per accidens diversisque constans essentiis. Nam ens hujusmodi per accidens cum coalescat ex diversis essentiis, ut v. g. *musicus* et *grammaticus*, *albus* et *medicus*, diversas præ se fert formalitates atque *scibilitates* pro varietate diversarum essentiarum, puta *musici* et *grammatici*, *albi* et *musici*. Atqui ea, quæ diversas scibilitates exhibent, objecta suppeditant diversarum scientiarum. Ergo una eademque scientia nequit illa contemplari, ac proinde ens hujusmodi per accidens non est objectum scientiæ (2). Hinc e converso colligitur entia diversorum generum, licet physice nequeant efficere ens per se, ut v. g. *homo* et *canis;* nihilominus posse logice *esse unum per se*, ac proinde constituere objectum unius ejusdemque scientiæ, si nempe sub una communi ratione considerentur, v. g. homo et canis, si spectentur ut *animalia*, ut *corporeæ substantiæ*, ut *entia quædam*.

Unum autem notatum volumus «aliud esse loqui de ente per accidens quoad rem subjectam huic demonstrationi, aliud de ipsamet formali ratione entis per accidens; quod aliter

(1) Vide Arist., lib. 6, 2.° *Physicor.*, cap. 6, text. 58, ubi hoc probatur.

Totum hoc argumentum videndum omnino est apud S. Thom. 1.° *Poster.*, lect. 42 init. cum Aristot. ib. cap. 34.

(2) Vide Fonseca, lib. 6 *Metaphys.*, c. 2, q. 1; Alamanni, *Summ. Philosoph.*, prim. part. q. 29, a. 3; Suar., in *Indice locupletissim.* in *Metaph.* Arist. lib. 6, cap. 2. Non desunt tamen auctores, qui putent de hujusmodi ente per accidens dari posse scientiam. Vide Conimbr., lib. 1.° *Poster.*, cap. 10, q. 2, art. 1, vers. fin. in solutione difficultatis.

dicitur, aliud esse loqui de ente per accidens *in actu exercito et in actu signato*. Ens ergo per accidens quoad rem subjectam, seu in actu exercito, non cadit sub scientiam,» ut hactenus demonstratum est. «At vero ratio formalis entis per accidens considerari potest scientifice, nam concipitur per modum unius rationis formalis per se, quæ habet suas proprietates.» Et hoc modo tractari solet in Metaphysica divisio entis in ens per se et per accidens, propriaque ratio utriusque enucleatur (1). Aliis vocibus, ratio quidem entis per accidens ab scientia considerari potest: ea tamen, quibus ratio entis convenit, ub nullius scientiæ considerationem cadit: quod aliter dici etiam solet, ens per accidens *formaliter* sumptum spectare ad aliquam scientiam, non tamen *materialiter* sumptum. Similiter inter disputandum de causis efficientibus, disputatur de entibus per accidens quoad contingentias, an sint, et quas causas habeant, sicut etiam de fato et fortuna aliisque causis per accidens disseri solet. Quæ, prout exercent causalitatem per accidens, sub scientiam non cadunt; cadit vero ratio formalis causalitatis illius in quo posita sit et unde oriatur (2). Et per hoc patet etiam solutio difficultatis quæ peti solet ex eo, quod ens per accidens habeat propriam rationem ac proinde sit cognoscibilis (3).

Dices præterea 1.° Nomine entis per accidens vel intelligitur id, quod est in genere accidentium, vel id, quod coalescit ex duobus prædicamentis, quale est compositum ex substantia et accidente. Atqui utrovis sensu scibile est. Primo quidem, quia plures scientiæ tractant de accidentibus, quæ habent speciem determinatam determinatasque causas in subjecto. Secundo autem, quia objectum conclusionis maxime scientificæ est compositum ex subjecto et passione seu proprietate, ad scientiam quippe spectat nosse ac demonstrare passiones de subjecto.

Resp. *neg.* Major., quamvis enim et his modis, quos refert objectio, dicatur ens per accidens, a nobis tamen hic non in illis sensibus sumitur, sed in aliis duobus, quos nu-

(1) Vide Suarez, in *Indice* citato; Alamanni, loc. cit. ad 1.um
(2) Suar. ibid.
(3) Apud Alamannium, loc. cit., arg. 1.°

per exposuimus. Compositum porro ex subjecto et passione non est ens per accidens, quod a scientiis excluditur, tum quia de illo potissimum agitur in illis, tum quia passiones *per se fluunt* a natura tamquam a sua radice, illique proinde necessario insunt: quare passiones reponuntur in secundo modo dicendi *per se*.

Dices 2.° Innumera sunt entia per accidens, etiam in sensu a nobis intento, quæ passim novimus.

Resp. *dist.* assert.; novimus cognitione scientifica per demonstrationem, *neg.*; scientia largius accepta, *transeat*. Nos enim agimus de objecto scientiæ presse acceptæ.

Dices 3.° Musica est de numero sonoro tamquam de subjecto; itemque perspectiva de linea visuali, et medicina de animali ut sanabili. Atqui numerus sonorus, linea visualis et animal sanabile sunt totidem entia per accidens (1).

Resp. «Musica non considerat numerum et sonum formaliter, sed considerat formaliter numerum, et materialiter sonum, considerat enim numerum in sono, seu sonos secundum quod sunt secundum numerum proportionabiles. Et similiter perspectiva non considerat formaliter lineam visualem, sed lineam in visu tamquam formale applicatum materiali» (2). Et idem dicatur de Medicina quæ sanabile contemplatur in animali.

ARTICULUS V.

An scientia et opinio circa idem objectum ex diversis motivis simul in eodem intellectu esse queant.

267. Celebris est inter auctores controversia hæc, quæ originem habet ex diversa et quodammodo opposita natura scientiæ atque opinionis. Illa enim certitudinem importat infallibilitatemque; hæc vero incerta est et fallibilis, quemadmodum alibi scriptum est.

Status quæstionis.

In primis, ut status quæstionis rite percipiatur, certum est de eadem re deque eodem objecto materiali, dari posse scientiam et opinionem, ut patet in scientiis, in quibus plu-

(1) Apud Alamanni, loc. cit., arg. 3.
(2) P. Alammani, loc. cit., ad 3.um

res certe, plures aliæ ad idem objectum spectantes controversiæ, probabiliter dumtaxat resolvuntur. At nos non agimus hic solum de eadem re, sed de eodem enuntiabili, seu de eadem objectiva propositione, et inquirimus, an circa unum idemque enuntiabile dari possit duplex actus, alter certus, alter pure opinativus. Præterea quæstio restringenda est ad enuntiabilia vel objecta dumtaxat necessaria. Nam circa objectum contingens non datur scientia vel actus certus, circa objecta vero necessaria non solum actus certus et scientificus, sed etiam opinativus versari potest, ut patet ex alibi dictis. Idcirco quærimus, num circa idem enuntiabile necessarium haberi possit actus scientiæ et opinionis. Nec solum inquirimus hoc, nam satis per se innotescit, diversos intellectus posse etiam circa idem enuntiabile, alterum certitudinem, alterum opinionem habere; sive quia alter nulla novit nisi probabilia motiva assensus, sive quia licet uterque novit motiva in se necessaria, non tamen æque penetrat uterque vim illorum.

Quæstio ergo præsens est de eodem intellectu ac de eodem tempore. Fieri enim potest, ac passim fit, ut circa idem enuntiabile plura occurrant argumenta, alia certa, alia dumtaxat probabilia. Atque adeo in dubium vocatur, num quando id evenit, possint simul inesse in eodem intellectu duo actus, alter certus et scientificus, ex argumentis certis ac necessariis positus, alter vero pure opinativus, quem motiva probabilia gignant. En non parum difficilem controversiam, quam, Aristotelem (1) imitati, communissime proponere solebant veteres Logici. Cui similis est illa alia, quam ex similibus dubitandi rationibus proponunt Theologi in materia de Fide divina, an nempe fides ac scientia de eodem dogmate simul in eodem intellectu cohærere valeant.

Et quæstio solet potissimum cöerceri ad enuntiabilia, quæ discursu egent, ut cognoscantur. Nam circa prima principia et enuntiabilia immediata negant posse stare assensum certum simul cum opinativo plures etiam illorum, qui id affirmant de assensu aliorum enuntiabilium, videlicet propter summam principiorum evidentiam, quæ videtur suo fulgore

(1) Lib. 1.° *Poster.*, cap. 26.

penitus obruere lumen exiguum rationum probabilium, ne ullum eliciant actum opinionis. Quo pacto negant plures eum, qui solem suis oculis videat, illius existentiam ob testimonium asserere alterius, qui forte adsit, et dicat solem lucere; ita enim clare id per se ipse percipit, ut penitus non egeat alio argumento, illudque proinde non attendat. Qua de re videri potest Cardinalis de Lugo (1).

Quotuplici sensu agitari possit præsens controversia.

Quoniam autem sive scientia sive opinio et habitualis et actualis esse potest, quadrupliciter agitari potest præsens controversia: primo utrum habitus scientiæ cum habitu opinionis; secundo utrum actus cum actu; tertio utrum habitus scientiæ cum actu opinionis; et quarto utrum actus scientiæ cum habitu opinionis stare simul in eodem intellectu possit. Nam non desunt auctores, qui quod in una harum quæstionum concedunt, in alia negent. Itemque disputari solet, utrum scientia excludat opinionem non solum ex natura rei, sed etiam spectata omnipotentia Dei.

Prima sententia Thomistarum et Scotistarum.

In primis ergo quod attinet ad actus scientiæ cum opinione simul esse in eodem intellectu, negant comuniter Thomistæ (2), quibus favere omnino videtur Aristoteles (3), et S. Thomas non uno in loco (4). Et idem sentiunt Scotistæ (5), et e nostris PP. Fonseca (6). Ant. Rubius (7), et Cosmus Alamanni (8). E converso affirmant communissime nostri auctores dari posse actum scientiæ et opinionis, saltem si actus opinionis non habeat formalem actualemque formidi-

Altera sententia communissima inter nostros AA.

(1) *De Fide Divina.*, disp. 2, sect. 2, n. 86.

(2) Vide *Capreol.* 3.° dist. 25. q. 1, ad *argum.*, *contr.*, 2.am *conclus.*; Conrad. in 1. 2, q. 67, a. 3; Cajetanus. ibid. et 2. 2, q. 1, art. 5; Soto lib. 1. *Poster.*, in quæst. 8 super cap. 26, et 27; Complutenses, *Dialect.* disp. 20, q. 4; Joan. a S. Thoma, *Logica*, 2.a part. q. 26, a. 5; Cosmam de Lerma, *Logica.* lib. 8. q. 16; aliosque apud Complutenses.

(3) Lib. 1.° *Poster.* cap. 26; Vide ibid. S. Thom. lect. 44.

(4) Vide 1. 2. q. 67, a. 3; 2. 2. q. 1,art. 5, ad 4.um; *de Verit.* q. 14. a. 9. ad. 6.um; 1.° *Poster.*, lect. 44.

(5) Vide Mastrium, *Logic.* disp. 14. q. 2; Pontium, *Logic.* disp. 2. 2, quæst. 3.

(6) Lib. 6. *Metaph.*, c. 1, q. 1. sect. 5.

(7) *Dialect.*, 1.a *Poster.*, tract. 3, *de opinion. et fid. human.*

(8) *Summ. Philosoph.*, prim. part. q. 36, a. 2.

nem. Ita Valentia (1), Suarez (2), Ant. Bernald. Quiros (3), Franciscus Soarez lusitanus (4), Petrus Hurtadus (5), Cardinalis Lugo (6). Bartholomæus Amicus (7), Conimbricenses (8), De Benedictis (9), Semery (10), Lossada (11), Antonius Mayr (12), Arriaga (13), aliique. Et idem censetur sensisse etiam S. Bonaventura (14), licet non comparavit scientiam cum opinione, sed solum Fidem cum visione, cum opinione et cum scientia; itemque Alexander Alensis et alii antiqui (15). Quin ipse etiam Angelicus Doctor doctrinam hanc tenuisse creditur a multis, cum hæc scripsit: *Dispositio se habet ad perfectionem dupliciter, uno modo sicut via ducens ad perfectionem, alio modo sicut effectus a perfectione procedens. Per calorem disponitur materia ad suscipiendam formam ignis qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. Et similiter opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur: qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum quasi consequens scientiam demonstrativam, quæ est per causam; quia ille qui cognoscit causam ex hoc etiam magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus* (16).

Quibus adhuc clariora sunt illa alia: *Opinio et scientia quamvis sint de eodem, non tamen secundum idem medium, sed*

---

(1) Comment. tom. 3. disp. 1, q. 1, punct. 4. paragr. 2, ad 5.um

(2) *De Fide* disp. 3. sect. 9, quamquam ibi solum loquitur de fide et scient.

(3) *Curs. Philosoph.*, tract. 2, disp. 36.

(4) *Logic.*, tract. 8, disp. 2, sect. 4.

(5) *De Anim.*, disp. 10, sect. 5.

(6) *De Fide*, disp. 2, part. 2.

(7) lib. 1.° *Poster.* tract. 23, disp. 2, dub. 5, art. 3.

(8) In 1.um *Poster.*, cap. 26, q. 2.

(9) *Logic.*, lib. 4, quæst. 3, cap. 4.

(10) *Trienn. philos.* tom. 1, disp. 7, cap. 5, art. 3.

(11) *De Anim.*, disp. 8, cap. 6.

(12) Oper. cit., part. 1, disp. 6, q. 2, art. 2.

(13) *De Anima*, disp. 6, sect. 6, n. 109.

(14) 3.° dist. 24 art. 2, q. 1, 2, 3.

(15) Apud Conimbricenses, loc. cit., art. 2.

(16) S. Thom. 3. p. q. 9, a. 3, ad 2.um

secundum diversa; et ideo possunt esse simul (1). Qui locus adeo visus est perspicuus vel ipsis Complutensibus, ut scripserint S. Thomam in posterioribus operibus sententiam suam mutasse (2). Et quamvis quidam hæc testimonia ad solos habitus referant, non vero ad actus, generalia tamen esse videntur, ac posse sub se comprehendere et habitus et actus.

Circa habitus vero, censent habitum scientiæ atque opinionis simul in eodem intellectu deque eodem enuntiabili posse inesse non solum auctores, qui idem asserunt de actibus, verum etiam non pauci ex aliis, ut Rubius, Fonseca (3), Mastrius (4), Pontius (5), et alii, eamdemque doctrinam admittit relate ad divinam omnipotentiam Cosmas de Lerma e S. Prædicatorum Ordine (6).

Denique nonnulli eorum, qui negant sive actum scientiæ cum actu opinionis, sive etiam habitum scientiæ cum habitu opinionis stare posse; comparatione facta habituum cum actibus, censent cum habitu scientiæ bene cohærere posse actum opinionis, non vero habitum opinionis cum actu scientiæ. Ita inter alios Salvator Roselli (7), et Joannes a S. Thoma (8).

Tanta opinionum diversitas difficultatem rei manifeste demonstrat: in qua quid nobis verosimilius esse videatur, sequens propositio declarat.

Auctoris sententia

268. PROPOSITIO. **Si sermo sit de opinione, formalem et actualem formidinem non includente, videtur actus opinionis simul cum actu scientiæ stare posse circa idem objectum in eodem intellectu ex diversis motivis.**

Licet plerumque opinio habeat *formalem* vel *actualem* formidinem, diximus tamen suo loco, eam essentialem non

(1) 3.° Dist. 31, q. 2, a. 1, solut. 1, ad 4.um

(2) Complutenses, *Dialect.*, disp. 20, q. 4, n. 43, ad 3.um locum.

(3) Locis citatis.

(4) *Log.*, disp. 14, q. 2, n. 22.

(5) *Logic*, disp. 22, q. 3, concl. 7, n. 51.

(6) *Logic.*, lib. 8, q. 16.

(7) *Summ. Philosoph.*, tom. 1, quæst. 30, art. 2.

(8) *Logic*,. 2.ª pars, quæst. 25, a. 5, paragr. *Circa tertiam comparationem.*

esse opinioni, sed solam *virtualem*, seu *radicalem*, vel *aptitudinalem*, aut *permissivam*. Hac autem doctrina supposita, propositio probari potest negative hoc modo.

probatur

1.° Eatenus repugnaret actus opinionis et scientiæ circa idem objectum in eodem intellectu, quatenus tunc simul darentur in eodem subjecto actus inter se repugnantes, alter nempe certus, alter incertus; alter evidens, inevidens alter: unde consequenter intellectus simul esset convictus et non convictus: quæ omnia pugnant inter se, et contradictorie vel privative opponuntur. Atqui nihil horum impedit, quominus actus scientiæ et opinionis simul in eodem intellectu reperiantur circa idem objectum vel enuntiabile, ex diversis nempe motivis. Ergo...

Major continet præcipuam adversariorum rationem, ut videre est apud Complutenses (1), aliosque passim.

Minor probatur per partes.

α) Et in primis non obstat, quod actus certus et incertus simul essent in intellectu, actus nempe scientiæ et opinionis. Et re quidem vera incertus actus bifariam sumi potest; *formaliter*, prout opponitur certitudini formali seu infallibilitati propriæ actus certi, et *subjective*, seu prout opponitur certitudini adhæsivæ vel exclusioni formidinis et titubationis ex parte intellectus. Actus incertus in primo sensu idem valet atque actus fallibilis; in secundo sensu idem ac formidolosus. Atqui quod ad primum sensum attinet, nulla est repugnantia in eo, quod intellectus simul habeat duos actus, alterum infallibilem, fallibilem alterum, sive circa diversum objectum sive etiam circa idem. Circa diversum quidem objectum, quia id passim locum habet, cum ex una præmissa certa et altera probabili elicit intellectus conclusionem. Supposita namque doctrina superius tradita, quod præmissæ physice concurrant in conclusionem, utraque præmissa simul sit in mente necesse est ad conclusionem gignendam. Ergo planum est circa diversa objecta posse simul inesse menti actum infallibilem et fallibilem.

At nihil vetat, quominus possint esse etiam circa idem, dummodo ratio infallibilitatis in uno et fallibilitatis in altero

(1) Loc. cit.

procedat ex diverso motivo formali, nempe quia in uno motivum est necessarium, in altero vero aut non est necessarium, aut si necessarium est, non tamen evidenter proponitur intellectui. Nam in eo casu licet fallibilitas et infallibilitas actuum cadat circa idem enuntiabile, non tamen cadit *secundum idem*. Ergo nulla est repugnantia in eo, quod etiam circa idem enuntiabile simul eliciat intellectus duos actus, unum infallibilem, alterum fallibilem, quia revera unus eorum non negat aut destruit, quod alter enuntiat.

Jam si vox *incertum* in altero sensu accipiatur, nempe pro formidoloso, falsum est, quod in nostra sententia, prout enuntiatur in propositione, sequatur intellectum fore simul formidolosum et non formidolosum. Agimus enim de cöexistentia scientiæ cum actu opinionis non habentis *actualem formalemve formidinem*. Actus vero hujusmodi opinionis profecto non continet judicium affirmans, quod enuntiabile assertum ex motivo probabili, possit aliter se habere, sed præscindit a tali judicio; istud enim judicium solummodo reperitur in actu opinionis formalem formidinem habentis. Ergo illud, quod adversarii objiciunt contra nostram doctrinam primo loco non subsistit (1).

β) Secundum etiam non tenet ob easdem rationes. Nempe in nostra sententia darentur simul duo actus, alter firmus et plene determinatus, nempe scientia, et alter non quidem actu formidolosus ex parte subjecti, sed solum in seipso infirmus seu fallibilis ob infirmitatem motivi diversi a motivo scientiæ: in quo nullam inesse repugnantiam ostendimus.

γ) Et idem dicendum est de tertio. Daretur nempe simul duplex actus evidens alter, alter inevidens, ratione motivi diversi. Nam rem eamdem clare et obscure cognoscere, dummodo id fiat per actus diversos et ex diversis motivis «non magis videtur repugnare ex vi terminorum, quam quod intellectus apprehensioni superaddens judicium, cognoscat rem eamdem suspensive simul et assertive; vel quod rem videns in

(1) Appossite Semery «aliud est quod opinio non certificet, aliud quod faciat fluctuantem seu formidantem intellectum circa objectum cui assentitur. Unde dicitur opinio non facere intellectum certum, non autem positive facere incertum etc. (*Trienn. Philosoph.*, *t.* 1, disp. 7, q. 5.)

seipsa et in alio (ut Beatus, qui seipsum videt tum in se, tum in Verbo) cognoscat illam immediate simul et mediate; vel etiam quod anima Christi D. objecta plurima, quæ intuitive cognoscebat per scientiam infusam, et per visionem beatam, simul per scientiam acquisitam abstractive cognoverit» (1).

Nota tamen de intellectu actibus simul scientiæ et opinionis instructo non verificari absolute et sine addito, «quod cognoscit clare, et non cognoscit clare, vel quod certo et non certo, sed tantum quod *absolute* cognoscit certo et clare, simulque non clare nec certo *secundum quid*, nempe secundum vim cujusdam actus aut motivi. Ratio, quia positiva denominatio vera affirmatur absolute, dummodo subjecto conveniat ab una forma, tametsi non ab omnibus, quæ subjecto insunt. Contra vero, ut absolute negetur, opus est ut a nulla forma proveniat, quia negatio est *naturæ malignantis*, ut ajunt. Sic ignis tametsi non sit lucidus per calorem et siccitatem, vere dicitur lucidus absolute, falso autem, absolute non lucidus. Sic etiam falso dixeris absolute, quod intellectus apprehendens simul et judicans aut abstractive simul et intuitive cognoscens, judicat et non judicat, aut intuetur et non intuetur objectum; et sic de aliis» (2).

Probatur 2.° experientia. Nam sæpe occurrunt varia argumenta pro eodem enuntiabili, alia certa, alia probabilia. Sic immortalitatem animi asserere poteris ex divina revelatione contenta in deposito fidei, et ex spiritualitate, et ex testimonio populorum ac sapientium hominum. Certumque est posse, saltem divisive, elici ex hisce tribus motivis tres specie diversos assensus, alterum fidei, alterum scientificum seu certum, tertium probabilem et opinativum. Atqui gratis asseritur non posse eosdem simul etiam elici, cum nullam inter se repugnantiam habeant. Ergo...

Similibus argumentis ostendunt Theologi, posse simul haberi in mente actum Fidei divinæ atque scientiæ naturalis, ut v. gr. circa Dei existentiam aliasque plures veritates, tum lumine naturali cognitas, tum Fide divina revelatas. Verum hæc ad Theologos spectant.

---

(1) Lossada, *De Anima*, disp. 8, cap. 6, n. 130.

(2) Lossada, loc. cit.

Difficultates a patronis alterius sententiæ objici solitæ, jam præoccupatæ sunt in probationibus. Vide, si vis, De Benedictis, Mayr aliosque.

Quæri hic posset ulterius, an repugnet, absolute et spectata potentia Dei, unus idemque actus, qui simul sit Fidei divinæ, opinionis et scientiæ ob tria motiva ex se ad assensum sufficientia, puta ob testimonium Dei, ob rationem aliquam probabilem, et ob aliam evidentem. Negat Suarez (1), affirmat cum aliis P. Lossada (2), quos vide si lubet.

CAPUT II.

DE SCIENTIÆ EXISTENTIA IN NOBIS.

Duo errorum genera confutanda.

Duo errorum genera profliganda sunt in hoc capite, alterum negans ullam scientiam dari in homine posse, alterum statuens omnium rerum assequi nos posse cognitionem. Primus est error Scepticorum, alter Dogmaticorum et Rationalistarum aliorumque, qui nihil esse humanæ rationi impervium effutiunt. Inter hos errores media incedit veritas, quam oportet breviter stabilire. *Videtur quibusdam*, scribit Aquinas *quod nullius rei sit scientia; quibusdam autem videtur quod omnium possit haberi scientia per demonstrationem. Neutrum autem istorum est verum* (3).

ARTICULUS I.

Utrum possibilis sit ac porro detur apud nos scientia.

269. Quamquam ex iis quæ contra Scepticos definivimus alibi, facile pateat existentia vel certe possibilitas scientiæ illius, quam hactenus descripsimus, apud nos, haud tamen fuerit vanum id in hoc loco fusius pertractare.

(1) *De Fide*, disp. 3, sect. 9.

(2) Loc. cit., n. 136 seqq.

(3) Lib. 1.° *Poster.*, sect. 7. Vide etiam Lactant., *Divin. Instit.*, lib. 3, cap. 6.

PROPOSITIO 1.a **Potest homo naturali virtute ingenii plurium rerum, etiam supra sensibilium, scientiam comparare.**

Stabilitur vera doctrina; quinam eidem adversentur.

Propositio est contra Scepticos potissimum, et etiam contra Traditionalistas, qui plus æquo vires intellectus humani deprimentes, censent, præcisa revelatione et primeva traditione, non posse hominem suo marte ullius veritatis, aciem sensuum superantis, notitiam certam atque exploratam assequi. Item adversarios habet Positivistas, qui Metaphysicam omnemque primarum causarum atque Absoluti cognitionem supra humanum captum esse positam autumant. Verum de Traditionalistis et Positivistis alibi.

Prob. 1.° ex facto, quia, ut mox in altera propositione videndum est, dantur inter homines variæ scientiæ. A facto autem ad posse valet consequentia. Possibilis ergo dicenda est homini plurium rerum scientia.

Prob. 2.° Adest in homine appetitus naturalis tum innatus tum elicitus scientiæ. Atqui repugnat appetitum naturalem dari ad impossibile. Ergo...

Quid sit appetitus naturalis innatus,

Ut vero ratio hæc intelligatur, appetitus innati nomine, quemadmodum alibi declarandum est, nihil aliud significatur quam naturalis propensio, quam unaquæque res habet in aliquod bonum: quæ inclinatio in potentiis passivis nihil aliud est, quam naturalis capacitas et proportio cum sua perfectione, in activis vero est ipsa naturalis facultas agendi. Hujusmodi appetitus nihil addit supra ipsam rei naturam vel proximam facultatem, ratione cujus convenit rei talis appetitus, nec in eo distinguitur actus primus et secundus, quia hoc modo appetere non est aliquid agere, sed solum habere ingenitam propensionem ad aliquid. Appetitus vero elicitus est facultas tendendi in bonum per actum distinctum, præsuposita cognitione illius, ejusque actus appellatur appetitus elicitus. Appetitus, qui dicitur innatus, semper est naturalis; alter vero non semper, sed tunc solum, cum consentaneus est naturæ appetentis ac proinde etiam necessarius saltem quoad specificationem (1). Hisce prænotatis

quid elicitus.

(1) Vide Suarez, disp. *Metaph.* 1, sect. 6, n. 3, seqq. Egregie declarat hæc P. Fonseca, *Metaphys.*, lib. 1, cap. 1, quæst. 1, art. 3.

Minor adducti syllogismi manifesta est: quia appetitus naturalis rei impossibilis naturalem inordinationem importat.

Major vero probatur ab Aquinate (1) tribus rationibus, quarum hæc summa est, quia nempe homo naturaliter appetit: α) suam perfectionem: β) operationem: γ) et felicitatem.

Proponit igitur primo (Aristoteles) *quod omnibus hominibus naturaliter desiderium inest ad sciendum. Cujus ratio potest esse triplex: α) primo quidem, quia unaquæqne res naturaliter appetit perfectionem sui: unde et materia dicitur appetere formam, sicut imperfectum appetit suam perfectionem. Cum igitur intellectus, a quo homo est id, quod est, in se consideratus, sit in potentia ad omnia, nec in actum eorum reducatur nisi per scientiam, quia nihil est eorum, quæ sunt, ante intelligere, ut dicitur in 3.° de Anima; sic naturaliter unusquisque desiderat scientiam, sicut materia formam. β) Secundo quia quælibet res naturalem inclinationem habet ad suam propriam operationem, sicut calidum ad calefaciendum, et grave ut deorsum moveatur. Propria autem operatio hominis, in quantum homo, est intelligere. Per hoc enim ab aliis differt. Unde naturaliter desiderium hominis inclinatur ad intelligendum, et per consequens ad sciendum. γ) Tertio quia unicuique rei desiderabile est, ut suo principio conjungatur, in hoc enim uniuscujusque perfectio consistit... Substantiis autem separatis, quæ sunt principia intellectus humani, et ad quæ intellectus humanus se habet, ut imperfectum ad perfectum, non conjungitur homo, nisi per intellectum: unde et in hoc ultimo hominis felicitas consistit. Et ideo naturaliter homo desiderat scientiam* (2).

Denique probatur eadem Major a signo: quo argumento utitur Aristoteles. Nam omnes homines naturaliter amant sensus et appetunt sentire, nec solum propter aliquam utilitatem vel usum vitæ, sed propter ipsum sentire, etiamsi nulla inde alia utilitas secutura sit. Sic v. g. cupiunt videre res pulchras et audire facta ab aliis narrata vel suaves concentus, etiamsi talis visio vel auditio non referatur ad ulteriorem aliquem finem, præter ipsam voluptatem videndi vel audiendi, atque adeo res cognoscendi.

---

(1) Lib. 1.° *Metaphysicor.*, lect. 1, initio.

(2) S. Thom., lib. 1.° *Metaphys.*, lect. 1, ab initio.

Adde quod ex sensibus illum præ aliis diligimus, qui est maxime omnium cognoscitivus, nempe visum, unde etiam ad exaggerandam amoris magnitudinem, quo aliquem prosequimur, dicere solemus illum nos diligere sicut pupillam oculorum. Hoc autem signum est, quod scire maxime appetamus. Visum porro esse inter omnes sensus maxime cognoscitivum, ex eo patet, quia per illum cognoscimus plures rerum differentias (1), quemadmodum fusius declarat S. Thomas (2).

Et hæc quidem probant, hominem non tantum appetitu innato, sed etiam elicito naturaliter appetere scientiam.

Adhuc tamen speciatim declarari potest appetitu elicito naturaliter appeti scientiam, «non quod homo aut ex necessitate semper exerceat amorem vel desiderium scientiæ, quoties de illa cogitat, neque quod spernere non possit, eamque inquirere nolle: utrumque enim contra experientiam est;» quare appetitus elicitus naturalis scientiæ non est intelligendus tamquam *omnino* necessarius sive quoad exercitium, sive quoad specificationem; sed quatenus appetitus elicitus scientiæ est valde consentaneus humanæ naturæ, et quatenus est quoque *aliquo modo* necessarius quoad *specificationem*. «Tum quia licet homo possit negligere scientiam, vel nolle illam quoad appetitum efficacem quærendi illam; id tamen solum accidere potest propter extrinsecas causas seu impedimenta, quæ ex accidenti adjunguntur scientiæ, nimirum propter laborem et difficultatem, quam habet scientiæ studium, aut quia impedit aliarum rerum inquisitionem, quibus homo vel indiget, vel affectus est, vel ob alias similes causas. Unde rudiores ingenio minus videntur scientiam appetere ob difficultatem, quam etiam impossibilitatem vocavit Aristoteles (6 *Politicorum* cap. ultimo). At vero per sese scientia non potest displicere; atque ita seclusis impedimentis, necessitate quadam amatur, saltem quoad specificationem. Atque hoc quidem maxime verum habet in scientia in communi, quatenus scientia est; tamen etiam est suo modo verum de

(1) Vide Aristot. 1.° *Metaphys.*, cap. 1; S. Thom. ib. loc. cit.; Suarez. disp. *Metaph.* 1. sect. 6, n. 10 seqq.; Mauri in *Paraphrasi* ibid.
(2) Loc. cit.

qualibet scientia in particulari, si in ea veritatis cognitio in tali materia per se spectetur; semper enim est illa perfectio per se expetibilis homini» (1).

«Quod si contingat hominem unam scientiam non amare, ut alteri intendat; hoc etiam reducitur ad extrinseca impedimenta, de quibus diximus, nam quia homo non potest utramque scientiam acquirere, et unius studio ab alterius perfecta inquisitione impediretur; ideo illam omittit, ut hanc obtineat. Atque hoc modo quidam homines ex individuali et propria complexione ad unam scientiam magis afficiuntur quam ad aliam; per se tamen ac seclusis impedimentis, vel (quod idem est) si una alteram non impediret, omnes scientias naturaliter appeteremus, nec ratione unius alteram despiceremus (2).

Hinc patet, quid sit hic appetitus scientiæ in homine. «Si enim sit sermo de appetitu elicito, constat esse actum voluntatis vel efficacem, vel saltem inefficacem et per simplicem complacentiam, quæ maxime naturalis est, et manet etiam in his, qui efficaciter non intendunt seu diligunt scientiæ vacare. Si vero sit sermo de pondere naturali, illud potest considerari ut immediate terminatum ad ipsam scientiam; et sic non est aliud quam intellectus ipse et capacitas ejus, quæ scientiam respicit ut propriam perfectionem» (3).

Ex iis facile solvuntur argumenta, quæ in contrarium objiciuntur, viderique possunt apud S. Thomam (4), Fonseca (5), Alamannium (6), aliosque (7).

270. PROPOSITIO 2.ª **Datur apud homines non paucarum rerum scientia.**

---

(1) Vide S. Thom., lib. 1.° *Metaph.*, lect. 1, paulo post initium. *Nec obstat, si aliqui homines.*

(2) Suarez., disp. *Metaph.* 1, sect. 6, n. 13. Cfr. Fonseca, lib. 1 *Metaph.*, c. 1, q. 1, sect. 6; Alamanni, *Summ. Philosoph.*, prim. part. q. 37, art. 2 et 3.

(3) Suarez, loc. cit. n. 14, ubi plura.

(4) Lib. 1.° *Poster.*, lect. 7.

(5) Loc. cit., sect. 1.° et 7.°

(6) Op. cit. q. 37. art. 2 et 3.

(7) Cfr. quæ ab Scepticis objiciuntur contra existentiam certitudinis.

Existentia scientiæ omnibus in comperto est.

Patet propositio experientia. Nam passim instituuntur demonstrationes certæ, constantes propositionibus evidentibus, quas nemo sanus in dubium revocare valet: harum demonstrationum pleni sunt libri Mathematicorum.

Itemque negari nequit scientias philosophicas, Metaphysicam, Philosophiam naturalem et Moralem, Mathesim, aliasque veri nominis scientias esse. Nam licet non pauca contineant incerta atque opinionibus variis hominum et controversiis obnoxia; alia tamen plura tractant, quæ evidentibus certissimisque demonstrationibus probantur. Nec in re manifesta diutius inhærere necesse est.

Quotuplici modo comparari scientia possit.

271. **Unum modo restat adnotare,** scientiam duplici via comparari posse, *inventione* ac *disciplina*.

Id in primis constat facto ipso. Quemadmodum enim historiæ scientiarum testantur, innumeræ sunt demonstrationes conclusionesque, quas summa ingenia, nemine docente, proprio marte invenerunt, ut patet potissimum in scientiis physicis et mathematicis; et ex hujusmodi tandem inventis in unum conglobatis, conflatæ sunt scientiæ totales. Certum ergo est scientiam comparari posse propria inventione. Quod vero disciplina doceri possit scientia, demonstratione non eget, cum per se constet ex collegiis passim erectis librisque conscriptis ad tradendas discipulis scientias.

Ratio vero hujus rei in promptu est; nam scientia generatur in mente ex applicatione primorum principiorum ad subjecta vel entia, quorum vel memoria retinetur vel actu experimentum sumitur. Atqui hoc fieri potest vel sub ductu magistri, vel etiam proprio marte, licet longe difficilius fiat hoc secundo modo. Ergo...

Apposite S. Thomas: *Sicut... aliquis dupliciter sanatur, uno modo per operationem naturæ tantum, alio modo a natura cum adminiculo medicinæ, ita etiam est duplex modus acquirendi scientiam, unus quando naturalis ratio per seipsam devenit in cognitionem ignotorum, et hic modus dicitur* **inventio**; *aliud quando rationi naturali aliquis exterius adminiculatur, et hic modus dicitur* **disciplina**. *In iis autem, quæ fiunt a natura et arte, eodem modo operatur ars et per eadem media, quibus et natura. Sicut enim natura in eo, qui ex frigida causa laborat, calefaciendo induceret sanitatem, ita et medicus: unde et ars*

dicitur imitari naturam. Similiter etiam contingit in scientiæ acquisitione, quod eodem modo docens alium ad scientiam ignotorum deducit seipsum in cognitionem ignoti. Processus autem rationis pervenientis ad cognitionem ignoti in inveniendo est, ut principia communia per se nota applicet ad determinatas materias, et inde procedat in aliquas particulares conclusiones, et ex his in alias: unde et secundum hoc unus alium docere dicitur, quod istum discursum rationis, quem in se facit ratione naturali, alteri exponit per signa. Et sic ratio naturalis discipuli per hujusmodi sibi proposita, sicut per quædam instrumenta pervenit in cognitionem ignotorum (1).

Objectio.

Nec dicas, scientiam inventione comparari non posse, propterea quod secus mens nostra veritatem gigneret, veritas autem gigni nequit, cum sit æterna.

Utrum mens gignat veritatem.

Respondeo enim facile mentem, cum scientiam invenit, gignere veritatem dumtaxat subjectivam, non autem objectivam, nempe *assequitur cognitiones objectis conformes*. In quo nulla est repugnantia, ut patet; immo idipsum quoque fit, cum scientia per magistri doctrinam comparatur. Nec vero veritas subjectiva, quam nos discendo assequimur, æterna est; veritas vero objectiva necessariarum enuntiationum dici solet æterna, primo *positive* quia a Deo necessario cognoscitur ab æterno, et deinde *negative*, quia præscindit ab omni tempore, nec limitatur ad certam aliquam durationem. Sola denique veritas ontologica divinæ essentiæ divinorumque attributorum est æterna.

Quo sensu veritas æterna.

ARTICULUS II.

Utrum ratio humana rerum omnium notitiam assequi possit (2).

272. Sed jam alter error longe perniciosior aggrediendus est eorum, qui nihil putant esse humanæ mentis captum transcendens; in quo errore versantur non solum Rationalistæ, verum etiam Pantheistæ ideales, qui realitatem omnem

Rationalistæ ac Pantheistæ transcendentales.

(1) S. Thom., *de Verit.*, q. 11, art. 1.

(2) Cfr. de hac materia Tongiorgi, *Inst. Philosoph.*, vol. 1. *Logica*, a n. 728.

in mera evolutione ideæ vel cogitationis reponunt, ut nihil velint esse in rerum natura, nisi quod successive cogitatur ab unico Ente; immo et ipsi Materialistæ ac Positivistæ, qui quidquid sensuum nostrorum experientiam effugit, inter fictiones et chimæras mentis, quibus nihil objectivum respondeat, amandant. Contra hujusmodi ergo, non dicam Philosophos, sed insolentissime sibi præfidentes homines, ostendendi sunt in primis limites rationis humanæ, tum inquirendum, an et quomodo rerum captum nostrum supergredientium notitiam assequi possimus.

Materialistæ ac Positivistæ.

Prius autem nota, quid sit veritatem superare captum hominis. Ea veritas superat captum hominis, quam mens suis viribus naturalibus assequi nequit, vel quia terminos ipsos, aut saltem prædicatum, penitus ignorat, vel quia saltem scire non potest convenientiam aut discrepantiam subjecti et prædicati. Et bifariam fieri potest, ut veritas intelligentiam rationis humanæ excedat: *absolute* et *simpliciter*, et *secundum quid; per se* et *per accidens*. Absolute et simpliciter, quando *nullo modo* possumus naturali lumine rem assequi: hoc modo *mysterium Smæ. Trinitatis* vel *Incarnationis Domini N. Jesu Christi* aciem humanæ mentis effugit. Secundum quid, quando licet rem *aliquo modo* cognoscere possumus, non tamen certo ac perfecte: sic superant intellectum nostrum veritates naturalis ordinis bene multæ, de quibus disputat Philosophia. Item *per se* dicitur superare captum veritas, quando impotentia cognoscendi oritur ex nativa mentis imbecillitate atque improportione cum objecto cognoscendo, quemadmodum accidit in iis, quæ absolute ac simpliciter sunt supra rationem. *Per accidens* vero dicitur veritas excedere nostram intelligentiam, quando impotentia cognoscendi enascitur, non ex nativa intellectus imperfectione, sed ex externo aliquo impedimento virium naturalium, quæ adsunt, exercitium præpediente. Hoc pacto plurimæ veritates naturalis ordinis, licet intellectui per se proportionatæ, non tamen satis cognoscuntur ab animo nostro, vel propter statum conjunctionis cum corpore, vel propter alias difficultates; et sic id, quod est objectum proportionatum pro intellectu in statu separationis, nempe essentia animæ rationalis, non est satis proportionatum pro statu

Quænam dicatur veritas captum superans, et quotuplici modo possit superare.

conjunctionis. Aliæ vero veritates cognosci nequeunt a multis individuis propter impedimenta peculiaria.

Mysteria.

Porro veritates absolute ac simpliciter et per se intellectui humano imperviæ vocantur *mysteria*. Quæritur ergo primo

§. I.—NUM SINT VERITATES, QUÆ ABSOLUTE VEL SIMPLICITER ET PER SE CAPTUM HOMINIS EXCEDANT.

273. PROPOSITIO 1.a **Dantur veritates, quæ absolute et simpliciter ac per se rationem humanam transcendunt.**

Demonstratur existentia veritatum captum humanum excedentium.

Est propositio certa ex epistolis, *Gravissimas* et *Tuas libenter* a Pio IX Pontifice Max. ad Archiepiscopum Frisingensem datis 11 Dec. 1862 et 21 Dec. 1863; unde extracta fuit doctrina his verbis in *Syllabo* n. IX contenta et proscripta: *Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu Philosophiæ; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus, etiam reconditioribus, dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.*

Huic affinis est alia propositio in num. IV ejusdem Syllabi damnata, quæ sic sonat: *Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat* (1).

Idem constat ex Concilio Vaticano in Constitutione dogmatica de Fide cap. 4 *de Fide* et *ratione:* canon vero primus huic capiti respondens in hæc verba conceptus est: *Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri; sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi, et demonstrari, anathema sit.*

Probatur autem propositio 1.° experientia. Ut enim de aliis nunc taceam, secreta cordis alterius nemo valet penetrare, nemo etiam futura contingentia certo cognoscere, nisi

(1) Proscripta porro hæc doctrina fuerat in Epist. *Encycl.* Pii IX, *Qui pluribus*, 9 Decemb. 1846, et *Encycl. Singulari quidem*, 17 Martii 1856, et Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

solus Deus, quemadmodum alibi ostenditur. Angeli enim sive boni sive mali, si suis naturalibus viribus relinquantur, poterunt quidem conjectura aliqua plus minus probabili futura hujusmodi assequi, certo autem prævidere nequeunt. Hinc futurorum liberorum præscientia apud omnes ut signum divinitatis habetur.

Prob. 2.° Existit Deus, natura infinita, quam noster intellectus non alio modo cognoscere potest, in hac vita, quam assurgendo ex creatis effectibus, quemadmodum et docet experientia, et ratio probat in naturali Theologia (1). Atqui ex effectibus hisce creatis impossibile est infinitam naturam Dei, quanta et qualis in semetipsa est, cognoscere. Nam effectus creati omnes, sive seorsim sive collective sumpti, in immensum distant ab infinita natura. Ex perfectionibus autem effectus quantumvis comprehensive perceptis, nisi adæquent virtutem ac perfectionem causæ, nequit mens assurgere ad plene cognoscendam perfectionem causæ. Ergo fatendum est dari ordinem veritatum ad naturam divinam spectantium, quæ absolute, simpliciter ac per se captum humanæ mentis supergrediuntur. (2).

Prob. 3.° Idipsum probat S. Thomas ex variis intelligibilium gradibus. *Duorum enim, quorum unus alio rem aliquam intellectu subtilius intuetur, ille cujus intellectus est elevatior, multa intelligit, quæ alius omnino capere non potest. Intellectus autem angeli plus excedit intellectum humanum, quam intellectus optimi Philosophi intellectum rudissimi idiotæ, quia hæc distantia inter speciei humanæ limites continetur, quos angelicus intellectus excedit. Cognoscit quidem angelus Deum ex nobiliori effectu, quam homo, quantum ipsa substantia angeli, per quam in Dei cognitionem ascendit. Multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum, quam angelicus humanum. Ipse enim intellectus divinus sua capacitate substantiam suam adæquat, et ideo perfecte de se intelligit, quid est, et omnia cognoscit, quæ de seipso intelligibilia sunt. Non autem naturali cognitione*

(1) Vide S. Thom. 1, p. q. 12, a. 4 et 12; 1.° dist. 3, q. 1, a. 1; 4.° dist. 49, q. 2, a. 6; *de Verit.*, q. 8, a 3; 3.° *Contr. Gent.*, c. 49.

(2) Vide S. Thom., locis nuper citatis: et adde lib. 1.° *Contr. Gent.*, cap. 3; lib. 3. *Contr. Gent.*, c. 50, 52; et lib. 4, cap. 1; Opusc. *de Trinit. super Böet.*, q. 1, a. 2. Cfr. 1. part.. q. 32, a. 1.

angelus de Deo cognoscit, quid est, quia et ipsa substantia angeli per quam in Dei cognitionem ducitur, est effectus causæ virtutem non adæquans. Unde non omnia, quæ in seipso Deus intelligit, angelus naturali cognitione capere potest; nec ad omnia, quæ angelus naturali sua virtute intelligit, humana ratio sufficit capienda. Sicut igitur maximæ amentiæ esset idiota, qui ea, quæ a Philosopho proponuntur falsa assereret, propter hoc quod ea capere non potest; ita et multo amplius nimiæ stultitiæ esset homo, si ea, quæ divinitus angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicaretur, ex hoc quod ratione investigari non possunt (1).

Prob. 4.° ex eodem Angelico. Etenim *idem manifestatur ex defectu, quem in rebus cognoscendis quotidie experimur. Rerum enim sensibilium plurimas proprietates ignoramus; earumque proprietatum, quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus. Multo igitur amplius illius excellentissimæ substantiæ transcendentis omnia intelligibilia ratio investigare non sufficit. Hinc etiam consonat dictum Philosophi, qui asserit, quod* **intellectus noster sic se habet ad prima entium, quæ sunt manifestissima in natura, sicut oculus vespertilionis ad solem.** (*Metaph.*, lib. 2, text. Comm. 1) (2).

274. **Dices 1.°** Objectum intellectus humani dicitur esse *ens qua tale* aut etiam verum. Atqui nulla notio esse potest, quæ non contineatur sub ente *qua tali*, quæque non sit aliquod verum. Ergo...

Resp. *disting.* primum membrum Majoris. Ens *qua tale* dicitur objectum intellectus humani proportionatum *neg.*, adæquatum, et quod utcumque attingi possit, sive clare sive confuse, sive proprio conceptu sive secus, *conc.*

Et *contradist.* Min. Nulla notio esse potest, quæ non contineatur sub ente *qua tali*, quatenus cognita vel intellecta sub ratione entis *qua talis* intelligatur omnis quæcumque veritas, *neg.* Quatenus de qualibet ratione prædicari potest notio entis, *conc.*

---

(1) S. Thom. 1.° *Contr. Gent.*, c. 3, *Adhuc, ex intelligibilium gradibus.*

(2) S. Thom. ibid., *Adhuc, idem apparet.*

Disting. etiam alterum membrum Majoris; verum dicitur objectum intellectus in hoc sensu, quod intellectus cognoscere possit omne verum, *neg.*, in hoc sensu, quod ratio veri sit formale objectum sub quo intellectus omnia apprehendit, *conc.*

Concedo alterum membrum Minoris, nempe quod nulla sit ratio, quæ non sit aliquod verum. Et *neg. conseq.*

Dices 2.° Quidquid est bonum, potest appeti a voluntate. Ergo quidquid est verum potest pariter esse objectum intellectus.

Resp. *dist.* ant., si sufficienter proponatur per cognitionem præviam, *conc.*, secus *neg.*

Et similiter *distingui* potest *conseq.* Si objectum rite proponatur intellectui cognoscendum, *trans.*, aliter *neg.* Sunt autem plura, quæ intellectui proportionata non sunt, ac proinde naturaliter nequeunt ipsi sufficienter proponi.

§ II.—QUOMODO POSSINT A NOBIS COGNOSCI VERITATES SUPRA RATIONEM POSITÆ.

275. PROPOSITIO 2.ª **Veritates captum rationis excedentes nequeunt a nobis cognosci nisi ope divinæ revelationis; quæ ubi contigerit, integrum homini non est amplecti vel respuere veritates ita manifestatas, sed credere debet illas firmissima fide.**

Prima pars diserte docetur a Concilio Vaticano hisce verbis. *Præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ,* **nisi revelata divinitus, innotescre non possunt** (1).

Mysteria revelatione cognosci possunt.

Ut vero probetur propositio ratione, duo ostendenda sunt: *primum, mysteria, Deo revelante cognosci posse; alterum, mysteria nullo alio modo innotescere nobis posse.*

Primum horum patet. Quia neque est ulla repugnantia ex parte Dei; siquidem Deus et novit omnia, et habet in sua sapientia plures modos, quibus illustrare mentem humanam possit. Sane si homo homini loquela aliisque signis manifestat intima sua sensa? Quisnam tam vecors fuerit, qui Deo denegatam velit facultatem hominibus revelandi sua secreta?

---

(1) Concil. Vatic., *Const. dogmatica de Fide*, cap. 4. *De fide et ratione.*

Quibus modis uti possit Deus ad revelandas hujusmodi veritates.

Cæterum si modum scire quæris, quo Deus revelare homini possit mysteria, ex doctrina S. Thomæ (1) revelationes divinæ continere possunt et immissionem novarum specierum vel ordinationem olim acquisitarum et augmentum luminis intellectualis ad certo judicandum de iis, quæ mediis hisce speciebus menti repræsentantur. Nam *repræsentantur divinitus menti Prophetæ quandoque quidem mediante sensu exterius formæ sensibiles, sicut Daniel vidit scripturam parietis* (2), *quandoque autem per formas imaginarias, sive omnino divinitus impressas, non per sensum acceptas* (puta si alicui cæco nato imprimerentur in imaginatione colorum similitudines, *i. e. species*), *vel etiam divinitus ordinatas ex his, quæ a sensibus sunt acceptæ, sicut Hieremias* **vidit ollam succensam a facie Aquilonis** (3); *sive etiam imprimendo species intelligibiles ipsi menti, sicut patet de his, qui accipiunt scientiam vel sapientiam infusam, sicut Salomon et Apostoli* (4).

Lumen autem intelligibile quandoque quidem imprimitur menti humanæ ad dijudicandum ea, quæ ab aliis visa sunt; sicut dictum est (hic supra) *de Joseph* (qui exposuit somnium Pharaonis), *et sicut patet de Apostolis, quibus* **Dominus aperuit sensum, ut intelligerent scripturas** (5): *et ad hoc pertinet interpretatio sermonum; sive etiam ad dijudicandum secundum divinam veritatem ea, quæ cursu naturali homo apprehendit; sive etiam ad dijudicandum veraciter et efficaciter ea, quæ agenda sunt* (6).

Quibus similia docet alibi S. Doctor: *Revelatio fit quodam interiori et intelligibili lumine mentem elevante ad percipienda ea, ad quæ per lumen naturale intellectus pertingere non potest. Sicut enim per lumen naturale intellectus redditur certus de his, quæ lumine illo cognoscit, ut de primis principiis, ita de his, quæ supernaturali lumine apprehendit, certitudinem habet... Cum prædicto autem lumine mentem interius illustrante adsunt*

(1) 2. 2. q. 173, a. 2 et 3; 3.° *Cont. Gent.*, c. 154, initio; *de Verit.*, q. 12, a. 7.

(2) Vide *Daniel*, cap. 5. v. 25.

(3) *Hierem.*, cap. 1. v. 13.

(4) Luc. 24, v. 45.

(5) Luc. 24, v. 45.

(6) 2. 2. q. 173, a. 2.

aliquando in divina revelatione aliqua exteriora vel interiora cognitionis auxilia, utpote aliquis sermo exterius sensibiliter auditus, qui divina virtute formetur, aut per imaginationem interius, Deo faciente, perceptus, sive etiam aliqua corporaliter visa exterius a Deo, vel etiam interius in imaginatione descripta, ex quibus homo per lumen interius menti impressum cognitionem accipit divinorum: unde hujusmodi auxilia sine interiori lumine ad cognitionem divinorum non sufficiunt, lumen autem sufficit sine istis (1).

Paucis: *prophetica revelatio fit secundum quatuor, scilicet secundum influxum intelligibilis luminis, secundum immisionem intelligibilium specierum, secundum impressionem vel ordinationem imaginabilium formarum, et secundum expressionem formarum sensibilium* (2).

Hinc nec repugnare potest ex parte hominis, Deo revelante, mysteria, utcumque captum excedant, cognosci posse. Non quod homo revelatione facta, intelligat, quomodo sint in seipsis mysteria; sed quia intelligit illa admittenda esse, et sic cognoscit id, quod nisi media revelatione nosse non potuisset. V. g. intelligit homo per revelationem *Deum esse trinum in personis et unum in natura*, licet nesciat, *quomodo sit Deus trinus in personis:* novit *Verbum assumpsisse humanitatem in Christo*, licet non intelligat, *quomodo sit Verbum unitum hypostatice cum humanitate*. Id quod passim accidit quoque in naturalibus inter rudes, qui multa amplectuntur ut vera, ex testimonio et auctoritate alicujus sapientis, licet non intelligant, *quomodo* se habeant in seipsis. Immo in sapientibus idem evenit, siquidem non raro cognoscunt certo quædam, ignorantes modum, secundum quem sunt: sic scimus certo animam rationalem esse formam corporis humani, et ignoramus modum, quo illa cum hoc unitur: scimus eamdem animam vivificare materiam, at modum, quo id fiat, assequi non valemus. Neque enim necesse est ad judicandum certo de re aliqua, aut ideas terminorum intuitivas habere, aut intrinsece et ex propriis rei meritis terminorum convenientiam vel discrepantiam percipere; sed sæpe conce-

(1) 3.° *Contr. Gent.*, c. 154, initio.
(2) S. Thom., 2. 2. q. 173, a. 3. Cfr. *de Veritate*, q. 12. a. 7.

ptibus abstractivis, immo et analogicis, contenti esse debemus, et ad assentiendum uti possumus motivo auctoritatis, potissimum si sit illa infallibilis.

Ratio vero est, quia si Deus revelat influendo in ipsum lumen intellectuale, vel immittendo novas species aut ordinando jam habitas, facilius intelligitur, quod possit homo percipere, quæ prius non capiebat, quam quod rudis per doctrinam magistri erudiri possit. Magister enim nec influere potest in lumen intellectuale discipuli, ut illud confortet, augeatve, nec proprie imprimit novas species, sed tantum extrinsece proponit objecta cum apto ordine, ut ille abstrahat species, quibus intelligat; vel etiam juvat exemplis sensibilibus. Deus autem multo plus efficere valet, et infundendo novas species et elevando atque intrinsece immutando perficiendoque lumen intellectus (1).

Mysteria aliter quam per revelationem nequeunt cognosci.

276. **Jam probatur secundum**, *quod nempe mysteria nullo alio modo nisi per revelationem cognosci possint.* Loquimur enim de hac vita, nam in altera vita, Beati videndo Deum multo perfectius intelligunt mysteria, quam nos possimus hic per fidem. In hac autem vita non est alius modus, quia si mysteria superant captum hominis, certum est neminem posse illa intelligere per seipsum, sive per sensus sive ope ratiocinii. Si autem nequit per seipsum intelligere indiget magisterio alterius, a quo edoceatur; nec vero satis est magisterium alterius hominis, quia nemo est inter homines, qui mysteria per seipsum invenire potuerit, siquidem simpliciter et absolute captum humanum transcendunt. Ergo recurrendum est ad magisterium Dei vel immediate a seipso, vel mediis angelis exercitum ope revelationis.

Postquam autem Deus semel uni homini mysterium aliquod revelaverit, potest is aliis quoque hominibus illud proponere. Et ita factum est, ut mysteria a Deo Prophetis et Apostolis revelata, per traditionem ab aliis ad alios homines, ab aliis ad alias nationes generationesque, propagarentur.

Utilitas revelationis divinæ.

Cæterum ob triplex emolumentum docet Angelicus convenientissimam esse homini revelationem veritatum supernaturalium: α) ad veriorem Dei divinorumque cognitionem

(1) Vide S. Thom., 2. 2. q. 173, a. 2, initio.

habendam: β) ad reprimendam præsumptionem, quæ mater erroris est: γ) ad majorem perfectionem hominis. Quæ fuse declarata vide apud eumdem S. Doctorem (1).

277. **Secunda pars propositionis probatur.** Homo tenetur revelationem, si quam Deus fecerit, amplecti firmissima fide.

Homo tenetur revelationem a Deo factam amplecti.

Probatur. Etenim Deus loquitur, ut hominem doceat, ac proinde vult, ut sibi loquenti credatur. Qui ergo nollet revelationem sufficienter propositam amplecti, is profecto Deo summam inferret injuriam. Nam stante voluntate Dei, ut credamus, nemo potest respuere revelationem, nisi vel quia non existimat Deum fide dignum esse, vel quia non vult acquisecere voluntati illius: quorum alterum lædit obedientiam Summo Parenti debitam, alterum veracitatem infinitæ Sapientiæ, quæ nec falli potest nec fallere.

Immo vero revelationi adhærendum est assensu firmissimo et quamlibet naturalem certitudinem superante. Et ratio est, quia, ut alias dictum est; certitudo proportionem servet necesse est cum motivo assensus. Atqui motivum, quo quis revelationem amplectitur, omnium firmissimum est, nempe auctoritas divina, seu infinita Dei sapientia et veracitas, ut fusius docent Theologi, de certitudine fidei supernaturalis disputantes.

Rationalistæ, ut probent nullum esse officium revelationem amplectendi, objicere solent, mysteria contra rationem esse, quæ impietas breviter repellenda est.

§ III.—OBJECTIONES RATIONALISTARUM.

278. **Objic. 1.°** Nihil certo firmiterque tenendum est, nisi quod clare et distincte percipitur. Atqui mysteria clare et distincte percipi nequeunt. Ergo...

Resp. *dist.* Major., in veritatibus ordinis naturalis, *conc.*, in omnibus absolute cujuscumque ordinis veritatibus, *neg.* vel *subdist.*, nisi quod clare et distincte percipitur, saltem quantum attinet ad evidentiam credibilitatis, *conc.*, quatenus omnia ex intrinseca evidentia constare nobis debeant, ad hoc ut certo assensu teneantur, *neg.*

(1) Lib. 1.° *Contr. Gent.*, c. 5, *Est etiam necessarium.*

Major objecti syllogismi continet Cartesianum principium evidentiæ, quod nequit applicari ad omnem cognitionem certam cujusvis ordinis, nisi hoc sensu intelligatur, quod omnis certa cognitio requirat sive internam evidentiam veritatis, sive saltem externam credibilitatis. Nam veritates fidei divinæ non gaudent intrinseca evidentia, qua in seipsis pateant, sed sola externa, qua patet dumtaxat, quod *evidens sit illas firmissime credi posse*, ob externa nempe motiva credibilitatis, quæ declarare ad Theologos spectat.

Objic. 2.° Mysteriis fides adhibenda non est. Nam illis solis propositionibus fides est adhibenda, quas ratio suadet esse veras, secus enim assensus rationalis non foret. Atqui mysteria ratio nequit suadere vera esse, utpote quæ sunt supra rationem. Ergo...

Resp. *Neg.* assert. ad probat. *dist.* Major. Iis solis propositionibus fides est adhibenda, quas ratio suadet esse veras, ex motivis, sive intrinsecis sive extrinsecis, *conc.*, ex solis motivis intrinsecis, *neg.*

Et *contradist.* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 3.° Deus, quem adoro, inquit Rousseau, tenebrarum Deus non est, nec intellectum mihi largitus est, ut eo non uterer. Injuriam ergo facit rationis auctori, quicumque dicit rationem subjiciendam esse.

Resp. *dist.* primum membr. antec., Deus non est Deus tenebrarum, quatenus in seipso summe intelligibilis est, *conc.*, quatenus a nobis etiam intelligi, prout est in se, possit naturali lumine, *neg.*

Dist. etiam alterum membrum antecedentis, Deus non est mihi largitus intellectum, ut eo non uterer in investigandis veritatibus ordinis naturalis, *conc.*, in iis, quæ illi per se impervia sunt, *subdist.*, non est mihi largitus intellectum, ut eo non uterer ad exquirendas internas rationes, *omitto*, ad credendum, si revelantur, *conc.*

Dist. etiam cons., qui dicit rationem subjiciendam esse auctoritati Dei revelantis, *neg.*, præjudiciis, erroribus, dubiisque imprudentibus, *conc.* (1).

---

(1) Vide Tongiorgi, loc cit., n. 736, 2.° et n. 737.

Objic. 4.° Fides cæca mysteriis adhibita rationi contradicit, ut constat 1.° ex difficultate, quam homines experiuntur in credendo: 2.° ex eo quod hujusmodi fides rationem enervat, impedit, ac timidam facit.

Resp. *dist.* assert. Si mysteria extrinsecis argumentis non satis comprobentur, aut appareant credibilia, *trans.*, secus, *neg.*

Tum *nego* utramque rationem: primam quidem, quia difficultas in assentiendo spectari potest vel ex parte intellectus vel ex parte voluntatis. At ubi constat sufficienter de revelatione, mysteriorumque credibilitas evidens est, non est contra rationem, sed maxime rationi consentaneum, ut intellectus ad assensum voluntatis imperio inclinetur, nec in hoc ullam intellectus difficultatem reperit.

Voluntas vero, si quam in iisdem adjunctis difficultatem in imperando intellectui assensum experiatur, eam non aliunde derivat, quam ex animi elatione aliave inordinata cupiditate, quam ratio dictat frænandam esse.

Alterum quoque argumentam inane est. «Non enim fides Deo adhibita rationem enervat, sed corroborat et elevat; non impedit, sed tutatur ac dirigit; nec facit timidam, sed reddit cautiorem, ut et de iis, quæ supra se sunt, non temere judicet, et ea, quæ humanæ subsunt investigationi, accuratius expendat» (1).

Objic. 5.° Revelatio spoliat rationem libertate atque independentia sibi debita. Ergo nulla revelationis est habenda ratio.

Resp. nullam esse rationis libertatem atque independentiam. Vel enim evidens est objectum, quod ipsi proponitur, vel non. Si est evidens, nequit intellectus dici liber aut independens, siquidem, ut alibi scripsimus, necessitatur ad assensum. Si vero objectum non est evidens, nequit ex seipso determinari ad assensum, sed indiget imperio atque inclinatione voluntatis. Iterum ergo etiam circa objectum inevidens nequit dici intellectus liber atque independens; quia libertas proprie loquendo solius dos est voluntatis, quæ est formaliter libera.

Et solum dici potest intellectus improprie liber per ordinem ad libertatem voluntatis, quatenus ex imperio hujus potest

(1) Tongiorgi. loc, cit. n. 739.

induci ad operandum, quando per objectum suum non satis determinatur. Jam vero etiam in hoc sensu non est intellectus penitus liber, ut liceat sibi quomodolibet in assentiendo se gerere, quia voluntas licet *physice quidem possit*, non tamen *moraliter* potest quemcumque assensum vel dissensum imperare intellectui, quemadmodum vellent ii effreni licentiæ patroni, qui se dicunt *liberi cogitatores;* vetat enim id naturalis honestas et rationis dictamen. Et ut de sola quæstione nostra loquamur, evidens est, Deo loquenti aures esse prebendas, nec posse voluntatem, salvis honestatis officiis, cum de revelatione divina sufficienter constat, dissensum a voluntate imperari intellectui aut assensum contrarii erroris. Plura de hoc dabit Salvator Tongiorgi (1).

Objiciunt quoque Rationalistæ mysteria contra rationem esse: quod argumentum accuratius repellendum est.

§ IV.—UTRUM QUÆ SUNT SUPRA RATIONEM, SINT CONTRA RATIONEM.

279. PROPOSITIO 3.a **Quæ sunt supra rationem, non nisi absurdissime dici possunt esse contra rationem; neque ulla potest esse inter rationem veritatesque revelatas veri nominis dissensio.**

Prima pars certa est ex damnatione hujus propositionis in *Syllabo* notatæ: *Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni* (2).

Quæ sunt supra rationem, absurde dicuntur contra rationem.

Probatur autem sola declaratione terminorum. Nam enuntiabile aliquod esse supra rationem significat rationem illud sua virtute nativa assequi non posse, seu convenientiam vel repugnantiam terminorum illius non posse intueri; contra rationem autem esse aliquid, tantumdem est, ac rationi repugnare, nempe mentem falsitatem illius perspicere. Atqui hæc duo evidenter toto cœlo distant, *rationem aliquid non posse*

(1) Loc. cit. a n. 739. Cfr. aliæ difficultates apud cl. P. Josephum Mendive.—*Inst. Philos. Scholast., Logic.*, n. 443 seqq.

(2) *Syllab.*, n. VI. Propositio vero ista proscripta jam fuerat a Pio IX in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9. Novembr. 1846 et in Allocut. *Maxima quidem*, 9. Junii 1862.

cognitione assequi, et *rationem cognoscere falsitatem illius*. Ergo non quia aliquid sit supra rationem, eo ipso dici potest, nisi per summam insaniam et conceptuum confusionem, esse contra rationem.

Inter Fidem et rationem nulla veri nominis dissensio esse potest.

Altera pars docetur a Concilio Vaticano: *Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat, et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere* (1).

Ubi habes etiam rationem assertionis, quam jam pridem indicaverat S. Thomas hisce verbis: *Illud idem, quod inducitur in anima discipuli a docente, doctoris scientia continet, nisi doceat ficte: quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio, nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit auctor nostræ naturæ. Hæc ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinæ sapientiæ contrarium; non igitur a Deo esse potest. Ea igitur, quæ ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali rationi esse contraria* (2).

Hinc sequitur, ubicumque occurrit argumentum veritati revelatæ contrarium, vim demonstrativam habere non posse; sed e converso ostendi posse argumentum non concludere, sive quia leges rectæ argumentationis non servantur, sive quia aliquid in eo assumitur, quod certum non est. *Cum enim fides infallibili veritati innitatur*, inquit Aquinas, *impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium; manifestum est probationes, quæ contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta* (3).

Cæterum idem sacrosanctum Concilium causam reddit apparentis contradictionis, quæ vigere quandoque alicui videri potest inter fidem et rationem. *Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata*

---

(1) Conc. Vatic. *Const. Dogmat. de fide divina*, cap. 4, versus med.

(2) S. Thom., 1.° *Contr. Gent.*, c. 7, arg. 2.°, ubi plura videri possunt.

(3) S. Thóm. 1 p. q. 1, a. 8. Cfr. S. August., epist. 143 (al 7) n. 7.

ad mentem Ecclesiæ intellecta vel exposita non fuerunt, sed opinionum commenta pro rationis effatis habeantur» (1).

Fides et ratio mutuo se juvant, nedum inter se pugnent.

Porro eodem docente sapientissimo Concilio: *Neque solum Fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio Fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; Fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat* (2).

Præterea ratio in philosophicis potissimum disciplinis plures conceptus enucleat ad divinorum dogmatum intelligentiam necessarios, quales sunt notio *veri, boni, substantiæ, causæ*, etc. Fides autem plures edocet veritates etiam ordinis naturalis, quas ratio facilius, posita revelatione, probare potest ac propugnare (3).

Dices: Quod non est conforme rationi, contra rationem est. Atqui mysteria non sunt rationi conformia. Ergo sunt contra rationem.

Resp. *dist.* Major. Quod non est conforme rationi pure *negative*, quia nempe ratio illud proprio marte non assequitur, *neg.* Quod non est conforme *positive*, seu quod positive difforme est, *conc.*

Et *contradist.* Minori, *neg.* conseq.

Quæ cum ita sint, sapientissime concludit Concilium Vaticanum in hæc verba: *Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium ac disciplinarum culturæ obsistat, ut hanc multis modis juvet ac promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat, aut despicit; fatetur immo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profecta sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinæ, in suo quæque ambitu, propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ, repugnando, errores in se suscipiant,*

---

(1) Concil. Vatic. Ibid.

(2) Ibid.

(3) Vide S. Th., Opusc. de *Trinit. sup. Böetium*, quæst. 2, art. 3. Cfr. 1.° *Contr. Gent.*, cap. 8 et 9; Albert. M., Prolog. *Summ. Theol.*, prim. part.

aut fines proprios transgressæ, ea quæ sunt Fidei, occupent et perturbent (1).

Atque adeo jure merito proscripta est hæc propositio in Syllabo, notata sub numero XI: *Ecclesia non solum non debet in Philosophiam animadvertere, verum etiam debet ipsius Philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat* (2).

280. PROPOSITIO 4.ª **Hinc officium est Philosophi Christiani, ut nec veritates revelatas in controversiam vocet, nec ab illis in tractandis philosophicis quæstionibus penitus præscindat, immo vero diligentissime caveat, quidquid eisdem possit ullo modo repugnare.**

Officium christiani Philosophi relate ad veritates revelatas: 1.° ne illas in controversiam vocet,

Est corollarium præcedentis propositionis. **Prima pars** patet. Quia si veritates hujusmodi superant rationem, nequit ratio illarum judex constitui. Constitueretur autem eo ipso, quod illas in controversiam revocaret. Itemque si omnis homo, cui sufficienter proposita revelatio fuerit, tenetur eam firmissime amplecti, certissimaque fide credere. Ergo non solum non potest revelatam doctrinam impugnare, sed neque etiam de illius veritate disputare. Nam Philosophus profecto, dum disputat, non desinit esse homo, atque adeo teneri officiis cujuscumque hominis. Philosophus ergo Christianus unum inquirere debet, utrum videlicet aliquid revelatum sit; quod ubi resciverit, nihil jam amplius restat, nisi ut demisso sinceroque animo amplectatur.

Quamobrem rectissime damnata est in *Syllabo* propositio hæc, ordine IV.ª: *Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc* **ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.** Itemque hæc alia, ordine X.ª *Cum aliud sit Philosophus, aliud Philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at Philosophia neque potest, neque debet ulli se submittere auctoritati.* Nec minus

(1) Concil. Vatic., loc. cit.

(2) Vide epist. Pii IX *Gravissimas*, ad Episcop. Frisingens. datam die 11 Decembr. 1862.

2.° non præscindat ab illis in tractandis philosophicis quæstionibus,

Manifesta est secunda pars propositionis. Nam præscindere a veritatibus revelatis idem est, ac ita tractare philosophicas quæstiones, ut si nihil revelatum fuisset in contrarium. Atqui hoc aliud revera nihil est, quam revelationem respuere vel contemnere.

Iterum Concilium Vaticanum: *Si quis dixerit disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tamquam veræ retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit* (1). Et in Syllabo hæc alia continetur proscripta propositio ordine XIV.ª: *Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione* (2).

3.° caveat diligentissime quidquid iisdem repugnet.

Tertia denique pars propositionis probatur. Quia certum est ex dictis, omnem assertionem contrariam veritatibus revelatis falsam esse. Atqui Philosophi est falsas doctrinas cavere. Ergo...

Veritates revelatæ possunt constituere objectum alicujus scientiæ.

COROLLARIUM. Ex hisce omnibus illud liquido colligitur, veritates revelatas humanum captum superantes, posse constituere objectum alicujus scientiæ, quæ illas ope luminis naturalis quodammodo illustret, propugnetque, et accipiendo eas instar primorum principiorum, alias atque alias conclusiones per naturalem discursum derivet. Ac talis reapse datur scientia, *Theologia dogmatica*.

§ V.—QUID DICENDUM DE REVELATIONE VERITATUM HUMANUM CAPTUM NON EXCEDENTIUM.

Hactenus actum est de revelatione veritatum, captum superantium. Nunc autem inquiritur, quid sit dicendum de revelatione veritatum quarumdam naturalium, quæ lumine etiam naturali cognosci valent.

281. PROPOSITIO 5.ª **Maximopere conveniens fuit humano generi, ut veritates quoque de divinis rebus, quæ per se naturale rationis lumen non transcendunt, per**

(1) Conc. Vatic., *Constit. cit.*, canon 2 *de Fide et Ratione*.
(2) Cfr. ibid. propos. VIII.

revelationem acciperet, ut nempe sic ab omnibus facile, certe ac sine errore possent cognosci.

Veritates quoque humanum captum non superantes utilissime revelatæ a Deo sunt.

Juvat propositionem probare rationibus verbisque, quibus Angelicus Doctor ostendit divina naturaliter cognita convenienter hominibus credenda proponi.

Sequerentur... tria inconvenientia, si hujusmodi veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur.

Unum est, *quod paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosæ inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam siquidem impediuntur propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum. Unde nullo studio ad hæc pertingere possent, ut summum gradum humanæ cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deo consistit. Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris. Oportet enim esse inter homines aliquos, qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativæ inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanæ inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem. Quidam autem impediuntur pigritia. Ad cognitionem enim eorum, quæ de Deo ratio investigare potest, multa præcognoscere oportet, cum fere totius Philosophiæ consideratio ad Dei cognitionem ordinetur. Propter quod Metaphysica, quæ circa divina versatur, inter Philosophiæ partes ultima remanet addiscenda. Sic ergo non nisi cum magno labore studii ad prædictæ veritatis inquisitionem pervenire potest: quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore scientiæ, cujus tamen mentibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum.*

Secundum inconveniens est, *quod illi qui ad prædictæ veritatis inquisitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis non nisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur; tum etiam propter multa, quæ præexiguntur, ut dictum est; tum propter hoc, quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens et sciens, ut dicitur in 7.° Physicorum* (text. Comm. 20). *Remaneret igitur, humanum*

genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiæ tenebris, cum Dei cognitio, quæ maxime perfectos et bonos facit, nonnisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem, perveniret.

Tertium inconveniens est, *quod investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admiscetur propter debilitatem intellectus nostri in judicando, et phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanerent ea, quæ sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et præcipue cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera, quæ demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua sophistica ratione asseritur, quæ interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi.*

Salubriter ergo divina providet clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, Fide tenenda præciperet, ut sic omnes **de faciti** *possent divinæ cognitionis participes esse et* **absque dubitatione et errore** (1).

CAPUT III.

DE UNITATE

AC MULTIPLICITATE SCIENTIARUM.

Falsa assertio Antonii Mirandulani, unam dumtaxat scientiam admittentis.

Supponimus contra Antonium Mirandulanum (2), non unam, sed multas esse apud homines scientias: id quod, si de scientia partiali sermo sit, probatione non eget, siquidem constat demonstrationes infinitas fieri in scientificis disputationibus; at singulæ demonstrationes totidem partiales scientias gignunt. Si autem de totali scientia loquamur, etiam

(1) S. Thom. lib. 1.° *Contra Gent.* cap. 4. Cfr. 1 p. q. 1, a. 1. Vide etiam 2. 2, q. 2, a. 4, ubi eadem brevius docentur. Item lib. 3.° dist. 24, a. 3, solut. 1.ª; *De Verit*, q. 14, a. 10: *Opusc. de Trinit. sup. Böet.* q. 3. a. 1. In hisce tribus postremis locis quinque rationes affert ex Rabbi Moyse, ob quas necessaria est Fides etiam quarumdam veritatum, humanum intellectum per se minime transcendentium.

(2) De *Evers. singul. certam.*, lib. 13, sect. 6 et 7.

patet ex communi sensu veterum recentiorumque Philosophorum consensu, et constanti praxi dividendi scientias in varias species. Si quis autem Mirandulani opinionem fuse confutatam videre velit, adeat Eximium Doctorem (1). Hoc ergo supposito, inquirendum est, undenam petatur distinctio diversarum scientiarum. Et quæstio potest esse tum de actuali tum de habituali scientia, tum de partiali tum de totali.

ARTICULUS I.

De distinctione atque specificatione scientiarum.

Non est sermo de numerica scientiarum distinctione.

282. Distinctio potest esse numerica, et specifica vel generica. Et cum sermo est de principio ac radice distinctionis in scientiis, agitur præcipue de principio distinctionis specificæ seu de *specificatione*. Nam constat ad distinctionem numericam scientiæ, sive actualis sive habitualis, intra eamdem speciem, sufficere diversitatem subjectorum; et in eodem etiam subjecto actus numerice solum distincti haberi possunt diversis temporibus.

Quid et quotuplex specificativum.

Principium porro distinctionis specificæ vocari solet *specificativum*, constitutio autem speciei *specificatio*. Et duplex esse potest specificatio et specificativum, intrinsecum et extrinsecum: intrinsecum est illud, unde intrinsece constituitur species vel essentia rei, ac proinde principia rem quamlibet constituentia sunt specificativum intrinsecum ejusdem, puta materia et forma in corporibus, et genus ac differentia generatim in omnibus. Specificativum externum est aliquid, ad quod res certam suapte natura importat proportionem et coaptationem ac commensurationem, ita ut per ordinem ad illud rei perfectio declarari possit. Quare non tam est constitutivum, quam signum, unde speciem rei cognoscere valeamus, et considerari potissimum solet in iis rebus, quæ

(1) Disp. 1. *Metaph.*, sect. 2, n. 2. seqq. Cfr. Conimbric. in *Procem. Physic.*, q. 1, a. 2; Benedict. Pereira, *De Commum. omnium rer. natur. Princip.* lib. 1, cap. 8; Cosm. Alamanni, *Summ. Philosoph.*, Prim. part. q. 32, a. 1.

non sunt penitus absolutæ, sed imbibitum habent in sua essentia ordinem et commensurationem ad aliquid aliud: a quo proinde dici solent speciem sumere, non quod ipse terminus externus, quem ita respiciunt, essentiam eorum constituat, sed quia secundum diversitatem illius termini, cum quo intrinsecam ac necessariam proportionem et commensurationem habent, variatur ipsa rei habitudo, et consequenter essentia talem necessariam habitudinem habens, natura enim cum ordinatissime operetur, tale esse ac speciem rebus hujusmodi tribuit, qualem postulat terminus ille, ad quem essentialiter ordinantur. Sicut etiam ars, quæ naturam solet imitari, diversa parat instrumenta v. g. serram, malleum, pennicillum, securim, pro diversitate finis, ad quem destinantur (1). Hoc modo potentiæ dicuntur specificari per actus, et actio per terminum, ut suo loco docebitur, nempe tamquam per externum specificativum, quia cum essentialem dicant ordinem potentiæ ad actum, et actio ad terminum, plane sequitur pro diversitate actus eliciendi ac termini obtinendi in variis et ipsas speciebus constitui.

Quæritur nunc specificativum extrinsecum.

Ita ergo nunc quærimus specificativum extrinsecum scientiarum; nam intrinsecum consistit in essentiali perfectione singularum, quam rimari intendimus per extrinsecum specificativum, tamquam per manifestissimum signum.

283. PROPOSITIO 1.a **Scientiæ speculativæ recte dicuntur specificari per objecta, non quidem materialia, sed formalia, ita ut conclusiones, diversa formalia objecta habentes, specifice inter se distinguantur.**

Probatur, scientias specificari per objecta,

Prob. 1.° Ea quæ suapte natura ordinantur ad aliud, speciem suam ab illo desumunt, ut modo declaratum est. Atqui scientia tota, quanta est, ad objectum ordinatur, est enim essentialiter intentionalis imago ejusdem, cum quo proinde necesse est, habeat relationem transcendentalem. Ergo sicut imago variam induit rationem pro varietate objecti, quod repræsentat, ita etiam scientia specificatur ab objecto.

Prob. 2.° Scientia paritur ex principio efficienti, quod est intellectus, et ex objecto, quibus proinde debet suam specificam

(1) Cfr. Suar., *de Anim.*, lib. 2, cap. 2, n. 7-10.

perfectionem. Atqui ex principio efficienti nequeunt specifice distingui scientiæ humanæ ac naturales, nam principium hujusmodi semper idem est, nempe intellectus hominis. Et constat etiam aliunde eumdem intellectum esse principium diversorum actuum, v. g. scientiæ et opinionis, et diversissimorum etiam actuum scientiæ. Ergo...

Major constat ex illo proloquio: *Ab objecto et potentia paritur notitia*, quod probatur in tractatu de Anima, ubi necessitas vindicanda est intelligibilium specierum. Intellectus enim nullam elicere cognitionem valet, nisi prius actuetur ac fecundetur intentionali similitudine objecti, seu specie impressa intelligibili, a qua mutuatur, ut ita dicam, colores, quibus depingat atque exprimat imaginem illius, in qua consistit cognitio.

Itaque licet ex unione et concursu potentiæ atque objecti procedat intellectio, at objectum videtur specificare tribuendo illi «ultimam differentiam specificam, potentia vero non tam specificat, quam *generizat*, utpote tribuens sola prædicata generica. Ratio est, quia cum videmus albedinem v. g. potentia visiva assimilat sibi visionem in prædicatis *vitalis*, *visivi* etc., quæ sunt prædicata generica et communia pluribus visionibus *albi*, *nigri*, *rubri* etc.; objectum vero, nimirum albedo, tribuit visioni prædicatum differentiale, quod est determinatio visionis ocularis ad hoc, ut sit *expressio albedinis*.

«**Et confirmatur**, quia sicut cum sol et semen lactucæ producunt lactucam, sol concurrit ut causa universalis ac *generizans*, semen ut causa particularis ac specificans; sic cum potentia visiva et species albedinis, quæ est velut semen albedinis, producunt visionem albedinis, seu albedinem in esse intentionali, potentia visiva concurrit ut causa universalis et *generizans* visionem, species vero albedinis ut causa particularis et specificans» (1).

Quod vero dicitur in visione de potentia visiva, valere potest non solum pro scientia actuali, sed etiam pro habituali, siquidem habitus specificantur per actus, ad quos inclinant. Si ergo actus specificantur ex objecto, ultima tandem radix specificationis etiam habitus est in objecto.

(1) Sylvestr. Mauri, *Quæstion. Philos.*, lib. 1, q. 3.

non quidem materialia, sed formalia.

Nunc probandum est, scientiam non specificari ex objecto materiali, sed ex formali dumtaxat. Et ratio est, quia non specificat scientiam id, quod commune multis scientiis specifice diversis esse potest. Atqui tale est objectum materiale; nam circa unum idemque objectum materiale diversæ scientiæ versari possunt: v. g. eadem quantitas est objectum conclusionum Philosophiæ naturalis, et etiam conclusionum mathematicarum.

Hic autem quæri posset, a priorine, an a posteriori objectum specificet actus. Sed hæc quæstio generalius agitari potest in tractatu de Anima, ubi de specificatione potentiarum per actus et objecta.

Vide interea Suarez (1) et Lossada (2).

284. PROPOSITIO 2.a **Scientiæ practicæ specificationem ac distinctionem desumunt ex fine.**

Scientiæ practicæ specificantur ex fine.

Probatur ex eodem principio. Nam scientiæ practicæ ordinantur suapte natura ad finem operationis alicujus exercendæ. Sed quidquid ad aliud ordinatur suapte natura, ab illo specificatur. Ergo... (3)

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

285. **Objic. 1.°** Objectum est aliquid extrinsecum scientiæ. Atqui nihil speciem suam accipit ab aliquo sibi extrinseco, species enim cujuslibet rei est essentia ejusdem, qua nihil magis intrinsecum esse aut excogitari potest. Ergo...

Resp. *dist.* Minor., tanquam ab specificativo intrinseco, *conc.*, tamquam ab extrinseco, *neg.*

Nam licet objectum sit extrinsecum, ordo tamen scientiæ ad objectum est ipsi intrinsecum, variumque est pro objecti varietate. Et jam explicavimus objectum non esse specificativum intrinsecum, quia non specificat per modum formæ inhærentis, sed per modum termini ordinis intrinseci, quem suapte natura habet scientia.

---

(1) *De Anim.*, lib. 2, cap. 2, n. 3 seqq. et 9.
(2) *De Anim.*, disp. 4, cap. 6, n. 119 et 121.
(3) Vide Aristot., lib. 1, *Ethicor.* c. 1; et ibid. S. Thomam, lect. 1.

Objic. 2.° Scientia etiam ad subjectum, in quo est, seu ad principium efficiens, importat intrinsecum atque essentialem ordinem. Ergo si noster argumentandi modus quidpiam valet, specificatur etiam scientia per illud.

Resp. *neg.* conseq. Nam quæstio nostra est de specificatione scientiæ non cujuscumque, sed humanæ. Scientæ autem humanæ, utpote quæ omnes sunt in eodem subjecto, intellectu videlicet hominis, profecto nequeunt ex eo inter se distingui atque specificari. Præterquam quod jam diximus cum Sylvestro Mauro, etiam per ordinem ad subjectum aliquo modo constitui scientias, non tamen proprie *specificari*, cum non accipiant suam ultimam *differentiam* per ordinem ad illud, sed solum *attributa quædam communia et generica*.

Objic. 3.° Scientiæ possunt etiam specificari ex diverso modo tendendi in objectum, et sic simplex apprehensio et judicium, licet circa idem objectum versentur, nihilominus specifice distinguuntur, quia nempe diversimode tendunt in objectum.

Resp. in primis dici posset actus scientificos, utpote qui omnes sunt discursivi, eumdem habere modum tendendi in objectum. Sed adde præterea objectionem non esse contra nostram propositionem; in qua non asserimus eos actus scientiæ, qui habent idem objectum formale non posse aliunde diversificari, sed tantum eos actus, qui diversa habent objecta, diversæ esse speciei.

ARTICULUS II.

Undenam sumant scientiæ totales suam unitatem vel diversitatem specificam.

286. Valde controversa est inter auctores quæstio hæc, quam multi cum magis declaratam vellent, non mediocriter obscurarunt, atque implicarunt. Nodus solvendus hic est. Videmus in singulis totalibus scientiis plures conclusiones demonstrationesque diversa formalia objecta habentes, quæ proinde, ex hactenus dictis, diversas specifice constituunt

Status quæstionis.

scientias, saltem actuales (1); et nihilominus omnes hujusmodi partiales scientiæ, fatentibus omnibus, ad unam quamdam totalem scientiam pertinere dicuntur, velut totidem membra ejusdem. Sic omnes disputationes, in præcedentibus institutæ, aliæque adhuc instituendæ, plurimas demonstrationes et partiales scientias continent, unam Logicam conflantes: idemque locum habet in Mathesi, Metaphysica, Physica etc. Necesse est ergo, ut in omnibus istis partialibus scientiis sit aliquid unum et commune, propter quod unam dumtaxat totalem scientiam conficiant, distinctam a qualibet alia totali scientia, quæ pariter ex aliis diversis partialibus scientiis coalescit. Neque enim dici potest ex *solo* arbitrio hominum absque ulla objectiva ratione fieri, ut aliæ conclusiones ad Logicam, aliæ ad Mathesim revocentur. Hoc ergo nunc quærimus, illud nempe, per quod certæ partiales scientiæ pertinent ad Logicam, quæ est una quædam totalis scientia, specifice distincta ab aliis, et certæ aliæ ad Metaphysicam, et certæ aliæ ad Mathesim etc. Itaque, ut in re implicatissima a facilioribus exordiamur.

Scientia totalis unitas desumitur ex unitate formalis objecti.

Dici in primis generatim potest scientiæ totalis unitatem desumi ex unitate formalis objecti, illa nempe est una scientia, cujus unum est objectum formale; si vero plura sint objecta formalia, plures quoque sunt scientiæ. Et ratio est, quia ex formali objecto specificantur scientiæ, quemadmodum vidimus, plane sequitur, ubi unum est formale objectum, ibi unam esse scientiam. Neque in hoc est ulla nova difficultas, neque auctorum quoad rem ipsam dissensio. *Est... unitas potentiæ ad actus consideranda secundum objectum, non quidem materialiter, sed secundum rationem formalem objecti; puta homo, asinus et lapis conveniunt in una formali ratione colorati, quod est objectum visus. Quia igitur Sacra Scriptura seu doctrina considerat aliqua, secundum quod sunt divinitus revelata... omnia quæcumque sunt divinitus revelabilia, communicant in una ratione formali objecti hujus scientiæ* (Theologiæ dogmaticæ) (2), Et alibi: *Diversa ratio cognoscibilis, diversitatem scientiarum inducit. Eamdem enim conclusionem*

(1) Artic. præc. n. 283.
(2) S. Thom. 1. p. q. 1, a. 3.

demonstrat Astrologus et Naturalis, puta quod terra est rotunda; sed Astrologus per medium mathematicum, id est, a materia abstractum; Naturalis autem per medium circa materiam consideratum (1). Et similia docet S. Doctor in libro primo Posteriorum (2), cum Aristotele (3), scribente: *Una autem scientia est, quæ est unius generis, eorum quæ ex primis componuntur, et partes sunt aut affectiones horum per se.* Diversæ scientiæ sunt eorum, quorum principia nec ex eisdem principiis oriuntur, nec altera ex alteris. (4), Quæ verba sic egregie commentatur P. Sylvester Mauri: «Scientia una est, quæ est contemplativa subjecti, quod sit unum genere, et habeat principia intra idem genus, partes subjectivas seu species, in quas dividatur, et passiones per se convenientes tali generi atque inferioribus speciebus. Ex. gr. Physica est una scientia, quia contemplatur ut subjectum ens naturale, quod est unum genere, quod ens naturale habet principia propria, partes subjectivas, in quas dividitur, quæ partes sunt corpus simplex et mixtum animatum et inanimatum; et præterea habet passiones per se convenientes tum corpori naturali, tum singulis speciebus corporum simplicium, aliæ mixtorum, aliæ animatorum, aliæ inanimatorum, etc.»

«**Quod ad unitatem scientiæ requiratur unitas saltem generica subjecti,** probatur quia motus habet unitatem præcipue ex termino ad quem. Sed scientia est quidam motus intelligibilis ad subjectum. Ergo una scientia est de uno subjecto. Et quia scientia demonstrat de subjecto ac de ejus partibus subjectivis passiones *per se* per principia propria, ideo subjectum debet habere principia propria, partes subjectivas et passiones *per se*.»

«Diversæ scientiæ sunt, quæ procedunt per principia diversa. Ut autem prima principia propria duarum scientiarum sint diversa, neque principia unius scientiæ debent derivari ex principiis alterius, neque principia utriusque scientiæ

---

(1) S. Th. 1. p. q. 1. ad 2.um Cfr. 1. 2. q. 52, a. 1; q. 54, a. 2; lib. 2.° *Contr. Gent.* c. 4, initio: *De Virtutib.* q. 2, a. 4, etc.

(2) Lect. 41, *Deinde cum dicit: Una autem.*

(3) Lib. 1.° *Poster.* c. 23.

(4) Vide Toletum, cap. 23 lib. 1.° *Poster.*; et Sotum ibid.

debent derivari ex iisdem prioribus principiis. Ex defectu harum conditionum scientiæ de triangulo et de quadrato non sunt diversæ, quia principia tum trianguli tum quadrati derivantur ex principiis de figura; et scientia de isoscele non est diversa a scientia de triangulo, quia principia de isoscele derivantur ex principiis de triangulo» (1).

Idem ab aliis significatur, cum scribunt unitatem vel distinctionem specificam desumi ex unitate vel distinctione objecti in esse scibilis.

Idem puto significari quando communissime dicitur scientias desumere suam unitatem vel distinctionem specificam ex unitate vel distinctione objecti *non in esse rei*, sed in esse objecti, vel *in esse scibilis* (2). Quæ duo valde diversa sunt, potest enim unum specifice objectum in esse rei diversas rationes scibiles a diversis scientiis contemplandas præ se ferre. Ita corpus secundum rationem entis consideratur a Metaphysica, et secundum rationem substantiæ sensibilis a Philosophia naturali. Et e converso, res specie naturali diversissimæ efficere possunt unum objectum scibile, nam omnia prorsus corpora utcumque diverssima in sua entitate, prout sensibilibus mutationibus sunt obnoxia, unum quiddam scibile constituunt, quod Philosophia naturalis contemplatur; et Metaphysica de omnibus prorsus rebus, sive existentibus sive possibilibus, disputat, *quatenus entia sunt*, nam sub hac consideratione omnia unum sunt quodammodo.

Et hinc patet ratio, cur scientiæ suam unitatem vel distinctionem mutuentur ex unitate vel distinctione objecti, non *in esse rei*, sed in *esse scibilis*.

Hic vero ut occurramus cavillationibus quorumdam, quibus non placet hic modus loquendi, «est cavenda æquivocatio in illa voce seu denominatione *scibilis*. Nam in rigore *scibile* dicitur per denominationem extrinsecam a scientia,

---

(1) Sylvester Mauri, *Arist. Opera omnia brevi paraphr.* etc., lib. 1.° *Poster.*, cap. 21, n. 4, et 5. Cfr. S. Th. ib., lect. 41; Sotus et Tolet. ibid, cap, 23; Salvator Roselli, *Summ. Philosophiæ*, vol. 1, q. 29, a. 3.

(2) Vide Suar., disp. *Metaph.*, 44, sect. 11, n. 64; Conimbric., loc. cit., *Logic.*, Lib. 1.° *Poster.*, cap. 23, quæst. unic. art. 1; Rubium, *Logic., quæst. procem.* 4, n. 8 seqq.; Alamanni, *Summ. Philosoph.* 1.a part. quæst. 32, art. 2; Complutens., *Logic.*, disp. 19, quæst. 4, n. 45; Joan. a S. Thoma, *Logic.*, quæst. 27, art. 1, cum Cajetano in 1.am part. quæst. art. 3.

seu per relationem rationis in ea denominatione fundatam; hoc autem modo non potest scientia habere unitatem ab objecto scibili sub *esse scibilis*, quia potius ipsa dat illi unitatem. Nam sicut objectum est scibile, quia scientia terminatur ad ipsum, ita est unum scibile, quia una scientia terminatur ad illud. Ergo non potest scientia sumere unitatem ex objecto scibili, quatenus hac voce explicatur illa denominatio. Igitur si unitas scientiæ sumitur ex unitate objecti, talis unitas objecti præsupponitur ordine naturæ ad unitatem scientiæ, immo et ad esse ipsius scientiæ, et ad omnem denominationem a scientia sumptam. Cum ergo est sermo de objecto *scibili ut sic*, dante unitatem scientiæ, non significat illud *esse scibile* denominationem a scientia, sed aptitudinem proximam, ut sub unam scientiam cadere possit: quæ quidem aptitudo ex parte ejus supponitur. Sicut cum dicitur objectum visus esse colorem et lumen, ut conveniunt in ratione visibilis, illud *esse visibile* non est sumendum per denominationem extrinsecam a visu; alioqui nihil explicaretur, sed potius peteretur principium declarando objecti unitatem ex unitate potentiæ. Oportet ergo, ut per eam vocem significetur aliqua ratio ex parte ipsarum rerum, ob quam censeantur habere quasi aptitudinem proximam, ut eidem potentiæ visivæ per se objici possint. Nam quia res differentes etiam secundum speciem in suo esse reali cadunt sub eamdem potentiam visivam, quærimus in eis aliquam convenientiam, quæ ex parte ipsarum supponatur, ratione cujus possint unum quasi specificum objectum constituere, qualis est v. g. idem modus immutandi visum, vel aliquid simile; et hæc vocatur proxima ratio visibilis ex parte objecti. Ad hunc ergo modum intelligendum est de objecto scibili» (1).

In quo sita sit hujus rei difficultas.

Verum difficultas et opinionum varietas est in explicanda ratione illa objectiva, quæ in rebus ad eamdem scientiam pertinentibus reperitur, et propter quam illæ in eadem ratione *scibilis* conveniunt, et propter quam scientia ad hujusmodi res terminata una dicitur, et est.

Variæ sententiæ: prima,

287. Prima sententia communissima tenet rationem illam objectivam, unde scientiæ speculativæ, nam de his agimus,

(1) Suarez, disp. *Metaph.* 44, sect. 11, n. 64.

ut jam monuimus, specificantur, esse abstractionem a materia, non quidem abstractionem subjectivam, seu actum mentis abstrahentis unam rationem intelligibilem ab alia, sed abstractionem objectivam seu abstrahibilitatem a materia, vel rationem intelligibilem, quæ abstrahi possit ab objecto, ut seorsim consideretur. Unde pro diverso gradu abstractionis a materia, diversæ dabuntur scientiæ, et omnes actus, qui objectum aliquod contemplantur secundum eumdem gradum abstractionis a materia, ad unam eamdemque scientiam spectant; qui vero diversos gradus abstractionis respiciunt, ad diversas pertinent scientias. Unde quoniam tres præcipui gradus abstractionis a materia considerari possunt, primus a materia individuali, seu a notis individuantibus, alter a materia non solum individuali sed etiam sensibili, tertius denique a materia, tum individuali, tum sensibili, tum etiam intelligibili, tria quoque sunt suprema genera scientiarum, aliæ, quæ habent pro objecto aliquid, solam præ se ferens abstractionem a materia individuali, cæteroqui tamen omnino materiale, nempe ens sensibilibus mutationibus obnoxium, quales sunt scientiæ physicæ. Aliæ considerant objectum etiam a sensibili materia abstractum, nondum tamen penitus immateriale, sed habens materiam intelligibilem; tales sunt scientiæ mathematicæ, quæ respiciunt pro objecto quantitatem, nam quantitas licet præscindat secundum se a sensibilibus affectionibus, adhuc tamen materiale est, et constat materia intelligibili. Aliæ demum versantur circa rationes immateriales, et hujusmodi est Metaphysica, cujus objectum est ens immateriale. Quamobrem, licet omnis scientia aliquam abstractionem a materia requirat, saltem a materia, quam vocant individualem, siquidem objectum scientiarum universale est, nihilominus pro majori aut minori gradu abstractionis, objecta diversimode scibilia efficientis, plures diversæque species vel genera scientiarum dari possunt.

Hæc est sententia S. Thomæ (1), Soncinatis (2), Javel-

(1) Lib. *de Sensu et sensato*, lect. 1, initio; lib. 1.° *Physicor.*, lect. 1, initio; Opusc. 70 *de Trinit. super Böetium*, q. 5, a. 1; Cfr. lib. 6 *Metaph.*, lect. 1.

(2) *Metaph.*, lib. 6, q. 7.

li (1), Cajetani (2) aliorumque apud Complutenses (3), qui etiam eamdem sequuntur, ut et Joannes a S. Thoma (4), Toletus (5), Fonseca (6), Conimbricenses (7), Benedictus Pererius (8), Cosmus Alamanni (9) aliique. Et Suarez de hac triplici abstractione ac partitione scientiarum secundum eamdem profitetur, «hactenus non esse inventam aptiorem rationem distinguendi has scientias (speculativas), et aliunde hanc videri satis convenientem» (10). Quamquam postea idem Eximius Doctor non penitus contentus hac explicatione, aliam amplexus fuerit, quam mox tertio loco exponemus.

Secunda sententia est illorum, qui scientiarum unitatem vel diversitatem ex unitate vel distinctione principiorum seu mediorum demonstrationis desumunt, nam per principia conclusiones redduntur scibiles; sicut enim per lumen corpora sunt visibilia, sic res fiunt scibiles per principia et media demonstrationis, quæ sunt lumen intellectus, non quidem subjectivum, sed objectivum. Quæ ergo per eadem principia demonstrantur, eodem modo scibilia sunt, atque adeo ad eamdem scientiam pertinent; quæ vero ex diversis, ad diversas. Ita P. Antonius Rubius (11), et admittunt etiam Cajetanus (12), Complutenses (13), Joannes a S. Thoma (14), et P. Alamanni (15) cum Angelico Doctore (16). secunda,

(1) Lib. 6 *Metaph.*, q. 7.
(2) 1.° *Posterior.*, cap. 23, et in 1 p. q. 1, a. 3.
(3) Disp. 19, q. 4, n. 54.
(4) *Logic.*, q. 27, a. 1.
(5) *Logic.*, lib. 1 *Posterior.*, cap. 23, quæst. 1, ubi tamen quinque gradus abstractionis a materia referuntur.
(6) *Metaph.*, lib. 6, cap. 1, q. 6.
(7) Lib. 1.° *Posterior.*, quæst. unic.
(8) *De Communibus* etc., lib. 1, cap. 5.
(9) *Summ. Philosoph.*, 1 p., q. 34, art. 1.
(10) Suarez, *Metaphys.* 1, sect. 2, n. 13.
(11) Loc. cit. *Log.*, q. 4, *proœmiali*, n. 10.
(12) In 1.am part. quæst. 1, art. 3.
(13) Loc. cit. n. 49 et n. 53.
(14) Loc. cit., *Conclusion.* 2.ª
(15) Oper. citat. q. 32, a. 3.
(16) 1. p., q. 1, art. 1 ad 2.um; 1. 2. quæst. 54 art. 2, ad 2.um; 2. 2. q. 1, art. 1; 1.° *Posterior.*, lect. 41, *Deinde cum dicit: Altera autem* etc.; 1. p. q. 1, art. 1 ad 2.um

Ad hanc secundam explicationem revocanda videtur opinio quorumdam Thomistarum, docentium unitatem vel diversitatem scientiæ derivandam esse ex unitate vel diversitate luminis, quo conclusiones cognoscuntur, quemadmodum loquitur Dominicus Bañez (1). Cum enim videantur hi auctores loqui de lumine objectivo, lumen vero objectivum ad cognoscendas conclusiones sint media demonstrationis seu principia; plane solum in modo loquendi discrepant ab aliis auctoribus secundæ sententiæ.

Cæterum ea intelliguntur principia inter se diversa, quorum unum non sequitur ex alio, nec utraque ex alio superiori intra eamdem lineam abstractionis, ut superius exponebat Sylvester Maurus (2) ex Aristotele (3).

tertia, Denique succedit tertia sententia docentium unitatem scientiæ repetendam esse ex unitate subjecti principalis et adæquati, in quo reliqua omnia connectantur, quæ in illa scientia tractanda assumuntur, quia vel propter illud, vel in ordine ad illud, tractantur. Unde e converso illæ erunt diversæ scientiæ, quæ diversa contemplantur hujusmodi objecta adæquata et totalia et non inter se connexa. Aliis verbis, secundum hanc sententiam, scientiæ diversificantur per diversa objecta attributionis; omnes itaque conclusiones, idem habentes objectum attributionis, unam eamdemque conflant scientiam.

Hæc est sententia et explicatio Scoti et Scotistarum apud Mastrium (4). Et huic tandem adhæsit Eximius Doctor (5), Petrus Hurtadus (6), Franciscus Soarez lusitanus (7) aliique.

288. Inter has tres sententias, duæ priores reapse non videntur pugnare inter se, verum potius complent eamdem adæquatam rei explicationem. Cum enim scientia non sit

---

(1) In 1.am part., quæst. 1, art. 2.

(2) Lib. 1.° *Poster.*, cap. 21, n. 5.

(3) Lib. 1.° *Poster.*, c. 23. Cfr. ibid. S. Thom., lect. 41, *Deinde cum dicit: Altera autem.*

(4) *Log.*, disp. 12, q. 3, n. 60. Vide etiam Pontium, *Log.*, disp. 22, q. ultim., n. 95. seqq.

(5) Disp. 44, sect. 11, n. 69; Cfr. ib. n. 65.

(6) *Metaph.*, disp. 1, sect. 6 et 7.

(7) *Logic.*, tract. 8, disp. 2, sect. 2, n. 157.

cognitio qualiscumque, sed cognitio habita per discursum, auctores, qui unitatem ac diversitatem scientiarum ex gradibus immaterialitatis seu abstractionis a materia explicant, immaterialitatem illam intelligunt, prout «primo invenitur in principiis seu mediis demonstrandi, et inde derivatur ad illuminandas diverso modo conclusiones,» quemadmodum lucidissime declarat Joannes a S. Thoma (1). Et hæc est causa', cur S. Thomas in hac re modo ad abstractionem a materia (2), modo ad diversitatem medii, unde sumitur ratio formalis demonstrandi (3) et ad definitiones, quæ sunt principium demonstrandi diversumque modum definiendi (4) confugerit. Et ita etiam auctores, qui primam sententiam sequuntur, alteram quoque fere admittunt. Itaque duæ solum sunt nobis examinandæ sententiæ, altera S. Thomæ, altera Scotistarum, quam tertio loco retulimus. Inter quas

Auctoris sententia: impugnantur Scotistæ

Mihi magis arridet doctrina S. Thomæ. Opinio enim Scotistarum in primis contra se habet manifestam instantiam in Theologia; certum enim est Theologiam, et naturalem et dogmaticam, specifice discrepare. Atqui tamen utraque, habet idem objectum principale continens et connectens reliqua omnia, quæ in illa tractantur. Ergo vel Theologia naturalis non differt a dogmatica, vel non est vera doctrina Scotistarum.

Eadem instantia fieri potest in scientia Beatorum, quæ Deum habet pro principali objecto, cum quo reliqua omnia connectuntur, non secus ac Theologia nostra, et nihilominus specifice differt ab illa. Quamvis huic instantiæ video responderi posse scientiam Beatorum aliunde discriminari, ex eo quod discursum non habet, sed puram intuitionem, atque adeo scientia non est in sensu, in quo nunc loquimur.

Simili modo de uno eodemque subjecto possunt disputare plures diversæ scientiæ, ut de quantitate Mathesis ac Philosophia naturalis; de cœlo item Philosophia naturalis et Astronomia.

---

(1) Loc. cit., *Dico secundo.*

(2) Lib. de *Sensu et sensato*, lect. 1; Opusc. cit. *de Trinit*, q. 5. a. 1; 1.° *Physicor.*, lect. 1.

(3) 1 p. q. 1, a. 1, ad 2.um; 1. 2. q. 54, a. 2, ad 2.um; 2. 2. q. 1, a. 1.

(4) *Metaph.*, lect. 1; 1.° *Posterior.*, lect. 41.

Adde quod nimis vaga videtur regula distinguendi scientias ex objecto principali, cum quo reliqua omnia connexionem habeant, quia non satis definit in quo consistat, et quanta requiratur subordinatio et connexio objectorum ad hoc, ut ab una scientia considerentur (1).

Sententia S. Thomæ defenditur.

Prima vero sententia in primis maxime commendatur auctoritate antiquitatis.

Et probatur ratione, quia illud diversificat speciem totalium scientiarum, quod diversificat scibilitatem objectorum. Atqui abstractio a materia, prout primo reperitur in principiis, et inde descendit ad illuminandas diversimode conclusiones, diversificat scibilitatem objectorum. Ergo...

Minor probatur, quia nihil est scibile, nisi per medium, eoque perfectius est aliquid intelligibile, quo magis abstrahit a materia, et similiter cognitio eo est certior, quo est de objecto immaterialiori. Ergo pro diversu gradu immaterialitatis vel abstractionis a materia, objectum diversimode scibile obtinetur.

Idque confirmatur a posteriori, quia revera Metaphysica, Mathesis ac Philosophia naturalis in suis objectis diversimode abstrahentibus a materia diversissimas inter se rationes intelligibiles præ se ferunt.

Quæ cum ita sint, abstractio a materia objective sumpta, quatenus importat in objecto capacitatem ad abstractionem, recte dici solet ratio formalis *sub qua* objecti illius in ratione scibilis, diversique gradus abstractionis totidem rationes *formales sub quibus* pro diversis scientiis constituunt (2).

Objecta contra S. Thomæ sententiam.

289. **Contra hanc sententiam objici** in primis solet, quod iste modus assignandi unitatem vel distinctionem, unde unitas vel distinctio scientiarum petatur, non sit communis omnibus, nam locum non habet in Logica et Philosophia morali.

Sed responderi potest modum istum valere pro scientiis speculativis; Logica vero et Philosophia moralis practicæ sunt.

---

(1) Videri potest hæc sententia fusius refutata a Conimbricensibus, loc. cit. art. 1. *Sectio articuli* et a Joann. a S. Thom. loc. cit. *Dico primo.*

(2) Plura de his in citatis Auctoribus.

Objicitur 2.°, in Philosophia naturali plures esse abstractionis gradus a materia, nam magis profecto abstrahit a materia anima, quæ materiam actuat ad corpus animatum constituendum, et potissimum si rationalis est, quam aliæ formæ cæterorum corporum; et nihilominus omnia hæc ad unam scientiam concluduntur.

Resp. licet non desint, qui diversos specifice gradus agnoscant in variis objectis, de quibus Philosophia naturalis disputat, et consequenter in varias species hanc scientiam partiantur (1); alii vero id negant. Verum est animam, multoque magis si rationalis sit, immaterialiorem cæteris formis corporeis esse, at Philosophia naturalis de his formis non agit nisi quatenus sunt actus partesque corporis, corpora vero sive constent forma penitus materiali, sive forma elevata supra materiam, æque mutationibus sensibilibus obnoxia sunt. Addo etiam, quod omnes illæ formæ essentialem ordinem ad materiam continent, et per ordinem ad eamdem definiuntur, et essentiam corporis constituunt, nec cognoscuntur nisi ex sensibilibus mutationibus, atque adeo per eadem principia motus, per quæ in cæterarum formarum inferiorum cognitionem devenimus.

Objic. 3.° quod Mathesis sub eodem abstractionis gradu in plures specie diversis scientias dispescatur, puta Geometriam et Arithmeticam et Algebram.

Ad hanc difficultatem respondent aliqui abstractionem a materia sensibili, quam attingit Mathesis, genericam esse, sub qua proinde specie distinctas scientias dari Geometriam et Arithmeticam, quæ diversum modum habent immaterialitatis (2). Aliter etiam responderi potest, principia Arithmeticæ et Geometriæ esse primo diversa, nec aliunde derivata. Mathesis enim considerat quantitatem non secundum essentialem ejusdem rationem, sed secundum rationem mensuræ, secundum quam principia sunt diversa, siquidem Geometrica resolvuntur in punctum, quod est prima mensura quantitatis continuæ vel tamquam terminus extensionis vel tamquam

(1) Ita Soncinas, Cajetanus aliique apud Conimbric. loc. cit., art. 1, *Sectio articuli*, paragr. *Major contentio est.*

(2) Vide Conimbric. loc. cit.; et *Physicor.*, *Proœm.*, quæst. 1, art. 4, *Quibus ita explicatis...*; et Joannem a S. Thoma. loc. citato.

nexus partium, Arithmetica vero in unitatem, quæ est prima mensura numerorum (1).

Plura videri possunt soluta apud Conimbricenses et Joannem a S. Thoma.

ARTICULUS III.

Utrum habitus scientiæ totalis sit qualitas simplex

Status quæstionis aperitur.

290. Ante omnia supponimus dari habitum scientiæ, ut constat ex facilitate, quam quis exercitatione assequitur ad ratiocinandum demonstrationesque instituendas in scientiis. Is autem habitus distinctus est ab habitu principiorum, utpote qui ad sola principia pronuntianda facilitatem confert. Jam ex præcedentibus duo comperta et explorata remanent: primum, esse in scientiis multas conclusiones, quæ, saltem si sermo sit de actualibus conclusionibus, sunt cognitiones inter se specifice distinctæ, utpote quæ diversa respiciunt formalia objecta; deinde plures hujusmodi conclusiones unam quamdam conflare totalem scientiam. Modo ergo statim occurrit dubium, utrum omnes illæ actuales cognitiones, quarum complexio unam totalem scientiam constituit, ab uno simplici habitu procedant, sicut procedunt ab unica potentia intellectiva, an vero singulæ conclusiones procedant a totidem partialibus habitibus, ex quorum collectione totalis habitus scientiæ coalescant. «In qua controversia, inquit Joannes a S. Thoma (2), duplex est sententia opposita, quæ *pari auctoritate* tam antiquorum quam recentiorum inter se repugnat,» quemadmodum mox videbimus.

Quænam ad intellectionem concurrant.

Ut porro quæstio melius intelligatur, est supponendum ex alibi demonstrandis, ad intellectionem duo concurrere præter ipsam potentiam intellectivam, species intelligibiles nempe et habitum, sive hæc sint duæ realitates invicem distinctæ, quemadmodum opinatur communior sententia, sive non, ut contendunt alii. Species requiruntur ex parte objecti instar seminis cujusdam complentis ac fœcundantis potentiam

(1) Vide Complutens., loc. cit. n. 57.

(2) Joann. a. S. Thom., *Log.*, quæst. 27. a. 2, paulo post init.

ad exprimendam vitalem similitudinem objecti, in qua sita est cognitio; et habitus ex parte ipsius intellectus, ad tribuendam eidem promptitudinem, inclinationem et facilitatem ad judicandum. Quare in hoc differunt species et habitus, quod sine illis nec intelligi, nec proinde judicari potest, potest vero sine habitu.

Quid in controversiam veniat.

Quoniam ergo qui assequitur scientiam aliquam, comparat sibi illius habitum seu promptitudinem ad facile demonstrandas talis scientiæ conclusiones, quæritur, utrum promptitudo seu habitus hujusmodi sit una simplex qualitas conferens facilitatem prædictam pro omnibus demonstrationibus cujuslibet scientiæ totalis, an vero e converso pro singulis demonstrationibus dentur totidem partiales habitus facilitantes, ex quibus tandem integretur, confleturque habitus aliquis, unus quidem, sed non simplex, tribuens promptitudinem habilitatemque pro totali scientia. Quæstio autem restringitur ad habitus producentes actus scientificos seu demonstrativos. Nam facile conveniunt omnes auctores, paucis exceptis, præter habitum aut habitus elicientes actus hujusmodi scientificos, admittendum esse habitum distinctum ad actus pure opinativos. Unde conveniunt scientiam totalem, quatenus importat facilitatem ad actus omnes, sive demonstrativos sive opinabiles, non esse unum simplicem habitum vel qualitatem (1).

Prima sententia communior inter Thomistas.

Est ergo in proposita quæstione prima sententia, docens habitum totalis scientiæ esse unam simplicem qualitatem. Sicut enim, inquiunt, in igne non sunt multi calores, sed unus calor, ita in intellectu non est nisi una simplex qualitas seu habitus pro omnibus et singulis conclusionibus demonstrativis singularum talium scientiarum. Hic simplex habitus, secundum prædictam sententiam, revera quoad suam essentiam jam acquiritur statim, ac aliquis vel unam conclusionem cujusvis scientiæ per demonstrationem cognoverit, licet adhuc in statu imperfecto; cum vero quis mox alias atque alias conclusiones per demonstrationem addiscit, non novus generatur habitus, sed idem ille, qui prius inerat, magis magisque perficitur, extenditurque ad alias conclusiones.

(1) Cfr. Lossada, *Log.*, tract. 1. *procem.*, disp. 1, cap. 5, n. 25.

En sententiam communiorem inter Thomistas cum Cajetano (1), Medina (2), Dominico Soto (3), Ferrariensi (4), Complutensibus (5), Joanne a S. Thoma (6), Cosma de Lerma (7), aliisque, quibus adstipulantur e nostra Societate Vazquez (8), Valentia (9), Salas (10), Alamannius (11), Rubius (12), et Quiros (13). Eademque putatur esse mens Angelici Doctoris (14).

Varietas inter patronos hujus primæ sententiæ.

Cæterum non uno modo sententiæ hujus patroni explicant, quomodo habitus ille simplex per primam demonstrationem generatus, ad alias conclusiones extendatur. Nam Joannes a S. Thoma (15), et Cosmas de Lerma (16) censent, habitum perfici et extendi ad novas conclusiones non per receptionem alicujus novæ formæ in se, verum per applicationem novam præexistentis ad novam materiam; «quia de se ille habitus et forma præexistens inclinatio est ad omnia, quæ continentur sub suo objecto formali. Quod vero proxime et in actu inclinet ad talem vel talem materiam, non ex defectu formæ inclinantis, sed ex defectu materiæ vel subjecti, quatenus nondum habet species coordinatas, nec ex parte subjecti exercitium, quod pertinet ad applicationem subjecti, sine qua forma ipsa non sufficienter applicata est, nec species illæ sufficienter ordinatæ, ut ipse habitus æquali facilitate ex parte subjecti inclinare possit in illas. Quod exemplo fidei, de novo inclinantis in nova credibilia ab Ecclesia proposita, ad quæ antea non inclinabat, manifeste monstratur: et simi-

(1) In cap. 23. lib. 1.° *Posterior.*; et 1. 2. q. 54, art. 4.
(2) In 1. 2. q. 54, a. 4.
(3) *Dialect.*, quæst. 3. *procem.*
(4) In lib. 1.um *Contra Gent.*, cap. 56.
(5) *Logic.*, disp. 19, q. 4.
(6) *Log.*, q. 27. a. 2.
(7) *Log.*, q. 7 *procem.*
(8) In 1. 2, disp. 80.
(9) Comment., vol. 2, disp. 4, q. 6, punct. 3.
(10) Quæst. 52, tract. 10, disp. 5, sect. 1.
(11) *Summ Philos.*, prim. part. q. 31, a. 2.
(12) *Log.*, quæst. 4. *Procem.*
(13) *Curs. Philos.*, tract. 2, disp. 14. sect. 2.
(14) 1. 2. q. 54, a. 4, corp., et ad 3.um
(15) Loc. cit. in respons. ad *Confirmat.* secundi argum.
(16) Ibid. in respons. ad *Confirmat. Object.* 2.æ

liter exemplo charitatis vel religionis infusæ, quæ sunt simplices qualitates... et non pari facilitate ex parte subjecti inclinant ad omnes actus, vel materias... Itaque quando primo generatur habitus per aliquam demonstrationem, generatur essentialis et formalis facilitas ad omnes actus et objecta, sub tali ratione formali contenta, per secundam vero vel tertiam demonstrationem non generatur nova facilitas essentialis, sed accidentalis difficultas tollitur ex parte subjecti et applicationis materiæ» (1).

PP. Vazquez et Salas existimant extensionem ac perfectionem habitus jam acquisiti, cum ad novas conclusiones cognoscendas applicatur, fieri per susceptionem novæ realitatis, quæ sit modus quidam, atque adeo diversæ naturæ ab ipso habitu.

Denique P. Rubio eamdem rem explicat per additionem novarum facilitatum ejusdem rationis cum primo habitu, ita ut omnes istæ facilitates se habeant «tamquam partes integrantes ejusdem habitus, qui licet sit qualitas spiritualis, et ideo non habeat partes integrantes quantitativas atque corporeas, sicut habent corpora, habent tamen spirituales juxta propriam naturam, quæ dicuntur partes extensionis, sicut certum est habere partes intensionis, ut suo loco explicabitur. Nec propter tales partes integrantes desinit esse qualitas simplex, quemadmodum desineret esse, si essent distincti habitus, ut asserit opposita sententia, quia esse simplicem qualitatem hoc tantum significat, quod non sit composita ex multis qualitatibus aut habitibus formaliter aut specie diversis. Sicut non tollit, quin albedo Petri sit simplex qualitas, quod habeat partes integrantes in capite et pede» (2). Quare doctrina hæc revera negat simplicitatem habitus scientiæ, et potius revocanda est ad secundam sententiam, licet diverso modo explicat compositionem.

Secunda sententia. Secunda sententia tenet totalem scientiam non esse unam simplicem qualitatem, sed aggregationem plurium habituum partialium pro varietate conclusionum ac demonstrationum cujusvis scientiæ, ex quibus omnibus integratur unus totalis

(1) Joann. a S. Thom. loc. cit.
(2) Rub. loc. cit., *Ad secundum respondeo.*

habitus, et sic singuli quidem isti partiales habitus simplices in se sunt, at vero illorum complexus simplex esse nequit. Unde differt hæc doctrina maximopere a præcedenti, non solum prout explicatur a Joanne a S. Thoma, sed etiam prout explicatur a Rubio. Quia in sententia hujus auctoris habitus scientiæ est unicus et specie et numero, quamvis integretur et coalescat ex pluribus partibus extensionis, sicut quantitas v. g. cujusvis corporis est unicum accidens proprii subjecti, licet plures complectatur in se partes extensionis. At vero secundum hanc alteram sententiam, pro singulis conclusionibus dantur habitus et numero et specie inter se distincti, sicut distinguuntur ipsæ conclusiones, quare habitus scientiæ totalis non est unus per se, sed unus dumtaxat per accidens, cum partiales illi habitus singularum specie distinctarum demonstrationum conclusionumque non connectantur inter se physice, sed solam habeant unitatem ordinis et subordinationis ratione unius totalis objecti formalis, quod omnes respiciunt.

Patroni secundæ sententiæ:

Hanc opinionem sequuntur non pauci nec ignobiles Thomistæ, ut Socinas (1), et Conradus (2), cæterique habitum intellectualem in speciebus intelligibilibus reponentes; itemque Nominales et Scotistæ communiter (3); et ex nostra Societate P. Suarez (4), Fonseca (5), Toletus (6), Conimbricenses (7), Molina (8), Georgius Rhodes (9), Petrus Hurtado (10), Franciscus Soarez lusitanus (11), Ludovicus Lossada (12), Amicus (13), Arriaga (14), aliique.

(1) *Metaph.*, lib. 6, q. 9.
(2) In 1. 2, q. 54, a. 4, apud Complutenses, loc. cit., n. 41.
(3) Apud Mastrium, disp. 12, q. 2, a. 2, n. 67.
(4) Disp. *Metaph.* 44, sect. 11, n. 12 seqq.
(5) Lib. 6.° *Metaph.*, c. 1, q. 2.
(6) *Log.*, *De Dialectica in communi*, q. 3.
(7) *Dialect.*, lib. 1.° *Poster.*, c. 23, quæst. unic. a. 2.
(8) In 1. p. q. 1, a. 3, disp. 3.
(9) *Philos. perip.*, lib. 2, disp. 18, q. 4, sect. 3, paragr. 3.
(10) *De Anim.*, disp. 16, sect. 4.
(11) *De Anim.*, tract. 7, disp. 2, sect. 6, paragr. 2.
(12) *Logic.*, tract. 1 *proœm.*, disp. 1, cap. 5.
(13) *Logic.*, tract. 27, disp. 4, q. 1, dub. 3.
(14) *Logic.*, disp. 1, sect. 2.

Hi quoque non uno modo rem explicant.

Hoc tamen differunt Thomistæ ac reliqui Auctores, hujus secundæ sententiæ patroni, quod Thomistæ ideo negant habitum scientiæ esse qualitatem simplicem, quia prædictum habitum reponunt in collectione specierum coordinatarum, quæ quia multæ sunt, nequit habitus esse qualitas simplex. Cæterum isti auctores duplex genus specierum distinguunt: alterum earum, quæ per *intellectum agentem*, abstrahuntur a sensibilibus, repræsentantque res incomplexas; alterum earum, quæ gignuntur per assensus, atque adeo ope intellectus possibilis, et repræsentant complexas enuntiationes, atque intellectum habilitant ad similes assensus eliciendos. Et in postremo hoc specierum genere constituunt habitum. At vero alii auctores habitum scientiæ reponunt in alia entitate, a quibuscumque speciebus intelligibilibus distincta, eamque docent esse qualitatem unam unitate aggregationis dumtaxat, utpote ex multis partialibus habitibus simplicibus coalescentem.

Mens S. Thomæ dubia videtur esse:

291. In hac controversia ego in primis crediderim mentem S. Thomæ satis dubiam esse, nec posse S. Doctorem a Thomistis, primæ sententiæ patronis, tam fidenter in suas partes trahi. Illi quidem hæc allegant verba in suum favorem: *Sed quia illa multiplicitas est ordinata ad aliquid unum, ad quod principaliter respicit habitus, inde est, quod* habitus est qualitas simplex non constituta ex pluribus habitibus, etiamsi ad multa se extendat (1). Et hæc alia: *Ille, qui in aliqua scientia acquirit per demonstrationem scientiam conclusionis unius, habet* quidem habitum, sed imperfecte; *cum vero acquirit per aliam demonstrationem scientiam conclusionis alterius*, non aggeneratur in eo alius novus habitus; sed habitus, qui prius inerat, fit perfectior, utpote ad plura se extendens, eo quod conclusiones et demonstrationes unius scientiæ ordinatæ sunt, et una derivatur ex alia (2); quæ certe haud obscure repugnant secundæ sententiæ. At e contrario non pauca suppetunt testimonia, quæ componi nequeunt cum prima.

allegantur hinc inde varia testimonia ejusdem S. Doctoris.

(1) S. Thom. 1. 2, q. 54, a. 4.
(2) Ibid. ad 3.um

Et ut omittam illa, in quibus S. Doctor videtur reponere habitum intellectualem in speciebus coordinatis; en quid dicat de augmento habitus per additionem: *Similiter etiam et* **scientia potest augeri secundum seipsam per additionem,** *sicut cum aliquis plures conclusiones Geometriæ addiscit, augetur in eo habitus ejusdem scientiæ secundum speciem* (1).

Quam doctrinam ut intelligas, nota ex S. Doctore, bifariam fieri posse augmentum habitus, primo non per additionem formæ ad formam, seu per incrementum *habitus in seipso*, sed per hoc quod subjectum magis vel minus perfecte participat unam et eamdem formam; et secundo ex parte ipsius formæ, quatenus entitas habitus in seipsa augescit (2). In adducto ergo testimonio docet Angelicus diserte scientiam augeri posse secundum seipsam per additionem: et paulo prius rem declarat exemplo motus, qui *augetur per hoc quod ei aliquid additur, vel secundum tempus in quo est, vel secundum viam per quam est* (3): qui modus augmenti profecto diversus est ab augmento formæ alicujus secundum majorem participationem subjecti. Atqui quod hoc modo augetur simplex esse qualitas et indivisibilis, si proprie loqui velimus, non potest. Quod vero Cajetanus ad hoc testimonium respondet (4), est aperte contra manifestum sensum S. Doctoris.

Alibi hæc scribit Aquinas: *Quicumque... habet aliquam virtutem, puta temperantiam,* **habet ipsam quantum ad omnia ad quæ se temperantia extendit: quod de scientia et arte non contingit. Non enim quicumque est grammaticus scit omnia, quæ ad Grammaticam pertinent.** *Et secundum hoc bene dixerunt Stoici, ut Simplicius dicit in Comment. Prædicamentorum (cap. de qualitate), quod virtus non recipit magis neque minus,* **sicut scientia vel ars,** *eo quod ratio virtutis consistit in maximo.* (5) Mirum autem est, quod Cajetanus (6) hunc locum in suum favorem interpretari voluerit.

---

(1) S. Thom. 1. 2, q. 52, a. 2.
(2) Ibid., et in eadem quæst. art. 1.
(3) 1. 2, q. 52, a. 2.
(4) Cajetan. in 1. 2, q. 54, a. 4, *Quoad quartum: Primo auctoritas.*
(5) S. Thom., 1. 2, q. 66, a. 1.
(6) Cajetan., loc. nup. cit.

Quam ad rem faciunt hæc quoque verba: *Cum aliquis per exercitium adeptus est liberalitatem circa mediocres donationes, et sumptus, si superveniat ei abundantia pecuniarum, modico exercitio acquiret magnificentiæ habitum: sicut Geometer modico studio acquirit scientiam alicujus conclusionis, quam numquam consideravit* (1).

Idemque probat hæc alia sententia: *Sicut una tota scientia comprehendit sub se diversas scientias particulares, quibus diversæ conclusiones cognoscuntur, ita etiam ipsa una cognitio Angeli, quæ est quasi quoddam totum, comprehendit sub se cognitionem matutinam et vespertinam quasi partes, sicut mane et vespere sunt partes diei temporalis* (2).

Quid jam de re ipsa videatur probabilius dicendum esse.

Quære non est, cur patroni prioris sententiæ triumphent ob auctoritatem S. Thomæ, utpote qui magis ipsis forte contradicit, quam favet (3). Sed jam quid de re ipsa sentiamus, aperiendum est.

292. PROPOSITIO. **Probabilius videtur scientiæ totalis habitum non esse qualitatem simplicem atque indivisibilem, sed complexionem plurium partialium habituum.**

Probatur sententia tenens habitum scientiæ non esse simplicem.

Prob. 1.° Stante contraria doctrina, quicumque conclusionem aliquam per demonstrationem addiscit, habitum quoad essentiam integrum totius scientiæ illico assequitur, capacem elicere reliquas omnes conclusiones ejusdem totalis scientiæ. Atqui hoc impossibile omnino videtur.

Nam habitus (loquimur de habitibus acquisitis) est immediata facilitas ad actus. Atqui immediata facilitas acquisita per actus versantes v. g. circa extensionem vel essentialem corporum constitutionem, non est immediata facilitas ad conclusiones circa plantas, vel animalia, vel homines, licet omnia hæc sub objecto ac ratione formali Philosophiæ naturalis cadant. Ergo...

Minor hæc postrema probatur α) experientia, et β) ratione.

---

(1) 1. 2, q. 65, a. 1 ad 1.um in fine.

(2) *Verit.* q. 8, a. 16, ad 4.um

(3) Cfr. Suarez, disp. *Met.*, 44, sect. 11, n. 56; Lossada, loc. cit. cap. 6, n. 2.

α) *Experientia quidem,* etenim adhuc post acquisitam facilitatem demonstrandi conclusiones spectantes ad extensionem vel essentialem corporum constitutionem, potest quis difficultatem experiri ad alias demonstrationes, quæ respiciunt corpora animata. Immo nemo est, qui non se sentiat post primas demonstrationes penitus jejunum et inhabilem ad alia, donec accedat novum studium æquale aut forte majus illi, quod adhibendum fuit ad primas demonstrationes addiscendas. Qui ergo nullam in se sentit ad actus aliquos facilitatem, immo experitur difficultatem, quo jure audeat asserere habitum, nisi aliunde evidentes suppetant rationes, quales certe non sunt adversariorum nostrorum rationes?

β) *Ratio etiam idem evincit.* Quia habitus productus per certos actus, nequit tribuere facilitatem nisi ad actus similes illis, unde habitus productus fuit. Secus erit in effectu perfectio superans perfectionem causæ. Atqui actus, versantes v. g. circa corpoream extensionem, valde diversi sunt ab actibus respicientibus corpora viventia, utpote qui habent objecta formalia specifice diversa, et principiis innituntur diversissimis. Ergo...

Dices. Actus isti licet diversi sunt specifice, adhuc tamen sub eadem ratione formali continentur, quæ constituit generale objectum Philosophiæ naturalis, omnes quippe versantur circa *ens mobile* sensibilibusque mutationibus obnoxium. Quare specifica varietas actuum conclusionumve partialium non impedit, quin omnes proficiscantur ab uno simplici habitu, sicut etiam omnes procedunt ab una simplici potentia intellectiva. Immo etiam unus simplex habitus fidei sufficit ad credendas omnes veritates revelatas, itemque una charitas sufficit ad diligendum inimicum et amicum, quamvis diversa esse possit difficultas tum in credendis aliis et aliis veritatibus, tum in diligendo amico et inimico. Hoc est unum ex argumentis, quibus P. Joannes a S. Thoma aliique contrariam tuentur sententiam.

Verum hæc parum convincunt. Nam testante D. Thoma cum Aristotele, (1) *ex similibus operationibus fiunt similes*

(1) Lib. 2.º *Ethicor.*, cap. 1, fin.

habitus. Propter quod..., oportet studium adhibere, quales operationes aliquis faciat, quia secundum harum differentiam, sequuntur differentiæ habituum (1). Si ergo conclusiones sunt specifice diversæ, specifice diversos producant habitus, necesse est. Quod si sola similitudo generica rationis alicujus formalis, sub qua diversæ istæ conclusiones continentur, sufficit, ut ab uno eodemque habitu procedant, cur non dicamus non esse nisi unicum habitum scientiæ, a qua eliciantur omnes conclusiones omnium scientiarum?, et sic ponenda erit cum Antonio Mirandulano unica scientia totalis, quæ ad omnium rerum cognitionem, sive metaphysicarum, sive physicarum, sive mathematicarum cæterarumque se extendat. Et ratio est, quia sicut conveniunt diversæ conclusiones Philosophiæ naturalis in hoc, quod habeant pro objecto ens mobile; ita omnes scientiæ, etiam totales, conveniunt in hoc quod versentur circa objectum necessarium et abstractum a materia, saltem individuali. Itemque si sufficit similitudo generica actuum, ut ab eodem habitu gignantur, licet specifice discrepent; facile erit reperire convenientias genericas inter actus diversarum scientiarum, puta Metaphysicæ, Physicæ atque aliarum, qui tamen vel ab ipsis adversariis nostris produci dicuntur a diversis habitibus; omnes quippe conveniunt in ratione actus demonstrativi, evidentis etc. (2)

Præterea idem declaratur paritate habituum voluntatis. Nam licet omnes actus justitiæ sub eodem communi motivo justitiæ tendant, nihilominus duæ species distinctæ assignantur justitiæ ab auctoribus cum S. Thoma (3), nempe *commutativa* et *distributiva*, quia nempe diversa inest in eis ratio debiti (4). Item licet tum *abstinentia*, tum *sobrietas*, tum *castitas*, contineantur sub una communi ratione temperantiæ, cujus proprium est frænare ac regere concupiscentias et delectationes tactus (5), nihilominus tres illæ virtutes specifice

(1) S. Thom. in lib. 2.um *Ethicor.*, lect. 1, fin.

(2) Plura vide de hoc apud Lossada, *Logic.*, tract. 1.us *proœm.*, disp. 1, cap. 5, n. 6, 7.

(3) S. Thom. 2. 2. q. 61, a. 1.

(4) S. Thom. ibid ad 5.um

(5) Vide S. Thom. 2. 2. q. 141, a. 4.

distinguuntur inter se (1). Et ratio redditur ab Angelico: *Temperantia est proprie circa concupiscentias delectationum tactus;* et **ideo oportet**, *ut ubi sunt diversæ rationes delectationis, ibi sint diversæ virtutes sub temperantia comprehensæ* (2).

Et idem docet Angelicus relate ad prudentiam: *Ad prudentiam pertinet regere et præcipere: et ideo ubi invenitur specialis ratio regiminis et præcepti in humanis actibus, ibi etiam invenitur specialis ratio prudentiæ* (3). Et consequenter plures distinguit species prudentiæ totidem articulis per totam quæstionem quinquagesimam in *Secunda secundæ partis*.

Ergo simili modo non sufficit unicus habitus ad plures actus specie diversos eliciendos solum ex eo, quod sub una ratione communi conveniant.

Nec valet paritas potentiæ intellectivæ, quæ una cum sit, diversissimos actus valet elicere. Immo si adversarii ad hanc paritatem confugiunt, necesse est, ut unicum dumtaxat habitum intellectualem admittant ad omnes prorsus actus, sicut una tantum datur potentia intellectualis. Paritas ergo non est inter potentiam et habitum, quia potentia non acquiritur per actus, sed natura ipsa nobis datur, atque adeo est virtus superioris ordinis et causa universalis actuum omnium. At vero habitus per actus generatur. Consonum autem est rationi, ut singuli actus efficiant aliquid sibi proportionatum et commensuratum, atque adeo nequit unus actus totum habitum gignere capacem etiam ad reliquos omnes actus, utcumque specie diversos eliciendos (4).

Nec valet iterum paritas Fidei. In primis enim Fides, si supernaturalis sit, infunditur a Deo solo physice operante, nec generatur ab ipsis actibus, et ideo una simplex qualitas est, quia a Deo datur secundum essentiam perfecta, et quanta sufficit ad omnes veritates revelatas credendas. Et propterea sufficit, ut sit una simplex qualitas. Item omnis actus Fidei divinæ habet idem formale motivum, auctoritatem Dei revelantis, atque adeo in Fide non datur specifica varietas

(1) Vide S. Thom. 2. 2. q. 146, a. 2; q. 149, a. 2, q. 151, a. 2. et 3.

(2) S. Th. 2. 2. q. 151, a. 3, corp.

(3) 2. 2. q. 50, a. 1, corp.

(4) Cfr. Suar. loc. cit. n. 58; et Lossada, loc. cit. cap. 6, n. 22 et 23.

actuum. Nihil ergo mirum, si omnes procedant ab unico habitu. Et idem dici debet de charitate, qua proximus diligitur *propter Deum*, sive amicus sit, sive inimicus.

Quod si sermo sit de habitu acquisito seu facilitate naturali credendi ob auctoritatem loquentis, vel diligendi alios propter Deum, eadem est ratio; nam cum isti actus omnes sint ejusdem speciei propter unitatem motivi, non est cur multiplicentur habitus ad eos eliciendos; cum unus solus sufficere possit, etiamsi possit esse major difficultas in uno actu, quam in alio, v. g. in diligendo inimico, quam amico, in credenda una veritate, quam alia. Nam hujusmodi difficultas major vel minor, dum motivum formale idem sit, non mutat speciem actus, ac proinde neque exigere potest novum habitum distinctum. Et difficultas major in diligendo inimico sita, solum probabit non sufficere quemcumque habitum acquisitum, etiam tenuem, ad talem producendum, sed requiri habitum intensum ac robustiorem. Minime vero probat in nostris principiis novum specie distinctum habitum addendum esse ad superandam majorem illam difficultatem.

Instantia ergo et argumentum adversariorum nullam videtur habere firmitatem contra adductam a nobis rationem.

Prob. 2.° propositio. Circa unum idemque objectum nequit dari simul habitus scientiæ et erroris. Atqui in adversariorum sententia id fieri potest. Ergo rejicienda est eorum doctrina.

Major constat ex eo quod habitus scientiæ et erroris formæ contrariæ sunt. Unde Philosophus scripsit scientiam oblivione ac deceptione seu errore corrumpi (1): quæ doctrina fuse declaratur ab Angelico (2).

Minor etiam manifesta est, quia per adversarios statim ac aliquis demonstratione conclusionem v. g. circa corporum extensionem aut essentialem constitutionem didicit, habitum totius scientiæ naturalis comparat. Atqui manifestum est illum, qui vere cognovit corporum extensionem ac essentiam generatim, posse incidere in errores circa plantas

(1) Lib. de *Longit. et Brevit. vitæ*, cap. 2.; Cfr. ibid. P. Sylvest. Mauri.

(2) S. Thom., 1. 2. q. 53, a. 1, corp. et ad 3.um: Cfr. 1. p. q. 89, a. 5.

v. g. vel animalia; vel e converso constat eum, qui recte sentit circa plantas vel animalia, posse errare circa corpoream extensionem essentiæve constitutionem. Tunc ergo habebitur simul in eodem intellectu habitus scientiæ et erroris circa idem objectum: habitus quidem scientiæ, quia ex adversariorum doctrina per primam demonstrationem acquiritur habitus totius scientiæ physicæ seu Philosophiæ naturalis, ac proinde etiam earum conclusionum, quæ spectant plantas et animalia, est enim secundum ipsos habitus naturalis Philosophiæ qualitas simplex, quæ proinde aut tota simul, aut nullo modo acquiritur. Et ideo solent illi dicere habitum scientiæ jam per primam demonstrationem acquisitum, minime in sua entitate immutari, per subsequentes aliarum conclusionum demonstrationes, nec in se perfectiorem reddi, sed solum ad plura objecta extendi. Habitus vero erroris simul habetur, quia erroneæ conclusiones ac demonstrationes circa plantas et animalia erroris habitum gignant necesse est (1).

Plura videri possunt apud Suarez et Lossada (2).

293. SCHOLIUM. Confutata jam prima sententia, restat, ut pauca quædam declaremus ad doctrinæ complementum.

Tot partiales habitus admittendi in scientiis, quot sunt species formalium objectorum: iidemque partiales habitus videntur esse specie incompleta distincti;

Et in primis ex hactenus dictis sequi videtur, tot esse in singulis totalibus scientiis partiales habitus ponendos, quot sunt species partialium objectorum formaliter diversorum, et conclusiones diversas veritates detegentes (3).

Deinde isti partiales habitus non videntur esse ejusdem sed diversæ speciei incompletæ pro diversitate specifica ipsarum veritatum, ad quas cognoscendas habilitant. Dixi *esse diversæ speciei incompletæ*, nam ea distinguuntur specie completa, quæ pertinent ad diversas species non ordinatas ad aliud constituendum; ea vero distinguuntur specie incompleta, quæ instar partium ordinantur ad aliud constituendum. Quia ergo partiales illi habitus ordinantur ad unam totalem

(1) Cf. adversariorum instantias apud Lossada, loc. cit. n. 20, 21.

(2) Loc. citatis.

(3) Vide fuse de his disputantem Eximium Doctorem, loc. cit. a n. 46. Cfr. n. 27-33, et n. 40, seqq, Cfr. etiam Lossad., loc. cit. n. 22, et cap. 6. n. 29.

conflandam scientiam, nequeunt distingui specie completa, sed incompleta.

nec inter se physice uniti,

Hinc sequitur partiales istos habitus non posse habere inter se physicam unionem, cum sunt diversæ speciei (1). Nihilominus aliqua unitas et connexio agnoscenda est inter plures hujusmodi partiales habitus. Nam communis Philosophorum sensus tenet Geometriam v. g., quatenus est habitus facilitans ad omnes geometricas conclusiones, esse unam scientiam, et idem censetur de Metaphysica, Philosophia naturali, etc. Si ergo unitas habitus intelligi nequit per modum simplicis qualitatis, nec per modum compositionis physicæ, quæ ex diversis partialibus qualitatibus unam aliam conficiat ad eum modum, quo ex materia et forma una per se corporis essentia, aut ex pluribus partibus integrantibus una continua extensio resultat, explicandum superest, quam unitatem habeat totalis scientiæ habitus, qui est complexio plurium partialium habituum simplicium (2); quamquam res hæc satis est difficilis.

sed tantum connexi unitate coordinationis et convenientiæ quam objecta habent inter se.

Unitas itaque hæc alia non est, quam unitas coordinationis et convenientiæ connexionisque, quam res ipsæ habent in ratione scibilis. Coordinatio porro hujusmodi duplex intelligi potest, et utraque simul concurrere ad unitatem scientiæ. «Prima est subordinatio effectiva, qualis est inter partiales habitus, inclinantes ad subordinatas conclusiones, quarum una derivatur ex alia; quem modum subordinationis attingit D. Thomas (3). Et juxta hunc modum dicitur in moralibus unus actus constitui ex interno et externo, et una virtus ex habitibus existentibus in diversis potentiis, quarum una subest alteri quoad usum talis actus, ut fides voluntati.» «Secunda causa hujus connexionis est attributio seu respectus ad idem objectum totale, ut v. g. in scientia de homine possunt de homine demonstrari aliquæ conclusiones inter se connexæ, quarum una derivetur ex alia. Et rursus demonstrari possunt plures conclusiones, derivatæ quidem ab eadem essentia totali, etiamsi inter se una ex alia non de-

(1) Cfr. Suar., disp. *Metaph.* 44, sect. 11, n. 5-8.
(2) Cfr. Suar., loc. cit. n. 55.
(3) 1. 2. q. 54, a. 4, ad 3.um

monstretur, sed constituant veluti diversas lineas, aut series conclusionum.»

«Dicimus ergo non solum eas, quæ sub una serie quasi continuato discursu inferuntur, sed etiam eas, quæ non habent inter se hunc ordinem, si in eadem essentia ejusdem subjecti radicentur, et ad illud exacte cognoscendum ordinentur, unam scientiam constituere, quæ dicetur habere unitatem per attributionem seu habitudinem ad idem subjectum. Ut v. g. quamvis in Physica (i. e. in Philosophia naturali) aliæ demonstrationes fiunt de materia et aliæ de forma et aliæ de motus quantitate etc., quarum multæ non habent inter se subordinationem; una tamen ex illis conficitur scientia, quia illa tendunt ad exactam cognitionem entis naturalis. Nam sicut partes vel proprietates non sunt propter se, sed propter totum, ita demonstrationes omnes, quæ circa partes et proprietates, quatenus tales sunt, versantur, tendunt ad scientiam perfectam ipsius compositi seu subjecti constituendam, et ita communiter dici solet scientia habere unitatem ex objecto juxta doctrinam Aristotelis 2.° de *Anima* text. 33» (1). Et hoc pacto scientia totalis est una unitate ordinis, sicut una dicitur familia, regnum, exercitus per ordinem ad unum patremfamilias, regem, ducem (2).

Aut si mavis, unitas illa habitus totalis desumi potest ex diverso gradu abstractionis a materia, quam partiales habitus contemplantur in suo objecto, secundum ea, quæ superius de unitate scientiæ generatim scripta sunt.

Nec vero inde colligas collectionem plurium habituum partialium, ex quibus coalescit et integratur secundum nostram sententiam totalis scientia, non posse in recto et philosophico sensu dici unum habitum, «quia quæ sunt plura in uno genere vel sub una ratione, sub alia sunt unum, vel componunt unum. Quod in genere etiam qualitatis verum esse patet in habitibus aut dispositionibus corporis; nam sanitas vel pulchritudo una qualitas censetur in communi modo loquendi et philosophandi, et tamen non sunt simplices qualitates, sed ex proportione plurium resultantes. Ergo

(1) Suar., loc. cit. n. 63.
(2) Cfr. Lossada, loc. cit. cap. 6, n. 6.

idem intelligi potest in qualitatibus animæ, præsertim in habitibus scientiarum, in quibus nec tanta unitas reperiri potest respectu plurium conclusionum vel principiorum, quanta est in simplici qualitate. Nec potest ei denegari omnis unitas propter connexionem vel convenientiam rerum, quæ in una scientia tractantur» (1), ut jam remanet declaratum.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

294. **Obji. 1.°** Ubi est una scientia, ibi est unus habitus: at ubi est unus habitus, ibi est una qualitas. Atqui in nostra sententia totalis scientia non est unus habitus.

Resp. hæc parum urgere, habent enim manifestam instantiam in pulchritudine et sanitate, quæ non sunt qualitates simplices.

«Dicendum est ergo omnia esse vera, proportionaliter loquendo, de unitate ejusdem modi. In communi tamen modo loquendi simpliciter id admittitur sub nomine virtutis aut scientiæ, potius quam habitus, propter æquivocationem tollendam. Sicut etiam loquendo morali modo, dicuntur unus actus exterior et interior, non tamen dicuntur una res. Immo una virtus liberalitatis dicitur conflari ex habitu voluntatis et appetitus sensitivi, vel una virtus fidei ex intellectu et habitu piæ affectionis voluntatis. Et tamen sub nomine habitus simpliciter non dicitur unum esse in utraque potentia. Itaque nomen specificum sæpe magis admittit et significat illam compositionem quam genericum» (2).

Objicies 2.° Habitus partiales multi constitui non possunt sive numero dumtaxat, sive specie distincti. Ergo unus tantum simplex habitus admittendus est.

Antecedens patet quoad primum, quia non dantur plura accidentia solo numero distincta in eodem subjecto.

Quoad alterum vero probatur: 1.° quia partiales habitus specie diversi non possunt coire in unam speciem totalis scientiæ; 2.° quia tunc singuli habitus hujusmodi suum habebunt specificativum; quare non erit specificativum unum, nec una formalis ratio *sub qua* pro tota scientia.

(1) Suar., loc. cit. n. 55.
(2) Suar., loc. cit. n. 57.

Resp. 1.° argumentum hoc solvendum quoque esse ab adversariis, nam etiam ipsi admittunt præter habitus demonstrativos scientiæ, habitum principiorum et habitum opinativum pro conclusionibus probabilibus, qui certe specie distinguuntur. Et nihilominus isti habitus unam speciem scientiæ constituunt, etiam fatentibus ipsis.

Resp. 2.° *Conc.* antec. quoad primam partem. *Distinguo* quoad secundam. Nequeunt admitti plures partiales habitus, specie completa distincti, *conc.*, incompleta, *neg.*

Ad primam probationem hujus alterius membri, respond. *negando*, nam una recte dici potest adhuc scientia etiam plures partiales habitus complexa, per ordinem nempe ad objectum formale supremum, modo jam explicato.

Ad 2.am probationem pariter *neg.* Nam sicut habitibus partialibus adest suum partiale specificativum, ita totali totale. Cum enim scientia totalis sit collectio partialium omnium habituum versantium circa unum objectum, vel respicientium unum quemdam gradum abstractionis a materia, specificativum quoque ejus erit ratio complectens objecta omnia specificantia singulos habitus (1).

Plures contra hanc solutionem instantias vide bene solutas apud Lossada (2).

Objic. 3.° Ad actus tendentes sub unico motivo formali sufficit unicus habitus. Sed omnes actus scientiarum totalium tendunt sub unico formali motivo. Ergo... (3)

Resp. *dist.* Major. Ad actus tendentes sub unico motivo formali specifico, *conc.*, generico, *neg.*

Et *contradist.* Minori, *neg.* conseq.

Objic. 4.° «Actus scientiæ totalis sic inter se nectuntur, ut alius alium contineat; nam primus ex objecti essentia demonstrat primam passionem, ex qua secundus demonstrat secundam, ex qua tertius tertiam, et sic de aliis. Sed actus hac ratione connexi ad eumdem pertinent habitum. Ergo» (4).

Resp. *neg.* Major. Nam sunt plures actus in scientiis, qui non continentur in aliis, nisi forte velis contineri pure po-

(1) Cfr. Lossada, loc. cit., c. 6, n. 3, 8.
(2) Loc. cit., n. 8, seqq.
(3) Cfr. Joann. a S. Thom. in probation. 2, *a priori*.
(4) Apud Lossada, loc. cit., cap. 6, n. 28.

tentialiter aut permissive. Exemplum habes in iis, quæ superius innuimus de Philosophia naturali, et in qualibet alia scientia. Quis enim dicat ea, quæ respiciunt plantas aut animalia, contineri jam actu in veritatibus spectantibus ad tractatum de corporibus generatim? Sicut enim de animali ut sic aut ejus passionibus nequit demonstrari rationalitas aut risibilitas hominis, quia non actu, sed tantum potentialiter aut permissive continetur in animali, quatenus dari potest aliquod animal rationale; ita etiam nec ex planta ut sic licet demonstrari animal, aut planta ex generali ratione corporis, nisi aliunde accedant principia diversa. Si autem diversa principia adhibeantur ad ulteriores conclusiones demonstrandas, novi etiam habitus ponendi sunt pro varietate novi formalis motivi.

Cæterum si argumentum adversarii valeret, probaret a fortiori scientiam subalternantem et subalternatam ad eumdem habitum pertinere (1).

Objic. 5.° Scientia ponitur in prædicamento qualitatis. Atqui in prædicamento non ponitur qualitas ex multis qualitatibus composita. Ergo scientia non componitur ex multis partialibus habitibus.

Resp. in primis dici potest poni in prædicamento qualitatis, non totalem præcise scientiam, sed partialem, prout proinde importat habitum simplicem.

Deinde permitti potest, quod totalis etiam scientia ponatur in prædicamento, quin obstet compositio ejusdem ex multis, nam, ut superius notavimus cum Eximio Doctore, etiam sanitas et pulchritudo componitur ex multis qualitatibus, et tamen in prædicamento reponitur (2).

ARTICULUS IV.

De scientiarum subalternatione.

Quid subalternatio generatim.

295. Nomine subalternationis intelligitur generatim subordinatio vel dependentia unius scientiæ ab alia. Scientia, quæ ab altera pendet, *subalternata;* illa vero a qua pendet

(1) Cfr. Lossada, loc. cit. cap. 6, n. 29.

(2) Cfr. Lossada, ib. n. 32, apud quem vide plura, toto illo capite 6.

Duplex est: altera impropria, altera propria.

altera, *subalternans* vocatur. Duplex autem est subalternatio, alia impropria, quæ quamcumque dependentiam et subordinationem importat, altera propria, quæ importat dependentiam unius ab alia scientia in ratione scientiæ ita, ut illa, quæ dependet, scientia non sit, nisi quatenus cum altera, a qua pendet, conjungatur, ab ea videlicet accipiendo principia, quibus probet ac manifestet suas conclusiones.

Trifariam considerari potest subalternatio: α) ratione finis: β) ratione principiorum: γ) ratione subjecti. Et ratione quidem finis illa scientia dicitur alteri subalternari, cujus finis est aliquo modo sub fine illius: quo pacto ars frenofactiva subalternatur equestri, et hæc militari, et hæc politicæ. Ratione principiorum ea dicitur alteri subalternari, cujus principia in illa demonstrantur: sic Medicina subalternatur Philosophiæ naturali, quia prima illius principia sunt conclusiones in hac demonstratæ. Ratione denique subjecti ea subalternatur alteri, cujus subjectum sub illius subjecto continetur, quia nempe illo contractius est. Id vero bifariam fieri potest, docente Angelico (1): primo modo, quando subjectum subalternantis contrahitur per differentiam essentialem seu specificam, vel ut scribit S. Doctor, *quando subjectum unius* (subalternatæ) *est species subjecti alterius, sicut homo est species animalis, et animal est species corporis naturalis: ideo scientia de animalibus subalternata est scientiæ naturali* (2). Alio modo, quando subjectum subalternantis contrahitur per differentiam accidentariam, ut numerus, subjectum Arithmeticæ, contrahitur per differentiam *sonori*, et constituit objectum Musices: vel ut exprimit S. Thomas, *quando subjectum inferioris scientiæ non est species subjecti superioris scientiæ, sed se habet ad illud ut materiale ad suum formale: per quem modum Perspectiva se habet ad Geometriam. Geometria enim agit de linea et aliis dimensionibus absolute et formaliter, ad nullam materiam applicando, non enim agit de linea in ligno vel ære; sed Perspectiva agit de linea secundum quod est in aliqua materia, in qua videri possit, unde agit de linea visuali. Linea enim visualis non est species lineæ, sicut*

Trifariam considerari subalternatio potest.

(1) Opusc. *de Natura generis*, c. 14.
(2) Ibid.

nec triangulus ligneus est species trianguli: differentia enim non sumitur a materia. Et hæc est ratio, quare non est aliqua specialis scientia de linea recta vel circulari, sicut est de linea visuali, quia rectum et circulare sunt propriæ differentiæ lineæ, visuale autem non, sed est alterius et extraneæ naturæ; et ideo scientia specialis est de linea visuali, et non de linea recta vel circulari (1).

Quænam sit propria.

Ex hisce porro tribus subalternationis generibus, nec primum nec secundum proprie dictam subalternationem præ se fert, sed solum tertium, prout communissime testantur auctores cum S. Thoma (2) et S. Bonaventura (3). Subalternatio enim ratione finis, quæ solet reperiri in scientiis practicis, valde est imperfecta, cum non importet dependentiam unius scientiæ alteri, in ratione scientiæ ac perfectæ cognitionis rei; sed solum præbeat altera alteri scientiæ ministerium aliquod aut imperium. Aliud autem est alteram scientiam alteri subjici, quia hæc actus illius imperare ac regulare debet; et aliud subjici secundum manifestationem veritatis, quia nempe altera dependet ab altera in cognitione sui objecti, quod importat subalternatio, quam tractant Logici. Et ob eamdem causam non est propria subordinatio illa, quæ petitur ex principiis, ex eo nempe quod una scientia desumat ex alia quædam principia. Hoc enim solum arguit connexionem mutuam inter scientias, minime vero dependentiam illam majorem, qua una scientia dicatur vere ab alia pendere in ratione scientiæ, nempe secundum evidentiam et manifestationem suarum conclusionum. Restat ergo, ut tertium genus subordinationis constituat subalternationem illam propriam, quam solent Logici speciali disputatione tractare. Non enim aliam intendunt tractare subalternationem præter illam, quæ necessariam atque essentialem dependentiam importat in esse scientiæ.

---

(1) Ibid. Cfr. *de Trinit. super Böetium*, q. 4, a. 1, ad 5.um Vide præterea de his Fonseca, lib. 4, cap. 1, q. 2; Conimbric. lib. 1.° *Poster.*, c. 10, q. 2, a. 1; Complut., *Log.*, disp. 19, q. 1; Joann. a S. Th., *Logic.*, q. 26, a. 2.

(2) Opusc. cit.

(3) *Prolog. in lib. Sentent.*, q. 2, *Quod objicitur...*

Immo in ipso tertio genere non quilibet modus contractionis subjecti, sed solum secundus, in quo subjectum subalternantis contrahitur per differentiam accidentariam, ad subalternationem veri nominis requiritur, quemadmodum contra paucos (1) tenet communissima sententia (2).

Et ratio est, quia ea scientia est in rigore alteri subordinata, quæ ab illa dependet in esse scientiæ, et proinde nisi ab illa acciperet prima principia, non posset rationem dignitatemque obtinere scientiæ, ut modo exposuimus (3). Atqui talis est dumtaxat scientia illa, cujus objectum contrahit objectum subalternantis accidentaliter, non vero illa, cujus objectum est objectum subalternantis contractum essentialiter, seu per differentiam essentialem et specificam. Nam scientia, cujus objectum addit specificam differentiam supra objectum subalternantis habet in se, unde probet suas conclusiones, atque adeo sine recursu ad aliam potest habere esse ac rationem scientiæ. Siquidem specifica illa differentia, quam superaddit objecto scientiæ subalternantis, est vera radix ac fons passionum, quæ proinde per illam, tamquam per primum principium, demonstrari a priori poterunt. Sic scientia de homine ea, quæ propria sunt hominis, demonstrat ex propriis principiis, quin recurrendum sit ad scientiam de animali, vel de viventibus, vel de corpore generatim, quarum objecta per specificam differentiam contrahuntur per objectum scientiæ de homine. Unde subalternatio hujusmodi orta ex contractione objecti per differentiam essentialem reperiri solet in partibus unius ejusdemque scientiæ, ut patet in adducto exemplo, secus ac subalternatio stricta, quæ non viget nisi inter scientias distinctas. Objectum enim contractum per differentiam essentialem exhibet species ejusdem: ad unam autem eamdemque scientiam spectat subjectum et species ejus præcipuas tractare.

At vero quando in objecto alicujus scientiæ subalternantis ex conjunctione cum aliqua differentia accidentali et extra-

(1) Apud Suar., disp. *Met.*, 1, sect. 5, n. 46; Complutens., loc. cit, n. 8.

(2) Vide eosdem hosce AA., et Conimbric., ac Fonsec., loc. cit.

(3) Cfr. Suar., ib. n. 47.

nea novæ passiones resultant, ut sic novum objectum scibile efflorescat scientiæ subalternatæ contemplandum, hæc non potest prædictas passiones investigare, nisi suppositis iis, quæ superiores scientiæ disputant, potissimum de tali differentia accidentaria. Sic v. g. Musica est scientia proprie subalternata Arithmeticæ, quia tamquam objectum considerat *numerum sonorum*, objectum nempe Arithmeticæ contractum per differentiam *sonori*, quæ accidentaria est et extranea illi, quandoquidem ejus consideratio spectat ad Physicam seu Philosophiam naturalem: in numero autem sonoro adsunt passiones propriæ, nempe consonantiæ, quæ nec enascuntur ex numero secundum se, nec ex sonis, sed ex applicatione numeri ad sonos, seu ex conjunctione numeri cum sonoro. Cæterum istæ passiones cognosci nequeunt scientifice sine recursu ad passiones et proprietates numerorum, ac proinde principia sua mutuatur ex Arithmetica. Simili modo Perspectiva, cujus objectum est linea visualis, proprie subalternatur Geometriæ, ad quam spectat consideratio lineæ; et Medicina similiter subalternatur Physicæ, quia contemplatur corpus ut curabile (1).

Unum tamen nota, non quamlibet differentiam accidentariam sufficere ad constituendum objectum scientiæ subalternatæ, secus enim daretur scientia v. g. de linea calida vel dulci, aut de numero nigro etc., sed talem requiri differentiam accidentalem seu extraneam, ex cujus conjunctione cum objecto superioris scientiæ resultet novum genus scibilis (2). Est ergo hæc inter subalternantem et subalternatam scientiam differentia, quod subalternans procedit ex propriis principiis, per se notis, subalternata vero procedit ex principiis non per se notis, sed in lumine scientiæ subalternantis. Ex iis, quæ hactenus disputata sunt, derivantur.

Conditiones ad perfectam subalternationem requisitæ: prima,

Conditiones ad perfectam propriamque subalternationem necessariæ. Prima est, ut subjectum subalternatæ scientiæ contineatur sub objecto subalternantis, ita ut hoc de illo prædicari possit in *quid*. Ita numerus, objectum Arithmeticæ,

(1) Cfr. Conimbric., loc. cit., a. 1, *In hac perfecta subalternatione*; Complut., loc. cit., n. 7.

(2) Vide Suar., disp. *Met.* 1, sect. 5, n. 49, 50; Complut., aliosque AA., locis cit.

prædicatur de numero sonoro, objecto Musices, et corpus animale, objectum partiale Physices, ad quam spectat considerare ens mobile, ac proinde etiam corpus vivum et animale, de corpore ut sensibili, quod est objectum Medicinæ.

secunda, **Secunda** est conditio, ut subjectum subalternatæ superaddat aliquam differentiam accidentariam et extraneam: talis est v. g. diferentia *sonori* vel *sanabilis* in allatis nuper exemplis. Ubi unum probe nota, passionem seu proprietatem non posse esse differentiam aptam ad hoc, ut adjecta subjecto alicujus scientiæ constituat subjectum scientiæ subalternatæ. Quia licet passio sit accidens in sensu metaphysico, nihilominus non est aliquid extraneum a suo subjecto, sed ab eo necessario dimanans: unde etiam tractatur ab eadem scientia quæ subjectum considerat: immo id est proprium cujusvis scientiæ, ut pas-

tertia. siones ac proprietates subjecti sui demonstret. **Tertia** conditio est, ut principia omnia, vel saltem pleraque, mutuetur scientia subalternata a superiori scientia, cujus sunt conclusiones a priori demonstratæ vel demonstrabiles (1). Ita Medicinæ prima principia sunt conclusiones Physices: unde manavit illud proloquium: *Ubi desinit Physicus, incipit Medicus*. Quare subalternata scientia non habet propria principia, sed principia ejus sunt conclusiones scientiæ subalternantis.

Quorumdam opinatio circa tertiam conditionem

Non desunt plures auctores, qui notent hanc tertiam conditionem ita esse per se atque essentialiter requisitam, ut si sola adsit, etiam reliquis deficientibus, sufficiat ad veram subalternationem (2). Alii tamen, non contenti hac sola conditione, cæteras etiam, quas modo declaravimus, requirunt (3).

In hac diversitate loquendi certum planumque est, scientiam ab alia dependentem in omnibus suis principiis eidem subalternari. Etenim propria subordinatio importat dependen-

---

(1) Vide Cajetan., tract. de *Subalternat. scientiar.*; Rub. *Log.*, lib. 1.° *Post.*, tract. de *Subaltern. scient.*; Lossada, *Log.*, tract. 6, disp. 2, cap. 4, n. 13.

(2) Vide Cardin. Cajet. in 1.am part., quæst. 1, art. 2; Valentia, in 1.am part., disp. 1, quæst. 1, punct. 3, parag. 2; Cosm. de Lerma, *Logic.*, lib. 8, quæst. 13, *Dico igitur* 1.°

(3) Vide v. g. Suar., disp. 1, *Metaph.*, sect. 5, n. 48, seqq.; Tolet. in 1.am part., quæst. 1, art. 2, quæst. 2.a; Jacobum Granadum, in 1.am part., tract. de *Natur. Theolog.*, disp. 6, n. 6.

tiam unius scientiæ ab alia *in ratione scientiæ*, seu *quoad manifestationem suarum conclusionum*. Atqui si aliqua scientia universaliter, ac per se desumat ab alia principia sua, vere dependet ab illa in ratione scientiæ.

Dubitari tamen potest, utrum aliqua scientia dependeat ab alia in omnibus suis principiis, si objectum illius non addat etiam differentiam accidentalem objecto alterius; nempe dubium esse potest, utrum tertia ex prædictis conditionibus dari possit sine duabus prioribus. Nam certum videtur, in omnibus exemplis propriæ subalternationis in humanis scientiis tres illas omnes conditiones adesse. Adducitur quidem a multis exemplum Theologiæ dogmaticæ, quæ subalternata esse dicitur scientiæ Dei ac Beatorum, quamvis objectum Theologiæ non addat differentiam accidentalem objecto scientiæ Dei ac Beatorum, sed sit unum idemque cum illo. Verum valde controvertitur inter Philosophos ac Theologos, utrum Theologia sit proprie et stricte subalternata scientiæ Dei et Beatorum, ut mox dicemus.

Adversus hactenus traditam doctrinam

296. **Objic.** 1.° Si objectum subalternatæ scientiæ addit supra objectum subalternantis differentiam accidentariam et extraneam, non erit unum per se, sed unum per accidens, aggregatum nempe ex objecto superioris scientiæ et differentia accidentali. Atqui superius præceptum ostensumque fuit, objectum scientiæ debere esse unum per se. Ergo falsa est doctrina tradita, circa conditiones et naturam scientiæ subalternatæ.

Resp. Varie solvunt auctores hoc argumentum apud Rubium (1), Joannem a S. Thoma (2), et Complutenses (3). Optima vero videtur Rubii, Joannis a S. Thoma, Toleti (4) ac Georgii Rhodes (5) responsio, nempe «scientiam subalternatam non habere pro subjecto illud aggregatum, ut est ens per accidens constitutum ex accidentali differentia et subjecto

(1) *Log.*, lib. 1.° *Post.*, tract. de *Subaltern. scient.*, n. 25-29.
(2) *Log.*, q. 25, art. 2, *Ad secundum*.
(3) Loc. cit. q. 2, a n. 17.
(4) *Logic.*, lib. 1.° *Poster.*, cap. 7, quæst. 1, *Ex quo elicere potes.*
(5) *Philos. perip.*, lib. 4, disp. 1, q. 1, sect. 3, *Ad secundam.*

superioris scientiæ, sed respicere unum illorum per se, non tamen absolute, sed ut modificatum et connotatum per alium; v. g. Perspectiva agit de visuali, quatenus modificatur et connotat lineam. Et sic non est inconveniens, quod aliquod subjectum sit scibile per se, et fundet veritates necessarias, licet ad fundandum illas requirat tamquam de connotato et in obliquo aliquid accidentale. Plures enim sunt proprietates vel proportiones, quæ non conveniunt alicui rei absolute, sed supposito aliquo statu vel conditione, sibi quidem accidentali, sed per se requisita, ut talis proprietas dimanet. Sicut ad lapidem quies non sequitur absolute, sed prout in centro, sic aliquæ proprietates vel proportiones sequuntur ad visuale vel sonorum, non absolute, sed ad visuale, ut est in linea, et ad sonorum, ut est in numero. Et ita non conveniunt constituto et aggregato per accidens, sed uni per se cum connotatione alterius» (1).

Objic. 2.° Ex præjacta doctrina scientia subalternans et subalternata distinguuntur, et quidem specifice. Atqui nequeunt distingui specifice. Nam scientiæ distinguuntur specie secundum objecta; objectum autem subalternatæ est idem ac subalternantis, accidentaliter dumtaxat variatum.

Resp. *neg.* Minor. Ad probation. *dist.* Minor. In esse rei, *conc.*, in esse objecti scibilis, *neg.* Nam in subjecto subalternantis, accedente tali differentia extranea, resultant novæ rationes ac veritates cognoscendæ ex principiis superioris scientiæ illius (2).

Objic. 3.° Metaphysica probat, ac defendit cæterarum omnium principia. Ergo est subalternans respectu illarum. Atqui tamen objecta aliarum non addunt supra objectum Metaphysicæ, quod est ens in quantum ens, differentiam accidentalem, quandoquidem enti, utpote transcendenti, nihil accidentale superaddi potest. Ergo.

Resp. *dist.* antec., aliqua principia, *trans.*, omnia, *subdist.*, probat ac defendit illa, a priori ostendendo, *neg.*, deducendo ad impossibile, *conc.*

---

(1) Joann. a S. Thoma, loc. cit. Cfr. Rub. et Complutens.

(2) Cfr. Rub., loc. cit n. 28 et 29; Joann. a S. Thoma., loc. cit. ad 3.am

Dist. conseq. Et subalternans proprie et in rigore, *neg.*, subalternatione impropria et latiori, *conc.*

Et concessa Minori subsumpta, *neg.* conseq. Omnes namque aliæ scientiæ principales habent sua propria principia, ad quæ demonstrationes suas resolvunt. Licet ergo accipiant quædam alia ex Metaphysica, sicut etiam ipsa Metaphysica mutuatur unum aut alterum ex Logica; non ideo totaliter dependent in ratione scientiæ a Metaphysica, ac proinde proprie ac simpliciter non illi subalternantur, sed solum improprie et secundum quid. (1).

Objic. 4.° Objectum scientiæ subalternatæ duplicem habet partem, quarum altera est objectum scientiæ subalternantis, altera vero est conditio illa differentiæ accidentariæ addita supra illud. Ergo non erit major ratio, cur uni subalternetur scientia illa potius, quam alteri: ac proinde neutri subalternabitur, vel utrique.

Resp. *neg.* conseq. Nam illi subalternatur, a qua magis dependet; dependet autem magis ab ea, a qua sumit subjectum, siquidem ex eadem etiam derivat fere sua principia (2).

Plura, si velis, apud Complutenses (3), Joannem a S. Thoma (4) et alios require.

297. Nunc autem occurrit illud dubium

§ I.—UTRUM SCIENTIA SUBALTERNATA EXISTENS IN ALIQUO SINE SUBALTERNANTE, RATIONEM HABEAT VERÆ SCIENTIÆ.

Constat experientia posse aliquem, callere scientiam subalternatam sine subalternante, puta Musicam sine Arithmetica, Medicinam sine Philosophia naturali, et quæritur, num in tali homine cognitio scientiæ subalternatæ veri nominis scientia foret, an potius mera opinio. Quæstio proinde non est, utrum scientia subalternata sit in seipsa scientia, sed utrum sit scientia in eo, qui subalternantem ignorat. Nam objective et in se ipsa scientia est; sicut etiam est in

(1) Vide Suar., egregie disputantem de hoc, in disp. 1.ª *Metaph.* sect. 5, n. 51, 52.

(2) Cfr. Rub., loc. cit. n. 30; et Lossada, loc. cit. n. 14.

(3) Loc. citato, q. 2.

(4) Loc. cit., a. 2.

eo, qui tenet subalternantem, ille enim cognoscit evidenter et conclusiones et principia, illasque novit in hæc resolvere. At vero quia principia subalternatæ scientiæ sunt conclusiones demonstratæ a subalternante, qui hanc ignorat, etiamsi subalternatam cognoscat, nescit revera conclusiones in principia resolvere.

Prima sententia,

Prima ergo sententia in hanc rem affertur, negans subalternatam esse veri nominis scientiam in eo, qui caret scientia subalternante. Pro qua citantur Soncinas (1), Suarez (2), Vazquez (3), Valentia (4) aliique. Et pro hac allegantur quædam testimonia S. Thomæ (5).

secunda.

Altera est sententia docens scientiam subalternatam, etiam sine subalternante, posse esse veri nominis scientiam, imperfectam tamen. Ita docent Cajetanus (6), Dominicus Soto (7), Complutenses (8) et Joannes a S. Thoma (9), qui dicunt hanc esse communem Thomistarum sententiam et S. Thomæ, cujus plura in hanc rem congerunt loca (10). Et Sanctus quidem Doctor non semel innuit eum, qui subalternatam scientiam habet, etiamsi subalternantem ignoret, fide tenere conclusiones hujus, quæ sunt prima principia subalternatæ scientiæ (11), quæ proinde hoc modo scientia esse possit, licet imperfecta, utpote quæ prima principia fide accipiat, *sicut Musica* credit *principia* tradita *sibi ab Arithmetico*, et ex illis conclusiones sibi proprias demonstret. Ex qua doctrina colligit etiam Aquinas, sacram Theologiam esse veram scientiam, quia fide accipiendo prima principia reve-

(1) Lib. 2.° *Metaph.*, q. 6.
(2) Disp. 1. *Metaph.*, sect. 5, n. 47.
(3) Vazquez, in 1.am part., q. 1, disp. 4, cap. 5 et 6.
(4) Valentia, in 1. p., disp. 1, q. 1, punct. 3.
(5) *De Verit.*, q. 14, a. 9; 3.° dist. 33, q. 1, a. 2, solut. 4.
(6) *Tract. de Subaltern. scient.*, c. 13; et in 1. p. q. 1, a. 2.
(7) Lib. 1. *Poster.*, c. 11, q. 5.
(8) Loc. cit., q. 3.
(9) *Log.*, loc. cit., a. 3.
(10) 1. p. q. 1, a. 2; *De Verit.*, q. 14, a. 9, ad 3.um; Opusc. 70 *de Trinit. sup. Boet.* q. 3, a. 2, ad 5.um 6.um et 7.um; Lib. 1. *ad Hannibald.*, dist. 1, q. 1. a. 1.
(11) Vide S. Th., 1. p. q. 1, a. 2, et lib. 1.° *ad Hannib.*, dist. 1, q. 1, a. 1.

lata ex superiori scientia, nempe Dei et Beatorum, procedit ad probandas suas conclusiones (1).

Vereor tamen ne forte sit inter has duas oppositas sententias controversia magis de voce, quam de re. Persuadere enim mihi non possum, auctores negantes scientiam subalternatam in eo, qui non habet subalternantem, veri nominis scientiam esse, in eo fuisse animo, ut negarent eum, qui ignorat subalternantem scientiam, posse assequi cognitionem certam atque evidentem subalternatæ, saltem demonstratione *quia* et a posteriori. Quæ conjectura, si quidpiam valet, jam utraque sententia in concordiam vocatur. Itaque sit

Conciliantur sententiæ.

298. PROPOSITIO. **Scientia subalternata in eo, qui caret subalternante, non potest esse scientia perfecta et *propter quid;* potest tamen esse imperfecta et *quia*.**

Prima pars constat. Quia scientia perfecta et propter quid importat cognitionem certam atque evidentem derivatam ex demonstratione per causam proximam. Atqui cognitio callentis dumtaxat subalternatam, non est hujusmodi. Siquidem causæ ac principia conclusionum subalternatæ continentur in subalternante. Ergo...

Probatur vera doctrina.

Secunda pars non minus est manifesta. Nam qui ignorat subalternantem v. g. Musicus aut Medicus, potest evidenter demonstrare per experientiam et ab effectibus principia, quibus utitur ad demonstrandas conclusiones subalternatæ: quæ principia sunt conclusiones demonstrabiles in superiori scientia. Tunc ergo ille, qui solam tenet subalternatam, scit quidem conclusiones per demonstrationem, non tamen habet perfectam scientiam, quæ fructus est demonstrationis propter quid dumtaxat.

Alio modo etiam declarari potest res ex doctrina Angelici superius indicata. Qui enim ignorat superiorem scientiam, potest certitudine saltem morali credere, et sic supponere absque hæsitatione principia, quæ inde sumenda sunt ad probandas conclusiones scientiæ subalternatæ. Nam quemadmodum alibi innuimus, non repugnat testimonium doctrinale sapientium, si potissimum conveniant communiter in

(1) Locis cit, et *de Verit.*, q. 14, a. 9, ad 3.um

aliqua assertione, et spectata etiam indole quarumdam scientiarum, quæ majori gaudent evidentia, nec obnoxiæ sunt opinionum varietati, moralem certitudinem gignere.

Demonstrationes ergo quæ hoc modo suppositis per fidem atque auctoritatem humanam principiis instituantur in scientia subalternata, aliquam habent certitudinem, nec penitus carent evidentia saltem extrinseca et in attestante; nihilominus perfectam scientiam non gignent in eo, qui talia principia sola tenet fide, tum propter imperfectionem moralis certitudinis, tum propter defectum evidentiæ intrinsecæ principiorum. Nam qui principia solum tenet ob auctoritatem sapientium, nequit revera dici *scire rationem causasque* conclusionum. Hæc tamen altera explicatio non arridet iis, qui ad rationem scientiæ requirunt evidentiam intrinsecam, et certitudinem metaphysicam vel physicam, nec sunt contenti sola morali (1).

Quæ cum ita sint, apparet, cur scripserit Philosophus (2), ad scientiam subalternantem spectare scire *propter quid*, ad subalternatam vero *quia*. Tunc enim conclusiones sciuntur propter quid, quando reducuntur ad sua principia indemonstrabilia. Jam vero subalternata sistit in principiis suis, quæ sunt conclusiones subalternantis, eaque nescit probare, nisi ad summum ex effectibus per experientiam, cum e converso illa demonstret scientia subalternans, reducendo ad prima principia indemonstrabilia. Ergo scientia subalternata solum potest a priori conclusiones suas demonstrare, in quantum continuatur cum subalternante, ipsa vero sibi relicta nequit probare suas conclusiones, nisi demonstratione *quia*. Vide plura de his apud Conimbricenses (3), et Rubium (4).

299. Alterum ocurrit dubium in hac re:

---

(1) Cfr. Lossada, loc. cit., n. 16, in fine nempe Logicæ; Conimbricens., lib. 1. *Posterior.*, cap. 10, quæst. 2, art. 2; Rub., loc. cit., n. 34; Valent in 1.am part., disp. 1, q. 1, punct. 3, paragr. 2, *Atque hanc sententiam;* Arrubal in 1.am part. disp. 4, cap. 6, n. 25, 26.

(2) Lib. 1.° *Posterior.*, cap. 10.

(3) Loc. cit. art. 3.

(4) Loc. cit. n. 34.

§ II.—UTRUM THEOLOGIA NOSTRA SCHOLASTICA, QUÆ EX PRINCIPIIS FIDE DIVINA COGNITIS CONCLUSIONES DEMONSTRAT, DEUM DIVINAQUE OPERA RESPICIENTES, SIT SCIENTIA SUBALTERNATA SCIENTIÆ DEI ET BEATORUM.

Cajetani doctrina,

Qua in re docet Cajetanus (1), Theologiam hanc nostram, quam in hac vita acquirimus, bifariam considerari posse: primo modo prout est hic in nobis, qui non habemus evidentiam principiorum Theologiæ, quæ sunt veritates revelatæ; secundo modo secundum se, nempe quatenus habere potest alium statum in altera vita; existimat enim hunc eumdem habitum Theologiæ mansurum esse in Beatis. Et primo modo spectatam sentit Theologiam nostram non esse proprie et univoce subalternatam, siquidem, ut sic, non est evidens etiam dependenter ab ulla alia scientia, sicut sunt scientiæ subalternatæ; at vero secundo modo consideratam, esse proprie subalternatam scientiæ Dei ac Beatorum. Et eadem est mens Dominici Bañez quoad rem ipsam (2), itemque Joannis a S. Thoma (3), et aliorum.

et aliorum.

Contraria sententia,

Contrarium docent inter alios Franciscus Sylvius (4), et Gregorius de Valentia (5). Qui concedunt Theologiam esse subalternatam improprie et secundum quamdam similitudinem, negant tamen proprie atque in rigore. Et ratio est, quia ad rationem strictæ subalternationis requiritur diversitas objectorum scientiæ subalternantis et subalternatæ, quæ diversitas in eo consistit, quod objectum subalternatæ addat differentiam accidentalem objecto subalternantis. Atqui objectum Theologiæ nostræ et scientiæ divinæ ac Beatorum unum idemque est. Ergo...

quomodo probetur.

Præoccupatur hæc probatio.

Hoc tamen argumentum præoccupat Cajetanus dicens essentiam subalternationis sitam esse in dependentia subalternatæ scientiæ a subalternante quoad evidentiam conclusionum, ita ut principia, unde subalternata argumentatur, non

(1) In 1. p. q. 1, a. 2.

(2) In 1. p. q. 1, a. 2, apud Valentia, in 1.am part. dist. 1, q. 1, punct. 3, paragr. 2.

(3) *Log.*, q. 26, a. 2, *Ad primum*.

(4) In 1.am part. q. 1, art. 2, quæst. 1.

(5) In 1.am part. disp. 1, quæst. 1, punct. 3, paragr. 2.

sint evidentia nisi per subalternantem, ac proinde ab hac illa dependeat in esse scientiæ. Et quoniam hoc generatim non obtinetur, nisi quando objectum subalternatæ est objectum subalternantis contractum per accidentalem differentiam, ideo plerumque hanc requiri conditionem ad veri nominis subalternationem, quamvis ea non sit absolute ac per se necessaria ad subalternationem, si aliter obtineri possit prædicta dependentia (1). Quæ responsio si detur, controversia hæc tota quanta revocatur ad conditiones ad subalternationem requisitas.

aliæ probationes.

Aliud etiam argumentum fieri potest ex doctrina P. Gregorii de Valentia in hunc modum. Proprium est scientiæ subalternatæ, ut manifestationem atque evidentiam suarum conclusionum habeat ex principiis subalternantis. Atqui Theologia hæc nostra non habet evidentiam ac manifestationem suarum conclusionum per principia scientiæ Dei aut Beatorum. Quia Theologia, prout est hic in nobis, nullam habet evidentiam suarum conclusionum, nemo enim in hac vita evidentiam assequitur principiorum, utpote quæ sola fide ac revelatione divina, ac proinde obscure, cognoscuntur: unde consequens est, conclusiones omnes ex hujusmodi principiis derivatas eadem obscuritate laborare. Sed neque etiam evidentiam obtinebunt hæ conclusiones Theologiæ nostræ in altera vita, quando per beatam visionem clare percipientur eadem principia, quæ nunc sola fide novimus. Quia tunc jam non aderit amplius hic habitus Theologiæ, qui natura sua obscurus est, sed alter evidens ejus loco (2).

Addi etiam posset, quamvis idem hic habitus Theologiæ perseveraret in altera vita, adhuc non fore illam scientiæ Beatorum subalternatam. Quia Beati cum in visione divina clare perspicient principia fidei, unde pendet scientia theologica, illa non cognoscent scientia proprie dicta, sed immediate cognoscent in Verbo instar primorum principiorum. Itaque visio illa principiorum respectu Theologiæ ita se habebit, sicut se habent habitus primorum principiorum indemonstrabilium respectu scientiæ in illis fundatæ. Atqui habitus

(1) Vide Cajetan., loc. cit. Cfr. superius dicta in fin. n. 295.
(2) Vide hæc fuse dilatata apud Gregorium de Valentia, loc. cit.

principiorum indemonstrabilium nequit dici scientia subalternans respectu habitus conclusionum, quæ ex illis derivantur, sed unam eamdemque scientiam conflat uterque habitus. Ergo videtur habitus Theologiæ non esse proprie scientia subalternata scientiæ Dei ac Beatorum, etiamsi supponatur in altera vita permanere.

ARTICULUS V.

Generalis divisio et coordinatio scientiarum.

Ratio tractationis.

300. Quamvis superius plures traditæ sunt divisiones diversorum generum scientiæ, nondum exposuimus divisiones petitas ex rebus ipsis tractandis: id quod nunc præstandum est. Ratio autem hujus consilii est, quia cum actus et habitus scientiæ sint plures, quemadmodum ex superius disputatis elucet, oportet illas in aliquem ordinem redigere ad vitandam confusionem: quod munus est sapientis, docente Aristotele (1) et S. Thoma (2). Id unum in antecessum notatum volumus, divisionem hanc artificialem esse, ac proinde ut facta recte censeri debeat, non requiri, ut sit unica, quæ recte fieri possit, sed sufficere, ut fundamentum habeat in rebus ipsis, legesque servet in Dialectica assignatas.

Divisio Philosophiæ a Platone tradita.

Veteres cum Platone (3) Philosophiam in *rationalem*, *naturalem* vel realem, si mavis, et *moralem* dividebant. Rationalis Logicam, naturalis vel realis Mathesim, Physicam et Metaphysicam, moralis doctrinam de moribus complectebatur. Ratio hujus divisionis hæc est: scientiæ recte dividuntur pro diversa objecti contemplandi ratione. Atqui objectum in sua maxima amplitudine, a quavis scientia contemplandum; est ens; hujus vero tria extant suprema genera: ratio-

(1) Lib. 1.° *Met.*, cap. 2.

(2) In Procem. lib. 1 *Ethicor.*, et lib. 1 *Metaph.*, lect. 2.

(3) *Fuit jam a Platone accepta philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus, altera de natura et rebus occultis, tertia de disserendo, et quid verum, et quid falsum, quid rectum in oratione pravumque, quid consentiens, quid repugnans, judicando* (Cicero, *Academ.* lib. 1, n. 6). Vide etiam S. August., lib. 8. *de Civit. Dei*, cap. 4.

nale, reale et morale. Ens reale complectitur omnem rationem intelligibilem a mentis consideratione independentem; ens rationale, actus rationis artificiose dirigendos ad veritatis assecutionem; ens demum morale, actus ad bonum dirigendos (1). Eamdem partitionem secuti sunt Stoici, ut late refert Läertius Diogenes in vita Zenonis; eamdem Cicero in libris de Oratore ad Quintum fratrem (2): eamdem denique magnifice laudat S. Augustinus (3), ut videre est apud Fonseca (4).

Communior divisio inter Scholasticos.

At generalis partitio, quæ inter Scholasticos prævaluit, ea est, qua speculativæ scientiæ distribuuntur in Physicam, Mathesim et Metaphysicam. Quod ut amplius declaretur, sit

301. PROPOSITIO. 1.a **Inspecto diverso abstractionis gradu a materia, scientia speculativa generalissime dividitur in Physicam seu Philosophiam naturalem, Mathesim et Metaphysicam** (5).

Partitio vera scientiarum speculativarum probatur.

Prob. 1.° Generalis divisio optime desumitur ex diversis gradibus abstractionis a materia, quæ spectari in objectis potest. Atqui tres sunt generalissimi gradus abstractionis a materia, nempe abstractio solum a materia individuali, abstractio a materia sensibili, et abstractio ab omni materia, etiam intelligibili. Ergo scientiæ speculativæ recte dividuntur in tria genera huic triplici gradui abstractionis respondentia. Atqui Physica seu Philosophia naturalis contemplatur rationes abstrahentes solum a materia individuali, nempe ens mobile, quod materiale est, ac sensibilibus mutationibus obnoxium; Mathesis vero ens quantum, quod adhuc materiale est, præscindit tamen a mobilitate mutationibusque sensibilibus; Metaphysica demum ens immateriale. Ergo...

---

(1) De hac divisione vide Conimbric., *Proœm. Physic.*, initio, *De duplici Philosophiæ distributione.*

(2) Lib. 1,

(3) Lib. 8. *de Civit. Dei*, cap. 4, et lib. 11, cap. 25.

(4) *Met.* lib. 2, cap. 3, q. 3, sect. 3, *Confirmari potest...*

(5) Non defuere tamen, qui Mathesim non esse proprie scientiam voluerunt, quia nempe sæpissime non utitur demonstrationibus propter quid. Vide Benedict. Perer. *De Communibus* etc., lib. 1, cap. 12.

Major constat, quia singuli gradus abstractionis a materia diversissimam suppeditant segetem cognoscendarum rerum.

Reliqua etiam patent ex hactenus dictis in toto hoc capite.

Dices. Quantitas consideratur a Physico, cum sit accidens entis mobilis, nempe corporis sensibilis: immo et a Metaphysico, quia est unum ex prædicamentis, quorum tractatio spectat ad Metaphysicam. Ergo Mathesis, quæ habet pro objecto quantitatem, vel non distinguitur a Physica et Metaphysica, vel non est nisi pars harum scientiarum.

Resp. *dist.* antec. Quantitas consideratur a Physico vel Metaphysico aliter, ac consideratur a Mathematico, *conc.*, eodem modo, *neg.* Et *neg.* conseq.

Nimirum Physicus considerat quantitatem, quatenus est proprietas entis mobilis et sensibilium accidentium fundamentum; Metaphysicus autem, quatenus est unum ex summis rerum generibus, in quæ primo et immediate dividitur ens. At Mathesis respicit quantitatem, secundum illas affectiones et proprietates, quæ illi absolute, seu quatenus quantitas est, conveniunt (1).

Auctoritate S. Thomæ idem confirmatur.

Prob. 2.° Auctoritate tot tantorumque Doctorum, e quibus præcipue laudamus S. Thomam. Ubi nota in hac re, quæ multum pendet ex arbitrio sapientium, auctoritatem magni faciendam esse. Itaque *Speculabili*, inquit Angelicus, *secundum quod est objectum speculativæ potentiæ, aliquid competit ex parte potentiæ intellectivæ et aliquid ex parte habitus scientiæ, quo intellectus perficitur: ex parte quippe intellectus competit ei, quod sit immateriale, quia et ipse intellectus est immaterialis; ex parte vero scientiæ competit ei, quod sit necessarium, quia scientia de necessariis est, ut probatur.* 1.° *Posteriorum. Omne autem necessarium, in quantum hujusmodi, est immobile, quia omne quod movetur, in quantum hujusmodi, possibile est esse et non esse, vel simpliciter, vel secundum quid, ut dicitur* 10.° *Metaphysicorum. Sic igitur speculabili, quod est objectum speculativæ scientiæ per se competit separatio*

(1) Vide Conimbric., *Physicor.*, *Procem.* quæst. 1, a. 6, ad 5.um Item S. Thom. cum Arist., lib. 2.° *Physicor.*, lect. 3; Sylvest. Mauri, et alios Commentatores, in lib. 2.um *Physicor.*, cap. 3.

et a materia et a motu vel applicatio ad ea: et ideo secundum ordinem remotionis a materia et a motu scientiæ speculativæ distinguuntur.

Quædam igitur sunt speculabilium, quæ dependent a materia secundum esse, quia non nisi in materia esse possunt; et hæc distinguuntur, quia dependent quædam a materia secundum esse et intellectum, sicut illa in quorum definitione ponitur materia sensibilis, unde sine materia sensibili intelligi non possunt, ut in definitione hominis oportet accipere carnem et ossa. Et de his est Physica, sive scientia naturalis.

Quædam vero, quamvis dependeant a materia secundum esse, non tamen secundum intellectum, quia in eorum definitionibus non ponitur materia sensibilis, ut linea et numerus. Et de his est Mathematica.

Quædam vero sunt speculabilia, quæ non dependent a materia secundum esse, quia sine materia esse possunt, sive nunquam sint in materia, sicut Deus et Angelus, sive in quibusdam sint in materia, et in quibusdam non, ut substantia, qualitas, potentia et actus, unum et multa et hujusmodi. De quibus omnibus est Theologia, id est divina scientia, quia præcipuum cognitorum in ea est Deus: alio nomine dicitur **Metaphysica**, *id est* **Transphysica**, *quia post Physicam discenda occurrit nobis, quibus ex sensibilibus competit in insensibilia devenire. Dicitur etiam* **Philosophia prima**, *in quantum scientiæ aliæ ab ea principia sua accipientes, eam sequuntur.*

Non est autem possibile, quod sint aliquæ res, quæ secundum intellectum dependeant a materia, et non secundum esse, quia intellectus quantum est de se, immaterialis est. Et ideo non est quartum genus Philosophiæ præter prædicta (1). Similia repetit alibi S. Doctor (2). Videantur etiam Conimbricenses (3) et Benedictus Pereira (4), qui fuse hanc divisionem explanant ac tuentur (5).

---

(1) S. Th., Opusc. de *Trinit. super Böetium*, quæst. 5, a. 1.

(2) Vide lib. 1.° *Physicor.*, lect. 1, lib. 6.°; *Metaph.*, lect. 1; *de Sensu et sensato*, initio.

(3) *Proœm. in libros Physicor*, q. 1.

(4) *De Communibus* etc., lib. 1, cap. 5, et seqq.

(5) Aliæ divisiones videri possunt apud Fonsecam, lib. 2 *Metaph.*, cap. 3, q. 3, sect. 5; et Toletum in *Prolegomenis Physicor.*

Notandum tamen, jam inde a longo tempore, ex vulgari opinione sapientium, Mathematicos non solere recenseri inter Philosophos. Contra prædictam divisionem

Objici potest, quod in ea nec Logicæ nec moralis Philosophiæ mentio fiat, cum tamen videantur omnino ad Philosophiam hæ duæ disciplinæ pertinere. Objectio;

Ad hanc difficultatem, quantum respicit moralem Philosophiam, respondet Joannes a S. Thoma (1) eam scientiam, si sumatur practice, idem esse cum prudentia, quare non inter habitus speculativos, sed inter practicos recensendam esse; si vero sumatur speculative pro scientia ethica, quæ tractat de natura virtutum, pertinere ad Philosophiam, et esse partem illius scientiæ, quæ agit de Anima, ut est actus corporis, et consequenter de moralibus ejus. Quantum autem difficultas respicit Logicam, respondet tum ipse Joannes a S. Thoma (2), tum Cosmas de Lerma (3), Logicam abstrahere ab omni materia *negative*, ac proinde aliter, ac abstrahit Metaphysica, et sic diversam ab hac scientiam esse; licet non eodem pacto explicare videantur istam negativam abstractionem. solvitur a quibusdam.

Nulla harum explicationum mihi placet: non prima, quia existimo Philosophiam moralem diversam esse scientiam ab ea, quæ agit de Anima, ut est actus corporis, nempe a Psychologia, nec ullum hactenus vidi Auctorem, qui Moralem tractaret tamquam partem Psychologiæ aut Philosophiæ naturalis. Itaque censeo ideo Moralem non esse numerandam, nec numerari communiter ab auctoribus Scholasticis in generali divisione Philosophiæ vel scientiarum speculativarum, quia non est scientia speculativa, sed practica (4), ut expres- Solutio auctoris.

(1) *Log.*, q. 27, a. 1, *Solvuntur argumenta*, in resp. 1.i arg., *Ad primum ergo exemplum.*

(2) Ibid.

(3) *Log.*, lib. 8, q. 15, in respons. ad 3.um arg.

(4) «De Philosophia morali *omnes*, quod sciam, pronuntiant eam esse *scientiam simpliciter practicam*. Habet illa quidem suas speculativas notitias et conclusiones... quia tamen hæc omnia Moralis non considerat veritatis et contemplationis causa, sed eo fine, ut hominem disponat ad felicitatis consecutionem, præcipuæque ipsius notitiæ practicæ sint, et ideativæ virtuosarum operationum,

se docet Aristoteles (1), et cum eo S. Thomas (2). Divisio autem illa trimembris est divisio scientiarum dumtaxat speculativarum, ut constat ex mente disertisque verbis S. Thomæ et aliorum Auctorum. Quod si Moralis foret scientia speculativa, mallem ipsam subalternatam dicere scientiæ psychologiæ, quæ agit de actibus animæ rationalis, quam partem ejusdem scientiæ. Moralitas enim non est specifica differentia, sed accidentalis adjecta supra objectum Psychologiæ.

Neque etiam placet altera explicatio. Non enim percipio, in quo sit major gradus abstractionis a materia in objecto Logicæ, quam in objecto Metaphysicæ. Nec puto diversum modum abstractionis intra eumdem gradum esse in causa, cur Logica discrepet ab illa scientia, quæ disputat de actibus intellectus, sed diversam rationem objecti. Logica enim solum agit de illis, prout sunt artificiose dirigibiles ad verum assequendum.

Alia ergo reddenda est ratio, cur Logica prætermissa fuerit in trimembri illa divisione. Et mihi quidem prima ratio occurrit, quia Logica probabilius est scientia practica, ut mox videbimus. Quamvis fateor hanc non potuisse esse communem rationem, cur omnes auctores reticuerint Logicam in generali illa divisione, quia multi eorum arbitrati sunt eam esse speculativam. Alii ergo prætermittere Logicam potuerunt vel quia «in illa generali divisione Philosophiæ, Philosophi voluerunt dividere tantummodo scientiam et Phylosophiam, ut vocant *realem*, hoc est, quæ tractat genus aliquod entis realis, qualem constat non esse Logicam» (3), vel quia multi existimarunt «Logicam non tam esse scientiam et partem Philosophiæ, quam modum sciendi, et ut ita loquar, omnium scientiarum cunctarumque Philosophiæ partium in-

---

moralis Philosophia *simpliciter scientia practica* denominatur» P. Joan. Bapt. de Benedict., *Philos perip.* t. 1, quæst. proæm. cap. 4, parag. 2.

(1) Lib. 2. *Ethicor.* cap. 2, initio.

(2) In lib. 2.um *Ethicor.* lect. 2, initio.

(3) Cfr. S. Thom., Opusc. de *Trinit. sup. Böetium*, q. 5, a. 1, ad 2.um

strumentum» (1). Qua de re legendus est omnino P. Petrus Fonseca (2).

Cæterum utrum hactenus exposita divisio sit univoca, an vero analoga, vide apud Benedictum Pererium (3).

302. PROPOSITIO 2.ª **Inspecto diverso fine, Philosophia practica recte dividitur in Logicam et Philosophiam Moralem.**

Divisio scientiarum practicarum.

Ratio est, quia in primis cum scientia practica ad operationes dirigendas tamquam ad finem sibi proprium collineet, tot erunt scientiæ practicæ, quot sunt operationes ad diversos fines dirigendæ. Atqui duæ sunt operationes hominis ad diversos fines dirigendæ, quæ sint philosophica dignæ consideratione, scilicet operatio intellectus ad verum ordinate, faciliter ac sine admixtione erroris assequendum in scientiis, quod proprium est Logicæ, et operatio voluntatis ad bonum faciendum, circa quod moralis Philosophia versatur. Ergo...

Moralis Philosophia ex mente Aristotelis dividi potest in *monasticam, œconomicam* et *politicam*. Monastica docet, quo pacto dirigendæ sint actiones cujusvis hominis solitarie accepti ad beatitudinem assequendam, eamque tradit Philosophus in decem libris *Ethicorum* ad *Nicomachum* et in septem libris *Moralium* ad *Eudemum*. Œconomica docet, quomodo dirigendæ sint ad ultimum finem actiones familiæ, quam tradidit Aristoteles in duobus libris *Œconomicorum*. Politica demum docet, quo pacto ordinandæ sint ad ultimum finem actiones totius civitatis aut regni, eamque tradidit Stagirita in octo libris *Politicorum* (4).

Non omnium operationum directio spectat ad Philosophiam

Cæterum non omnium operationum directio spectat ad philosophicam considerationem, ut alias quoque inter practicæ Philosophiæ species recensere debeamus. In primis enim artes mechanicæ nimis a dignitate Philosophiæ distant, potissimum si, ut fit, modo pure experimentali vel solum ex magnorum

(1) Benedict. Pereira, *De communibus* etc., lib. 1, cap. 17, fin.

(2) *Metaph.*, lib. 2, cap. 3, quæst. 3, sect. 3, *Illud tamen animadvertendum.....*

(3) *De communibus* etc., lib. 1, cap. 17, fin.

(4) Vide Sylvest. Mauri in Procem. *Moralis Philosophiæ*, nempe in vol. 2.° *Paraphrasis in omnia opera Aristotelis.*

artificum auctoritate suas colligant regulas. Artes etiam liberales practicæ, ut Grammatica, Rhetorica et Pöetica, non solent partes Philosophiæ reputari, quia non tractantur modo philosophico et demonstrativo. Et Grammatica quidem ad peritiam sermonis comparandam instituta est, Rethorica ad ejusdem ornatum et elegantiam, usumque aptum ad persuadendum, Pöesis denique quærit locutionem accommodatam ad delectandum: et propterea artes *sermocinales* vocantur. Verum est in Rhetorica plura tradi sæpe philosophica; ea tamen fere desumuntur ex aliis partibus Philosophiæ.

Si quis tamen has disciplinas traderet philosophice, omnia per causas ultimas demonstrando, posset illas addere partibus philosophiæ practicæ. Et sic in Platonica Philosophiæ divisione, sub *rationali* comprehendi, præter Logicam, Rhetoricam, Pöesim et Grammaticam docet S. Hieronymus apud Dominicum Soto (1).

Dices: Mathematica saltem quoad partem non exiguam practica est. Ergo perperam recensetur intra membra Philosophiæ speculativa.

Resp. certum est quasdam esse in Mathesi conclusiones practicas, et alias speculativas, quæ distinguuntur in problemata et theoremata. Unde spectatata hac actuum varietate et fine, ad quem sæpe dirigitur Mathesis, ut cum v. g. Geometricæ veritates applicantur ad architectonicam aliasve artes, et Arithmetica ad mercaturam exercendam, partim practica est, partim speculativa. Nihilominus si indoles propria et proximus finis Mathesi spectetur, maximaque pars demonstrationum, quæ ad proprietates quantitatis detegendas tendit, speculativa simpliciter dicenda est (2).

Reprobatur opinio recentiorum relate ad Metaphysicam.

303. PROPOSITIO 3.a **Scientia, quam nomine Metaphysices vocavimus, complectitur Theologiam naturalem, ac tractatum de formis separatis, itemque ea, quæ nostris temporibus in Ontologia tractari solent; Physica vero seu Philosophia naturalis ex mente veterum Doctorum reique**

(1) In *Porphyrii Isagogen*, quæst. 1 procem., paragr. *Circa quæstionem hanc*. Cfr. Fonsec., lib. 2. *Metaph.*, cap. 3, quæst. 3, sect. 4, *Ad secundum;* Conimbric., *Dialect.*, quæst. procem. 2.a, art. 1.

(2) Cfr. De Benedictis, loc. nup. cit.

veritate non solum Cosmologiam, sed fere etiam, quæ recentiorum Psychologia tradit, debet comprehendere.

Hæc assertio mira forte videbitur multis, Wolfianæ divisioni Metaphysices in Ontologiam, Cosmologiam, Psychologiam ac Theologiam assuetis; at nihilominus et ratione et auctoritate demonstratur.

Prob. 1.° ratione. Etenim ex præjacta doctrina, objectum Metaphysices est ens immateriale, quod nempe vel nunquam est in materia, vel saltem esse potest sine materia, licet possit esse etiam in materia (1), nempe ens immateriale *positive* vel *præcisive* seu *secundum indifferentiam*. Objectum autem Physices seu Philosophiæ naturalis est ens mobile seu sensibilibus affectionibus obnoxium. Atqui solum Deus et formæ separatæ, spiritus nempe et ea, quæ illis competunt, qua spiritus sunt, et rationes, de quibus agit Ontologia, sunt immateriales, Deus nimirum, et formæ separatæ positive, cætera præcisive; omnia vero fere, quæ disputantur in modernorum Auctorum Psychologia, continentur sub amplitudine entis mobilis. Ergo stat propositio.

Minor sola declaranda est. Et primum quidem, Deum, formas separatas et objectum Ontologiæ esse naturas rationesque immateriales, ac proinde ad Metaphysicam spectare, apud omnes in confesso est.

Quod vero reliqua fere ad Physicam revocanda sint, facile probatur. Quid enim, quæso, tractat Psychologia? De *homine*, et secundum aliquos etiam de viventibus generatim, ac de brutis (2); de Anima rationali ejusque proprietatibus ac facultatibus. Atqui homo est ens mobile, compositum nempe physicum non minus sensibile quam reliqua omnia corpora; et cognoscitur a nobis nonnisi ex sensibilibus affectionibus et mutationibus. Idemque potiori jure dicendum est de brutis ac plantis. Anima denique rationalis, licet subsistens sit ac spiritualis, habet tamen rationem veræ formæ actusque corporis, ideoque humanum compositum constituit, estque

(1) Relege quæ nuper excripsimus ex S. Thoma, Opusc. *de Trinit. sup. Böetium*, quæst. 5, art. 1.

(2) Ita v. g. secundum P. Salvatorem Tongiorgi.

principium formale operationum vegetativarum et sensitivarum, quæ certe materiales sunt, utpote intrinsece atque essentialiter dependentes e materia. Quid? quod ipsæ quoque spirituales operationes hominis, prout in hac vita exercentur, dependent a matèria, licet non tamquam ab organo? Hæc ergo omnia dominium et amplitudinem Philosophiæ naturalis non excedunt.

Adde, quod si homo spectat ad considerationem Philosophiæ naturalis, hæc disputare debebit de omnibus, quæ ad formam hominis, quatenus materiam informat, et hominem constituit, respiciunt. Totum enim aliquod bene tractari nisi partibus, ut par est, enucleatis, non potest (1). Itaque omnia fere, quæ recentiores Philosophi tractant in Psychologia, exceptis iis, quæ animæ competunt in statu separationis a corpore, ad Physicam seu Philosophiam naturalem rejicienda sunt. Verum præstat id etiam auctoritate veterum comprobare.

Auctoritas S. Thomæ.

Prob. 2.° auctoritate. Et primum quidem audiatur Philosophus et S. Thomas.

Sicut Philosophus dicit in 2.° Physicor. (text. 26) (2) *ultima formarum naturalium, ad quam* **terminatur consideratio Philosophi naturalis, scilicet anima humana,** *est quidem separata* (id est, subsistens et spiritualis) *sed tamen in materia* (3). In loco autem hisce verbis citato, nempe in libro secundo *Physicorum*, sic concludit S. Doctor exponens mentem Philosophi: *Unde usque ad animam rationalem se extendit consideratio naturalis, quæ est de formis* (etiam de rationali, ut in verbis hæc præcedentibus diserte docet). *Sed quomodo se habeant formæ totaliter a materia separatæ, et quid sint, vel etiam quomodo se habeat hæc forma, id est anima rationalis, secundum quod est separabilis, et sine corpore existere potens, et quid sit secundum suam essentiam separabile, hoc determinare pertinet ad* **Philosophum primum** nempe Metaphysicum (4).

---

(1) Lege, quæ egregie scribit in hanc rem Suarez, disp. *Met.* 1, sect. 2, n. 20.

(2) Vide Arist., lib. 2.° *Physicor.*, cap. 4; et S. Thom., ibid. lib. 2, lect. 4.

(3) S. Th., 1. p. q. 76, a. 1, ad 1.um

(4) S. Thom., 2.° *Physicor.*; lect. 4, fin. Cfr. Mauri in *Paraphrasi*, lib. 2. *Physicor.*, cap. 4, text. 26, n. 8 et 9.

Et alibi: *Et sicut diversa genera scientiarum distinguuntur secundum hoc, quod res sunt diversimode a materia separabiles; ita etiam in singulis scientiis, et præcipue in* **scientia naturali**, *distinguuntur partes scientiæ secundum diversum separationis et concretionis modum. Et quia universalia sunt magis a materia separata, ideo in scientia naturali ab universalibus ad minus universalia proceditur, sicut Philosophus docet primo Physicorum. Unde et* **scientiam naturalem** *incipit tradere ab iis, quæ sunt communissima omnibus naturalibus, quæ sunt motus et principium motus; et demum processit per modum concretionis sive applicationis principiorum communium ad quædam determinata* **mobilia**, *quorum quædam* **sunt corpora viventia**; *circa quæ etiam simili modo processit* **distinguens hanc considerationem in tres partes**. *Nam primo quidem consideravit de anima secundum se, quasi in quadam abstractione. Secundo considerationem facit de his, quæ sunt animæ secundum quamdam concretionem seu applicationem ad corpus, sed in generali. Tertio considerationem facit applicando omnia hæc* **ad singulas species animalium et plantarum**, *determinando quid sit proprium unicuique speciei. Prima igitur consideratio continetur in libro de* **Anima**: *tertia vero consideratio continetur in libris, quos scripsit de animalibus et plantis. Media vero consideratio continetur in libris, quos scripsit de quibusdam, quæ pertinent vel ad omnia animalia, vel ad plura genera eorum, vel etiam ad omnia viventia; circa quæ hujus libri* (de Sensu et Sensato) *est intentio. Unde considerandum est, quod in secundo de Anima quatuor gradus viventium determinavit* (Aristoteles). *Quorum primus est eorum, quæ habent solam partem animæ, nutritivam, per quam vivunt, sicut sunt plantæ. Quædam autem sunt, quæ cum hoc habent etiam sensum sine motu progressivo, sicut sunt animalia imperfecta, puta Conchylia. Quædam autem sunt, quæ habent insuper motum localem progressivum, sicut animalia perfecta, ut equus et bos.* **Quædam vero insuper intellectum, sicut homines**... *Horum autem intellectus quidem nullius partis corporis actus est, ut probatur 3.° de Anima: unde non potest considerari per concretionem vel applicationem ad corpus, vel ad aliquod organum corporeum. Maxima enim concretio ejus est in anima; summa autem ejus abstractio est in substantiis separatis. Et ideo præter librum de Anima Aristoteles*

non fecit librum de intellectu et intelligibili; vel si fecisset, non pertineret ad scientiam naturalem, sed magis ad Metaphysicum, cujus est consideratio de substantiis separatis. Alia vero omnia sunt actus alicujus partis corporis, et ideo eorum potest esse specialis consideratio per aplicationem ad corpus vel organa corporea, præter considerationem, quæ habita est de ipsis in libro de Anima (1).

Similia docet Aquinas in libro primo *Physicorum*, scribens naturalem Philosophiam de naturalibus esse, multosque complecti tractatus, primum de iis, quæ consequuntur omne ens mobile in communi, de quibus egit Aristoteles in suo opere *Physicorum* seu de *Physica auscultatione;* deinde vero consequi alios tractatus de variis speciebus mobilium, nempe *de Cœlo*, *de Generatione et corruptione*, *de Meteoris*, de Mixtis inanimatis, ac demum de mixtis animatis, de quibus egit Aristoteles in libris *de Anima* et aliis (2).

Item alibi cum eodem Aristotele (3). *Et ex hoc palam est, quis est modus inquirendi quidditatem rerum naturalium, et definiendi in scientia naturali, quia scilicet cum materia sensibili. Et propter hoc etiam de Anima* quædam speculatur Naturalis, quæcumque scilicet non definiuntur sine materia sensibili. *Dicitur enim in secundo de Anima, quod anima est actus corporis physici organici potentia vitam habentis.* Anima autem, secundum quod non est actus talis corporis, non pertinet ad considerationem Naturalis, si qua anima potest a corpore separari (4).

Præterea: *Intellectus ostenditur a Physicis (De anima* lib. 3, tex. Comm. 6 et 19) *esse separatus a corpore, et quod neque est corpus, neque virtus in corpore* (5). En ergo hæc, quæ a recentioribus tractantur in Psychologia, quæ dicitur una ex partibus Metaphysicæ specialis, ex Angelico, pertinent ad Physicum, seu Philosophum naturalem.

---

(1) S. Thom., *de Sensu et Sensato*, lect. 1, initio.

(2) Vide in lib. 1.° *Physicor.*, lect. 1.ª

(3) Lib. 6, *Metaphys.*, cap. 1.

(4) S. Thom., lib. 6, *Metaphys.*, lect. 1, in fin. paragr. *d.*

(5) S. Thom., lib. 2.° *Contr. Gent.*, cap. 56, in fine., *Item impossibile est.*

Auctoritas aliorum Scholasticorum.

Tantos magistros secuti sunt innumeri discipuli, ut Suarez, qui fuse probat considerationem de anima rationali ad Physicum spectare (1), et Toletus, qui speciali et erudita quæstione idem demonstrat (2), et Antonius Rubius, qui idem præstat fusissime (3), et Benedictus Pererius (4), et Conimbricenses (5), Antonius Bernaldus Quiros (6), Georgius Rhodes (7), Petrus Hurtadus (8), Joannes Baptista De Benedictis (9), Andreas Semery (10), Sylvester Maurus (11), Antonius Mayr (12), Ludovicus de Lossada (13), Bartholomæus Amici (14), Joannes a S. Thoma (15), Cosmas de Lerma (16), Complutenses (17), Mastrius (18), Pontius (19), aliique.

Et P. Fonseca cum retulisset opinionem quorumdam, qui putabant *Octo libros Physicorum* (qui continent doctrinas nunc in Cosmologia tractari solitas) esse *Metaphysicos*, hæc subjungit: «Verum hæc opinio de libris Physicorum, ut nova est et inaudita, ita nullo modo probanda» (20).

---

(1) Disp. 1. *Metaph.*, sect. 2, n. 19 et 20.

(2) *De Anim.*, quæst. 2.ª procemiali.

(3) *De Anim.*, quæst. 1 procem.

(4) *De communibus* etc., lib. 1, cap. 9, et 10.

(5) *Physic.* procem. q. 4, a. 3, ad 4.um; et q. 5, a. 4, *De distributione*, paragr. *Ejus ergo.*

(6) *Physicor.*, tract. 3, disp. 37, sect. 1, n. 13; et in procem. ad disputationes *de Anima.*

(7) *Philos. perip.*, tract. 5, *De corpore mixto animato*, in procemio.

(8) In procemiis in libros *Physicor.* et *de Anim.*

(9) *Philos. perip.*, t. 3, lib. 2.º *Physicorum*, *de mixtis animatis*, in procem.

(10) In procem., disputation. *de Anima.*

(11) *Aristot. Opera omnia...*, tom. 1, *procem. tot. oper.* n. 7. Cfr. *Quæst. philos.*, vol. 2 in prolog. brevi.

(12) *Philos. perip.*, tom. 4.us seu *Physic. particul.*, in procem.

(13) In procem. tractatuum *Physicor.* et *de Anim.*

(14) In libros Aristot. *de Physico auditu*, tract. 1, de *Scient. phys.* dup. 1, q. 5, dub. 1.

(15) In procem. in *Physicam*, et in tract. *de Anima.*

(16) *Physicor.*, lib. 1.us in parvo procem. et fusius de *Anima.* lib. 1, quæst. 2.ª procemial.

(17) *Physic.*, dup. 1. Procem. q. 3.ª

(18) In procem. *de Anim.*

(19) Tract. *de Anim.*, procem. in fin. n. 9.

(20) Fons. *Metaph.*, lib. 2, cap. 3, q. 5, sect. 2.

304. PROPOSITIO 4.a **Reliquæ scientiæ fere omnes, aut sunt partes alicujus istarum quinque prædictarum scientiarum, aut certe ab aliqua earum dependent.**

Quid dicendum de reliquis scientiis.

Probatur. Nam in primis Mathesis varias continet, quæ de re Mathematica disputant, scientias, *Arithmeticam*, *Algebram*, *Geometriam*, etc. Philosophia vero naturalis non solum complectitur *Cosmologiam* et *Psychologiam* recentiorum, sed etiam eam, quæ Physicæ nomen inter modernos obtinuit, et *Chimiam*, *Physiologiam* et *Historiam naturalem*, quæ omnes non sunt, nisi ulteriores evolutiones minutioresque expositiones quarumdan partium Philosophiæ naturalis; omnes enim hæ disciplinæ habent pro objecto aliquod genus entis mobilis.

Astronomia et Mechanica videntur subalternari potissimum Mathesi, cum omnia fere probent ex Geometria, hujusque doctrinam ad varias materias determinatas applicent (1), quamquam etiam in pluribus aliis a Physica pendeant. Atque idem dicendum videtur de arte *architectonica*. *Medicina* subalternatur Philosophiæ naturali, et *Musica* Arithmeticæ.

Ipsum etiam Jus civile in iis, quæ ex rationis dictamine demonstrat, ex Jure naturæ pendet.

Denique scientiæ politicæ atque administrativæ videntur a morali Philosophia seu Ethica dependere, cujus proprium est docere, quo pacto dirigendæ atque ordinandæ sunt ad ultimum finem actiones omnes sive hominis solitarie accepti, sive familiæ totius, sive civitatis atque integri regni.

Utrum inter quinque primarias scientias philosophicas detur subalternatio.

305. PROPOSITIO 5.a **Inter quinque primarias scientias magna quidem intercedit connexio mutuaque dependentia, nulla tamen earum alteri proprie subalternatur; si vero de subalternatione latiori minusque propria sermo sit, reliquæ videntur Metaphysicæ subalternari.**

Prob. prima pars: *Inter quinque primarias scientias magna intercedit connexio et dependentia mutua.*

---

(1) Vide Conimbr., *Phys.*, lib. 2, cap. 2, quæst. unic. Cfr. Benedict. Perer., Op. cit., lib. 1, cap. 3.

Nam in primis a Logica cæteræ omnes dependent tamquam a communi organo et ministra, docente modum sciendi, et exponente principia, quibus innititur omnis argumentatio.

Metaphysica etiam enucleat principia notionesque non paucas, quibus omnes egent scientiæ.

A Physica dependet Metaphysica quoad nobilissimum objectum, nam ad illam spectat ex rebus creatis Dei existentiam evincere, quandoquidem argumenta, quibus in limine Theologiæ demonstrari solet existentia entis a se, fere petuntur ex principiis ad naturalem Philosophiam pertinentibus.

At ipsa naturalis Philosophia in multis, quæ spectant ad experimentalem Physicam, dependent a Mathesi, unde principia mutuatur ad plures conficiendas demonstrationes.

Moralis denique dependet a Metaphysica et naturali Philosophia in iis, quæ supponenda sunt circa naturam et attributa Dei, et circa naturam hominis, entis moralis. Præter hæc autem habet ipsa plura sibi propria, nec aliunde emendicata.

A Morali autem dependent cæteræ, quatenus omnia regulari debent prudentia, atque ad ultimum finem dirigi et subordinari; Moralis enim est de hisce duobus disputare.

Prob. secunda pars: *Nulla quinque primariarum scientiarum proprie alteri subordinatur.*

Etenim ad propriam subalternationem, ut superius vidimus, requiritur, ut altera ab altera sua principia desumat, et subjectum subalternatæ addat differentiam accidentalem supra subalternantis subjectum. Atqui prædictæ quinque scientiæ objecta contemplantur diversissima, saltem si sermo sit de speculativis, principiisque nituntur propriis, licet unum aut alterum invicem sibi mutuari possunt, ut a Metaphysica v. g. vel a Logica cæteræ mutuantur. Ergo... (1)

Prob. tertia pars: *Metaphysicæ subalternantur reliquæ quatuor scientiæ primariæ subalternatione impropria.* Id quod variis modis declarari potest: et primo quidem ratione finis

(1) Vide Benedict. Pereira fuse de hoc disputantem in lib. 1.° *de Communibus omnium rerum principiis*, cap. 14; Conimbr. *Physic. Proœm.*, quæst. 5, art. 3, ad 2.um; ac potissimum Suarez, disp. 1.ª *Metaph.*, sect. 5, n. 51, ubi egregie.

et objecti omnium nobilissimi. Nam Metaphysica contemplatur Deum, qui est finis ultimus omnium, et cujus cognitio constituit supremam felicitatem hominis. Deinde ratione imperii, quod exercet in reliquas scientias humanas, quatenus magnam affert illis lucem, enucleando multas notiones communes omnibus, et non solum tradit quædam principia, quæ ad omnes alias cognitiones se extendunt, verum etiam indirecte ac ducendo ad impossibile potest ipsa quoque prima principia reliquarum scientiarum demonstrare.

Adde etiam, si lubet, objecta reliquarum disciplinarum sub amplitudine entis contineri, ac proinde sub amplitudine objecti Metaphysicæ generalis.

Nec tamen inde inferas alias scientias proprie subalternari Metaphysicæ, quia, quamvis aliarum scientiarum objecta addant super ens, quod est objectum Metaphysicæ; nihilominus id, quod addunt non est differentia accidentalis, sed essentialis, cum enti nihil extraneum superaddi possit, ut videbimus in Ontologia (1).

Dices: Ergo non poterunt cæteræ scientiæ ante Metaphysicam addisci.

Resp. Ita revera se res haberet, si Metaphysicæ proprie atque stricte subalternarentur aliæ scientiæ. Quia vero non ita subalternantur, sed sua habent principia, et quia etiam non pauca, quæ ad Metaphysicam spectant enucleare, nativa sua evidentia satis omnibus, vel rudibus, elucescunt; necesse omnino non est, ante cæteras omnes scientias primam Philosophiam addiscere. Cæterum fateor eum, qui Metaphysicam generalem calluerit, multo facilius posse intelligere, quæ naturalis Phiilosophia disputat.

Primatus scholasticæ Theologiæ.

306. PROPOSITIO 6.a **In Encyclopædia tamen christiana omnes scientiæ humanæ, atque ipsa Metaphysica, Theologiæ scholasticæ subjiciuntur, quæ proinde supra omnes primatum tenet.**

Recolendum ante omnia est id, quod jam supra monueramus, supposita nempe revelatione, novam quamdam enatam

(1) Vide Suar., disp. *Met.* 1, sect. 5, n. 52; Benedict. Pereira, loc. cit. cap. 15; Conimbric., loc. nup. cit.

esse scientiam, quæ ex junctione utriusque luminis, naturalis ac supernaturalis, evidentiæ ac Fidei ad suas conclusiones demonstrandas procedit. Ea vocatur Theologia *scholastica*, quæ proinde recte definiri potest scientia, quæ *ex principiis in Scriptura revelatis, vel Conciliorum auctoritate, aut Ecclesiæ traditione firmatis et creditis infert alias veritates et conclusiones per evidentem consequentiam*, ut scribit P. Vazquez (1). Quare distinguitur Theologia scholastica non solum a naturali, quæ pars est Metaphysicæ, eaque dumtaxat de Deo disputat, quæ naturale rationis lumen non transcendunt, sed præterea «tum a simplici Fide, quæ etiam absolute Theologia solet quandoque a SS. Patribus appellari, tum ab ea disciplina, quæ studio Scripturarum, Conciliorum et Patrum dogmata revelata statuit atque ideo Theologia positiva nominatur» (2).

Probatur jam propositio 1.° In encyclopædia christiana primatus illi scientiæ tribuendus est, quæ cæteris omnibus præstat, tum speculativis tum practicis. Atqui Theologia scholastica omnes alias scientias, et speculativas et practicas, facile antecellit. Ergo...

Minor egregie probatur a S. Thoma: *Cum ista scientia* (sacra doctrina seu Theologia) *quantum ad aliquid sit speculativa, et quantum ad aliquid sit practica, omnes alias transcendit tam speculativas quam practicas.*

Speculativarum enim scientiarum, una altera dignior dicitur tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiæ. Et quantum ad utrumque hæc scientia alias speculativas scientias excedit. Secundum certitudinem quidem, quia aliæ scientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ potest errare, hæc autem certitudinem habet ex lumine divinæ scientiæ, quæ decipi non potest. Secundum dignitatem vero materiæ, quia ista scientia est principaliter de his, quæ sua altitudine rationem transcendunt; aliæ vero scientiæ considerant ea tantum, quæ rationi subduntur (3).

(1) In 1.am part., disp. 4, cap. 1, n. 2.

(2) P. Matt. Liberatore, *Instit. Philos. Logic.*, pars. altera, cap. 6, art. 4.

(3) Hanc eamdem doctrinam tradit Angelicus, lib. 1.° *de Anima*, lect. 1, paulo post initium.

Practicarum vero scientiarum illa dignior est, quæ ad ultimiorem finem ordinatur, sicut civilis, militaris, nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem hujus doctrinæ, in quantum est practica, est beatitudo æterna, ad quam, sicut ad ultimum finem, ordinantur omnes alii fines scientiarum practicarum. Unde manifestum est, secundum omnem modum eam digniorem esse aliis (1).

Prob. 2.° Cæteræ omnes scientiæ subjiciuntur Theologiæ, si omnes illas dirigat, ne errent in multis, aut etiam corrigat, si quando errent. Atqui ita se res habet. Nam cum verum vero opponi nequeat, et Theologia contineat in suis principiis Fidei veritates, quibus falsum subesse non potest, quidquid aut hisce principiis aut conclusionibus inde legitime derivatis opponi potest in humanis scientiis, sub censuram Theologiæ cadit, cavendumque diligenter et corrigendum est. Oportet ergo, ut Theologiam tamquam magistram cæteræ scientiæ audiant, eique, ut par est, obediant.

307. **Objic. 1.°** Ex Aristotelis doctrina (2), illa est præstantissima scientia, quæ est de amplissimo objecto; nam ex hac ratione probat Philosophus Metaphysicæ dignitatem. Atqui objectum Theologiæ amplissimum non est, siquidem continetur sub objecto Metaphysicæ; Deus nempe, qui est objectum Theologiæ continetur in ente, ut ens est. Ergo... (3)

Resp. *dist. Major.* Si objecta scientiarum, quæ comparantur, in eodem ordine versentur, *trans.*, secus, *neg.* Et *contradist.* Minor., cujus probationem *nego*, spectata ratione formali *sub qua* utriusque scientiæ. «Objectum enim istud Metaphysicæ est ens, ut ens, quatenus cognosci potest per lumen naturale, quo modo cognosci non potest objectum Theologiæ. Immo contra potius objectum Metaphysicæ continetur objecto formali Theologiæ, quatenus etiam per divinam revelationem quædam sciri possunt de ente, ut sciri possunt per lumen naturæ» (4).

---

(1) S. Thom., 1 p. q. 1, a. 5. Cfr. hic Valentia, disp. 1, q. 1, punct. 4.

(2) Lib. 1.° et 4.° *Metaph.*

(3) Apud Gregor. de Valentia, in 1 p. disp. 1, q. 1, punct. 4.

(4) Valentia, ibid.

Objic. 2.° Scientia præstantior aliis debet de illis judicare, ut patet ex lib. 4.° Metaphysicor. Atqui Theologia id non facit: quia judicium de aliis scientiis spectat ad lumen naturale, quo illæ nituntur. Ergo (1).

Resp. *neg.* Minor. «Ad Theologiam enim maxime spectat judicare de veritate aliarum scientiarum, quamquam id etiam ad lumen naturale pertinet, sed non ad illud solum. Nititur enim Theologia revelatione divina, ad cujus quoque normam conclusiones aliarum scientiarum possunt ac debent exigi. Itaque videmus per Theologiam multos errores a veritate Fidei discrepantes, proditos esse, qui verisimiliter videri poterant alioquin esse veræ conclusiones scientiarum: id quod præcipue planum fit in materia de Trinitate.»

«Et sane scatebat tota veterum Philosophia erroribus ante Christi adventum, cujus beneficio perfectior affecta est; sicut et ipsa Fides veterum Patrum reddita est illustrior» (2).

Objic. 3.° Theologia sumit principia sua a scientiis aliis, tamquam a superioribus, et indiget illis. Ergo aliis scientiis inferior est.

Antec. *prob.* «Nam conclusionibus aliarum scientiarum utitur ipsa tamquam præmissis, quando argumentatur ex altera propositione de Fide et ex altera naturaliter nota; et consequenter videtur illis scientiis uti necessario, et tamquam superioribus, ut scilicet illi suppeditent quædam principia» (3).

Resp. *neg.* antec. «Nam tunc solum una scientia sumit principia sua ab altera tamquam a superiore et ex necessitate, quando omnes ejus scientiæ conclusiones reducuntur ad assertiones alterius tamquam ad principia, ita ut consistere nequeat secundum se talis scientia, nisi talibus principiis nitatur. Quia nimirum nullas conclusiones infert, nisi quæ ex talibus principiis procedant; ut videmus in scientiis proprie subalternatis. Si autem multas alias conclusiones possit habere scientia quæpiam ex principiis quibusdam aliis suis propriis; minime tunc pendebit ab alia scientia *tamquam a*

(1) Apud Valent., ib.
(2) Valentia, ibid.
(3) Apud Valent., ib.

superiore, ex qua necessario sumat principia, ita scilicet, ut id sit necessarium ipsi scientiæ secundum se, tametsi posset id quidem necessarium esse hominibus ipsis, ad quorum commoditatem referenda est ea scientia.»

«Jam vero Theologia nonnisi hoc posteriori modo sumit quandoque principia quædam ex aliis scientiis. Nam principia, quibus necessario ipsa secundum se indiget, tantum sunt propositiones Fidei, et multo plures conclusiones infert ex solis Fidei propositionibus argumentando, quam ex propositionibus naturalium scientiarum. Accedit huc etiam, quod cum aliquas conclusiones infert ex propositionibus aliarum scientiarum, ne tum quidem ex illis solis eas infert, sed maxime ex adjunctis Fidei propositionibus, quas simul in argumentando sumit. Quare neque inferior est Theologia aliis scientiis, neque illis simpliciter secundum se indiget, sed utitur illis tamquam ministris ad illustrandum suum objectum. Quamvis hoc ipsum est interdum fidelibus quidem in Ecclesia necessarium, ut refutari possint hæreticorum errores.»

«Atque simili ratione potest quoque probari, neque alias scientias proprie subjici sive subalternari Theogiæ tamquam scientiæ superiori. Nam etsi quædam principia aliarum scientiarum per medium theologicum, scilicet per divinam revelationem confirmari possint, non omnia tamen possunt: et illa ipsa quæ possunt, nequaquam indigent hujusmodi probatione, sed satis est aliis scientiis, ut ipsarum principia nitantur lumine naturali» (1).

Objic. 4.° Ex nostra probatione, Theologia ideo tenet primatum supra scientias humanas, quia est certior illis ac de nobiliori objecto. Atqui utrumque videtur falsum.

Primum quidem, quia aliæ scientiæ, saltem aliquæ, ita sunt certæ, ut nullam patiantur formidinem, Theologia vero non ita est certa, quin nequeat aliquis formidare, ne forte sint falsi theologici assensus. Ergo aliæ scientiæ certiores sunt. Alterum quoque falsum est, quia de eodem ipso objecto, nempe Deo, agit Theologia scholastica et Metaphysica.

---

(1) Valentia, loc. cit.

Nec dicas discrimen esse, quia Theologia agit de Deo, ut est causa supernaturalis; Metaphysica vero, ut est causa naturalis. Hæ namque rationes revera non distinguunt objectum, idem quippe Deus est auctor supernaturalis et naturalis, nec distinguitur istis modis, nisi ratione secundum nostrum conceptum (1).

Resp. *neg.* Minor. quoad utrumque membrum. Ad primi membri probation., *neg.* conseq., ut patet ex his, quæ suo loco diximus de certitudine. Sane «sicut aliæ scientiæ, quamdiu in intellectu manent, removent non solum formidinem, sed etiam potentiam formidandi de contrario, ita etiam Theologiæ et Fidei habitus faciunt quamdiu in hominis intellectu perdurant. Non enim potest quis retinere Fidem aut Theologiam, et simul deliberate dubitare seu vereri, ne non sint vera, quæ tradunt Fides et Theologia; qui enim id vereretur, eo ipso amitteret tales habitus. Quod autem absolute quidem possit abjicere habitum Fidei et Theologiæ, atque adeo formidare, utrum quæ tradunt Fides et Theologia, vera sint, vel etiam ipsa falsa existimare; id solum est argumentum inevidentiæ Fidei ac Theologiæ, quod scilicet non reddant hi habitus intellectum in assentiendo immutabilem, sicut faciunt habitus alii scientiarum, quatenus evidentes sunt. Non est autem id argumentum, quod Fides et Theologia sint minus certi habitus. Illud enim in quo per se consistit certitudo habitus, ut scilicet cum ipso quidem non possit simul stare deliberata formido de contrario, perfectissime præstant duo hi habitus, et eo quidem perfectius, quo lumen divinæ revelationis, in quo Fides et Theologia subsistunt, longius distat a falsitate, quam lumen naturale, quo nituntur naturales scientiæ (2).

Ad alterius membri probation. etiam *neg.* conseq. «Nam ut ex parte etiam præstantioris objecti Theologia intelligatur perfectior, non est opus, ut Deus determinate secundum illam rationem, qua de illa tractat Theologia, sit quiddam reipsa perfectius, quam idem ipse Deus secundum rationem, qua de illo tractatur a Metaphysica; sed satis est, ut si totam

(1) Apud Valent., ibid.
(2) Valentia, ibid.

latitudinem objecti Theologici comparemus cum tota latitudine objecti metaphysici, aut physici, id est cum omnibus iis rebus, de quibus in specie Metaphysica et Philosophia tractant, quædam objecta reipsa præstantiora contineantur in latitudine objecti theologici quam in latitudine objecti metaphysici aut physici. Atque ita plane sese res habet. Nam in latitudine objecti Theologici continetur quoque gratia divina, et multa dona supernaturalia, de quibus non tractat Metaphysica aut Philosophia, quatenus illa sunt talia. Atque hæc est vis probationis S. Thomæ, cum ait hic (1 p. q. 1 art. 5) ideo Theologiæ objectum esse nobilius, quoniam est supernaturale» (1).

Objic 4.° Evidentia, qua gaudent cæteræ scientiæ, et caret Theologia, maxima perfectio est. Quamobrem aliæ scientiæ erunt perfectiores (2). Accedit, quod Theologia in plurium sententia, non est univoce scientia, ob defectum evidentiæ.

Resp. *neg.* conseq. Etenim «quamvis Theologia non polleat quoque evidentia, aliis tamen nominibus, de quibus dictum est, antecellit reliquis omnibus scientiis. Præstantia enim habitus nec solum nec potissimum ex evidentia æstimari debet, sed præcipue ex certitudine. Ideo enim vel maxime evidentia pertinet ad dignitatem habitus, quia est conjuncta cum certitudine. Nam secundum certitudinem convenit cognitioni, ut non possit esse falsa, quæ est maxima cognitionis perfectio, utpote cujus tamquam scopus est veritas» (3).

ARTICULUS VI.

Quomodo inter sese comparentur prædictæ quinque scientiæ primariae.

308. Triplex potissimum institui potest comparatio inter hasce scientias, prima in certitudine, altera in nobilitate, tertia in ordine doctrinæ.

---

(1) Valentia, ibid.
(2) Apud Valent., ib.
(3) Valentia, ibid.

PROPOSITIO 1.ª **Si demonstrandi certitudinem atque evidentiam attendamus, primum locum dignitatis obtinet Mathesis, secundum naturalis Philosophia; Metaphysica vero licet in seipsa certissima sit, at relate ad nos cedit in certitudine.**

Mathesis certissima nobis est scientia,

Prima pars comprobatur ex communi sensu Philosophorum, asserentium mathematicas demonstrationes omnium esse firmissimas (1). Et patet etiam experientia, quia Mathesis in omnibus demonstrationem quærit et obtinet, nunquam contenta rationibus aut dubiis aut probabilibus; adeo ut quandoque vel ea ipsa, quæ sensibus patent, firmis rationibus demonstret.

Ratio vero hujus excellentiæ est, quia Mathessis cum a materia sensibili motuque absoluta sit, minus obnoxia est vicissitudinibus et contingentiæ, atque adeo minus etiam incerta. Aliunde vero, cum vix egeat experientia sensibili, minus patet deceptionibus, nec accuratam illam observandi phænomena sagacitatem atque attentionem requirit, quæ necessaria est physicas scientias colenti.

succedit Physica;

Secunda pars probatur, quia cum objectum Physices seu naturalis Philosophiæ constet materia sensibili ac mutationibus obnoxia, non tantam habet necessitatem, quantam objectum Matheseos; cum potissimum multæ affectiones et effectus physici qui, quantum attinet propriarum causarum naturam, necessario consequuntur, deficiente tamen aut præpedito concursu aliarum causarum, quandoque deficiant. Unde fit, ut physicæ demonstrationes propterea per accidens exceptiones pati possint.

Præterea sensibiles affectiones, quas sectatur naturalis Philosophia, reconditiores sunt, longaque indigent et accurata observatione ac diligentissima experientia. Idcirco minorem habent evidentiam physicæ demonstrationes, quam mathematicæ. Et ratio hæc reddi potest, quia objectum Mathesis est sensibile commune, quod revera est per se sensibile; quare nihil est notius omnibus, quam lineæ, figuræ et numeri: at vero objectum Physices est sensibile per

(1) Cfr. Aristot., lib. 1.° *Ethicor.*, cap. 3, et 2.° *Metaph.*, cap, 3.

accidens, quod certe minus notum est, quam sensibile commune.

Metaphysica vero licet in seipsa sit omnium certissima, nobis tamen minus certa est.

Tertia etiam pars probatur. Nam Metaphysicæ objectum cum sit omnis expers materiæ, summam habet immutabilitatem ac necessitatem in seipso, ac proinde summa quoque est hujusce scientiæ objectiva certitudo. At ob eam ipsam causam objectum Metaphysicæ remotissimum est a sensibus, sive externis sive internis, atque ab omni imaginatione. Quamobrem, cum cognitiones nostras a sensibus accipiamus, res, quæ sub Metaphysicæ contemplationem cadunt, ob suam altitudinem, minus clare percipimus: unde minorem de iis habemus certitudinem subjectivam.

Plura de iis vide apud Conimbricenses (1) et Benedictum Pererium (2) et Antonium Rubium (3).

309. PROPOSITIO 2.a **Scientiæ speculativæ nobiliores sunt practicis; inter speculativas autem, primum tenet locum Metaphysica, succedit Physica, et extrema tandem sequitur Mathematica.**

Scientiæ speculativæ practicis nobiliores;

Prob. prima pars. Id quod gratia sui expetitur, præstantius est atque honorabilius eo, quod expetitur propter aliud, siquidem non habet aliunde pendentem dignitatis suæ rationem. Atqui speculativæ expetuntur propter se, practicæ vero propter operationem. Ergo... (4)

at inter speculativas nobilissima Metaphysica.

Probatur altera pars. Nobilitas scientiæ potissimum dimetienda est ex præstantia objecti. Atqui objectum Metaphysicæ est omnium nobilissimum, Matheseos vero e converso in infimo gradu nobilitatis continetur (5).

Sane accidens ignobilius est substantia, et rationes materiales immaterialibus. At objectum Matheseos est accidens, quantitas; cæterarum vero substantia. In substantiis etiam immateriales, sunt præstantiores materialibus. Atqui Metaphysica contemplatur immateriales substantias, nempe intel-

---

(1) *Physicor.*, Procem., q. 5, a. 4, *concl.* 3.
(2) *De Communibus omnium rerum* etc. lib. 1, cap. 16.
(3) *Physicor.*, Procem., n. 13.
(4) Vide Conimbric., loc. cit., *conclus.* 1.a
(5) Vide S. Thom., lib. 4. *Metaph.*, lect. 2, vers. fin.

ligentias, increatam et creatas; naturalis autem Philosophia materiales.

Deinde Mathesis nihil aliud considerat nisi affectiones proprietatesque quantitatis; Philosophia vero naturalis etiam tractat phænomena vitæ, sive vegetativæ in plantis sive sensitivæ in animalibus, sive etiam intellectivæ in homine, quæ longe excellunt, ut patet, iis omnibus, quæ quantitatem respiciunt; Metaphysica denique rationes dumtaxat immateriales sectatur. Hinc Metaphysica ob suam præstantiam *prima Philosophia* a veteribus vocata est; et Aristoteles scripsit, si substantiæ separatæ non darentur, Physicam fore *primam Philosophiam* (1), ex quo plane sequitur ex mente Philosophi, hanc scientiam proximum post Metaphysicam tenere locum dignitatis inter scientias.

Dices 1.° Præstantia scientiæ non ex objecto solum colligenda est, sed etiam ex certitudine. Atqui Metaphysicæ minima omnium est certitudo, major Physicæ, et maxima Mathematicæ. Ergo...

Resp. Specificam rationem scientiæ desumi ex objecto: quare illam esse perfectissimam speciem scientiæ, cujus nobilissimum est objectum; major vero aut minor certitudo, potissimum si sermo sit de subjectiva et relate ad nos, prævalere nequit supra objecti præstantiam. Cum ergo Metaphysica objectum excellentissimum omnium contempletur, immo et certitudinem objectivam summam habeat secundum seipsam, licet subjectivam quidem minorem habeat ob imbecillitatem ingenii nostri, summam quoque retinere inter omnes humanas scientias dignitatem dicenda est.

Apposite Angelicus: *Sicut Philosophus dicit, in 1.° de* **Anima** (text. 1.) *una notitia præfertur alteri, aut ex eo quod est nobiliorum, aut propter certitudinem. Si igitur subjecta sint æqualia in bonitate et nobilitate, illa quæ est certior, erit major virtus. Sed illa, quæ est minus certa de altioribus et majoribus, præfertur ei, quæ est magis certa de inferioribus rebus. Unde Philosophus dicit in 2.° de* **Cœlo** (text. 60) *quod magnum est aliquid de rebus cœlestibus posse cognoscere etiam debili et*

(1) Lib. 6.°, cap. 1, text. Comm. 3. Vide ibid. S. Thom., lect. 1, fin.

topica ratione (ex locis nempe communibus deprompta), *et in 1.° de* **Partibus animalium** (cap. 5 circ. princip.) *dicit, quod amabile est magis, parvum aliquid cognoscere de rebus nobilioribus, quam multa cognoscere de rebus ignobilioribus. Sapientia igitur, ad quam pertinet Dei cognitio, homini, maxime in statu hujus vitæ, non potest perfecte advenire, ut sit quasi ejus possessio, sed hoc solius Dei est, ut dicitur in 1.° Metaph.* (cap. 11 post med.) *Sed tamen illa modica cognitio, quæ per sapientiam de Deo haberi potest, omni alii cognitioni præfertur* (1).

Quibus similia et adhuc clariora sunt hæc alia: *Scientia... omnis ex actu laudatur: omnis autem actus laudatur ex duobus: ex objecto et qualitate seu modo; sicut ædificare est melius quam facere lectum, quia objectum ædificationis est melius lecto. In eodem autem respectu ejusdem rei ipsa qualitas gradum quemdam facit, quia quanto modus ædificii est melior, tanto melius est ædificium. Sic ergo si consideratur scientia seu actus ejus ex objecto, patet quod illa scientia est nobilior, quæ est meliorum et honorabiliorum; si vero consideretur ex qualitate seu modo, sic scientia illa est nobilior, quæ certior. Sed hoc est in quibusdam scientiis diversum, quia aliquæ sunt magis certæ aliis, et tamen sunt de rebus minus honorabilibus; aliæ vero sunt de rebus magis honorabilibus, et tamen sunt minus certæ. Nihilominus tamen illa est melior, quæ de rebus melioribus et honorabilioribus est. Cujus ratio est, quia sicut dicit Philosophus in libro 11* **de Animalibus,** *magis concupiscimus scire modicum de rebus honorabilibus et altissimis, etiamsi topice et probabiliter illud sciamus, quam scire multum et per certitudinem de rebus minus honorabilibus. Hoc enim habet nobilitatem ex se et sua substantia, illud vero ex modo et qualitate* (2).

Ex hac doctrina solvit etiam Angelicus argumentum, quod contra præstantiam Theologiæ supra scientias humanas omnes fieri potest ex majori nempe harum subjectiva certitudine (3).

Dices 2.° Moralem esse omnium dignissimam, utpote quæ incumbit ad vitam recte instituendam et dirigendam

(1) S. Thom., 1. 2, q. 66, a. 5, ad 3.um

(2) S. Thom., 1.° *de Anim.*, lect. 1, paulo post initium.

(3) Vide S. Doctorem in 1. p, q. 1, a. 5, ad 1.um

ad assecutionem ultimi finis; hoc enim est præstantissimum opus hominis.

Adde, quod Politica, texte Philosopho, ordinare debet reliquas omnes artes; ordinare autem superioris est facultatis.

Resp. ad 1.um Id probat solum Moralem esse magis necessariam vitæ humanæ, utilioremque societati; non vero præstantiorem in ratione scientiæ.

Ad 2.um Politica non ordinat reliquas artes, quasi materiam eis, in qua versentur, et methodum præfiniendo, sed quatenus ad civilem usum et utilitatem eas accommodat, statuens, quæ artes, quo tempore, a quibus, perdiscendæ aut exercendæ sint, ut explicat Aristoteles libro 1.° *Ethicorum*, cap. 2 (1).

310. PROPOSITIO 3.ª **Licet secundum ordinem naturæ prior sit Metaphysica reliquis scientiis, et Mathesi naturalis Philosophia; at spectato doctrinæ ordine, prima addiscenda est Logica, secunda Mathesis, tertia naturalis Philosophia, quarta Moralis et postrema Metaphysica (2).**

Metaphysica cæteris prior secundum ordinem naturæ;

Prima pars constat, quia Metaphysica agit de prædicatis causisque omnium primis et generalissimis nempe de transcendentibus et de intelligentiis.

Naturalis vero Philosophia est prior Mathesi secundum naturam, quia objectum illius est substantia, hujus vero accidens, quantitas; substantia vero prior est accidente.

at secundum ordinem doctrinæ prima est Logica,

Prob. secunda pars. Dialectica nimirum prior discenda est, quia docet modum sciendi. Unde absurdum esse scripsit Aristoteles, simul quærere scientiam et modum sciendi (3). Ut enim exponit S. Thomas, *quia non est facile, quod homo simul duo capiat, sed dum ad duo attendit, neutrum capere potest, absurdum est quod homo quærat scientias et modum, qui convenit scientiæ. Et propter hoc debet prius addiscere Logicam, quam alias scientias, quia Logica tradit communem*

(1) Vide Conimbric., *Physicor.*, Procem., q. 5, a. 4. Cfr. S. Thom. Philosophum interpretans, lib. 1.° *Ethicor.*, lect. 2.

(2) Cfr. S. Thom., Opusc. *de Trinit. sup. Böetium*, quæst. 5, art. 1, ad 3.um

(3) Lib. 2.° *Metaph.* text. comm. 15.

modum procedendi in omnibus scientiis. Modus autem proprius singularum scientiarum in scientiis singulis circa principium tradi debet (1).

Non ergo quia facilius est, nam non caret difficultate, sed quia necessarium est, Logicæ studium cæterarum studio præmittatur, oportet (2).

succedit Mathesis et Physica,

Mathesis porro ante naturalem Philosophiam addiscenda est (loquor de elementari Mathesi), et quia mathematica manifestiora sunt et faciliora (3), quam physica, quæ experientiam, atque adeo maturius judicium, requirunt; et quia non raro experimentalis Physica in suis demonstrationibus utitur mathematicis principiis.

et Moralis:

Succedit post Physicam Moralis, quia multo incertior est magisque ardua experientia in iis, quæ ad vitæ disciplinam et regendas moderandasque hominum voluntates pertinent, quam in Physicis, multoque maturiori judicio opus est ad eorum intelligentiam, quibus componendi sunt mores, regenda familia, instituenda respublica (4). Quare scripsit Philosophus, *Politicæ non esse proprium auditorem juvenem* (5). Quod sit exponit Angelicus: *Juvenis non est conveniens auditor Politicæ, et totius moralis scientiæ, quæ sub Politica comprehenditur; quia sicut dictum est, nullus potest bene judicare, nisi ea quæ novit. Omnis autem auditor oportet, quod bene judicet de iis, quæ audit, ut scilicet bene dicta recipiat, non autem ea, quæ male dicuntur. Ergo oportet, quod nullus sit auditor conveniens, nisi habeat aliquam notitiam eorum, quæ debet audire. Sed juvenis non habet notitiam eorum, quæ pertinent ad scientiam moralem, quæ maxime cognoscuntur per experientiam. Juvenis autem est inexpertus operationum humanæ vitæ propter temporis brevitatem. Et tamen rationes moralis scientiæ procedunt ex his, quæ pertinent ad actus humanæ vitæ, et etiam sunt de his. Sicut si dicatur, quod liberalis*

---

(1) S. Thom., lib. 2.° *Metaph.*, lect. 5, paulo ante fin.

(2) Vide Barthol. Amici, *Logic.*, tract. 1, quæst. 2, dub. 3.

(3) Cfr. Arist. et S. Thom., lib. 6 *Ethicor.*, lect. 7, *Deinde cum dicit: Quia et hic...*

(4) Conimbric., *Physicor.*, procem. q. 4, a. 1, 2.° *conclus.*

(5) 1.° *Ethicor.*, cap. 3.

minora sibi reservat, et majora aliis tribuit, hoc forte juvenis propter inexperientiam non judicabit verum esse, et idem est in aliis civilibus. Unde manifestum est, quod juvenis non est conveniens auditor Politicæ (1).

ultima sequitur Metaphysica,

Denique ultimus locus doctrinæ reservatur Metaphysicæ, quia res maxime abstrusas, atque a sensibus remotas considerat.

Præterea divina percipi nequeunt a nobis in hac vita, quin præcesserit cognitio sensibilium, quare scientia physica viam præparat ad Metaphysicam; eaque saltem pars hujus scientiæ, quæ Deum contemplatur, post reliquas omnes partes Philosophiæ discenda est.

quamvis Ontologia utilius post Logicam naturali Philosophiæ præmittenda videatur.

Existimo tamen hæc potissimum intelligenda esse de illa Metaphysicæ parte, quæ Deum ac formas separatas respicit. Transcendentalium enim rationum cognitio utilissime post Logicam præmittitur cæteris omnibus scientiis, ut illis notiones communes principiaque, quibus egent, enucleet, quemadmodum jam usus obtinuit statim post Logicam tradendi Ontologiam. Id quod diserte docuisse mihi videtur Aquinas his verbis: *Sed quia ea, quæ consequuntur aliquod commune, prius et seorsum determinanda sunt, ne oporteat ea multoties pertractando omnes partes illius repetere, necessarium fuit, quod præmitteretur unus liber in scientia Naturali, in quo tractaretur de his, quæ consequuntur ens mobile in communi. Sicut omnibus scientiis præmittitur Philosophia prima, in qua determinatur de his, quæ sunt communia enti, in quantum est ens* (2).

Vide de hac propositione fusius atque erudite disputantes Toletum (3), Fonseca (4), Rubium (5), Pererium (6), et Conimbricenses (7).

---

(1) S. Thom., 1.° *Ethicor.*, lect. 3, *Secundo ibi: Idcirco Politicæ.*

(2) S. Thom. *Physicor.*, lib. 1, lect. 1, paulo post initium.

(3) *Physicor., Prolegom.* cap. 3.

(4) *Metaph.*, lib. 2, cap. 3, q. 5.

(5) *Physic.*, Procem. n. 13.

(6) *De Communibus* etc. lib. 1, cap. 17.

(7) *Physicor.*, Procem. q. 5, a. 1, 2, 3.

DISPUTATIO QUINTA

DE METHODO.

Quæ hactenus scripta sunt, sufficere possunt, ut mens satis instructa dicatur in modo exercendi tres operationes, quarum usu scientiæ comparandæ sunt. Unum superest, ut breviter dicamus de ordine procedendi in scientiarum assecutione, qui *Methodus* dicitur. In assecutione namque veritatis interest multum non solum usus rectus facultatum nostrarum in suis operationibus, sed etiam via et ordo tenendus in rebus investigandis, sicut non sufficit ad terminum quemdam pervenire cupienti, ut pedes habeat firmos et habiles aut equum etiam vel rhedam ad iter faciendum, sed insuper requiritur nosse viam planiorem aptioremque.

CAPUT I.

QUID ET QUOTUPLEX METHODUS.

Definitio methodi generatim, et speciatim in scientiis.

311. Methodus, μέθοδος, a vocibus græcis μετα *(cum)* et ὁδός *(via)*, quasi diceres *cum via* vel *modo*, definiri potest generatim: *modus procedendi aut aliquid faciendi;* in specie vero relate ad scientias est *ordo* vel *modus procedendi in veritatis indagine*, vel in scientiarum assecutione. Quare non consistit præcise in recta exercitatione triplicis actus intellectualis, sed in dispositione objecti ac ordine materiæ, circa quam actus illi exerceantur.

Methodus analytica,

Variæ possunt esse divisiones methodi, sed illa præcipue ad rem nostram pertinet, qua methodus dispescitur in *analyticam* et *syntheticam*. Methodus analytica generatim procedit per viam resolutionis, progrediturque a magis compositis et posterioribus ad simpliora et priora. Et tribus modis servatur hæc methodus resolutionis: primo cum a compositioribus

venitur ad simpliciora, ut si incipias a generali cognitione argumentationis, mox devenias ad propositiones ac terminos, quæ sunt partes illius cognoscendæ; secundo a minus universalibus ad magis universalia, ut si ab hominis consideratione, venias ad cognitionem animalis, viventis, corporis, substantiæ; tertio ab effectu ad causam, ut ab eclipsi ad interpositionem lunæ, vel a fine ad medium, per quod finis ille obtinetur. Ratio, cur processus ab effectu ad causam sit analyticus, in effectu causarum intrinsecarum, materialis et formalis, qui est totum compositum, manifestissima est, quia processus ab hujusmodi effectu ad causam perinde est, ac processus totius ad partes. Respectu vero aliarum causarum etiam effectus videtur se habere instar alicujus magis compositi, quia nempe esse causatum et a tali causa procedere una est ex notis seu partibus ideæ effectus (1).

synthetica.

Methodus vero synthetica procedit per viam compositionis, et opposito modo progreditur a simplicioribus et prioribus ad compositiora et posteriora. Tripliciterque teneri potest: primo procedendo a simplicioribus ad magis composita, ut a terminis ad propositiones, ab iisque ad syllogismum; secundo cum a magis ad minus universalia fit gradus, ut si prius de corpore generatim ac deinceps de corporis speciebus agatur; tertio descendendo a causis ad effectus, ut si disputaturus de eclipsi prius exponas interpositionem lunæ; vel a mediis ad finem.

Consideratio duplicis hujus methodi in tribus mentis operationibus.

Duplex hæc methodus spectari potest in singulis operationibus mentis. Et primo quidem si concipiatur objectum per abstractionem, ut fit in formatione idearum universalium, processus analyticus erit; syntheticus vero, si mens conflet aliquam ideam factitiam vel complexam. Definitio etiam, quæ ad primam operationem pertinet prout per *ascensum*, ut dicunt, vel per *descensum* obtinetur, analytice vel synthetice colligitur. Divisio vero si sit Totius actualis, analytica, si Totius potentialis, synthetica est, quia fit per compositionem differentiarum cum ratione generis.

---

(1) Tongiorgi, *Institution. Logicæ*, n. 357. Cfr. el. Schiffini, *Principia philosophic.*, n. 412, in nota.

Propositio etiam, licet in se compositio quædam mentalis sit, pro vario tamen modo procedendi analytica est vel synthetica. Analyticæ namque sunt omnes illæ propositiones, in quibus prædicatum exhibet aliquid essentiale, ut si dicas: *homo est animal*, vel *homo est rationalis* etc. Syntheticæ vero illæ, in quibus prædicatum exprimit aliquid accidentale respectu subjecti, ut hæc propositio: *Petrus est musicus*.

Denique tertia mentis operatio analytica erit, spectato modo procedendi, si ratiocinatio exordiatur a consideratione effectuum, ad causam inferendam, vel a proprietatibus ad naturam etc.; synthetica vero si e converso a causis arguimus effectum, vel a natura derivamus proprietates. Est præterea quædam forma arguendi essentialiter analytica, inductio nempe, in qua a partibus totum, ab inferioribus minusque universalibus superiora et universaliora colliguntur; quædam vero synthetica, nempe syllogismus, in quo generatim ex aliquo principio universaliori in præmissis assumpto, aliquid magis particulare concluditur, ex vi scilicet principiorum *Dici de omni* et *Dici de nullo*.

Nulla scientia unice analysin vel synthesin sectatur.

Unum tamen notare juvat, si sermo sit de integra aliqua scientia, nullam esse, quæ unice via analysis vel synthesis procedat, sed in omnibus adest aliquid de utraque: nihilominus prout frequentior sit usus analysis vel synthesis, appellatur methodus alicujus scientiæ vel libri analytica aut synthetica.

Analytica methodus propria inventionis; synthetica, doctrinæ.

Eodem modo intelligendum est illud, quod dici solet methodum analyticam propriam esse inventionis, syntheticam vero doctrinæ. Methodus analytica est propria inventionis, quia aptior est rebus ac proprietatibus nondum exploratis sine errore cognoscendis. Si enim res ignota est, nescitur ad quod genus pertineat, nec nisi conjectando et cum erroris periculo illud assignare poterimus, donec analysis adhibeatur, et ope comparationis cum aliis rebus similibus aliqua major illius notitia comparetur. Partes item ac prædicata rei essentialia analysi distinguendæ sunt, ut seorsim melius cognoscantur. Accedit, quod cum nos a sensibus cognitiones nostras inchoemus, naturam rerum, saltem corporearum ac materialium, ex proprietatibus, proprietates autem ex opera-

tionibus, per quas manifestantur, indagemus. Ipsas præterea definitiones ac prima principia inductione colligimus. Quæ omnia methodum analyticam important. At e converso methodus synthetica doctrinæ generatim convenientior est. Cum enim doctrina tradenda est, jam res supponitur cognita, et solum agitur de communicanda aliis ejus veritate. Ad hoc vero multum juvat, ut a simplicioribus ad magis composita, et ab universalioribus ad minus universalia gradus fiat, et primo genus, deinde vero species ac varietates omnes considerentur. Sic nimirum et facilius res intelliguuntur, meliusque retinentur, ordinatius proponuntur, et sub uno aspectu tota series doctrinæ exhibetur. Fieri tamen potest ex peculiari rei tractandæ indole, ut analytica methodus convenienter adhibeatur (1).

Methodus experimentalis,

Alia quoque passim audies nomina diversarum methodorum, *empiricæ*, vel *experimentalis*, *rationalis*, *scholasticæ*, *eclecticæ*, *geometricæ* etc. Experimentalis est illa, quæ docet experientiam et observationem factorum ante omnia consulendam esse; et hæc in scientiis physicis adhibenda est, quippe quæ objectum contemplantur mutationibus sensibilibus obnoxium. Empirica methodus idem valet ac experimentalis, si vocis etymon attendas; sæpe tamen non tam methodum significat, quam systema philosophicum eorum, qui totam scientiam in sola factorum observatione concludunt legumve, quibus illa reguntur, notitia, neglecta causarum, unde talia facta procedunt, inquisitione: en systema Positivismi paucis adumbratum. Rationalis est illa, quæ rationi primas tribuit in scientiis investigandis. Methodus hæc, si ita ratione utendum esse præcipiat, experientia penitus prætermissa, quasi omnia a priori colligenda essent, vitiosa est, aptaque solum videtur ad venditanda deliria pro veris inventis scientiæ, prout cernimus in operibus Idealistarum et Pantheistarum transcendentalium. Methodus scholastica experientiam cum ratione felicissimo connubio nectit, atque adeo iis dotibus commendatur, quas partim innuimus in historica synopsi

rationalis,

scholastica,

(1) Plura dabunt de his P. Jos. Romano, *Elementi di Filosofia*, tom. prim. part. 2, cap. 8; P. Tongiorgi, *Institut. Philos.*, vol 1, *Log.*, n. 357, seqq., aliique recentiores.

Philosophiæ (1) partim modo declarabimus. Hanc nos methodum et ad discendum et ad docendum aptissimam judicamus, eamque sequi in hisce Institutionibus voluimus. Methodus eclectica seu electiva, ut ipsa vox indicat, nisi ad sensum mentemque perniciosissimæ scholæ Eclecticorum intelligatur, apta via ad assequendam veritatem esse potest, si optima quæque hinc inde ex diversis scholis et systematis, duce ratione recta, sanisque jactis fundamentis, selecta, in unum colligantur. Methodus denique geometrica est illa, qua utitur Geometria.

eclectica,

geometrica.

312. Jam pauca quædam præcepta rectæ methodi proponenda sunt. Quoniam finis addiscentium ac tradentium scientias est veritatem aut assequi, aut aliis proponere:

Primum rectæ methodi præceptum,

Primum præceptum sit, ante omnia sectandam esse perspicuitatem, tum in dicendo, tum in exponendis rebus.

secundum,

Secundum præceptum. Definitiones notionesque ac divisiones rerum, quæ in quæstionem veniunt, breves, simplices et clarissimæ tradendæ sunt, præmittendumque quidquid lucem affert, et ad meliorem propositæ quæstionis solutionem conducit.

tertium,

Tertium præceptum. Exponendæ fidelissime, si quæ sunt, opiniones contrariæ, nihilque dissimulandum de vi et efficacitate argumentorum, quibus forte propria sententia urgetur, aut contraria fulcitur.

quartum,

Quartum præceptum. Omnia probanda et confirmanda, quanto fieri potest rationum pondere ac firmitate. Utendumque in argumentatione forma syllogistica styloque brevi, acri, perspicuo et simplicissimo, vitatis amplificationibus ornatuque oratorio, quibus nihil est aptius ad illudendos incautos et ad dissimulandam rationum infirmitatem, immo et falsitatem. Expendendæ quoque sunt et forma argumentationis, et variæ, quibus coalescant, propositiones, ut nihil obscurum non declaretur, nihil dubium aut infirmum, quantum fieri possit in subjecta materia, adjectis novorum argumentorum momentis non roboretur, donec omnia aut ad prima principia veritatesve per se notas resolvantur, aut certe ad propositiones jam in antecessum stabilitas ac demonstra-

(1) Vide *in Introduction.*, num. 53.

tas. Tum denique dissipandæ, si quæ remanent, tenebræ contrariorum argumentorum objectionumve.

Laus Scholasticorum

Hac in re insigniter eminuere Doctores Scholastici, quorum vestigiis in re potissimum theologica et philosophica scientifice proponenda, omnes quicumque aut laudem aptissime scientias tradendi assequi, aut ad intima rei viscera in discendo, quantum licet humano ingenio, penetrare cupiunt, insistant, necesse est. Ideo forma illa scientificas quæstiones pertractandi, quam in hoc præcepto descripsimus, methodi scholasticæ nomen sortita est, quia eam nobis exemplo doctrinaque sua tradidere Philosophi et Theologi Scholastici, duce S. Thoma (1).

Dixi vestigiis Scholasticorum insistendum esse potissimum in re theologica et philosophica, quia licet præceptum hoc 4.um quoad substantiam plus minus semper servandum est in omnibus libris, quorum finis est doctrina, formam tamen dicendi, ut par est, variare oportet pro materiæ tractandæ, finis, personarumque, ad quas liber dirigitur, conditione. Neque etiam cum Scholasticorum opera tamquam exempla methodi, quæ in gravioribus tractatibus scientifice proponendis servetur, proposui, ea quoque vitia accidentalia styli commendata volui, quibus quidam illorum scripta sua partim ex ingenii sui natura, partim ex defectu temporum deturparunt.

Quintum præceptum. Non omnia tractanda sunt methodo, quam dicunt *mathematica* vel *geometrica*. Hæc porro in

(1) Egregiam laudem huic methodo *scholasticæ* a SSmo. Domino Nostro Leone XIII tributam tacitus hic præterire nequeo: *Præclaræ dotes, quæ Theologiam scholasticam hostibus veritatis faciunt tantopere formidolosum, nimirum, ut idem Pontifex* (Sixtus V) *addit:* **Apta illa et inter se rerum et causarum cohærentia, ille ordo et dispositio tamquam militum in pugnando instructio, illæ dilucidæ definitiones et distinctiones, illa argumentorum firmitas et accutissimæ disputationes, quibus lux a tenebris, verum a falso distinguitur, hæreticorum mendacia multis præstigiis et fallaciis involuta, tamquam veste detracta, patefiunt et denudantur.** (Bulla *Triumphantis* a Sixto V ann. 1588 edit.), *præclaræ, inquimus, et mirabiles istæ dotes unice a recto usu repetendæ sunt ejus Philosophiæ, quam magistri Scholastici, data opera et sapienti consilio, in disputationibus etiam theologicis, passim usurpare consueverunt.* Encyl. Litt. *Æterni Patris*, paragr. *Quæ verba...*

Quintum præceptum: impugnantur illi qui methodum geometricam in omnes scientias inductam vellent.

eo consistit, quod initium fiat a definitionibus perspicuis, et a nemine in dubium revocatis; mox axiomata seu propositiones, quæ ab omnibus statim, cognitis terminis, conceduntur, explanentur; tum vero postulata sequantur; ac denique propositiones omnes exactissimo rigore demonstrentur, et adeo apte inter se connectantur, ut earum veritas vel immediate derivetur ex primis illis principiis initio præjactis, vel ex aliis propositionibus prius exinde probatis, ita ut omnia sive theoremata, sive problemata, sive lemmata, sive scholia, sive corollaria ad prima tandem illa principia reducantur. Hæc methodus ideo vocatur mathematica vel geometrica, quia ea utuntur scientiæ mathematicæ et potissimum Geometria. Hanc tenuere viam præcedenti sæculo, ut scribit Roselli (1), «plurimi non modo Philosophi (2), sed et Jurisconsulti (3), et Theologi (4), eoque res devenit, ut nihil jam» saperet «eruditis, quod non mathematica methodo» esset «adornatum» (5). Nec tamen id inventum recenti ætati tribuendum est, jam enim diu commemoraverat Aristoteles quosdam, qui *nisi mathematice loquentes non admittunt* (6), qui nempe respuebant quæcumque mathematico modo non tractarentur. Idque docet Angelicus illud fecisse vel *propter consuetudinem*, eos nempe, qui *in mathematicis sunt nutriti, et... consuetudo est similis naturæ*, vel etiam *propter indispositionem*, eos *scilicet*

(1) *Summ. Philos.*, Log. q, 32, art. 2, n. 1252.

(2) «Vide Wolfium *Elem. Math.*, t. 5, comment. de *Stud. Math.*, cap. 2, ubi methodum mathematicam ad omne scientiarum genus extendit.»

(3) «Heinecius id tentavit in Jure Civili Romano.»

(4) «Idipsum conatus fuit Huetius in *Demonstratione Evangelica*... An vero sit adsecutus, modo non laboro. Certe, ut Wolfius ipse animadvertit (loc. cit. paragr. 102), idem Huetius, qui tam fidebat methodo mathematicæ, ut per eam impios homines impugnantes mysteria revelata christianumque dogma ex ratione convincere posse non dubitaret; demum in *Quæstionibus Alnetanis*, et in suo de *Imbecillitate intellectus humani* opere, si ejus est, viam Scepticismo aperuit.»

(5) «Immo hujus sæculi viris (scribebat Roselli proxime elapso sæculo) qui eruditionem ostentant, vix aliquid placet, quod non sit ad calculos algebraicos comparatum. Quod tamen Wolfius (loc. cit. paragr. 100, seqq.) et in Cartesio et in Newtono reprehendit.»

(6) Lib. 2. *Metaph.*, cap. ult.

qui sunt fortis imaginationis, non habentes intellectum multum elevatum (1), multum enim ab imaginatione dependent Mathematicæ, utpote quæ totæ sunt de magnitudinibus et numeris, quæ vim imaginationis non excedunt. Ratio vero, cur non omnia tractanda sint methodo mathematica, non est quia non debeamus omnia, quantum fieri possit, demonstrare, sed quia non omnia cum certitudine atque evidentia cognosci a nobis in hac vita possunt, sicut res Mathematicæ. Ideo Aristoteles sic præcepit: *Acribologia* (id est diligens ac certa ratio) *mathematica non in omnibus est expetenda, sed in non habentibus materiam* (2). Quia quamvis mathematica methodus optima sit, eamque quoad ordinem, perspicuitatem definitionum ac divisionum et exactam omnia, quantum fieri potest, probandi severitatem, scholastica methodus imitetur (3), adhiberi tamen nequit in quavis materia.

Ad rem S. Thomas: *Ostendit* (Aristoteles) *quod ille modus, qui est simpliciter optimus, non debet in omnibus quæri, dicens quod acribologia, id est diligens ac certa ratio, sicut est in mathematicis, non debet requiri in omnibus rebus, de quibus sunt scientiæ; sed debet solum requiri in his, quæ non habent materiam. Ea enim, quæ habent materiam, subjecta sunt motui et variationi; et ideo non potest in eis omnibus omnimoda certitudo haberi. Quæritur enim in eis non quid semper sit, sed quid sit ut in pluribus. Immaterialia vero secundum seipsa sunt certissima, quia sunt immobilia. Sed illa, quæ in sui natura sunt immaterialia, non sunt certa nobis propter defectum intellectus nostri, ut prædictum est. Hujusmodi autem sunt substantiæ separatæ. Sed mathematica sunt abstracta a materia* (intellige sensibili) *et tamen non sunt excedentia intellectum nostrum; et ideo in eis est requirenda certissima ratio. Et quia tota natura est circa materiam, ideo iste modus certissimæ rationis non pertinet ad naturalem Philosophum* (4).

---

(1) S. Thom. lib. 2, *Metaph.*, lect. 5, paragr. *c.*

(2) Arist., loc. cit. cap. ultim. in fine.

(3) Qua in re summam laudem meruit S. Thomas, ut ipsemet Genuensis agnovit in Logica italice conscripta lib. 5, cap. 3, paragr. 4, apud Roselli Op. et loc. cit. n. 1256, in nota 3.

(4) S. Thom., lib. 2, *Metaph.*, lect. 5, fin.

Non est in omnibus eadem certitudo requirenda.

Hinc ratio præcepti colligitur ex Aristotele (1), cujus sic doctinam exponit S. Thomas: *Modus manifestandi veritatem in qualibet scientia debet esse conveniens ei, quod subjicitur, sicut materia in illa scientia. Quod quidem manifestat ex hoc, quod certitudo non potest inveniri, nec est requirenda similiter in omnibus sermonibus, quibus de aliqua re ratiocinamur. Sicut neque etiam in omnibus conditis, id est his, quæ fiunt per artem, non est similis modus operandi in omnibus, sed unusquisque artifex operatur ex materia secundum modum ei convenientem, aliter quidem ex terra, aliter ex luto, aliter ex ferro* (2). Quare *ad hominem bene disciplinatum, id est, bene instructum pertinet,* pergit S. Doctor cum Aristotele, *ut tantum certitudinis quærat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur. Non enim potest esse tanta certitudo in materia variabili et contingenti, sicut in materia necessaria, semper eodem modo se habente. Et ideo auditor bene disciplinatus non debet majorem certitudinem requirere, nec minori esse contentus, quam sit conveniens rei, de qua agitur. Propinquum enim peccatum esse videtur, si aliquis acceptet aliquem mathematicum persuasionibus rhetoricis utentem, et si expetat a Rhetorico demonstrationes certas, quales debet proferre Mathematicus. Utrumque enim contingit ex hoc, quod non consideratur modus materiæ conveniens; nam Mathematica est circa materiam, in qua invenitur omnimoda certitudo, Rhetorica autem negotiatur circa materiam civilem, in qua multiplex variatio accidit* (3).

Cæterum mathematica methodo posse gravissimos errores in scientias invehi, monstravit exemplo suo impius ille veterator batavus Spinoza, qui Ethicam geometrica methodo conscripsit, et ex definitionibus propositionibusque æquivocis et falsis, ac putidissimis sophismatis, opus concinnavit ad turpissimum propugnandum Pantheismum (4).

Quid dicendum de Eclecticismo et Syncretismo.

313. Reliquum est, ut pauca quædam delibemus de *Eclectismo*, et *Syncretismo*, seu de methodo eclectica et syncretica. In primis in eo «syncretismus ab eclectismo differt,

(1) Lib. 1.°, *Ethicor.*, cap. 3.
(2) S. Thom., lib. 1.° *Ethicor.*, lect. 3, initio.
(3) S. Thom., lib. 1.° *Ethicor.*, lect. 3, paragr. *b*.
(4) Cfr. Roselli, loc. cit.

inquit Cajetanus Sanseverino, quod alia ex aliis Philosophis dogmata sine ullo ordine certoque principio corradit et componit» (1). Jam per se patet syncreticam methodum, hoc pacto intellectam, intrinseco vitio laborare. De methodo autem eclectica potest esse major dubitatio. Quis enim jure reprehendat studium optima quæque seligendi, et apte in unum corpus conflandi? Commune tamen vitium fuit scholarum, quæ vocatæ sunt eclecticæ, defectus criterii certi ac securi, quo in delectu contrariarum doctrinarum faciendo ducerentur. Hinc eo se modo fere gesserunt, quo solent se gerere illi mediatores, qui in quacumque contentione jubent utramque partem dissidentem non nihil de sua sententia remittere, ad ineundam videlicet concordiam. Quo quid absurdius excogitari possit? Sæpissime namque fit, ut altera tantum pars veritatem ac justitiam sectetur, altera penitus erret: altera doctrinam evidenter veram tueatur, altera de errore manifeste convincatur. Atqui verum cum errore in concordiam revocare nefas est. Itaque absurdum est et scepticum opus, velle hinc inde varia doctrinarum oppositarum capita in unum corpus colligere; nec fieri potest, quemadmodum scite observat Cajetanus Sanseverino, quin Eclecticismus hujusmodi omni norma criterioque destitutus in syncretismum evadat, inconditamque farraginem invicem repugnantium sententiarum exhibeat. Idque multo evidentius apparet in Cousiniano eclecticismo. Victor enim Cousin, quemadmodum initio diximus, abnorme illud ac vere peregrinum statuit principium, errorem *purum* cadere in mentem humanam non posse, erroremque non esse nisi veritatem incompletam, quare nullum systema philosophicum dari, quod falsum sit penitus, sicut nullum quoque datur, quod plenam veritatem possideat, cum veritas dispersa sit, ac inter omnes Philosophorum scholas per partes distributa. Quo jacto principio,

Confutatur

(1) *Elementa Philosophiæ christianæ Log. Pars tertia* num. 33, in nota. «Origo vocis est, pergit idem Auctor, a verbo συγκρητιθειν, quod a συν *(cum)* et Κρητη *(Crete)* componitur, quia Cretenses, teste Plutarcho *(de Frat. amore*, Opp. tom. II, pag. 490 ed. Xiland) *crebris seditionibus bellisque civilibus exagitati, extrinsecus adventantibus hostibus, pacem et societatem coiverunt. Is enim erat, quem ipsi appellabant Syncretismum.*»

eam aptissimam esse philosophandi rationem conclusit, quæ quidquid in variis et contradictoriis systematis continetur, in unum corpus coagmentet. At doctrina hæc stare nequit, utpote quæ ruinoso innititur fundamento. Sicut enim aliud est tacere de re aliqua, et aliud mentiri, sic aliud est non plenam veritatem circa objectum aliquod possidere, et aliud errare circa illud, nempe aliud est inadæquate cognoscere, et aliud perperam cognoscere; error quippe non est simplex defectus cognitionis, sed cognitio difformis objecto, quemadmodum superius vidimus (1).

Nihil ergo mirum, si ex tam absurdo principio falsissimum eclecticismum Cousinus derivaverit, talemque, qui non veram scientiam gignere valet, sed monstrum aliquod duntaxat informe, quale describit Horatius Flaccus initio epistolæ ad Pisones de *Arte poetica*.

Qualisnam eccleticismus liceat.

Cæterum si quis talem eclecticismum amet, qui, admissis atque in tuto positis primis principiis et veritatibus omnibus, quas aut ratio evidens demonstrat, aut Fides divina firmiter tenendas proponit, respuat tamquam falsum, quidquid hisce veritatibus contradicit, et in reliquis seligat eas doctrinas ac sententias, quas mens, præjudiciis omnibus libera, conformiores rationi deprehenderit, easque apte et cohærenter ordinaverit; non is ego sum, qui hujusmodi eclecticismum reprehensum velim, aut non potius maximopere commendem. Hanc enim puto philosophandi rationem tenuisse primum Patres Ecclesiæ (2) ac mox Doctores Scholasticos, qui quidquid in auctoribus priscis repererunt, aut ecclesiasticæ doctrinæ conforme, aut ad eam propugnandam aptum rationique consentaneum, avidissime arripuerunt, atque ad firmissimum æque ac pulcherrimum scientiarum ædificium exstruendum, velut totidem affabre sectos lapides, adhibuerunt. Eodemque studio eos animatos esse oportet, qui evadere insignes cupiunt in philosophica doctrina, potissimum cum in varias incidunt sententias in catholicis scho-

(1) *Logic. Major.*, n. 6.

(2) Vide Clement. Alexandr., *Stromat.*, lib. 1, cap. 7 et 13; Lactant. Firmian, *Divinar. Institution.*, lib. 7, cap. 7; S. Augustin., *De Civit. Dei*, lib. 8, cap. 9.

lis non sine animorum æstu controversas, veritatem semper sincerissime quærentes, eamdemque ubilibet repertam libenter amplectantes, errores autem a quocumque tandem doceantur, diligentissime cavéntes, in omnibus denique rationum pondus magis, quam nomen auctorum attendentes. Quamquam in hoc doctrinæ delectu faciendo, ii potissimum consulendi sunt, qui inter Scholasticos maxime eminuerunt, ac nominatim S. Thomas, illique, qui tantorum Doctorum vestigia sequentes, doctrinam Scholasticam illustrarunt, ac novis accessionibus locupletarunt. Crede enim mihi, nullum hactenus humanæ scientiæ monumentum excitatum vidi aut verius, aut ditius, aut solidius, numerisque omnibus generatim absolutius, quam Scholastica Philosophia, cujus nisi mentes cepisset tristissima ignoratio vel oblivio, non potuissent ubique serpere ac pene etiam triumphare recentiorum errorum levissimæ inanitates, quemadmodum nec durare tenebræ queunt iis in locis, quæ meridianus sol lumine suo illustrat, nec grassari vulpeculæ, ubi vigilant generosi canes.

CAPUT II.

DE METHODICA DUBITATIONE CARTESII.

Dubitatio duplex: realis,

et hypothetica vel methodica.

314. Duplex est dubitatio, altera realis, altera hypothetica vel methodica. Realis est vera suspensio animi ad neutram partem contradictionis inclinantis. Hypothetica vel methodica consistit in eo, quod mens quamvis non dubitet, se tamen gerit, quasi reapse dubitaret, nempe inquirendo et considerando fundamenta rei eo pacto, quo solent illi, qui vere dubitantes, e dubio suo emergere cupiunt.

Discrimen utriusque declaratur.

Discrimen duplicis hujus nullibi melius innotescit quam in infideli, cui nondum sufficienter proposita est revelatio, et in Theologo, qui dogma revelatum, quod firmiter in corde suo credit, omni argumentorum genere confirmare et credibile reddere contendit. Infidelis ille verum tenet dubium in corde suo; at Theologus non vere dubitat, secus enim hære-

ticus foret, nec posset revelatæ doctrinæ rationem exponere, salva fide; et nihilominus ita inquirit argumenta et expendit, et in omnem partem versat propositam rem, sicut faceret ille, qui ex animo dubitans, dubium suum deponere rationabiliter vellet, ac certitudinem comparare. Finis enim hujus dubitationis est, ut illi, qui de re dubitant, aut certe ob suam ignorantiam rationum dubitare facile possent, undique perspectis fundamentis veritatis, et motivis etiam apparentibus, si quæ forte sunt, unde dubium posset ingenerari, in constantissimo imperturbatoque assensu confirmentur. Quæ etiam causa est, cur simulata hæc et hypothetica dubitatio *methodicæ* nomen acceperit, quia est aptissima docendi methodus, ut illi, qui student, consideratis in quavis quæstione ac dissipatis omnibus, quæ obstare possent, animumque ab assensu retrahere, difficultatibus, scientias plenius ac securius acquirant. Quare hujusmodi rationem scientias pertractandi jam inde a remotissima antiquitate video usurpatam. Ea sane usus fuit Aristoteles (1), testante Angelico Doctore: *Consuetudo* inquit. *Aristotelis fuit, fere in omnibus libris suis, ut inquisitioni veritatis vel determinationi præmitteret dubitationes emergentes* (2). Nec solum usus fuit Aristoteles dubitatione, sed utendum esse diserte præcepit, variisque probavit argumentis (3). Eamdem methodum adhibuit S. Thomas in pluribus operibus, eamdem S. Bonaventura, Albertus M. aliique Scholastici: eamdem denique posteriores Scholastici, ac noninatim Suarez in variis libris, Cosmus Alamannius, Sylvester Maurus, et alii bene multi. Methodicam itaque dubitationem generatim non reprobamus, verum e converso laudandam et commendandam esse ducimus, dummodo dubitans reservet sibi sufficientia principia, unde mox possit a statu dubii in statum certitudinis transire, quemadmodum fecerunt sapientes illi, quos nuper commemoravi, Doctores.

Methodica dubitatio Cartesii:

315. Nunc autem quæritur, quid dicendum sit de Cartesii methodica dubitatione. Quamquam enim satis infelix in Philosophia Cartesius reliquerit nomen, celebritas tamen illius

(1) Vide v. g. lib. 1.um *de Anima*, cap. 2; lib. 1. *de Cœlo*.
(2) S. Thom., lib. 3.° *Metaph.* lect. 1. paragr. *e*.
(3) Vide Aristot., lib. 3.° *Metaph.*, cap. 1.; Cfr. S. Thom. ibid. lect 1.

non sinit nos hic penitus præterire methodum, quæ non paucos nacta est laudatores, nec pauciores oppugnatores.

exponitur.

Hic cum notasset, sæpe nos ab ineunte ætate deceptos fuisse in delectu opinionum, sæpe etiam temere nimis ac præcipitanter judicasse de rebus, quærendum esse statuit aliquem modum, quo et præjudicia omnia exuamus erroresque admissos respuamus, ut sic solidum deinceps excitari possit scientiarum ædificium, nullis amplius obnoxium dubiorum et incerti animi fluctuationibus. Et methodum hujusmodi reperit Cartesius in universali dubitatione, quæ in adulta ætate semel in vita instituenda est ita, ut in dubium revocentur, aut etiam tamquam *falsæ rejiciantur*, omnes prorsus veritates et cognitiones, de quibus aliquo modo liceat nobis dubitare, vel falsitatem suspicari, illis solum reservatis, circa quas dubium est prorsus impossibile, nimirum ut super hisce veritatibus fundari possit tota reliquarum certarum cognitionum moles in scientiis (1).

De omnibus dubitandum.

Itaque in dubium revocandum est mihi, inquit, in primis, quidquid hactenus ut verum admisi, vel *a sensibus* vel *per sensus* accepi, hos enim interdum fallere deprehendi; at prudentiæ est nunquam illis plane confidere, qui nos vel semel deceperunt (2).

Dubitandum quoque est de ipsis veritatibus mathematicis, earumque principiis etiam evidentibus (3), tum quia quidam hæc tractantes decepti sunt; tum quia, cum audierimus Deum, Creatorem nostrum, posse quidquid sibi libuerit facere, forte nos tales effecit, ut in omnibus decipiamur. Si enim Deus quandoque permisit nos falli, cur non possit permittere ut semper fallamur? (4) Vel certe supponi potest, *genium aliquem malignum, eumdemque summe potentem et callidum, omnem suam industriam in eo posuisse, ut me falleret* (5).

---

(1) Vide Cartesium, *Medit.* 1.ª et 2.ª; *De Princip. Philos.*, 1.ª part. n. 1 et 2.

(2) Cartes., *Medit.* 1.ª; *De Princip.*, prim. part. n. 4.

(3) V. g. *quod duo et tria simul juncta sunt quinque, quadratumque non plura habeat latera quam quatuor.* Cartes., *Medit.* 1.ª circ. med.

(4) *De Princip.*, 1.ª part. n. 5; *Medit.* 1.ª

(5) *Medit.* 1.ª vers. fin.

Suppono igitur omnia, quæ video falsa esse: credo nihil unquam extitisse eorum, quæ mendax memoria repræsentat: nullos plane habeo sensus; corpus, figura, extensio, motus locusque sunt chimæræ. Quid igitur erit verum? fortassis hoc unum, **nihil esse certi** (1). Nam facile etiam *supponere possumus Deum non esse* (2). Et tandem post adducta quædam argumenta ad evertendam certitudinem suarum cognitionum, sic concludit: *Quibus sane argumentis non habeo, quod respondeam, sed tandem cogor fateri nihil esse ex iis, quæ vera putabam, de quo non liceat dubitare, idque non per inconsiderantiam vel levitatem, sed propter validas et meditatas rationes, ideoque etiam ab iisdem non minus, quam ab aperte falsis, accurate deinceps assensionem esse cohibendam, si quid certi velim invenire* (3).

Dubitari tamen nequit de propria cogitatione et existentia.

Unum tamen est, quod ab hac universali dubitatione excipiendum necessario est, nempe propria *cogitatio* cum existentia, si enim cogitamus (4) si dubitamus, si fallimur, certe sumus. Tam absurdum quippe nobis videtur concipere, quod ille qui cogitat, re vera, dum cogitat, non existere, ut quantumvis rationes dubitandi excogitare velimus, numquam possimus nobis persuadere conclusionem hanc: *Cogito: ergo sum,* veram non esse, atque adeo hæc est prima et omnium certissima propositio, quæ occurrit cogitationes suas ordinare cupienti (5). Neque enim fieri potest, ut ullus deceptor, utcumque astutus et omnipotens, in hac persuasione nobis illudat (6). Sit ergo hæc prima veritas indubitabiliter nota, *mea cogitatio et existentia*. Videamus, quomodo ex hac prima basi Cartesius certitudinem aliarum rerum acquirat.

---

(1) *Medit.* 2.ª *De Princip.*, part. 1.ª n. 7.

(2) De *Princip.*, part. 1.ª, n. 7.

(3) *Medit.* 1.ª vers. fin.

(4) Quid intelligat Cartesius nomine *cognitionis* apparet ex hisce ejusdem verbis: *Sed quid igitur sum? res cogitans? quid est hoc? nempe dubitans, intelligens, affirmans, negans, volens, nolens, imaginans quoque* et *sentiens*. (Medit. 2.ª, circ. med). Quare nomine cogitationis, videtur intelligere omnes actus internos sive cognoscitivos, sive appetitivos, quos conscientia renuntiat. Cfr. etiam, *Medit.* 3.ª, initio.

(5) De *Princip.*, part. 1.ª, num. 7.

(6) *Medit.* 2.ª, paulo post init.

Ratio, cur de hac prima veritate non possim dubitare, est quod illam *clare et distincte percipiam*. Ergo quidquid clare et distincte percipitur, tamquam verissimum certissimumque habendum est (1). En celeberrimum criterium Cartesii.

Criterium evidentiæ Cartesianum.

Verum objicies, criterium hoc non valere, quia multa quoque alia clare ac distincte a nobis cognita, in dubium revocavimus, potissimum quia forte Deus, Creator noster, dederit nobis facultates natura sua fallibiles etiam in iis, quæ clarissime distinctissimeque percipiuntur (2). Hæc tamen difficultas facile dissipatur, ostensa existentia et veracitate Dei.

Sane Deus veracissimus existit. Nam est in me idea entis infiniti, æterni, immutabilis, independentis, summe perfecti. Atqui hæc idea necessario postulat realitatem sui objecti. Nam hæc idea causam aliquam habeat, oportet, eamque summe perfectam, siquidem effectus causam proportionatam postulat, atque adeo idea entis infiniti, æterni, summe perfecti non aliunde causari potest, quam ab ente infinito, æterno, summe perfecto. Jam vero ens hujusmodi Deus est. Ergo Deus existit revera perfectissimus veracissimusque, qui proinde non potuit mihi facultates deceptrices, etiam in rebus clare ac distincte perceptis, largiri (3). Quod si in rebus clare ac distincte perceptis deciperemur, in Deum refundendus esset error noster, utpote qui lumen naturale dedisset fallibile. In judicandis ergo clare ac distincte perceptis error esse nequit, sed errores semper accidunt, ex eo quod judicemus temere ac præcipitanter de iis, quæ nondum satis cognovimus (4).

Valor hujus criterii confirmatur ex veracitate Dei.

(1) *Medit.* 3.ª, paulo post init.

(2) *Medit.* 3.ª, paulo post init.

(3) Vide Cartes. hæc fusissime exponentem in *Medit.* 3.ª, et initio *Medit.* 4.æ Cfr. *de Principiis*, prim. part., n. 14, seqq.

(4) *De Princip.*, part. 1.ª, num. 29, 30, 33, 43 et 44. Cæterum perceptionem claram et distinctam ita declarat Cartesius: *J' appelle claire celle qui est présente et manifeste à un sprit attentif; de même que nous disons voir clairement les objets, lorsqu' étant présents à nos yeux ils agissent assez fort sur eux, et qu' ils sont disposés à les regarder: et distincte, celle qui est tellement précise et differante de toutes les autres, qu' elle ne comprend en soi que ce qui parait manifestement à celui qui la considere comme il faut. De Princip.*, loc. cit. n. 45.

Maneat ergo hoc principium firmum: *Quidquid in idea clara et distincta rei continetur, verum est, ac tamquam certissimum tenendum.*

Ecce methodum a Cartesio propositam ad scientias cum certitudine ac sine errore ac præjudiciis comparandas, cujus hæc est summa: α) dubitandum de omnibus semel in vita, vel supponendæ falsæ omnes prorsus cognitiones, de quibus omnino dubitari potest: β) unum tamen absolute indubitabile existit, cogitatio et existentia propria, quam conscientia ineluctabiliter testatur: γ) ratio indubitabilis certitudinis, quæ adest in hoc testimonio, est clara et distincta perceptio: δ) quidquid clare ac distincte percipitur, verum esse, indubitabile plane est supposita existentia et veracitate Dei. Quo criterio suppetit jam nobis via verum a falso secernendi.

Judicia de Cartesiano systemate.

316. Doctrina hæc, sicut aliæ ejusdem Cartesii sententiæ, plures nacta est adversarios, quorum alios innuimus in Introductione (1); alii fusius videri possunt apud Cajetanum Sanseverino (2). Non defuerunt tamen alii, sive inter æquales sive inter posteros, qui Cartesium non solum ab omnibus adversariorum objectis tuerentur, verum etiam summis extollerent laudibus (3). Nobis autem quid dicendum sit de Cartesiana methodo, exponet sequens

Crisis.

PROPOSITIO. **Methodica dubitatio, prout a Cartesio instituitur tamquam via ad philosophicam in scientiis certitudinem comparandam, multis capitibus absurda est.**

Methodica dubitatio Cartesii multis capitibus absurda ostenditur.

Prob. 1.° Nam Cartesius vel proponit veram et realem dubitationem, vel solam fictam et hypotheticam. Si veram et realem, opus aggreditur plane impossibile. Nam sunt multa, quemadmodum jam sæpius notavimus (4), ac nominatim prima scientiarum principia, quæ, intellectis terminis, a nemine in dubium revocari possunt, licet ore perfracte negentur. Si autem fictam dumtaxat et hypotheticam, non minus

(1) Num. 98.

(2) *Log.*, part. 2, cap. 2, art. 3.

(3) Vide Sanseverino, loc. cit. Cfr. supr., *Introduction. in Univ. Philos.*, num. 98.

(4) Vide supra n. 49, ubi de Scepticismo, et num. 197, ubi de principiis ac propositionibus per se notis.

dubitare licebit de veracitate conscientiæ propriam cogitationem testantis, quam de veritate naturali cæterarum facultatum cognoscitivarum. Cur ergo de illa non dubitetur?

Prob. 2.° Dubitatio Cartesiana adeo est universalis, ut ea posita, impossibile sit philosophicam et rationalem certitudinem obtinere, ac proinde necessario ruendum sit in scepticismum (1), Ergo absurda est.

Prob. α) antecedens. Nam doctrina est Cartesii, nihil tandem omnino certum et infallibile sine ullo scrupulo admitti posse, donec nobis innotescat existentia et veracitas Dei (2). Atqui existentia et veracitas Dei etiam secundum ipsum Cartesium non innotescit nobis nisi vi quarumdam ratiocinationum, quæ certe dum instituuntur, nondum constat Deum existere. Ergo qui methodum Cartesianam sequi volet, nullius rei veram et rationabilem certitudinem assequi valebit.

Prob. idem antecedens β) Nam cum quis dubitat, vel *falsum supponit* aliquid, nequit rationabiliter illud iterum tamquam certum admittere, nisi instrumenta sibi reservet sufficientia ad dubium illud expellendum. Atqui posita universali dubitatione non suppetunt instrumenta ad emergendum e dubio universali.

Nam instrumenta hæc sunt facultates cognoscitivæ, quarum ope et exercitatione ratiocinamur, et fundamenta rerum expendimus. Jam si facultates istæ omnes fallaces supponantur, quemadmodum supponuntur a Cartesio, impossibile erit fidem illis adhibere, ac proinde ullius rei certitudinem comparare.

Sane testis dubius nullam fidem meretur, donec illius veracitas innotescat. Atqui secundum methodicam dubitationem Cartesii omnium facultatum testimonium dubium habetur, nec verax ostendi potest nisi testimonio earumdem

---

(1) Loquor de certitudine philosophica, et quia ad illam solam assequendam, methodum suam invexit Cartesius, et quia vulgaris certitudo etiam invitis nobis habetur.

(2) En Cartesii verba: Ut autem etiam illa valde tenuis ratio dubitandi tollatur, quamprimum occurret occasio, *examinare debeo, an sit Deus, et si sit, an possit esse deceptor; hac enim re ignorata, non videor de ulla alia plane certus esse unquam posse.* Cartes. *Medit.* 3.ª *An Deus sit*, non procul ab initio.

facultatum, quæ adhuc fallaces supponuntur. Ergo quamdiu fallaces aut dubiæ fidei supponuntur facultates nostræ, impossibile est philosophicam certitudinem ullius rei obtinere.

Prob. 3.° Oratio illa: *Cogito: ergo sum*, vel sumitur ut una dumtaxat propositio, vel argumentatio sub enthymematis forma proposita. Si primum, necesse erit, ut saltem implicite supponatur tamquam certissimum principium contradictionis, quod est basis et fundamentum omnis prorsus objectivæ necessitatis ac certitudinis. Enimvero quid est, quod certo ac necessario verum reputandum sit, si idem simul possit esse et non esse? Si vero velis orationem illam esse enthymema, non solum vera subaudienda sunt principia illa omnia, quibus argumentatio innititur, sed etiam præterea hæc alia, quæ est Major in enthymemate omissa: *Quidquid cogitat, est.* Et nisi hæc omnia verissima certissimaque ponantur, veritas orationis illius stare nequit. Pugnantia ergo loquitur Cartesius, cum cæteris omnibus veritatibus in dubio relictis, hanc primam firmam indubitamque amplectitur: *Cogito: ergo sum.*

Prob. 4.° Cartesius in suo processu incurrit in contradictionem et petitionem principii. In contradictionem quidem, quia dum fallaces supponit facultates cognoscitivas, iisdem certissime fidit, ac proinde veraces existimat. Sane Cartesius dum facultatibus suis fidem esse detrectandam docet, sive quia sæpe nos fefellerunt, sive quia forte Deus condere nos potuit in omnibus deceptioni obnoxios, sive certe quia genius aliquis malignus nos perpetuo deludere forte delectatur; testimonium conscientiæ de propria cogitatione tamquam indubium admittendum sibi esse decernit, criterium ideæ claræ ac distinctæ statuit, eidemque suam tandem firmitatem adsciscit ex veracitate Dei, cujus existentiam multiplici argumentatione concludit.

Stabilita autem veracitate Dei, agnoscit in multis infallibilitatem intellectus, et admittit tamquam veras omnes perceptiones facultatum nostrarum claras ac distinctas, omniaque judicia, quæ versantur circa clare et distincte percepta (1).

(1) Relege quæ supra retulimus ex doctrina ipsius Cartesii.

Jam quæro a Cartesio, num veraces habeat omnes istas ratiocinationes (1), quibus veracitatem Dei conclusit, ut tandem restitueret facultatibus nostris infallibilitatem in clare distincteque perceptis, an vero non. Si non habet veraces, infeliciter tempus consumpsit, nec poterit unquam e profundo dubii sui barathro emergere. Si autem veraces habet, jam secum misere pugnat fidens facultatibus suis, dum eas fallaces supponit, multaque tamquam vera assumens, dum nihil posse adhuc tamquam verum assumi decernit.

Petitionem autem principii aperte committit, tum quia veritatem ac certitudinem suarum facultatum et cognitionum, quam per suam methodum stabilire nititur, perpetuo supponit, in suo processu; tum quia dum omnimodam sui criterii, firmitatem ex existentia et veracitate Dei summi Conditoris nostri demonstrare contendit, supponit admittendas esse tamquam infallibiles perceptiones omnes claras et distinctas, judiciaque ex iisdem composita. In quo et circulus vitiosus latere videtur, quandoquidem infallibilitas judiciorum ac perceptionum clararum distinctarumque ex veracitate Dei, veracitas autem et existentia Dei, ex variis judiciis et perceptionibus, quia clarissimæ ac distinctissimæ sunt, derivatur.

Et hæc sufficiant contra methodum Cartesianam, neque enim urgere volumus omnia, quæ alii auctores adversus eamdem congessere (2).

317. **Dices** 1.° A Cartesio non dubitari penitus de veracitate omnium facultatum, nam eo ipso quod certissimam putat existentiam sui et suæ dubitationis cogitationisque, admittit tamquam verax testimonium conscientiæ.

Respondeo in primis perperam admitti veracitatem conscientiæ, negata vel in dubium revocata cæterarum facultatum veracitate, nam rationes, quæ suadent conscientiæ veraci-

---

(1) Omitto nunc satis infirmam et labilem esse rationem, qua Cartesius probat existentiam entis infiniti, æterni summe perfecti.

(2) Fuse atque erudite de hac re scripserunt Jacobus Balmes, *Filos. fundamental*, lib. 1.°, cap. 18; P. Josephus Kleutgen, La *filosofia antica*, etc., tom. 1; Cajetanus Sanseverino, *Logic.*, part. 2, cap. 2, art. 3, aliique.

tatem, eædem probant etiam veracitatem aliarum facultatum respectu propriorum objectorum.

Addo præterea parum prodesse solam veracitatem conscientiæ ad vitandum scepticismum. Conscientia enim affectiones dumtaxat et phænomena proprii subjecti refert; non tamen ad ipsam spectat judicare de objectivo cognitionum nostrarum valore. Sola ergo veracitate conscientiæ admissa, nullum remanet instrumentum, quo scepticismum caveamus, saltem quantum attinet ordinem objectivum et realem valorem cognitionum nostrarum.

Dices 2.° Non recte reprehendi in Cartesio id, quod recentiores passim auctores, nemine reclamante, faciunt. Cur enim veracitatem facultatum cognoscitivarum probandam vel explicandam suscipiunt, nisi quia eamdem prius dubiam supposuerant?

Respondeo, veracitatem facultatum cognoscitivarum, saltem intellectus, ne methodice quidem, proprie loquendo, ambigi posse; propterea quod necessaria prorsus sit intellectiva facultas ad omnem ratiocinationem et explicationem, unde innotescere nobis quidpiam possit. Nam nisi verax supponatur intellectus natura sua, nulli ratiocinio ejusdem fidere poterimus, nec unquam proinde ad certitudinem pervenire. Itaque cum cæteri Philosophi ad veracitatem facultatum cognoscitivarum reflexe considerandam se convertunt, minime censent facultatibus suis licere sibi diffidere, sed plane intelligunt, etiam in illo ipso examine judicium illarum esse audiendum. Ideoque proprie non dubitant, ne hypothetice quidem aut methodice de veracitate facultatum cognoscitivarum, sed umbram quamdam dumtaxat et simulacrum dubii exercent, propterea quod reflexa illa consideratio in aliis materiis solet aut certe potest impune conjuncta esse cum methodica dubitatione. Id tamen fieri relate ad veracitatem facultatum nostrarum nequit, quia omnis consideratio ut valeat quidpiam, veracitatem potentiæ ipsius considerantis requirit, a qua proinde qui prescindit, eam falsam supponendo, idem facit ac ille, qui ad melius considerandam aptitudinem oculi ad videndum, claudendum illum esse decerneret.

Dices 3.° S. Augustinus non uno in loco ex cogitatione atque etiam ex ipsa deceptione colligit existentiam propriam

contra Academicos (1). Ergo si Cartesius reprehendendus est, reprehendatur etiam S. Augustinus.

Resp. *neg.* conseq. Nam peccatum Cartesii non stat in eo, quod ex cogitatione atque etiam ex deceptione inferat propriam existentiam, sed in eo, quod hanc solam veritatem admittat, reliquis omnibus in dubium revocatis, et quod nondum explorata nec admissa veracitate facultatum cognoscitivarum, iisdem fidat in multis argumentationibus, prout necessarium sibi esse putavit infelicissimus ille architectus ruinosi ædificii. Id porro non fecit S. Augustinus, sed contrarium prorsus diserte monuit non uno in loco ex allegatis (2).

DISPUTATIO SEXTA.

APPENDIX,

IN QUA ENUCLEANTUR VARIÆ QUÆSTIONES PROŒMIALES DE LOGICA.

Doctrinæ ordo postulasset, ut quæ hic instar appendicis ad disputationem generalem de scientia tractamus, in ipso limine Logicæ enuclearentur: idque revera præstiterunt plures Aristotelis commentatores, aliique sapientes, qui cursus Philosophiæ edidere. Ego qui experientia novi quæstiones istas a tironibus, studia Logices primum aggredientibus, intelligi minime posse, naturalem rerum tractandarum ordinem commodo studentium posthabendum judicavi, illasque ad eum locum transferendas, in quo minori capi valeant difficultate.

---

(1) Vide S. August., lib. 15 *de Trinit.*, cap. 12; *De Vera Religione*, cap. 36, n. 75; *de Civitate Dei*, lib. 2, cap. 26; *Contra Academicos*, lib. 13 cap. 11, 12, 13; lib. 2.º *de Libero arbitrio*, cap. 2, 3.

(2) Vide lib. 15, *de Trinit.*, cap. 12; *de Liber. arbitrio*, loc. cit.; et *Contra Academicos*, lib. 3, cap. cit.

CAPUT I.

DE NATURA

ET PROPRIETATIBUS LOGICÆ.

ARTICULUS I.

Utrum Logica sit necessaria ad alias scientias assequendas.

318. Logica definitur a S. Thoma: *Ars directiva ipsius actus rationis ad verum assequendum, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat* (1). Ex qua definitione jam per se patet, quanta sit utilitas hujus disciplinæ (2). Verum hic non utilitas, sed necessitas investigatur: nec venit in controversiam necessitas Logicæ naturalis, sed artificialis dumtaxat, seu artis Logices. Velle enim sine naturali Logica ullas scientias assequi perinde est, ac velle effectum sine causa obtinere. At si nemo dubitat, quin Logica naturalis, utpote cum ipso ingenito acumine intellectus identificata, necessaria prorsus sit ad cæteras scientias comparandas, non æque constat, quid dicendum sit de artificiali.

Status quæstionis.

Quidam enim censent Logicam artificialem esse simpliciter necessariam ad alias scientias, sive perfecte sive etiam imperfecte, addiscendas. Ita Dominicus Sotus (3) et Cardinalis Aguirre (4) et plures Thomistæ apud Lossada (5) et

Sententiæ auctorum: prima,

(1) S. Thom. lib. 1. *Posterior.*, lect. 1.a, initio.

(2) Qua de re fuse et egregie disputat Card. Aguirre, *Disp. select.* in *Logic.* tract. 1, disp. 1, sect. 4. Sectione vero 5.a respondet iis, qui Logicam inutilem ac perniciosam videntur existimasse.

(3) *Dialect* q. 1, Procem., conclus. 2.

(4) *Selectæ disputationes in Logicam et Metaphysicam Aristotelis*, *Logic.* tract. 1, disp. 2, sect. 1.a et 2.a

(5) *Logic.*, tract. procem., disp. 1, cap. 7. n. 2.

Chrysostomum Javell (1), et e nostris P. Bartholomæus Amicus (2) et Cosmus Alamanni (3).

secunda.

Alii vero tenent scientias alias in utrovis statu, sive perfecto sive imperfecto, haberi posse sine Logica, quæ proinde simpliciter necessaria non est, sed tantum ut facile et absque erroris periculo acquirantur. Ita Jandunus (4), Javellus (5), apud Rubium, itemque Conimbricenses (6), Fonseca (7), Arriaga (8), et Mastrius (9) aliique apud Lossada (10), quos ipse etiam sequitur.

tertia.

Tertia est illorum opinio, qui sentiunt Logicam esse simpliciter necessariam ad scientias in statu perfecto, secus vero in statu imperfecto comparandas. Ita Joannes a S. Thoma (11), Complutenses (12), Roselli (13), aliique Thomistæ (14) et Pontius (15), quibus adstipulantur e Nostris Cardinalis Toletus (16), Georgius Rhodes (17), Antonius Rubius (18), Antonius Bernaldus Quiros (19), Richardus Lynce (20), Joannes Ulloa (21), Andreas Semery (22), Ex his tamen auctoribus plures sola morali necessitate contenti sunt.

---

(1) *Compend. Logic.*, tract. 1, cap. 2.
(2) *Logic.* tract. 1, q. 2, art. 3.
(3) *Summ. Philos.*, prim. part. q. 1. art. 5.
(4) Apud Toletum, *Dialectic.*, quæst. 1, procem.
(5) Loc. cit.
(6) *Dialect.*, quæst. 6. procem., art. 2.
(7) Lib. 2. *Metaph.*, cap. 3, q. 4, sect. 2
(8) *Logic.*, disp. 3, sect. 2.
(9) *Logic.*, quæst. procem. art. 6.
(10) Loc. cit.
(11) *Logic.*, secund. part., q. 1, art. 1.
(12) *Logic.*, disp. 1 procem. q. 7.
(13) *Summ. Philos.*, *Logic.*, q. 2, a. 2.
(14) Apud Complutens., loc. cit.
(15) *Integer Philosophiæ cursus*, disp. 2, quæst. ultim.
(16) *Dialect.*, loc. cit.
(17) Op. cit., lib. 1, disp. 2, q. 1, sect. 4.
(18) *Logic.*, quæst. 1.ª procem.
(19) *Curs. philos.*, tract. 2, procem., *Log.*, disp. 7, sect. 4.
(20) *Philos. Scholast.*, lib. 2, procem. *Dialect.*, cap. 7.
(21) *Logic. Minor.*, disp. 3, cap. 3, n. 75 seqq.
(22) *Trienn. Philosoph.* disp. procem. *Logic.*, q. 1, a. 1.

Quotuplici modo aliquid necessarium esse possit.

Antequam quæstionem resolvamus, notandum est, necessarium aliquid esse bifariam (1): *absolute*, quod ex propria natura, et nullo habitu respectu ad aliud non potest non esse, et *ex suppositione*, quod nempe supposito alio non potest non esse, vel non potest aliter esse. Sic calor absolute quidem non est necessarius, at supposito quod sit ignis, non potest non esse: item navis absolute quidem necessaria mihi non est, est tamen supposito quod velim trajicere oceanum. In quibus quidem exemplis vides duo genera necessitatis ex suppositione, alterum ex causa efficiente, alterum ex fine. In præsenti controversia agitur de necessario ex suppositione ratione finis; quæritur quippe, num Logica sit medium necessarium ad cæteras scientias assequendas.

Verum adhuc hujusmodi necessarium ex fine duplex distingui potest, *simpliciter* seu ad esse, et *secundum quid* seu ad bene aut melius esse. Necessarium simpliciter vel ad esse est id, sine quo finis obtineri nequit; quo pacto necesse est animali respirare, ut vitam conservet. Ad bene vel melius esse necessarium dicitur id, sine quo finis quidem obtineri potest, non tamen ita facile aut convenienter, ac proinde non transcendit limites utilitatis. Sic equus necessarius est ad iter agendum.

Præterea in necessario ipso simpliciter varii notari possunt gradus, nam aliud est necessarium metaphysice, aliud physice, aliud moraliter. Necessarium ex fine simpliciter necessitate metaphysica est illud, sine quo per nullam vim nulloque prorsus modo finis aliquis obtineri valet: hoc modo impossibile est creaturam esse aut operari sine conservatione aut influxu divino. Physica necessitate necessarium est illud, sine quo naturali modo, impossibilis est assecutio finis, licet possibilis sit per divinam virtutem: sic respiratio vel cibus necessarius est tibi ad vitam conservandam; Deus tamen potest te per miraculum conservare vivum, licet nec respires, nec cibum capias. Necessitate denique morali necessarium dicitur id, sine quo etiam citra miraculum finis obtineri potest, quamvis nonnisi rarissime vel forte nunquam de facto obtineatur, vel certe non sine ingenti difficultate. Sic

(1) Cfr. S. Thom., lib. 5. *Metaph.*, lect. 6, cum Aristot. ibid.

speciali Dei præsidio eget, ne ulciscatur, homo iracundus, qui multas ab inimico accipit injurias, si facile possit vindictam sumere.

Quando ergo quæritur, utrum Logica sit necessaria ad alias scientias comparandas, sermo potest esse de quavis harum necessitatum.

Denique Logicæ necessitas intelligi potest, vel ad quamcumque scientiam etiam partialem, quando nempe una vel altera demonstratio acquiritur de earum objecto, vel ad totalem, videlicet ad acquirendas omnes demonstrationes, quæ de objecto cujuscumque scientiæ acquiri solent a Philosophis bene doctis (1). Cæterum dum de Logicæ necessitate quæritur præcipue intelligi debet Logica, quatenus docet modos sciendi, definitionem, divisionem argumentationemque. Supposita ergo maxima Logicæ utilitate, sic de ejus necessitate existimo.

319. PROPOSITIO 1.ª **Logica necessaria non est ad quamlibet scientiam imperfecte assequendam.**

Logica necessaria non est ad quamlibet scientiam etiam in gradu imperfecto assequendam.

In hac propositione conveniunt auctores secundæ et tertiæ sententiæ.

Prob. 1.° ex facto ipso et experientia. Nam ante Aristotelem aliqui Græci sapientes scientias assecuti sunt, saltem in statu imperfecto, ut ex historia veterum temporum atque ex libris Platonicis perspicitur. Atqui syllogistica ars, quam potissimum tamquam prorsus necessariam requirunt adversarii, nondum inventa est ante Aristotelem, ut ipsemet testatur his verbis: *Et de Rhetoricis quidem erant multa et antiqua dicta, de syllogismis autem omnino nihil habuimus prius quicquam, quod diceremus, quam quod exercitationi huic propositæ multo tempore insudaverimus* (2).

Novimus præterea non paucos Logicæ ignaros, qui aliis scientiis navant operam, easque saltem imperfecte assequuntur, ut videre est potissimum in mathematicis, physicis aliisve disciplinis. Passim etiam cernere est plures rudes homines in suis negotiis egregie ratiocinari. Quoties enim hoc

(1) Cfr. Lossada, loc. cit., n. 1.
(2) Aristot., lib. 2, *Elenchor.*, cap. ult.

vel simili discursu creditores rustici vel etiam ipsæ vetulæ debitorem suum urgent: *Qui debat centum, et solvit quinquaginta, adhuc quinquaginta debet: tu cum deberes centum, solvisti tantum quinquaginta: adhuc ergo quinquaginta debes?* Qui discursus, supposita præmissarum veritate, non solum optimus et scientificus est, qualem posset efficere vel nobilissimus Arithmeticus, sed etiam summa certitudine verissimus habetur sive a creditore ac debitore, sive a circumstantibus omnibus (1).

Præterea ipsa inventio artis Logicæ, quæ certe non est infusa a Deo, evidens est exemplum propositionem invicte confirmans. Ante primum enim Logices præceptum inventum demonstratumve, nulla profecto ars logica præcessit, sed solum vis nativa intellectus habilitasque ad ratiocinandum, quam dicimus *naturalem Logicam*. Atqui primæ illæ demonstrationes rationem habent scientiæ partialis et imperfectæ. Ergo...

Prob. 2.° ratione. Nam «intellectus sine Logica artificiali potest elicere demonstrationes illas, quæ immediate procedunt ex primis principiis per se notis, cujusmodi hæc est: *Omne totum est majus sua parte: sed mundus est totum, cujus pars est terra: Ergo mundus est major terra*. Sed per hasce demonstrationes habetur scientia in statu imperfecto. Ergo...»

Prob. Major. Nam in primis intellectus sola vi nativi luminis cognoscere potest sine Logica artificiali præmissarum illarum veritatem; nam Major est unum ex primis principiis per se notis, quæ doctis atque indoctis per se innotescunt; Minor autem ipsis oculis perspicitur. Deinde potest etiam videre conclusionem recte inferri ex iisdem præmissis. Sane cuivis vel etiam rudi homini manifesta sunt, si paulisper attendat, principia *Dici de omni* et *Dici de nullo*, et principium identitatis; potest igitur evidenter cognoscere, debere dici de hoc toto, nempe *mundo*, quidquid de omni toto enuntiatur in illa majori propositione, videlicet esse *majus sua parte;* itemque necessario identificari inter se, quæ in præmissis identificata cernuntur uni tertio (2).

(1) Vide Lossada, loc. cit., n. 5.

(2) Vide Lossada, loc. cit. Cfr. De Benedictis, *Philos. Peripat.*, t. 1, quæst. procem. cap. 6, paulo post initium.

Et videtur Angelicus Doctor haud obscure innuisse hujus propositionis veritatem in illis verbis: *Inest... unicuique homini quoddam principium scientiæ, scilicet lumen intellectus agentis, per quod cognoscuntur statim a principio naturaliter quædam universalia principia omnium scientiarum. Cum autem aliquis hujusmodi universalia principia applicat ad aliqua particularia, quorum memoriam et experimentum per sensum accipit, per inventionem propriam adquirit scientiam eorum, quæ nesciebat, ex notis ad ignota procedens* (1). En quomodo S. Thomas ad comparandam scientiam ex propria inventione nihil aliud requirit præter naturale lumen intellectus agentis, facientis cognoscere principia, et memoriam aut sensus, proponentes materiam particularem, ad quam applicata principia illa scientiam gignunt.

320. PROPOSITIO 2.a **Logica videtur saltem moraliter necessaria ad cæteras scientias in statu perfecto acquirendas.**

Logica moraliter necessaria ad cæteras scientias perfecte comparandas.

Ita Sylvester Mauri (2), Antonius Mayr (3), Pontius (4), aliique; et idem etiam admittunt auctores primæ ac tertiæ sententiæ; immo etiam aliqui saltem patroni secundæ opinionis (5). Intellige autem statum perfectum non absolute, nam etiam cum Logica impossibile est homini omnino perfecte assequi scientias in hac vita, sed relative, nempe secundum eam perfectionem et plenitudinem, quam solent nancisci homines, qui periti habentur scientiarum.

Probatur itaque. Id, sine quo ægre admodum, ac nonnisi rarissime aliquid obtinetur, est moraliter necessarium, ut constat ex præmisso conceptu moralis necessitatis. Atqui sine Logica artificiali nequeunt aliæ scientiæ comparari, saltem sæpe aut sine maxima difficultate. Ergo...

Minor constat ex imbecillitate ingenii humani; nam in integra scientia multæ occurrunt definitiones ac divisiones

(1) 1. p. q. 117, a. 1, corp., Cfr. *de Verit.*, q. 11, a. 1, corp.; 2.° *Contr. Gent.*, cap. 75, fin.

(2) *Quæstion philos.*, tom. 1, quæst. 24.

(3) *Philos., peripat.*, prim., part., n. 260.

(4) Loc. cit.

(5) Cfr. Lossada, loc. cit., n. 44.

demonstrationesque, in quibus, nisi quis in promptu habeat Logicæ præcepta, facile impingat in errores necesse est.

Id etiam ex ipsa experientia confirmari potest. Si enim præmisso studio Logices, omnibusque secundum ejus præcepta rite perpensis, adhuc satis arduum accidit reliquarum scientiarum studium, quanto foret difficillius viro logicarum legum experti? Quare testatur Aristoteles veteres Philosophos ex Logicæ ignorantia in plures errores incidisse.

Fateor posse fieri, absolute loquendo, ut quis dum aliis scientiis operatur, dum definit, dividit, argumentatur, omnia sic attente consideret, ut simul regulas ipsas Logicæ inveniat, et applicet, aut certe ex attentissima consideratione felicissimaque solertia scopulos illos effugiat, quibus cavendis facem præbet hæc scientia. Verum quis non videt id communem hominum facultatem excedere. Hinc, ut jam alias notavimus: *Absurdum est*, inquit Philosophus, *simul quærere scientiam et modum scientiæ* (1). *Quia non est facile, quod homo simul duo capiat, sed dum ad duo attendit, neutrum capere potest... Et propter hoc debet prius addiscere Logicam, quam alias scientias, quia Logica tradit communem modum procedendi in omnibus aliis scientiis* (2).

Explicatur amplius sensus propositionis

Crididerim tamen, quæ in hac propositione dicta sunt valere potissimum de illo, qui nullo idoneo præceptore vellet per se scientiam aliquam addiscere. Si quis enim Magistro artis logicæ perito utatur, aut librum habeat de aliqua scientia bene conscriptum secundum Logicæ præcepta, illum existimo posse minori difficultate eam scientiam comparare, quin præmittat studium hujus disciplinæ.

321. PROPOSITIO 3.a **Non tamen existimo Logicam esse ad reliquas scientias sivemeta physice, sive etiam physice, necessariam.**

Non tamen est metaphysice vel etiam physice necessaria Logica.

Prima pars non eget probatione. Etenim nemo in dubium revocaverit, posse Deum per omnipotentiam suam efficere, ut homo absque prævio logicæ artis studio aut cognitione, cæteras scientias perfectissime addiscat.

(1) Arist. lib. 2, *Metaph.*, paulo ante fin. text. comm. 15.

(2) S. Thom. lib. 2. *Metaph.*, lect. 5, paulo ante fin. Cfr. de his Semery, De Benedictis, et Ulloa in locis citat.

Secunda pars etiam probatur. Nam non videtur absolute superare virtutem naturalem humani ingenii, ut penetralia aliarum scientiarum introeat, quin prius transeat per limen Logicæ.

Et declaratur in hunc modum: «Potest intellectus sine Logicæ subsidio comparare conclusiones scientificas inmediate deductas ex primis principiis, ut constat ex probatione primæ propositionis.» «Ergo et alias a primis principiis remotiores, donec omnes tandem acquirat.»

«**Prob.** conseq. Nam conclusiones probatæ per prima principia non minus notæ jam sunt, quam principia ipsa. Ergo poterit intellectus illis uti tamquam præmissis ad novas alias inferendas.»

«Patet consequentia. Nam ideo ex primis principiis deducere potuit conclusiones, quia ea principia ipsi sunt evidentia sine Logica. Sed etiam primæ conclusiones ipsi jam sunt evidentes sine Logica. Ergo poterit ex illis proprio marte deducere novas alias. Et cum de his eadem sit ratio, poterit sucessiva illatione deducere omnes» (1).

Idque urgeri potest argumento ad hominem contra Thomistas, ex quibus intellectus per primam demonstrationem accipit illico habitum totalis scientiæ, qui ab ipsis simplex et indivisus existimatur, ut suo loco vidimus, ita ut deinceps solis indigeat speciebus ad eliciendas facile cæteras omnes demonstrationes. Nam hinc sequitur post primam demonstrationem cæteras faciliores esse, cum jam præsupponant habitum acquisitum, nec proinde Logicam necessariam esse; nam secundum Thomistas per primam demonstrationem de Physica jam adest in intellectu habitus Physicæ, neque ad cæteras demonstrationes aliud præterea requiritur, quam species intelligibiles. Atqui non est Logicæ suppeditare species intelligibiles aliis scientiis. Ergo in illa Thomistarum sententia Logica ad aliarum scientiarum assecutionem necessaria non est.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

322. **Objic. 1.°** «Non habetur scientia nisi reflexe cognoscatur conclusionem esse recte deductam ex præmissis

(1) Lossada, loc. cit., n. 7.

recte dispositis. Sed hæc reflexa cognitio pertinet ad Logicam. Ergo...»

Prob. Major., «quia nisi adsit ea cognitio, nescit intellectus, an bene vel male inferat, poteritque de bonitate illationis dubitare, quæ dubitatio cum scientia pugnat» (1).

Resp. 1.° *neg.* Major. «Nam, ut quis habeat scientiam, sat est, quod *exercite* cognoscat, quamvis non *signate* et *reflexe* bonitatem consequentiæ formalis. Cognitio exercita est ipsamet demonstratio directa, ita cognoscens identitatem extremorum, ut simul advertat, et attendat illationem objectivam, id est, necessariam connexionem objecti conclusionis cum objecto præmissarum, quæ attentio indicatur particula *ergo*. Cognitio signata dicitur cognitio reflexa de recta dispositione terminorum formalium ad concludendum. Itaque directa demonstratio, dum cognoscit evidenter illationem objectivam, formalem etiam cognoscit exercite; id est, exercitio ipso cognoscendi evidenter connexionem objectorum, reddit intellectum omnino securum de rectitudine consequentiæ formalis. Hæc securitas imbibitur in effectu formali cognitionis evidentis; et in eo consistit, quod intellectus, licet actu non reffectat, sic tamen affectus sit, ut quandocumque interrogetur, an suus discursus formam habeat hic et nunc aptam ad convincendum, illico reflectat evidenter, et asserat indubitanter.»

Ad probation. Major. *neg.* sequelam. «Quia ut intellectus dubitare nequeat, sufficit evidens cognitio connexionis objectivæ...» (2)

Resp. 2.° *neg.* Minor. Etenim admissa necessitate cognitionis reflexæ de bonitate illationis *hic et nunc*, talis cognitio potest esse Logicæ naturalis, orta nempe ex nativo lumine intellectus. Licet enim ignarus artis logicæ nesciat dicere, an demonstratio sit facta juxta regulas figurarum modorumque, vel quænam esse debeat *in communi* dispositio terminorum, ut bona consequentia prodeat; at dicere poterit, hanc formam discurrendi *hic et nunc* minime fallere, sed optimam esse ad convincendum intellectum, et consequentiam claris-

(1) Apud Lossad., loc. cit. n. 17.
(2) Lossada, loc. cit., n. 22.

sime deduci ex veritate præmissarum. Sic qui Rhetoricam nescit, potest sæpe cognoscere sermonem esse optime contextum ad finem persuadendi; et qui Architecturam, qui Musicam ignorat, potest evidenter nosse domum hic et nunc esse egregie dispositam ad finem habitandi, et sonos ad finem oblectandi (1).

Quam ad rem valeant, quæ S. Augustinus contra Logicos regulis minutissimis memoriam discipulorum onerantes, atque ingenium opprimentes, scripserat: *Plerumque accidit, ut facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quam talium præceptorum nodosissimas et spinosissimas disciplinas... Plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem; quam præcepta ejus capit; tardus autem non eam videt, sed multo minus quod de illa præcipitur* (2).

Objic. 2.° Ignarus Logicæ nescit quomodo et ex quibus facienda sit demonstratio. Ergo nequit illam habere nisi pure materialiter, inadvertenter et a casu: quod non sufficit ad scientiam.

Prob. conseq. «Qui talia nescit, ignorat an demonstratio, quam elicit sit demonstratio...» «Sic qui vera loquitur, nesciens se verum dicere, et quid sit dicere verum, pure materialiter verum dicit; ut etiam qui falsa loquitur, nesciens se mentiri, aut quid sit mendacium, nec formaliter mentitur, nec culpabilis est coram Deo» (3).

Resp. *dist.* antec. Nescit quomodo et ex quibus facienda sit demonstratio in communi, *conc.*, in particulari, sive hic et nunc. *subdist.;* nescit signate, vel per comparationem reflexam ad regulas Logicæ, *conc.*, nescit exercite, vel etiam reflexe cognoscendo, se nunc discurrere evidenter et infallibiliter, *neg.* antec. et conseq.

Ignarus Logicæ nescit quidem tradere regulas in communi pro construenda demonstratione, neque hanc particularem ad regulas comparare; quod probat illum carere scientia re-

---

(1) Lossada, loc. cit., n. 17, apud quem vide solutas quasdam instantias ibid. n. 18-22.

(2) S. August. Lib. *de Doctrin. Christ.*, cap. 37.

(3) Apud Lossad, loc. cit., n. 23.

flexa de artificio logico, ut tali. At potest adjutus principiis et speciebus evidentibus, conficere discursum, quo evidenter convincatur de veritate et connexione objecti: qui discursus per seipsum exercite reddit intellectum securum de eo, quod hic et nunc ita discurrere debeat, et bene discurrat. Quod si reflexio aliqua signata et expressa requiratur sufficiet experimentalis, et attingens demonstrationem præsentem, et non sub nomine *demonstrationis*, sed sub nomine *discursus plane* convincentis (1). Quare ignarus Logicæ non habet demonstrationem inadvertenter, quia advertit se convinci, et rem aliter esse non posse; nec proprie a casu, quia illam quæsivit ductus primis principiis et nativa propensione in verum; nec pure materialiter, quia penetrat vim et efficaciam illius ad convincendum, tum exercite, tum per reflexionem Logicæ naturalis, et ideo talem discursum scit præferre aliis incertis. Unde retorquentur exempla (2).

Objic. 3.° Non habetur scientia, nisi intellectus cognoscat rem per causam, hoc est, nisi rationem reddere valeat, cur tali objecto firmiter assentiatur, et cur a tali discursu convincatur; itemque nisi conclusionem sciat resolvere in prima principia. At ea ratio reddi non potest, nec ea resolutio fieri, nisi detur cognitio reflexa comparans demonstrationem cum regulis Logicæ. Ergo (3).

Resp. *conc.* Major. in recto sensu intellectam.

Neg. etiam Minor., resque satis patet ex dictis (4).

Objic. 4.° «Demonstratio scientifica est formaliter artefactum. Sed artefactum, ut ex terminis liquet, necessario pendet ab arte, et ea dirigente fit. Ergo demonstratio scientifica necessario pendet ab arte logica» (5).

Resp. *dist.* Major. Demostratio est formaliter artefactum in actu primo, seu opus capax, ut fiat ab arte, habensque intrinsecam rectitudinem et perfectionem, quam posset ars intendere, *conc.*, est artefactum in actu secundo ita, ut nequeat fieri nisi ex directione artis, *neg.*

(1) Lossada, loc. cit., n. 24.
(2) Vide Lossa., ibid., n. 25.
(3) Apud Lossada ib. n. 23, *Confirm.*
(4) Plura apud Lossada, n. 26.
(5) Apud Lossada, ib. n. 27.

Et *contradist.* Minor. *neg.* conseq. (1).

Objic. 5.° «Non habetur scientifice demonstratio, nisi cognoscatur ut infallibilis et minime claudicans nec ex parte materiæ, nec ex parte formæ; si enim formidinem patitur de sui veritate et rectitudine, jam non difert a syllogismo probabili, qui ad generandam scientiam inutilis est. Id autem sine Logica obtineri non posse, probatur, α) quia, seclusa Logica, cum quovis discursu cohæret formido falsi, tum ex parte materiæ, cum sæpe falsa proponantur sub specie veri, et sic ipsum principium identitatis; *Quæ sunt eadem uni tertio* etc. fallit in hoc syllogismo. *Hæc essentia divina est Pater: Filius est hæc essentia divina: Ergo Pater est Filius;*» tum ex parte formæ, quam nescit intellectus sine Logica discutere. β) Quia ut demonstratio firmitatem habeat scientiæ propriam, talis esse debet, *ut neque in ea quisquam errare, nec quibuslibet adversantibus, impulsus nutare debeat* (2); cum tamen ignarus Logicæ quovis in contrarium sophismate nutet (3).

Resp. *neg.* Minor. Nec vero valent quidpiam probationes. Prima instatur in regulis ipsis logicis, de quarum etiam firmitate dubitare quis poterit, immo et de primis principiis, quibus Logica regulat formam syllogisticam. Nam unde scit, an ipse bene intelligat hæc prima principia, vel an indigeant explicatione seu limitatione, sicut indiget illud: *Quæ sunt eadem uni tertio etc.*, ut teneat in divinis? Tota ergo firmitas assensus scientifici nititur indole veræ evidentiæ, quæ per se formaliter excludit omnem formidinem, nec patitur intellectum dubitare, quantumvis reflectat et circumspiciat, non præcise quia proponit objectum sub omnimoda ratione veri, sed quia tali claritate proponit, ut omnino rapiat assensum intellectus etiam circumspectissimi. Hæc autem evidentia residet in demonstratione directa, sicut in assensu principiorum, sine Logica.

Instatur similiter syllogismus ille falsus circa SSam. Trinitatem. Nam, seclusa Fide, ne summus quidem Logicus

(1) Vide Lossad., ib. n. 28, seqq.
(2) S. August., lib. 1. *Contr. Academ.*, cap. 7.
(3) Apud Lossada, n. 30, 31, ubi hæc fusius dilatantur.

deprehenderet fallaciam illius, aut etiam suspicaretur, nisi forte aliquod dubium ingereret infinitas divinæ naturæ, num veritates ad eam spectantes iisdem legibus arguendi subjicerentur, quibus creatæ veritates (1).

Secunda ratio falsam habet Minorem, et contrarium constat ex ipsa experientia. Quoties enim videntur rudes firmiter perstare in assensu eorum, quæ evidenter norunt, et irridere sophismata contraria, quæ nesciunt extricare. Vide num possis rustico persuadere se non esse hominem ex illo sophismate notissimo: *Quod ego sum, tu non es. Ego sum homo. Ergo tu non es homo* (2).

Objic. 6.° Non possidet perfecte scientiam, qui non potest illam defendere ab omnibus oppugnationibus et sophismatis etiam contrariis. Atqui ad hoc Logica est necessaria simpliciter, utpote quæ docet ubinam lateant fallaciæ. Ergo... (3).

Resp. *dist.* Minor. Necessitate morali, *conc.*, physica aut metaphysica, *neg.* Quia potest intellectus absolute loquendo nativa sua vivacitate sine regulis Logicæ detegere fallacias contrarias, maxime quæ non pendent ex fallaci artificio syllogismorum, sed ex aliis principiis perperam intellectis (4).

Objic. 7.° In decursu scientiæ totalis plurimæ occurrunt definitiones, divisiones, conversiones propositionum, argumentationesque. Sed hæc fieri non possunt recte sine Logica. Ergo... (5)

Resp. *dist.* Minor. Morali possibilitate, *conc.*, physica, *neg.*; quia sicut sine Logica præcedente ac docente inventæ sunt per solum lumen naturale regulæ universales docentes definire, dividere etc., ita sine regulis possunt fieri per lumen solum naturale ipsæ definitiones, divisiones, conversiones et argumentationes (6).

Objic. 8.° Si Logica necessaria foret ad alias scientias, etiam ad seipsam necessaria foret. Atqui ad seipsam neces-

---

(1) Vide Lossada, ib. n. 33.

(2) Vide Lossada, loc. cit. n. 34; apud quem videri plura possunt in sequentibus. Lege etiam si lubet, quæ disputat a n. 9, ad 17.um

(3) Apud Ulloa, loc. cit. n. 84.

(4) Cfr. Ulloa, loc. cit.

(5) Apud Ulloa, ibid.

(6) Ulloa, loc. cit. n. 85.

saria non est, nam ante Logicam non est alia Logica. Ergo neque ad alias.

Prob. Major. Quia ideo necessaria ad alias dicitur, quia difficiles sunt. Atqui ipsa etiam difficilis est, immo et difficilior multis aliis.

Resp. *dist.* Ad seipsam necessaria foret, quatenus una pars Logicæ prius addiscenda est, ut alia deinceps addisci possit, *conc.*, quatenus tota Logica prærequirat aliam priorem Logicam artificialem, *neg.*

Et *contradist.* Minori, *neg.* conseq.

Ante Logicæ artem inest a natura Logica naturalis, per quam paulisper efformata est per partes artificialis Logica integra ita, ut prius quæ ad primam mentis operationem, mox quæ ad secundam et tertiam invenirentur; neque enim cognosci postrema bene possunt sine priorum cognitione. Sic artium mechanicarum instrumenta constructa fuisse credendum est, ut prius malleus aut aliud rudius elaboraretur, ac deinceps alia magis magisque perfecta.

Objic. 9.° Potentia necessaria non indiget directione artis. Sed intellectus est potentia necessaria. Ergo non indiget arte Logicæ ad scientias acquirendas.

Resp. *dist.* Major. Si sit omnino determinata ad certum actum, *conc.*, secus, *neg.* Et *contradist.* Minori, *neg.* conseq. Nam multiplicem habet actum intellectus, certumque est posse illum deficere in actibus suis, nec uno tantum modo illos exercere. Ut ergo certo modo illos exerceat, nec deficiat a scopo veritatis, indiget artis logicæ præceptis.

Objic. 10.° Nonne saltem Mathesis potest addisci sine Logica?

Resp. Mathesim minus indigere Logica, ut ipsa quoque experientia demonstrat, forte propter suam maximam evidentiam propriumque modum tractandi quæstiones. Nihilominus cum infinitam propemodum habeat demonstrationum multitudinem, periculum est, ne sophismatis vel paralogismis utatur pro veris demonstrationibus, nisi Logicæ directionem sequatur (1). Ipsemet Huyghens jam observaverat

(1) Cfr. Semery loc. cit. art. 2. *Objicitur ultimo.*

paralogismos in Mathesi sæpius vitio formæ existere (1). Quamquam addendum etiam esse puto, hujusmodi periculum non tam magnum esse discipulis, qui libris de re mathematica bene conscriptis utuntur.

ARTICULUS II.

Qualis sit concursus Logicæ ad alias scientias assequendas.

323. Cum certum sit, Logicam concurrere in actus aliarum scientiarum, unde dicitur ipsa ad illas assequendas necessaria, quæritur nunc, quod genus concursus vel juvaminis illis exhibeat, efficientisne au directivi dumtaxat. Et quæstio instituitur communiter ab AA. de Logica docente, non vero de utente, ut probat Lossada (2).

Sermo est de Logica docente.

Nota autem Logicam, sicut et quamlibet aliam scientiam, duplicem distingui, *actualem* et *habitualem:* actualis Logica docens sunt ipsi actus doctrinales continentes præcepta regulasve logicas; habitualis vero est habitus mentis facilitans ad hujusmodi actus eliciendos. Et de actuali quidem non est controversia, siquidem actus illos Logicæ solum directivum concursum præbere tenet communis Doctorum sententia (3). Et ratio est, quia Logica actualis dirigit actus aliarum scientiarum tamquam actus externos, non enim immediate directione sua movet potentiam ipsam intellectivam, ut eliciat actus illarum secundum normam a se præscriptam, sed tantum immediate movet voluntatem, ut imperet intellectui actus dictamine Logicæ conformes. Concursus ergo ille Logicæ actualis non potest esse physice effectivus respectu actuum aliarum scientiarum. Utrum autem respectu actus voluntatis imperantis intellectui tales actus aliarum scientiarum concursus Logicæ actualis sit effectivus, judicandum est ex generali doctrina alibi tradenda de ratione concursus

Logica duplex, actualis et habitualis.

(1) In *Act. Erud.*, amn. 1711 apud Roselli *Summ. Philos.*, t, 1. *Logic.*, q. 2, a. 2, in nota ad tertium.

(2) *Logic.*, tract. 1.° procem., disp. 1, cap. 4, n. 2, seqq.

(3) Aliquos tamen Auctores etiam actibus Logicæ ad actus aliarum scientiarum concursum efficientem attribuentes tacito nomine refert P. Richardus Lynce, *Dialect. procem.*, tract. 3, cap. 7, n. 66.

actuum intellectus in actus voluntatis (1). Quæstio ergo est de Logica habituali, et quidem respectu actuum aliarum scientiarum, non vero respectu actuum propriorum, nam ad actus Logicæ proprios habitualis Logica concurrit efficienter, sicut quivis alius habitus ad suos actus. Questio est de Logica habituali.

Habitum Logicæ effective concurrere ad actus aliarum scientiarum tenent plures Thomistæ (2), «qui auctores fatentur quidem actus de objecto physico a solo habitu Physicæ produci quantum ad substantiam, id est, quantum ad assensum et tendentiam in illud objectum; censent tamen a solo habitu Logicæ produci quantum ad formam artficiosam syllogismi, definitionis etc. (3) Sententiæ auctorum.

Alii vero multi Thomistæ (4) et nostri communiter, Logicæ habituali negant concursum efficientem in actus aliarum scientiarum (5).

324. **Quæ sententia mihi quoque magis arridet.** Verior eligitur, et probatur.

Prob. 1.° Nullus habitus immediate producit actus, qui non continentur sub ejus formali objecto. Sed actus aliarum scientiarum non continentur sub formali objecto Logicæ, ut per se patet. Ergo...

Major patet et inductione perpetua cæterorum habituum, et ratione; quia cum habitus specificentur ex actibus, et actus ex formali objecto, nequeunt habitus se extendere ad actus habentes aliud formale ojectum.

Prob. 2.° Nullus habitus inmediate operatur, nisi actus similes illis, ex quibus generatus est. Atqui actus aliarum scientiarum, etiam prout artificiose facti, non sunt similes actibus illis, ex quibus habitus Logicæ generatus est, sed specifice diversi. Nam hic certe non generatur ex actibus aliarum scientiarum, sed antecedit illos, cum sit necessarius ad scientias capessendas. Ergo (6).

(1) Cfr. Bernald. Quiros, *Curs. Philos.*, tract. 2, part. 1, *de Log. Procem.*, disp. 8, sect. 1, n. 2.

(2) Apud Lossad., loc. cit. cap. 4, n. 7.

(3) Losad., loc. cit. n. 7.

(4) Apud Lossad, ib.

(5) Ita Lossada, ibid. n. 8, Bernald. Quiros, loc. cit. n. 4, seqq.; Richard. Lynce, Op. cit. lib. 2. *procem. Dialect*, cap. 7, n. 67; Arriaga *Log.*, disp. 3, sect. 5.

(6) Vide Lossada, loc. cit. n. 8-12.

3.° **Denique probari** propositio potest ex doctrina aliunde supponenda, ex paritate nempe intellectus solum directive concurrentis ad actus voluntatis, ut nunc supponimus, Fidei divinæ ad actus charitatis, prudentiæ ad actus cæterarum virtutum, immo et omnium artium ad ea opera, quæ juxta ipsarum regulas fiunt (1).

Urgeri quoque potest contra Thomistas argumentum ad hominem. Dicunt enim Logicam non concurrere effective ad actus v. g. Philosophiæ naturalis quoad substantiam, sed quoad formam artificiosam. Atqui nequit aliter Logica efficere formam artificiosam, nisi efficiendo ipsam substantiam, seu assensus ipsos demonstrationis. Nam secundum eosdem Thomistas forma artificiosa non est nisi ens rationis, resultans in objecto ex cognitione: hoc autem ens rationis, cum sit nihil, incapax est, ut terminet ullum effectivum concursum, et eatenus dumtaxat dicitur produci, quatenus producitur cognitio, ex qua resultat. Sed cognitio, ex qua resultat ens rationis logicum, est ipsa substantia actus physici, id est, realis tendentia in objectum directum et *ut quod*. Nisi ergo Logica substantiam istam, seu tendentiam efficiat, nequit efficere formam artifficiosam (2).

Instantias contra allata argumenta et objectiones plures adversariorum vide, si placet, apud Lossada (3); cum enim res hæc non sit tanti momenti, ad alia properandum est.

ARTICULUS III.

Utrum Logica scientia an vero ars.

Alter modus eamdem quæstionem proponendi

325. Quæstio hæc in illam aliam recidit, quam veteres instituebant, utrum scilicet Logica sit *pars Philosophiæ*, an vero solum instrumentum (4). Ante omnia vero præmittendum est, Logicam esse habitum intellectualem, quia est cognitio quædam, atque adeo affectio intellectus. Neque est

(1) Lossada, ibid. n. 12.

(2) Id. ibid. n. 13.

(3) Loc. cit. n. 9, 11 et 14, seqq.

(4) Vide Dominic. Soto, *Dialect.*, quæst. 2, procem. Cfr. Fonsec., lib. 2, *Metaph.*, cap. 3, quæst. 3.

habitus qualiscumque, sed virtus intellectualis, quandoquidem semper inclinat ad bonum, cum proprium ejus sit docere modum sciendi, seu dirigere certis legibus mentem, ut ordinate, facile, ac sine errore veritatem assequatur (1). At cum quinque sint virtutes intellectuales, quemadmodum superius monuimus ex doctrina Aristotelis (2) et S. Thomæ (3), videlicet *intellectus principiorum*, *sapientia*, *scientia*, *prudentia et ars;* manifestum est Logicam non esse intellectum principiorum, nec sapientiam, cum non consideret rerum omnium altissimas causas, eaque dignitas in strictiori sensu uni Metaphysicæ ac Theologiæ competat, nec demum prudentiam in proprio sensu, licet latius vocari possit prudentia, quemadmodum explicat S. Thomas (4). Dubium ergo solum remanet de reliquis duobus habitibus intellectualibus, scientia et arte. Agitarique quæstio solet de Logica tum docente, tum utente. Qua de re plures referuntur sententiæ:

Auctorum sententiæ: prima,

Prima est eorum, qui absolute negant Logicam, sive docentem sive utentem, esse scientiam. Ita docent Ammonius, Simplicius, Philoponus, Petrus Niger aliique veteres (5), quorum alii dixerunt Logicam esse *facultatem* (6) vel artem quamdam; alii vero negant artem esse, cum non sit habitus effectivus ad extra; sed affirmant (in quo conveniunt isti auctores communissime) Logicam debere dici *instrumentum*, modum et regulam scientiarum.

secunda,

Secunda sententia ex opposito docent utramque Logicam, et docentem, et utentem, esse scientiam: pro qua opinione citantur Murcia, Cavero et Didacus a Jesu.

---

(1) Vide S. Thom., 1. 2. quæst. 55 et quæst. 57, art. 1. Cfr. Semery, *Logic.*, disp. 1, quæst. 3, art. 6.

(2) Lib. 6.° *Ethicor.*, cap. 3, seqq.

(3) In lib. 6.um *Ethicor.*, lect. 3, seqq.; 1. 2. quæst. 57, art. 1 et 2.

(4) 2. 2. quæst. 47, art. 2, ad 2.um

(5) Apud Conimbric., *Dialect.*, quæst. procem. 4, art. 3; Complut., *Dialect.*, disp. 1, procem. q. 5, n. 47; Mastrium, quæst. procem. *Log.*, art, 4, n. 39; Rubium, *Dialect.*, q. 2. procem.; Bartholom. Amic., *Log.*, tract. 1, q. 4, dub. 2.

(6) Nomine *facultatis* multi intelligere videntur habitum inveniendarum rationum in utramque partem contradictionis, qui scientiæ dignitatem non attingat.

tertia, Tertio alii volunt (1) Logicam utentem esse quidem scientiam, indistinctam tamen ab aliis scientiis, docentem vero non esse scientiam; quæ proinde opinio ad primam revocari potest.

quarta communissima. Quarta demum est communissima sententia eorum, qui arbitrantur Logicam docentem esse veri nominis scientiam, non vero utentem. Ita cum Aristotele et S. Thoma, Soncinas (2), Sotus (3), Joannes a S. Thoma (4), Roselli (5), Complutenses (6), Cardin. Aguirre (7), et Thomistæ communiter, itemque Scotistæ omnes cum Subtili Doctore apud Mastrium (8), et auctores Societatis nostræ cum Suarezio (9), Toleto (10), Rubio (11), Fonseca (12), Conimbricensibus (13), Alamannio (14), Rhodes (15), Arriaga (16), Hurtado (17), Semery (18), De Benedictis (19), Quiros (20), Soarez lusitan. (21), Richard. Lynce. (22), Antonio Mayr (23), Sylvestr. Mauri (24), Joanne Ulloa (25), Ludovico Lossada (26).

---

(1) Apud Mastrium, loc. cit. Conimbric., *Dialect.*, q. 4 procem. a. 3.
(2) *Metaph.*, lib. 6, q. 6.
(3) *Dialect.*, q. 2, procem.
(4) *Log.*, secund. part., quæst. 1, art. 2.
(5) *Summ. Philos.*, tom. 1. *Log.*, q. 2, art. 5.
(6) *Dialect.*, loc. cit.
(7) *Selectæ disput.* etc., *Log.*, tract. 1, disp. 4.
(8) *Log.*, quæst procem. art. 4, n. 39.
(9) *Metaph.*, disp. 1, sect. 4, n. 26.
(10) *Dialect.*, quæst. 2, procem.
(11) *Dialect.*, quæst. 2 procem.
(12) *Metaph.*, lib. 2, cap. 3, q. 3.
(13) *Dialect.*, procem. q. 4, a. 3.
(14) *Summ. Philos.*, prim. part. q. 1, art. 2.
(15) *Philos. perip.*, lib. 1, disp. :, q. 2, sect. 2.
(16) *Curs. Philos.*, *Log.*, disp. 3, sect. 2.
(17) *Curs. Philos.*, *Log.*, disp. 4, sect, 1.a
(18) *Trienn. Philos.*, vol. 1, *Log.*, disp. 1, quæst. 4, art. 3.
(19) *Philos. perip.*, vol. 1, quæst. procem. cap. 3.
(20) *Curs. philos.*, tract. 2, part. 1, de *Log.*, procem. disp. 12, sect. 2.
(21) *Logic.*, tract. 1, procem. disp. 2, sect. 3.
(22) *Philos. Scholast.*, vol. 1, lib. 2, procem. *Dialect.*, tract. 3, cap. 2, n. 21, seqq.
(23) *Philos. perip.*, 1.a part. n. 228.
(24) *Quæst. philos.*, tom. 1, quæst. 4.
(25) *Dialect.* seu *Log. Minor.*, disp. 3, cap. 2.
(26) *Logic.*, tract. 1, procem. disp. 1, cap. 8.

Dissensio inter hos circa conditionem artis, quæ Logicæ conveniat.

Ex his tamen auctoribus negant plures Logicam esse artem, ut Rhodes et Mastrius, omnesque illi, qui ad rationem artis requirunt, ut dirigat opus externum, negare consequenter debent Logicam esse proprie artem. At vero alii plures admittunt Logicam esse simul artem et scientiam, ut Conimbricenses (1), Toletus (2), Lynceus (3), Vazquez (4), Ulloa (5), Lossada (6), et Joannes a S. Thoma (7); itemque omnes illi, qui Logicam volunt esse scientiam practicam, aut speculativam simul et practicam, concedent consequenter Logicam esse artem, nisi forte quis ad artem necessarium putet, ut non procedat methodo demonstrativa et scientifica tractationis

Illud etiam nota ex laudatis auctoribus pro quarta sententia quosdam, ut P. De Benedictis, negare scientiam esse eam partem Logicæ Aristotelicæ, quæ *topica* audit, quia non procedit methodo scientifica, licet fatetur posse eam tractationem rationem scientiæ induere, si nempe assumpta prius syllogismi topici definitione, inde probarentur ejusdem proprietates, tunc enim scientifica foret methodus (8).

Illud etiam te monitum volo, quamvis sententia sit sat communis, Logicam docentem et utentem non re distingui (9), sed ratione dumtaxat, nihilominus id non officere, quominus auctores quartæ sententiæ tenere possint Logicam docentem esse scientiam, minime autem Logicam utentem, quia sola rationis distinctio sufficere potest ad hoc, ut Logica, prout docens et prout utens, prædicata contradictoria suscipiat. Hisce præstitutis sit

Logica docens est scientia,

326. PROPOSITIO 1.a **Logica, saltem prout docens, est scientia proprie dicta.**

(1) Op. cit. q. 2, procem a. 1, ubi habetur divisio artis.
(2) *Introduct. in Dialec.* lib. 1, cap. 2.
(3) Op. et loc. cit. n. 20, cap. 2.
(4) In 1.am 2.æ disp. 95.
(5) Loc. cit. n. 52.
(6) Loc. cit. n. 3.
(7) Loc. cit.
(8) Vide P. De Benedict loc. cit. *Alterum quod adverto est.*
(9) Vide Lossad. *Log.*, tract. 1, disp. 1, cap. 3; Complutens. loc. cit. disp. procem. q. 5, n. 45 etc.

Ita S. Thomas (1) cum Aristotele, qui non uno in loco inter scientias Logicam recenset (2). Platonem quoque idem sensisse constat ex ejusdem tripartita Philosophiæ divisione.

Probatur. Nomine scientiæ propriæ venit cognitio certa et evidens per demonstrationem comparata. Atqui talis est Logica; quæ innumeras complectitur demonstrationes, quibus regulas præceptaque sua manifeste probat. Ergo...

etiam quoad partem topicam et sophisticam.

327. PROPOSITIO 2.a **Logica docens est scientia, non solum quoad partem demonstrativam, sed etiam quoad partem topicam et sophisticam.**

Ratio est evidens, quia licet materia harum duarum non est scientiæ actus, nempe argumenta probabilia, quæ in utramque contradictionis partem fiunt probabiliter, ex præceptis Topicæ non sint demonstrationes, nec proinde pariant scientiam, multoque minus sophismata et paralogismi, de quibus disputat Sophistica; nihilominus ipsa tractatio harum duarum partium vere demonstrativa est, cum demonstret præcepta et regulas, quas præscribit, non secus ac pars Logicæ demonstrativa. Ergo Logica docens, etiam quoad Topicam et Sophisticam, scientia est.

Tota hæc doctrina lucidisime traditur ab Aquinate: *Licet... dicatur*, inquit, *quod Philosophia est scientia, non autem Dialectica* (id est, illa pars Logicæ, quæ Topica etiam appellatur) *et Sophistica; non autem per hoc removetur, quin Dialectica et Sophistica sint scientiæ. Dialectica enim potest considerari secundum quod est docens, et secundum quod est utens. Secundum quidem quod est* **docens**, *habet considerationem de istis intentionibus, instituens modum, quo per eas procedi possit ad conclusiones in singulis scientiis ostendendas; et hoc* **demonstrative** *facit*, **et secundum hoc est scientia.** *Utens vero est, secundum quod modo adjuncto utitur ad concludendum aliquid*

---

(1) Lib. 1.o *Posterior.*, lect. 1, statim post definit. *Logic.*, et lib. 1 *Periher.*, lect. 1 initio; lib. 4, *Metaph.*, lect. 4; Opusc. *de Trinit. sup. Böet.*, q. 5, a 1, ad 3.um

(2) Lib. 11, *Metaph.*, cap. 3 et 7. Cfr. ib. S. Th., lect. 3, paragr. *g.* et lect. 8, paragr. *c.* Item Arist. lib. 1, *Poster.*, text. 27. Cfr. ib. S. Th., lect. 20, parag. *d.*

probabiliter in singulis scientiis, et sic **recedit a scientia.** *Et similiter dicendum est de Sophistica, quia prout est* **docens,** *tradit per necessarias et demonstrativas rationes modum arguendi apparenter. Secundum vero quod est utens, deficit a processu veræ argumentationis...* (1)

Quæ cum ita sint, sequitur Logicam esse partem Philosophiæ (2).

328. PROPOSITIO 3.ª **Logica est quoque proprie ars.** Logica est etiam ars.

Est hæc etiam propositio conformis S. Thomæ, a quo Logica sæpe vocatur ars (3), immo et dicitur ars artium (4).

Probatur autem, quia convenit Logicæ communissima illa definitio artis, est nempe *collectio multarum de una re comprehensionum ad finem aliquem utilem vitæ;* vel si mavis artem cum S. Thoma definire, est *certa ordinatio rationis, qua pei determinata media ad debitum finem actus humani perveniunt* (5). Logica enim verissimis regulis agens liberum dirigit ad construendum opus quoddam eximium, syllogismum, definitionem etc.: quod opus est quodammodo contingens, neque enim syllogismi, definitiones, etc. necessario recte fiunt, sed possunt et recte et vitiose fieri, sicut quælibet humana artefacta, et ideo ut recte fiant, Logica præscribit leges, quemadmodum præscribunt reliquæ artes (6).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

329. **Objic. 1.°** Aristoteles libro primo *Rhetoricorum* ad *Theodectem* (7) docet *Rhetoricam esse particulam quamdam Dialecticæ, et neutram esse scientiam, sed facultatem quamdam inveniendarum rerum.*

---

(1) S. Th., lib. 4, *Metaph.*, lect. 4, paragr. *b.*

(2) Vide Fonsec., *Metaph.*, lib. 2, cap. 3, quæst. 3; Conimbric. quæst. procem. 4, art. 4; Barthol. Amic., *Logic.*, tract. 1, quæst. 4, dub. 1; Soar. lusitan., *Logic.*, tract. 1, procem., disp. 2, n. 117.

(3) Lib. 1 *Posterior.*, lect. 1; 2. 2. quæst. 47, a. 2, ad 3.um; Opusc. *de Trinit. sup Böet.*, quæst. 5, art. 1, ad 2.um et 3.um

(4) Lib. 1.° *Posterior.*, lect. 1.

(5) Lib. 1.° *Poster.*, lect. 1.

(6) Recole quæ superius scripta fuerunt de artis natura.

(7) Cap. 2.

Item alibi docet, *absurdum esse simul quærere scientiam et modum sciendi* (1). Quoniam ergo modus sciendi est Logica, si hæc scientia sit, addiscens Logicam, scientiam simul et modum sciendi quæreret. Quare videtur ex mente Philosophi Logica non esse scientia.

Resp. primum locum intelligi posse de Logica utente in materia topica, ut indicant quæ scripsit Philosophus initio ejusdem operis (2). Sensus autem alterius loci est, non esse addiscendam aliam scientiam distinctam simul cum Logica.

Objic. 2.° Sancti Thomæ est hæc sententia: *Res de quibus est Logica, non quæruntur ad cognoscendum propter seipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias. Et ideo Logica* **non continetur sub Philosophia speculativa quasi principalis pars, sed quasi quoddam reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta, scilicet syllogismos et definitiones et alia hujusmodi, quibus in speculativis scientiis indigemus.** *Unde et secundum Böetium in comment. super Porphyr. non tam est scientia*, **quam scientiæ instrumentum** (3).

Resp. «Logica dicitur modus et instrumentum sciendi *quasi objective*, non *formaliter*, agit enim tamquam de objecto de modo sciendi, et de instrumentis necessariis ad alias scientias, ut sunt syllogismi, propositiones etc.: et ex parte hujus objecti differt ab aliis scientiis, quia illæ agunt de rebus, ista de modo sciendi. Et quia prius debet cognosci modus sciendi quam res, ideo dixit Aristoteles, esse absurdum utrumque simul quærere.»

«Et eodem modo S. Thomas dixit, non contineri Logicam principaliter sub Philosophia, quia non agit de rebus, sicut illa, sed de modo cognoscendi res, quod est aliquid minus principale...» (4)

Cæterum licet Logica sit instrumentum, nec sit pars principalis Philosophiæ, non vetat quominus sit utcumque

---

(1) Lib. 2.°, *Metaph.*, cap. 3, text. comm. 15.

(2) Cap. 1. Cfr. Lossada, loc. cit. n. 14.

(3) S. Th. Opusc. *de Trinit. super*, Böet., q. 5, art. 1, ad 2.um

(4) Joann. a S. Thom., *Logic.*, secund. part. q. 1, a. 2, in resp. ad 1.um argum. Cfr. Lossad., loc. cit. n. 14.

pars illius, multoque minus quod sit scientia; «quemadmodum nihil absurdi est, ut inquit Böetius (1), si dicas manum fabri esse simul et fabri partem et instrumentum» (2).

Accedit, quod quamvis non semper instrumentum sit ejusdem rationis cum re quam facit, non tamen repugnat esse, et aliquando est reapse ejusdem rationis, ut cum malleo malleus efficitur (3).

Neque vero S. Thomas in objecto loco negavit absolute Logicam esse scientiam, sed solam retulit doctrinam Boetii scribentis eam potius esse scientiæ instrumentum, quam scientiam. Cæterum S. Doctor tum in hoc ipso loco (4), tum alibi sæpe Logicam disertissime scientiam esse et scripsit, et probavit, ut vidimus (5).

Objic. 3.° Logica dirigit omnem scientiam ad demonstrandum. Sed non dirigit se ipsam. Ergo ipsa non est scientia.

Resp. *dist.* Major. Omnem omnino *neg.*, omnem aliam præter seipsam, *conc.* Nempe simili modo Logica dicitur omnem scientiam dirigere, sicut cœlum dicitur omnia tegere, nempe omnia alia præter se.

Objic. 4.° Logica non certo, sed probabiliter dumtaxat, cognoscit suum objectum, quandoquidem, ut mox videbimus, acerrimæ inter philosophos existunt disputationes circa formale objectum Logices. Ergo non est scientia.

Resp. *dist.* antec. Logica non certo, sed probabiliter tantum, cognoscit objectum suum sub ratione entis realis vel rationis, *conc.*, sub ratione modi sciendi tam in genere, quam in specie, *nego.*

Certum quippe est omnibus, Logicam agere de modo sciendi et ejus speciebus. Omnes item reipsa conveniunt in definitionibus specierum istarum, quidquid sit de una vel altera vocula; ex quibus definitionibus demonstrantur proprietates modi sciendi ad finem Logicæ conducentes,

(1) Initio 2. *Edition. in Porphyr.*

(2) Fonsec. lib. 2, *Metaph.*, c. 3, q. 3, sect. 4, ad ultimum.

(3) Cfr. Lossad., loc. cit. n. 14; Semery, loc. cit. art. 4, in resp. ad object. 4.um

(4) *Opusc.*, *de Trinit* q. 5, a. 1, ad 3.um

(5) Relege mox laudatum locum lib. 4, *Metaph.*, lect. 4. Cfr. dicenda inferius n. 334. Confirmatur δ.

v. g. *quod definitio sit clarior definito* demonstratur ex eo, quod definitio sit oratio explicans essentiam rei. Quare Logica noscit suum objectum, quantum sat est ad demonstrandum, quod oportet.

Illud igitur dubium, an objectum Logicæ pro formali dicat ens reale vel rationis, non impedit logicarum demonstrationum firmitatem, proindeque nec rationem scientiæ (1).

Objic. 5.° Ens rationis non potest specificare scientiam, cum non sit per se cognoscibile, neque habeat veras causas per quas cognoscatur, nec passiones, quæ de illo sciantur. Atqui objectum Logicæ est ens rationis. Ergo...

Resp. *trans.* Minor., nam de hac quæstione agetur in capite sequenti.

Neg. Major. Nam ens rationis saltem in eo sensu, in quo dicitur objectum Logicæ, et per se cognoscibile est, et habet causas, per quas cognoscatur, et proprietates, quæ cognoscantur.

Cæterum ipse S. Thomas advertit *etiam de non scibili scire possumus, quod non scitur, et de non ente, quod non est* (2). «Ut enim aliquid sciatur, satis est, ut de ipso fieri possint propositiones certæ et perspicuæ ex principiis certis et exploratis. Hæ autem propositiones de ente rationis fieri possunt» (3).

Objic. 6.° Logica nequit esse ars, siquidem proprium artis est, ut versetur circa rem factibilem, atque adeo ut dirigat opus externum. Atqui Logica non dirigit opus externum. Ergo...

Resp. *dist.* Major., artis mechanicæ, *conc.*, liberalis, *neg.* et *neg.* conseq.

Vide S. Thomam (4) et recole, quæ alibi scripta sunt de arte.

Objic. 7.° Si scientia est Logica, nequit esse ars. Atqui probatum est Logicam esse scientiam. Ergo...

---

(1) Lossada, loc. cit., n. 17.

(2) S. Thom., lib. 7 *Metaph.*, lect. 6.

(3) Roselli, loc. cit., ad 3.um arg.

(4) 1. 2. q. 57, a. 3 ad 3.um; 2. 2. q. 47, a. 2 ad 3.um; q. 51, a. 2 ad 3.um

Prob. Major.: α) Aristoteles cumque eo Philosophi cæteri communissime distinguunt scientiam et artem tamquam membra dividentia virtutem intellectualem in communi: quam doctrinam nos ipsi in limine hujus disputationis accepimus. Atqui membra dividentia totum sese invicem excludunt in bona divisione. Ergo et scientia et ars se excludunt, ac proinde nequit Logica simul esse ars et scientia. β) Scientia est de necessariis; ars autem de contingentibus, seu quæ bene vel male fieri possunt. γ) Scientia est de universalibus; ars de singularibus. δ) Scientia pertinet ad intellectum speculativum, ars ad practicum. Item scientia est propter se, ars propter opus. ε) Si semel ars potest esse scientia, omnes aliæ artes, etiam mechanicæ, poterunt pariter esse scientiæ, cum earum regulæ, sicut et Logicæ, sint demonstrabiles (1). ξ) Denique ars dicitur esse in parte animæ opinativa (2), scientia vero in demonstrativa; et ars procedit modo composito et practico, scientia vero modo resolutivo et speculativo (3).

Resp. *neg.* Major.

Ad probation. α) **Resp. 1.°** Aristoteles in illa divisione nomine artis forte intellexit artem mechanicam, quæ, saltem prout communiter traditur, scientia non est.

Resp. 2.° «Scientia et ars in communi ratione saltem distinguuntur, et identitatem realem, licet non excludant, non exiguunt: quod sufficit, ut possint esse membra dividentia juxta dicta in Summulis. Ars igitur solum petit ex proprio conceptu judicium certo verum, non tamen ut certitudo nitatur potius demonstratione, quam inductione vel auctoritate. Dum autem eadem certitudo per demonstrationem acquiritur, tunc idem habitus est ars et scientia» (4).

Quod si argumentum adversariorum valeret, simili modo probari posset Metaphysicam non posse simul esse scientiam et sapientiam, contra communem Doctorum sententiam.

Ad β): «Scientia dicitur de necessariis, non quidem in *existendo* (sic enim sola cognitio de Deo foret scientia), sed

(1) Apud Lossada, loc. cit. n. 8.
(2) S. Thom., 1. 2.ae q. 57, art. 4, ad 2.um
(3) Apud Joannem a S. Th., loc. cit. *Ultimo arguitur.*
(4) Lossad., ib. n. 12.

in *verificando*, quatenus scientia ita debet respicere objectum, ut, sive illud existat, sive non, semper verificet necessario conclusionem, qua demonstrative cognoscitur. Unde conclusio ista: *Definitio debet esse clarior definito*, est æternæ veritatis, et de re necessaria in verificando, quia reddit hunc sensum: Quandocumque existat definitio, recta non erit, nisi definitio sit clarior: qui sensus necessario est verus, etiamsi definitio vel nullatenus vel contingenter existat. Ars autem est de contingentibus, non quoad *verificationem regularum*, quæ possunt esse necessariæ veritatis, sed quoad *executionem* ipsius objecti, quod debet esse in existendo contingens, et ab artificis arbitrio pendens: alioquin superflua foret ars. Unde conceptus artis et scientiæ non opponuntur; nam contingentia, quam petit ars, bene cohæret cum necessitate, quam scientia poscit. Quomodo autem actus intellectus, quod est objectum Logicæ, possit bene vel male fieri, explicabitur» articulo sequenti (1).

Ad γ) «Scientia est de universalibus, quia rationem considerat communem pluribus; sed hoc idem habet ars, cum regulas præscribat generales pluribus artefactis. Unde quod ars etiam sit de universalibus, et in hoc ab experientia differat, expresse docent et inculcant Aristoteles (2) et D. Thomas (3). Ars ergo circa singularia versatur non in *cognoscendo, sed in agendo*, quatenus dum ad actionem sive executionem venitur, artefactum in singulari fieri debet ab artifice facillime applicante regulam artis generalem: quæ est doctrina S. Thomæ (4). Et eodem sensu omnis scientia practica versatur circa singularia» (5).

Ad δ) *dist.* 1.am partem primi membri, scientia speculativa, *conc.*, practica, *neg.*

Ad ε) «Artes mechanicæ, prout communiter traduntur et addiscuntur, non sunt scientiæ, quia licet earum pleræque judicia seu regulas habent ex se demonstrabiles; de facto

(1) Lossada, loc. cit., n. 9. Cfr. Semery, loc. cit., art. 4, in responsione ad instantiam post object. ult.

(2) Lib. 1 *Metaph.*, cap. 1.

(3) S. Thom., lib. 1.°, *Metaph.*, lect. 1.ª, paragr. *h*, seqq.

(4) Ibid.

(5) Lossada, loc. cit. n. 12.

tamen artifices in eis demonstrandis haud laborant, sed contenti sunt experientia, inductione vel auctoritate. Quod si quis artifex per demonstrationem probaret, ut posset, regulas artis nauticæ vel militaris v. g., ea ars simul esset scientia. Sic Rhetorica, prout communiter traditur, non est scientia, et tamen scientia censetur prout ab Aristotele tradita est» (1).

Ad ξ) Ars dicitur esse in parte opinativa, vel propter mechanicas, quæ non scientifice tractantur, vel propter applicationem ad opus, non vero ex parte directionis, qua ratione est virtus intellectualis. Neque est de ratione essentiali artis, ut modo composito procedat, sed potest etiam modo resolutivo et speculativo procedere in suis præceptis, saltem quando opus ejus est speculatio (2).

Quæres an Logica utens sit scientia, necne.

330. Hactenus egimus dumtaxat de Logica docente, quam ostendimus cum auctoribus quartæ sententiæ scientiam esse. At illi auctores, saltem plures negant simul, Logicam utentem esse scientiam. Quid ergo in hac re tenendum est?

Quid Logica docens et utens.

Verum ante omnia videndum est, quid sit Logica docens et utens, et quædam notanda circa utriusque naturam. Logica docens dicitur ea, quæ regulas recte disserendi tradit, utens autem, quæ regulas hasce mandat executioni. In qualibet enim scientia practica duo hæc distingui possunt: traditio præceptorum et usus eorumdem; seu operis effectio præceptis illis accomodata (3).

Quid usus.

Usus porro rei ex S. Thoma est *applicatio illius ad aliquam operationem: unde et operatio, ad quam applicamus rem*

(1) Lossada, loc. cit., n. 11.

(2) Joann. a S. Th., loc., cit. in resp. ad ult. argum. Cfr. inferius n. 336, in respons. ad *Objic. 6.*

(3) Notant quidam auctores Logicam docentem eam esse, quam Græci dixere *a rebus avulsam;* utentem vero *rebus concretam.* Primam ita vocasse dicuntur, quia ab aliarum scientiarum materia avulsa est, et solas disserendi formas per se contemplatur; alteram vero rebus concretam, quia a rebus aliarum scientiarum *sejuncta* non est. Vide Conimbr., *Log.*, quæst. 4, procem. art. 2; Fonsec., lib. 2. *Metaph.*, cap. 3, q. 1, sect. 6, med.

aliquam, dicitur usus ejus (1). Quibus Angelici Doctoris verbis duplex indigitatur usus, alter *activus*, alter *passivus*. Usus activus est applicatio rei ad operationem, considerata ex parte potentiæ applicantis: unde potentia vel facultas applicans Musicæ regulas ad cantum, est *active utens* seu utitur regulis. Usus vero passivus est operatio ipsa considerata passive, seu per respectum ad rem applicatam: sic cantus ipse est usus musicæ. Usus ergo activus rei denominat *potentiam utentem*, et rem ipsam *usitatam*. Usus mallei activus est in fabro, qui eo *utilur*, vel illum applicat, et adhibet ad operationem, passivus vero est in ipso malleo, qui applicatur, adhibeturque ad opus (2). Hinc sequitur omnem actum conformem regulis Logicæ, atque ex earum prævia directione factum, esse Logicæ usum *passivum;* at sub hac præcisa ratione non denominatur Logica *utens*, sed *usitata*. Ut autem proprie sit actus Logicæ *utentis*, oportet, ut actus ille spectet ad scientiam Logicam, vel ut eliciatur ab habitu Logicæ (3). Ex quo jam judicari possunt variæ sententiæ, quæ circa Logicam utentem perhibentur.

Sententiæ variæ: prima,

Prima est eorum, qui tenent omnes actus aliarum scientiarum, qui secundum leges Logicas fiunt, esse Logicam utentem. Ita Vazquez (4) et Semery (5) aliique.

rejicitur:

Sed rejicitur communiter hæc opinio, quia actus aliarum scientiarum non sunt actus Logicæ, nisi velis Logicam cum cæteris scientiis confundere. Nec Logica est utens, si proprie loqui velimus, nisi quatenus exercet, vel exsequitur actus.

Dices forte Logicam esse causam efficientem, vel saltem directivam actuum aliarum scientiarum. Ergo re vera exercet illos actus, ac proinde utitur regulis suis, dum efficiuntur actus aliarum scientiarum.

Resp. *neg*. Logicam esse causam efficientem actuum aliarum scientiarum. Et quamvis sit quidem causa directiva; non tamen ob hoc dici potest utens regulis suis. Secus etiam magistrum, qui præbet discipulo directionem artis, diceres uti

(1) S. Th. 1, 2. q. 16, a. 1, corp.
(2) Vide Lossada, *Log.*, tract. 1, disp. 1, cap. 2, n. 5.
(3) Lossad., ib. n. 6. Cfr. Ulloa. *Log. Minor.*, disp. 3, n. 8.
(4) In 1.am part. disp. 8, n. 19.
(5) *Logic.*, disp. 1, quæst. 3, art. 1.

arte sua, dum exsequitur discipulus opus suum, putà picturam vel scripturam. Quamquam enim causis dirigentibus attribuatur morali imputatione opus, usus tamen solum convenit illis causis, quæ applicant et exsequuntur (1).

secunda, Secunda sententia docet, omnem usum Logicæ in materia probabili aliarum scientiarum, sive omnes actus probabiles in quacumque materia, præditos artificio Logico, esse Logicam utentem; secus vero actus demonstrativos.

rejicitur: Rejicitur etiam hæc sententia: Quia præterquam quod ita limites aliarum scientiarum nimis contrahentur, si illis solum relinquantur actus certi, Logicæ vero nimis amplificabuntur, si scientiæ distinguuntur ex formali objecto; necesse est, ut omnes actus, sive certi sive probabiles dumtaxat, contenti sub amplitudine alicujus formalis objecti, ad illam scientiam pertineant, quæ ex isto objecto specificantur. Unde in hunc sensum scripsit Philosophus: *Ejusdem virtutis est et veri et verisimilis operatio* (2). Ergo non potest dici ad Logicam utentem spectare omnes actus probabiles cæterarum scientiarum in quacumque materia (3).

tertia, Tertia sententia multorum nullam agnoscit Logicam utentem præter illam, quæ Logicis præceptis utitur circa *propriam materiam*, nempe circa definitionem, divisionem, argumentationem, etc. (4)

quarta., Quarta sententia huic opposita docet Logicam utentem, proprie loquendo esse dumtaxat illam, quæ logicis præceptis utitur in parte topica et sophistica, non vero illam, quæ iisdem utitur in parte demonstrativa vel judicativa, nempe demonstrando regulas et præcepta. Ita Complutenses inter alios (5), Fonseca (6) et Conimbricenses (7). Isti nempe volunt Logicam esse docentem respectu totius artis Logicæ, quia præbet præcepta et regulas in tota arte disserendi; utentem vero

---

(1) Lossada, loc. cit. n. 7-12. Cfr. Arriaga, *Log.*, disp. 3. sect. 1.
(2) Lib. 1.° *Rhetor. ad Theodect.*, cap. 1.
(3) Plura vide apud Lossada, loc. cit., n. 12-18.
(4) Apud Lossada, loc. cit. n. 18.
(5) *Dialect.*, disp. 1, q. 4, n. 38.
(6) *Metaph.*, lib. 2, cap. 3, q. 1, sect. 6.
(7) *Dialect.*, quæst. procem. 4. a. 2.

solum esse in parte topica et sophistica, proprie loquendo. Et videtur expressa sententia S. Thomæ (1).

quinta. Quinta demum sententia tenet Logicam etiam utentem vagari por omnes Logicæ partes, licet respectu topicæ et sophysticæ peculiari ratione dicatur utens. Ita Rubius (2) et Amici (3) et Lossada (4).

Addit tamen Lossada (5), licet Logica utens proprie et stricte sit ea, quæ regulas et præcepta exercet in propria ipsius Logicæ materia; nihilominus per quamdam extensionem accessionemque versari Logicam utentem etiam extra propriam materiam, quando nempe argumentatur probabiliter juxta doctrinam topicam. Et contendit hanc esse mentem Aristotelis (6) et S. Thomæ (7); quamvis ego puto S. Thomam aperte refragari huic doctrinæ (8), quatenus vult etiam Logicam utentem dici exercitium logicarum regularum in parte Logices demonstrativa. Sed ipsa varietas opinionum satis ostendit quæstionem hanc, quæ cæteroqui non videtur tanti momenti, satis esse intricatam, nec parum in ea litigari de voce.

Circa identitatem etiam vel distinctionem Logicæ docentis et utentis sunt variæ opiniones, ut videre est apud Joannem a S. Thoma (9), quem vide si lubet, ut etiam Complutenses (10), et Lossada (11), nam res videtur plus habere difficultatis, quam utilitatis.

Judicium auctoris. 331. Jam ut aliquid respondeamus ad propositam quæstionem,

---

(1) Lib. 4. *Metaph.*, lect. 4, ubi aperte id doceri videtur.

(2) *Logic*, quæst. 3.

(3) *Logic.*, tract. 1, quæst. ultim. dub. 3.

(4) Loc. cit. n. 19.

(5) Ibid. n. 23, seqq.

(6) Lib. 4. *Metaph.*, cap. 2; lib. 1.° *Posterior*, cap. 8; lib. 1.° *Rhetor.* ad *Theodect*, cap. 1, 2, 3.

(7) 4.° *Metaph.*, lect. 4; 1.° *Poster*, lect. 20; Opusc. *de Trinit. sup. Boet.*, q. 6, a. 1. Vide Lossada, loc. cit. n. 19-23, et 23-30.

(8) Videatur. S. Thomas, lib. 4.° *Metaph.*, lect. 4.

(9) *Log.*, secund. part. q. 1, art. 5, *Dico ultimo.*

(10) Loc. cit.

(11) Loc. cit.

Logica non est scientia, prout topice vel sophistice utens, sive intra sive extra propriam materiam, ut per se patet.

Dubium superest de Logica prout utente regulis demonstrandi intra propriam materiam, si quis nempe velit sequi sententiam Rubii aliorumque quinto loco relatam: «quo sensu licet fateantur omnes actum logicum esse scientificum realiter sive identice; plures tamen id negant de tali actu formaliter accepto sub munere utentis aut usus.» Videatur Lossada (1).

ARTICULUS IV.

Utrum Logica sit scientia speculativa an practica

332. Postremam aggredimur de natura Logicæ controversiam haud parvo olim animorum æstu sententiarumque varietate disputatam. Suppositis itaque, quas alibi exposuimus, scientiæ speculativæ ac practicæ notionibus, diversæ primum opiniones auctorum recensendæ sunt.

Sententiæ: prima,

Prima sententia communis inter Thomistas et Scotistas docet Logicam esse habitum speculativum, quamvis facile concedant, saltem aliqui, eam gerere similitudinem quamdam cum scientia practica. Videri possunt inter alios pro hac opinione Soncinas (2), Javellus (3), Capreolus (4), Hervæus (5), Sotus (6), Joannes a S. Thoma (7), Complutenses (8), Roselli (9), Toletus (10), Mastrius (11), et Cardin. Aguirre (12).

(1) *Log.*, tract. 1, disp. 1, cap. 8, n. 19, seqq.
(2) Lib. 6. *Metaph.*, q. 2.
(3) Lib. 6. *Metaph.*, q. 3.
(4) *Proleg., in lib* 1.um *Sentent.*, q. 2, a. 1, *Ad* 1.um *Aureoli contr.* 4.am *conclus.*
(5) Quodlib. 1. q. 3.
(6) *Dialect.*, quæst. 4. procem.
(7) *Log.*, secund. part. q. 1, a. 4.
(8) *Dialect.*, disp. 1, procem. q. 6.
(9) *Logic.*, q. 2, a. 6.
(10) *Log.*, q. 4, procem.
(11) *Log.*, quæst. procem. art. 5, n. 55.
(12) *Selectæ disput., Log.*, tract 1, disp. 5, sect. 3.

secunda, Secunda sententia est eorum, qui tenent Logicam esse practicam. Ita Ockam, Gabriel, Gregorius Ariminensis, Aureolus, Paulus Venetus, Jandunus et Albertus M. (1), quos secuti sunt Petrus Fonseca (2), Conimbricenses (3), Georgius Rhodes (4), Ulloa (5), Joannes B. De Benedictis (6), Andreas Semery (7), Rodericus Arriaga (8), Franciscus Oviedo (9), Richardus Lynce (10), Ludovicus Lossada (11), Antonius Mayr. (12), Soarez lusitanus (13), et Bernaldus Quiros (14).

In his tamen auctoribus adest quædam discrepantia, aliis sentientibus omnes actus Logicæ practicos esse, aliis admittentibus aliquos actus speculativos, qui proinde ratione horum actuum non verentur dicere Logicam secundum quid speculativam.

tertia, Tertia sententia putat Logicam esse et speculativam et practicam; eamque tuentur Suarez (15), Vazquez (16), Rubius (17), Petrus Hurtadus (18), et alii. At inter hos non unus idemque est modus loquendi; nam quidam volunt Logicam esse simpliciter speculativam, et secundum quid practicam, ut Suarez; alii æque speculativam et practicam, ut Vazquez et Rubius; alii demum simpliciter practicam; et

---

(1) Apud. Barthol. Amici, *Log.*, tract. 1, q. 4, dub. 3, art. 2; et Rub., *Log.*, quæst. 5, procem. n. 13.

(2) *Metaph.*, lib. 2, cap. 3, q. 2, sect. 4.

(3) *Dialect. quæst.* procem. 4, art. 5.

(4) *Philos. perip.*, lib. 1, disp. 1, q. 2, sect. 3.

(5) *Log. Minor*, disp. 3, cap. 3, n. 62.

(6) *Philos. perip.*, vol. 1, quæst. procem. cap. 4, paragr. 2.

(7) *Trienn. Philos.*, vol. 1, disp. 1, q. 5, art. 3.

(8) *Curs. Philos.*, *Log.*, disp. 3, sect. 3.

(9) *Log.*, controv. 2, punct. 5.

(10) *Philos. Scholast.*, vol 1, lib. 2, tract. 3, c. 5.

(11) *Log.*, tract. 1, disp. 1, cap. 9.

(12) *Philos. perip.*, prim. part. n, 247.

(13) *Log.*, tract. 1, disp. 2, n. 126.

(14) *Curs. Philos.*, tract. 2, part. prim. de *Log.* procem. disp. 13, sect. 8.

(15) Disp. *Met.* 44, sect. 13, n. 54.

(16) In 1.am part. disp. 9.

(17) *Log.*, quæst. procem. 5.

(18) *Log.*, disp. 2, sect. 2.

secundum quid speculativam, ut Hurtadus et alii apud Quiros (1). Verum hi postremi potius pertinere dicendi sunt ad secundam sententiam, quia plurimi eorum, qui illam sequuntur, admittunt Logicam esse speculativam secundum quid.

quarta.

Quarta denique sententia est eorum, qui arbitrantur Logicam neque esse scientiam speculativam neque practicam, sed esse dumtaxat introductoriam et adminiculatoriam, instrumentumque ad assequendas utrasque. Ita P. Cosmus Alamanni (2), Petrus Niger aliique pauci apud Mastrium (3).

Rejicitur ut falsa quarta sententia.

333. In hac controversia primum breviter rejicienda est hæc ultima opinio tamquam falsa. Nam Logica in primis scientia est, at scientia immediate et adæquate dividitur in speculativam et practicam. Si enim tendit ad opus regulandum est practica; si vero non, sed sistit in mera contemplatione, speculativa est. Immo idem ob eamdem rationem dicendum foret, etiamsi non esset scientia. Nam cognitio certe est Logica vel habitus cognoscitivus, atque adeo vel sistit in contemplatione objecti, vel dirigit operationem (4). Quo supposito, sit

334. PROPOSITIO. 1.ª **Logica quatenus regulas tradit modi sciendi, vere practica est.**

Ita Lossada cum auctoribus secundæ sententiæ.

Logica quatenus regulas tradit, practica est.

Prob. Illa scientia est practica, quæ respicit operationem, regulando illam et constituendo modum, quo fieri debet, ut constat ex alibi præmissa notione scientiæ practicæ. Atqui Logica respicit operationes intellectus hoc modo.

Nam cum v. g., tradit regulas definiendi, dividendi, argumentandi etc., in primis respicit operationes intellectus, nempe definitionem, divisionem, argumentationem etc., easque considerat ut exercendas, et quidem modo operabili, tradendo regulas et dirigendo modum, quo recte fiant. Nempe Logica est practica: α) ex parte objecti, nam contemplatur operationes, quæ sunt praxis: β) ex parte modi, nam docet modum, operationes eliciendi: γ) ex parte finis, nam præcepta ejus ordinantur ad operandum.

(1) Loc. nup. cit. n. 53.
(2) *Summ. Philos.* prim. part. q. 1, art. 4.
(3) Loc. cit., n. 55.
(4) Vide Fonseca, loc. cit., sect. 1.ª

Verbo non aliter se gerit Logica relate ad operationes intellectus rite ordinandas in ordine ad cognoscendum verum in studio scientiarum, quam ars fabrilis vel architectonica relate ad operationes manuum in ordine ad artefacta vel domos construendas; quemadmodum S. Thomas haud obscure innuit. *Sicut... ex hoc quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinventa est ars ædificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate hujus actus exercere potest: eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipsu actu rationis ordinate, facile et sine errore procedat. Et hæc est ars logica, id est rationalis scientia* (1).

Confirmatur ex S. Thoma, secundum quem: α) *in speculativis scientiis nihil aliud quæritur, quam cognitio generis subjecti, in practicis autem intenditur quasi finis constructio ipsius subjecti. Sicut in Geometria intenditur quasi finis cognitio magnitudinis, quæ est objectum Geometriæ, in scientia autem ædificativa intenditur quasi finis constructio domus, quæ est hujusmodi artis subjectum* (2). Atqui Logica non est scientia in qua nihil aliud quæritur, quam cognitio generis subjecti, nempe modi sciendi. Itemque in Logica quasi finis intenditur constructio ipsius subjecti, modi sciendi, definitionis, divisionis, syllogismi etc. Ergo non est speculativa. β) S. Thomas cum Aristotele (3) hoc statuit discrimen inter artes vel scientias speculativas et non speculativas; quod illæ sunt inventæ *propter seipsas*, seu gratia sui, non vero ad utilitatem vel ad necessitatem vitæ vel ad voluptatem; non speculativæ autem inventæ sunt propter usum vitæ; vel *quædam eorum sunt ad vitæ necessitatem, sicut mechanicæ, quædam vero* **ad introductionem in aliis scientiis, sicut scientiæ logicales**... *Et quod speculativæ scientiæ non sunt inventæ ad utilitatem, patet per hoc signum, quia... acquisitis vel repertis omnibus hujusmodi, quæ possunt esse ad introductionem in scientiis, vel ad necessitatem vitæ, vel ad voluptatem, sicut artes, quæ sunt ordinatæ ad hominum delectationem, speculativæ* **non sunt**

(1) 1.° *Posterior.*, lect. 1, initio.
(2) S. Thom., 1. *Posterior.*, lect. 41, paragr. *b*.
(3) Arist., lib. 1.° *Metaph.*, cap. 1.

propter hujusmodi repertæ, sed propter seipsas (1). Atqui Logica non est inventa gratia sui, sed propter usum ad introductionem in aliis scientiis, ut fatetur hic diserte S. Thomas, id est, ut regulis cognoscamus modum sciendi, et dirigamur in scientiarum assecutione. Unde etiam vocatur a Böetio (2) aliisque *instrumentum scientiarum*. Ergo Logica non est speculativa scientia γ) Idem aliis verbis colligitur ex doctrina S. Thomæ atque Aristotelis. Intellectus enim practicus in eo differt a speculativo, quod *speculativus speculatur veritatem non propter aliquid aliud, sed propter seipsum tantum, practicus autem speculatur veritatem propter operationem* (3). Similiter scientia speculativa differt a practica secundum finem. *Nam finis speculativæ est veritas; hoc enim est quod intendit, scilicet veritatis cognitionem. Sed finis practicæ est opus, quia etsi practici, hoc est, operativi intendant cognoscere veritatem, quomodo se habeat in aliquibus rebus, non tamen quærunt eam tamquam ultimum finem. Non enim considerant causam veritatis secundum se et propter se, sed ordinando ad finem operationis, sive applicando ad aliquod determinatum tempus* (4). Atqui finis etiam Logici est opus; non certe externum, sed internum intellectus ipsius, nempe operationes intellectuales, quas ostendimus superius rationem praxis habere posse. Ergo...

δ) Quibus similia sunt hæc: *Scientiæ speculativæ, ut patet in principio Metaphysicæ, sunt de illis, quorum cognitio quæritur propter seipsam. Res autem de quibus est Logica, non quæruntur ad cognoscendum propter seipsas, sed ut adminiculum quoddam ad alias scientias. Et ideo Logica non continetur sub Philosophia speculativa quasi principalis pars, sed quasi quoddam reductum ad eam, prout ministrat speculationi sua instrumenta, scilicet syllogismos, et definitiones et alia hujusmodi, quibus in speculativis scientiis indigemus* (5). Hic aperte

(1) S. Thom., lib. 1.° *Metaph.*, lect. 1, paragr. *m*.

(2) Apud S. Th., Opusc. *de Trinit.*, quæst. 5, art. 1, ad 2.um

(3) S. Th., lib. 3.° *de Anim.*, lect. 15, paragr. *b* cum Arist. ib. text. Comm. 49.

(4) S. Thom., lib. 2.° *Metaph.*, lect. 2, initio, cum Arist., ib. cap. 1.

(5) S. Thom., *de Trinit.*, q. 5, a. 1, ad 2.um

opponitur a S. Thoma Logica scientiis speculativis; atque ad reddendam rationem, cur Logica non recenseatur inter membra et species Philosophiæ speculativæ, aliud non dicitur, nisi quod Logica non est de rebus, quarum cognitio quæritur propter seipsam, sicut sunt speculativæ scientiæ: nempe Logica non est speculativa scientia, ideoque solum reductive ingredi potest in divisione Philosophiæ speculativæ, quia est ut adminiculum ad scientias speculativas, ministrans speculationi sua instrumenta, scilicet syllogismos etc. (1).

ε) Adde quod nullibi S. Thomas, quod ego sciam, in generali divisione scientiarum speculativarum vel Philosophiæ meminerit Logicam (2).

335. PROPOSITIO 2.ª **Licet Logica directa et propriis limitibus contenta absolute et simpliciter practica sit; nihilominus Logica reflexa, et ipsa etiam directa secundum illas partes, in quibus proprios egressa limites, quæstiones adoptat adscititias, est speculativa (3).**

Logica reflexa speculativa est; itemque Logica directa in quæstionibus adscititiis.

In primis explicatur propositio. «Etsi tota Logica reflexe consideret actus intellectus, tamen in sua linea vocatur *Logica directa*, quæ versatur circa illos actus, quatenus possunt artificiose poni, sive disponi ad recte disserendum; vocatur vero *Logica reflexa*, quæ suam ipsius indolem et proprietates nova reflexione discutit, ut fit in hac proœmiali disputatione» (4).

Probatur itaque propositio hæc quoad primam partem, sicut præcedens. Etenim logica directa, intra suos limites contenta, respicit pro fine operationem, finis enim ejus est aliquid operabile, ut tale, nempe modus sciendi; item ad eum finem inventa est, ut intellectus in scientiarum assecutione regulas illius ad praxim deducat. Sed scientia, *quæ ordinatur ad finem operationis est simpliciter practica*, ut

(1) Vide de his Lossada, loc. cit. n. 12-16.

(2) Vide v. g. Opusc. *de Trinit. sup. Böet.*, q. 5, a. 1; lib. 1.° *Physicor.*, lect. 1; lib. 6, *Metaph.*, lect. 1; *De Sensu et sensato*, initio.

(3) Ita Lossada, loc. cit. n. 19 et 21.

(4) Lossada, ib. n. 20.

docet S. Thomas (1), et plane colligitur ex Aristotele (2). Ergo... (3)

Prob. altera pars. «Nam in primis Logica reflexa seu procœmialis, nihil fere tractat ad praxim proprie pertinens, aut directe juvans,» ut ex hactenus discursis in hac disputatione, et adhuc discutiendis de objecto Logicæ facile quisque perspiciet.

«Deinde Logica, prout consueta in scholis methodo traditur, plurimas ex Methaphysica quæstiones adsciscit, præsertim in tractatibus de Universalibus et Prædicamentis, ut nemo nescit: nonnullas etiam ex Animastica, ut v. g. ea quæ respiciunt veritatem, media fontesque illam assequendi, status mentis in ordine ad illam. Cum itaque omnes istæ quæstiones ad speculationem pertineant, et majori ex parte consuetum Logicæ volumen occupent; fit, ut Logica prout communiter in scholis tradi solita, majori ex parte sit speculativa» (4).

Cæterum nulla est repugnantia in hoc, quod scientia practica contineat quædam pure speculativa, sicut e converso, quod speculativa habeat etiam quædam practica; sed denominatio speculativæ aut practicæ desumenda est ex potiori parte scientiæ et ex objecto attributionis, unde colligi potest ejus indoles.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

336. **Objic. 1.°** S. Thomas perpetuo docet Logicam essentialiter et ex vi suorum principiorum esse simpliciter speculativam, licet aliquem modum practicæ induat, quatenus regulas et directionem præbet speculationi. Ergo...

Antec. probatur. Nam sic scribit S. Doctor: *Sola... hæc scientia est propter seipsam, ergo ipsa sola est libera inter scientias. Et notandum, quod hoc dupliciter potest intelligi: uno modo quod hoc quod dicitur hæc sola, demonstret in genere omnem*

(1) 1. p. q. 14, art. 16, corp.

(2) Locis citatis in propositione præcedenti.

(3) Lossada, loc. cit. n. 19. Lege etiam n. 20, ubi probatur Logicam directam *totam*, aut *fere totam*, practicam esse.

(4) Lossada, loc. cit. n. 21. Cfr. Ulloa, Semery et alii AA. passim, concedentes Logicam esse speculativam secundum quid.

scientiam speculativam; et tunc verum est, quod solum hoc genus scientiarum propter seipsam quæritur. Unde et illæ solæ artes liberales dicuntur, quæ ad sciendum ordinantur. Illæ vero quæ ordinantur ad aliquam utilitatem per actionem habendam, dicuntur mechanicæ seu serviles (1).

Item: *Etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum cujusdam operis, puta constructio syllogismi, aut orationis congruæ, aut opus numerandi vel mensurandi; et ideo quicumque ad hujusmodi opera rationis habitus speculativi ordinantur, dicuntur per quamdam similitudinem artes, scilicet liberales, ad differentiam illarum artium, quæ ordinantur ad opera per corpus exercita, quæ sunt quodammodo serviles, in quantum corpus serviliter subditur animæ, et homo secundum animam est liber. Illæ vero scientiæ, quæ ad nullum hujusmodi opus ordinantur, simpliciter scientiæ, non autem artes dicuntur* (2).

Et alibi: *Omnis applicatio rationis rectæ ad aliquid factibile pertinet ad artem:* **Quia ergo ratio speculativa quædam facit, puta syllogismum, propositionem et alia hujusmodi, in quibus proceditur secundum certas** *et* **determinatas vias,** *inde est, quod respectu horum potest salvari ratio artis, non autem ratio prudentiæ. Et ideo invenitur aliqua speculativa ars, non autem aliqua prudentia* (3).

Præterea: *Etiam in speculativis,* inquit, *alia rationalis scientia est Dialectica, quæ ordinatur ad inquisitionem inventivam, et alia scientia demonstrativa, quæ est veritatis determinativa* (4). Quibus in locis vides iterum iterumque Logicam dici scientiam et artem speculativam.

Resp. Ita revera videtur; neque hisce testimoniis aliud respondendum succurrit, nisi ut opponam alia in nostræ sententiæ favorem superius adducta ex ipso S. Doctore principia, quorum pariter nullam aptam solutionem hactenus vidi in operibus adversariorum (5).

Objic. 2.° Scientia, in qua ipsum scire quæritur propter seipsam, practica non est. Atqui talis est Logica.

(1) S. Th. 1.° *Metaph.*, lect. 3, paragr. *c.*
(2) S. Th. 1. 2. q. 57, a. 3, ad 3.um
(3) 2. 2. q. 47, a. 2, ad 3.um
(4) 2. 2. q. 51, a. 2, ad 3.um
(5) Cfr. tamen Lossada, loc. cit. cap. 10, n. 22, 23.

Nam Logica solum intendit fugere ignorantiam; ad hoc quippe inventa est, ut ratio non procedat ignoranter neque erronee, sed recte sciat. Atqui fugere ignorantiam perinde est atque scire. Ergo Logica solum intendit scire. En primum argumentum Joannis a S. Thoma (1).

Item Logica quærit scire propter demonstrare, sed demonstrare est scire. Ergo quærit scire propter scire, ac proinde speculativa est.

Resp. ad 1.um *neg.* Minor. Et ad probation. *dist.* Major. Solum intendit fugere ignorantiam tamquam finem assequendum ex directione suarum regularum per alias scientias, *conc.*, aliter, *neg.*

Resp. ad 2.um simili modo: quærit scire propter demonstrare proprium, *neg.*, propter demonstrare alienum, *conc.* Et similiter *dist.* conseq. Logica scit et demonstrat suum objectum; sed hoc demonstrare et scire proprium objectum, non quærit propter seipsum, ut in eo sistat, sicut sistunt scientiæ speculativæ. Illud enim ordinat ad constructionem sui objecti, quod consistit in demonstrare alieno, sive in demonstrationibus aliarum scientiarum (2).

Objic. 3.° «Si Logica dirigit speculationes, vis speculativa est, quæ perficitur per Logicam artificialem. Ergo Logica artificialis non potest esse practica, cum perficiat vim speculativam; alioquin ratio practica dirigeret speculativam, et prius perficeretur vis practica, quam rectificaretur speculativa: quod repugnat, cum practicum sit posterius speculativo utique rectificato, quia a speculatione rectificata et sine errore practica derivatur, non e contra.» Ita iterum Joannes a S. Thoma (3).

Resp. *neg.* conseq. Et ad probat. *neg.* quod ratio practica rationem speculativam dirigeret in omnibus, et similiter quod prius absolute et universaliter perficeretur practica, quam rectificaretur speculativa. Quia licet prius perficiatur scientia logica propter suam necessitatem ad cæteras scientias; tamen prius est usus intellectus speculativi, et prius etiam

(1) *Log.*, secund. part. q. 1, a. 4.
(2) Lossada, loc. cit. cap. 10, n. 22; Cfr. n. 19.
(3) Ib. *Et confirmatur.*

idem intellectus perfici debet saltem inadæquate, quia Logica efformari nequit, quin præcedant actus speculativi. Logica siquidem, sicut aliæ artes, ex reflexa consideratione actuum præcedentium oritur, et antequam præscribat quomodo recte fabricandi sint syllogismi et cætera instrumenta logica scientiarum, jam plures hujusmodi actus debuerunt præcedere, ab intellectu speculativo effecti, et ab eodem coram propositi sunt per reflexam considerationem, ut ipse, quinam recte facti, quinam vero perperam, judicaret, et exinde regulas ac præcepta recte disserendi excogitaret.

Objic. 4.° Omnis facultas practica, vel est *factiva*, vel *activa*, ut sumitur ex Aristotele (1). Sed Logica non est factiva, cum non versetur circa actiones externas, nec activa, quia scientia activa, ut ibidem docet Aristoteles, est circa ea, *quorum principium est electio, et idem est agibile et elegibile*. Atqui electio est actus voluntatis, qui respicitur non a Logica, sed a scientiis moralibus, quæ idcirco activæ dicuntur, ut notat D. Thomas (2). Ergo Logica non est practica (3).

Resp. *neg.* Minor quoad 2.um membrum, quin obstet probatio. Nam Logica est activa, versaturque circa ea, quorum principium, non quidem elicitivum, aut meritorium formale, ut in operibus virtutum, sed imperativum aut applicativum, est electio. Quemadmodum enim scribit Vazquez (4), nulla operatio rationis, qualis est constructio syllogismi, dirigitur aut fit ab alia operatione intellectus, nisi media electione; nam ex electione applicat homo intellectum ad faciendum hunc vel illum syllogismum (5).

Hanc Vazquezii rationem Complutenses indignam, cui Philosophus respondeat, reputant, adduntque eam, si quid probat, probare etiam nullam esse scientiam speculativam, siquidem omnes actus cujuscumque scientiæ fiunt a nostro intellectu libere, et media motione seu imperio voluntatis: quare dictum Aristotelis, quod *scientia activa versatur circa*

(1) 6.° lib. *Metaph.*, cap. 1.

(2) S. Th., 6.° *Metaph.*, lect. 1.

(3) Apud Lossad., loc. cit., cap. 10, n, 11, et est argumentum quod faciunt Complutens., loc. cit., n. 67, *Confirmatur*.

(4) Vazquez, in 1.am part., disp. 8, n. 19.

(5) Lossad., loc. nup. cit.

ea, quorum principium est electio, «debet intelligi formaliter et per se, ac proinde de operibus, quibus formaliter et per se convenit procedere ab electione, quæ constat opera virtutis, quibus sicut intrinseca est moralitas, ita etiam libertas» (1).

Verum nego quod ratio Vazquezii a nobis allata, probet etiam quod nulla sit scientia speculativa; nam ex eo quod actus intellectus, ut sit praxis, debeat dependere ab electione voluntatis, minime sequitur, omnem actum intellectus dependentem ab electione voluntatis esse praxim; sicut, ex eo quod omnis homo debeat habere caput, non sequitur, quidquid habet caput esse hominem. Itaque argumentum Complutensium nihil valet, si valent leges conversionis logicæ. Ea ergo conditio sola non sufficit ad actum practicum constituendum, sed præterea requiritur, ut actus dirigens, media electione, alias operationes intellectus, respiciat illas modo operabili, sicut respicit illos Logica (2).

Objic. 5.° Logica non proprie dirigit operationem. Ergo non est practica respectu illius, ac proinde nec respectu aliorum.

Prob. antec. Nam in primis non dirigit præmissas, tum quia sæpe sunt de materia spectante ad alias scientias, tum quia sunt propositiones evidentes, quibus necessario assentitur intellectus; nulla vero ars dirigit operationes necessarias, quæ voluntatis imperio non subsunt. Deinde nec dirigit conclusionem, quippe quæ necessario sequitur præmissas; nec aliunde imperari posset, nisi prænosceretur, si autem prænoscitur, jam existit priusquam imperetur (3).

Resp. *neg.* antec.

Ad probat. respondeo. «Logica dirigit præmissas demonstrationis cujuslibet, non quantum ad materiam, sed quantum ad formam artificiosam in *figura* et *modo;* dirigit item ut, proposita varia materia, enuntiationes eligantur *primæ, immediatæ, notiores* etc., juxta doctrinam demonstrandi. Nec obstat evidentia, nam terminis evidenter apprehensis, saltem indifferens est intellectus, ut potius *A* prædicet de *B,*

(1) Complutens., loc. cit. n. 67.
(2) Cfr. Lossada, apud quem plura, n. 12-15.
(3) Apud. Lossada, loc. cit., n. 15.

quam e converso, ut aliquod syncategorema detrahat vel addat etc.: quam indifferentiam determinat voluntas præventa regulis.»

Conclusio etiam aliquo modo pendere potest a voluntate, saltem ut directa sit vel indirecta. «Nec ut imperetur, debet prænosci judicative, sed apprehensive; ex quo non sequitur quod præexistat ante imperium. Immo, etsi prorsus necessario resultet conclusio ex præmissis, cum tamen hæ pendeant a voluntate, conclusio evadet voluntaria mediate et in causa, quod sufficit ad rationem praxeos. Sic sanitas est praxis Medicinæ, licet applicata virtute medicamentorum necessario resultet. Conclusio tamen, ut hoc obiter notem, praxis est respectu regularum Logicæ, non respectu præmissarum; hæ quippe movent, sed non dirigunt ad conclusionem formalem, cum non illam, sed ejus objectum, implicite cognoscant» (1).

Cæterum argumentum allatum saltem non prodest Thomistis et Scotistis, adversarijs nostris, quippe qui agnoscunt directionem Logicæ simpliciter necessariam, aut certe valde utilem, ad demonstrandum.

Objic. 6.° Logica procedit modo resolutorio per definitiones, divisiones ac demonstrationes. Atqui procedere hoc modo est proprium scientiæ speculativæ. Ergo...

Resp. *dist.* Minor. Est solius scientiæ speculativæ *neg*, et est proprium speculativæ etiam practicæ, *conc*.

Nam etiam Moralis v. g. et Medicina, quæ scientiæ practicæ sunt, definiunt ac dividunt, demonstrantque per prima principia.

Objic. 7.° Proprium est speculativæ scientiæ, ut objectum universale contempletur. Atqui universali modo suum objectum contemplatur Logica. Ergo...

Resp. eodem modo. Si quando cognitiones objectorum in universali vocantur speculativæ apud D. Thomam et alios, sermo est de speculativo improprio, quatenus contraponitur practico vulgari et experimentali consistenti in cognitione singularium et nunc agibilium. De cætero nulla est ars, etiam mechanica, quæ regulas practicas universales non

(1) Lossada, loc. cit., n. 16.

tradat. Ipsa etiam dictamina practica morum universalia sunt, ut: *Vitium est fugiendum, Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris* (1). Vide S. Thomam exponentem cum Aristotele, quomodo ars contempletur objectum universale, et quomodo per hoc distinguatur ab experimento (2).

Objic. 8.° Objectum Logicæ non est aliquid operabile. Ergo non est practica scientia.

Prob. antec. Nam objectum Logicæ est aliquid cognitum et universale et secundæ intentionis. Atqui neque objectum in universali, nec in statu cogniti aut secundæ intentionis est aliquid operabile. Ergo... (3)

Resp. *neg.* antec.

Ad probat. *dist.* Minor. Objectum in universali etc. non est operabile formaliter et reduplicative, *conc.*, absolute et secundum id, quod subjicitur formæ universalitatis et per mentis abstractionem reperitur in statu cogniti et secundæ intentionis, *neg.*

Cæterum si argumentum valeret, nulla dari posset scientia practica et ars, quippe quæ objectum contemplantur in universali. Revera Medicus considerat corpus ut sanabile in genere; et tamen non desinit respicere objectum operabile, licet nequeat curari corpus in genere, nec per medicinas in universali. Ita ergo Logica potest esse scientia practica, quia intendit introducere in actus intellectus illud artificium, quod in genere considerat.

Dices. Artificium illud est ens rationis, quod nihil reapse est. Atqui nihil non est operabile. Ergo...

Resp. dato, quod sit ens rationis, de quo nunc non disputamus, illud est vere scibile, juxta adversarios; ergo et vere operabile aliquo modo potest esse. Præterea «licet nihil sit, suo modo est possibile, et Logica toto conatu curat illius positionem instar formæ artificiosæ, ut volunt Thomistæ, qui propterea cognitionem fingentem entia rationis, vocant *quodammodo practicam et effectivam* instar ædificationis (4). Hoc

(1) Lossada, loc. cit. n. 24.

(2) Lib. 1.° *Metaph.*, lect. 1, paragr. *g* et *h*.

(3) Cfr. Joann. a S. Thom., loc. cit. *Fundam.*, a priori.

(4) Vide Colleg. S. Thomæ. Complut., q. 1, art. 2, paragr. 5, n. 123.

autem sufficit, ut Logica sit practica; sicut practica est institutio signorum ad placitum, licet eorum forma sit ens rationis apud Thomistas; et sicut practica esse potest cognitio dirigens ad puram omissionem liberam» (1).

Plura dabunt Lossada et auctores citati.

CAPUT II.

DE OBJECTO LOGICÆ.

Quæstio hæc est una ex implicatissimis in Logica, in qua vix quidpiam certo definiri potest. Itaque breviter illam tractabimus, relatis diversis Philosophorum sententiis, quid nobis verisimilius videatur, aperiendo. Revocandæ autem sunt in memoriam, quas alibi tradidimus, objecti notio et divisiones.

ARTICULUS I.

Utrum voces sint objectum proprium directe ac per se consideratum a Logica.

Veterum opinio obsoleta.

337. Omissa opinione veterum jam obsoleta, dicentium voces esse objectum adæquatum Logicæ, quæritur, an saltem sint objectum partiale. Atque ita revera dicendum esse videbitur, si in memoriam revocentur ea, quæ disputat Aristoteles, et cum eo reliqui Philosophi, de *nomine*, *verbo*, *oratione*, de *univocis* et *æquivocis*, de *suppositione* etc. At quoniam multiplex est objectum, controversia præsens solum investigat objectum, quod dicunt plures *formale quod*, alii vero *materiale proprium*, illud nempe quod expresse attingitur ex propriis meritis; et in hoc sensu volumus scire, utrum voces, de quibus certe agit Logica, sint objectum, quod ipsa consideret directe, an vero propter aliud, ad quod dicat

Status quæstionis.

(1) Lossada, loc. cit., n. 26.

ordinem, *per se vel per accidens* et ratione alterius, et consequenter utrum primario et principaliter, an vero secundario dumtaxat minusque principaliter.

Cæterum voces in hac quæstione non considerantur entitative, secundum quod important sonum: quo sensu spectant ad aliam tractationem, unde M. Augustinus, vel quisquis fuerit Auctor libri *de Principiis Dialecticæ: Verbum*, inquit, *sonat*, sed *quod sonat, nihil ad Dialecticam* (1). Nec iterum considerantur voces secundum significationem vel in se, vel qualicumque artificio præditam, nam Grammaticæ est reddere vocum significationes, earumque tractare artificium ac texturam aptam, ut oratio sit congrua, nulloque peccans vitio sermonis; et Rhetoricæ est docere artificium sermonis, prout est tropis ac figuris ornatus; Pöesis vero prout est metro ligatus. At in Logica voces accipiuntur secundum artificium aptum ad exprimendam veritatem, prout cernitur in definitione, divisione, argumentatione etc. (2)

In hoc sensu voces esse objectum Logicæ proprium directe et per se consideratum, opinantur Complutenses (3), pluresque Thomistæ et alii (4). Ita etiam ex Nostris Richardus Lynce (5) et fortasse etiam De Benedictis (6). Sententiæ.

Contrarium vero tenent Nostri communius cum Eximio Doctore (7), Toleto (8), Conimbricensibus (9), Rubio (10), Bartholomæo Amici (11), Bernaldo Quiros (12), Arriaga (13),

---

(1) S. August., *De Principiis Dialect.*, cap. 5.

(2) Cfr. Lossada, *Log.*, tract. 1, procem. disp. 2, cap. 1, n. 2; Tolet. *Dialect.*, quæst. 1, *Prim. fundam.*; et Semery loc. mox citando.

(3) *Dialect.*, disp. 1, q. 3, n. 31.

(4) Apud Lossada, loc. cit. n. 3; et apud Richard. Lynce, *Philos. Scholast.*, lib. 2, tract. 1, cap. 1, n. 1.

(5) Loc. nup. cit.

(6) *Philos. perip.*, vol. 1, quæst. procem. cap. 5, parag. 2.

(7) Disp. *Metaph.* 1, sect. 4, n. 27.

(8) *Dialect.*, q. 5, concl. 1.ª

(9) *Dialect.*, q. 5, procem. a. 2.

(10) *Log.*, quæst. procem. n. 17.

(11) *Log.*, tract. 1, q. 5, dub. 2.

(12) *Curs. Philos.*, tract. 2, part. prim. de *Log.*, procem. disp. 9, sect. 3.

(13) *Curs. Philos. Log.*, disp. 2, sect. 3.

Hurtado (1), Rhodes (2), Semery (3), Lossada (4) aliique; et ex Scotistis Mastrius (5) et alii.

Eligitur.

338. PROPOSITIO. **Voces non sunt objectum directe et per se consideratum a Logica.**

et probatur verior.

Prob. 1.° Illud est objectum directe et per se consideratum a Logica, quod directe et ex instituto dirigit ipsa. Atqui voces non directe et instituto dirigit, sed solum ex consequenti, et ex quadam concomitantia. Ergo...

Minor probatur. Nam directe et ex instituto Logica dirigit conceptus. Atqui eo ipso, quod hos dirigit, directæ quoque manent voces, quantum ultra Grammaticam opus est, siquidem artificium vocale obtinetur ad normam artificii mentalis. «Unde, qui talem normam ex Logica didicit formare, et reipsa format, eo ipso, quin Logicam denuo consulat, facillime formabit consequenter artificium vocale, si voces conceptibus exprimendis aptas, et eam syntaxim Grammatica in promptu suggerat, prout debet. Ideo ut passim dicimus, qui recte concipit, et vitiose loquitur, vel Grammaticam nescit, vel in prudentiam peccat ultro volens.» Ergo voces non directe et ex instituto dirigit Logica. Quandoquidem nulla est ars, quæ directe et ex instituto dirigit illud, quod jam sufficienter ex regulis alio primario tendentibus regulatum adest, quantum indiget, et ejus artificium postulat (6).

Prob. 2.° Artificium Logicum proprie est in operationibus mentis, non vero in vocibus. Ergo voces nom sunt objectum directe ac per se a Logica consideratum.

Prob. antec. α) Auctoritate Aristotelis sic scribentis: *Demonstratio non in oratione, quæ est extra, sed in oratione, quæ est in mente, consistit, quandoquidem neque ratiocinatio in illa consistere videtur* (7).

---

(1) *Log.*, disp. 1, n. 22.
(2) *Philos. perip.*, lib. 1, disp. 1, q. 1, sect. 2, paragr. 1.
(3) *Trienn. Philos.* vol. 1, disp. 1, q. 2, art. 3.
(4) Loc. cit. n. 3.
(5) *Log.*, quæst. procem. art. 3, n. 33.
(6) Cfr. Lossada, loc. cit., n. 8, ex Suarezio.
(7) Lib. 1.° *Poster.*, cap. 8.

β) Ratione. Nam voces non sunt, nisi signa internorum animi conceptuum; nec ob aliud necessariæ sunt, nisi vel ut aliis nostra communicemus, vel ut aliorum nos quoque sensa cognoscamus. Sicut scriptura vel alia signa necessaria forent ad eumdem finem homini surdo. Ergo potest Logicæ artificium sine vocibus omnino constare, sicut potest res, quæ signo aliquo manifestatur, integra in se absque illo permanere.

Consequentia etiam principalis argumenti patet: α) ex paritate scripturæ; nam neque scriptura, neque scriptum artificium est objectum directe et per se consideratum a Logica, ut fatentur saltem plerique adversarii, et manifestum videtur. Atqui eadem ratio est pro vocibus, nam voces eodem modo se habent respectu internorum conceptuum, ac scriptura, nihil enim amplius sunt nisi signa illorum. Ergo...

β) Logica illud respicit dumtaxat directe, quod spectat ad artificium logicum. Ergo si in vocibus non inest proprie logicum artificium, non contemplatur illas directe et ex instituto Logica.

Prob. 3.° «Seclusis vocibus et habitis regulis præcise terminatis ad conceptus, Logica obtineret perfecte finem, ad quem est instituta. Ergo Logica ex instituto non agit de vocibus.»

Prob. antec. «Logica omnium confessione instituta est ad alias scientias acquirendas per actus artificiose compositos. Sed ad finem istum obtinendum perfecte esset instructus, qui Logicæ regulas præcise terminatas ad conceptus bene nosset, v. g. qui illas haberet cœlitus infusas.» Ergo...

Prob. Minor. «Nam scientiæ perfecte acquiruntur per actus intellectus. Ergo qui regulas istorum actuum bene nosset, plene instructus esset ad scientias perfecte acquirendas» (1).

Plura de his apud Lossada require.

339. Quæ cum ita sint, inferes voces Logica regulari non immediate in seipsis, sed mediate et in conceptibus præsuppositis, quatenus ex attentione ad regulas conceptuum vel ad conceptus ipsos juxta regulas factos, facillime potest ope

Quomodo regulentur voces a Logica.

(1) Lossada, loc. cit. n. 11.

Grammaticæ construi vocalis definitio, syllogismus etc.: et hoc est regulari voces indirecte ex consequenti ex quadam concomitantia, ut ait (1) Eximius (2).

Regulæ Summularum circa voces instituuntur non ex exigentia Logicæ, sed ex indigentia logici.

Inferes præterea, «Summularum regulas circa voces non institui ex exigentia Logicæ, sed ex indigentia vel commoditate Logici. Nam Logica non indiget regulis artificii vocalis, ut finem suum perfecte obtineat...; nec aliunde, ut acquiratur ipsa, cum possit acquiri simpliciter inventione propria, ut ab Aristotele acquisita est magna ex parte, vel etiam per regulas voce magistri expressas, quæ non de vocibus, sed de solis conceptibus loquantur,» vel etiam per scripturam. «Præterquam quod media, quæ tantum ex imbecillitate mentis humanæ requiruntur ad acquirendam scientiam, non ideo præcise debent esse ejusdem scientiæ proprium objectum... Solum ergo prædictæ regulæ institutæ sunt ex indigentia et commoditate studentium, qui multo commodius faciliusque percipiunt regulas vere logicas artificii mentalis, si prius exerceantur in artificio vocali, et ejus regulas addiscant.» Nonnulla etiam disputantur, ut errores vitentur, qui per abusum vocum irrepere possunt in scientiis ex defectu attentionis vel rectæ applicationis præceptorum: quo spectant illa, quæ tractantur de terminis æquivocis, amphibologiis etc. «Hæc autem tyronum tarditas vel commoditas per accidens est respectu Logicæ: quare voces appellari solent ab auctoribus nostræ sententiæ objectum Logicæ per accidens: certe vocari debent objectum non *formale, non directe et per se consideratum*, sed *indirecte, reductive, et ex consequenti regulatum*» (3).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

340. **Objic. 1.°** Hæc habet S. Thomas quæ expresse nostræ sententiæ contradicunt: *Sed quia Logica ordinatur ad cognitionem de rebus sumendam; significatio vocum, quæ est immediata ipsis conceptibus intellectus, pertinet ad principalem considerationem ipsius* (4).

(1) Disp. 1, *Met.*, sect. 4, n. 27.
(2) Lossad., loc. cit. n. 12.
(3) Lossada, loc. cit. n. 14.
(4) S. Thom., *Periherm.*, lib. 1, lect. 2, paulo post init.

Ita Complutenses (1).

Resp. S. Thomas loquitur in primis de significatione vocum, quæ spectat ad considerationem Logicæ, non vero de tractatione vocum. Deinde, ut colligitur ex contextu, S. Doctor comparat voces cum scriptura: unde videtur innuere illarum significationem principalius spectare ad Logicæ considerationem, quam significatio litterarum, quæ quia est magis remota conceptionibus intellectus, *non pertinet ad ejus considerationem, sed magis ad considerationem Grammatici.* Lege S. Doctorem (2).

Objic. 2.° Logica directe et ex professo tractat de vocibus. Sane Libri *Perihermenias* seu *de Interpretatione*, qui vere sunt Logici, directe de vocibus agunt, earumque proprietates demonstrant. Ibi de verbo, de nomine, de oratione sermo est; et oratio vocalis enuntiativa præsentis esse contemplationis dicitur ab Aristotele (3). Adde, quod terminus logicus dividitur in mentalem et oralem (4).

Resp. *neg.* assertum. Ad probationem vero dicendum est libros *Perihermenias*, non agere de vocibus tamquam de objecto proprio, sed tamquam de signis conceptuum, per quæ melius intelligantur regulæ circa illos. Unde libri illi quatenus talia tractant non videntur proprie logici, sed solum indirecte et reductive, nec scripti a Philosopho tamquam de proprio Logicæ objecto. «Quia enim objectum Logicæ, utpote in mente latens, videbat Aristoteles haud facile perceptum iri a tyronibus in semetipso, nisi prius spectaretur in signo exteriori et sensibili, idcirco discentium commodo consulens, libros *Perihermenias* eorumque regulas scripsit expresse terminatas ad artificium vocale, tamquam ad signum et exemplar externum intellectualis» (5).

Divisio vero illa termini Logici in mentalem et oralem univoca non est, sed analoga, siquidem terminus logicus proprie mentalis est, ut constat ex dictis (6).

---

(1) Loc. cit., n. 31.
(2) Cfr. Lossada, paulo aliter respondens, loc. cit., n. 18.
(3) *Periherm.*, lib. 1, cap. 4.
(4) Lossada ibid., n. 19.
(5) Lossada, loc. cit., n. 16; vide plura, n. 17, 18. Cfr. ib. n. 9, 10.
(6) Cfr. Lossada, ib. n. 20

Objic. 3.° In vocibus vere inest artificium logicum. Ergo et ratio objecti vere logici.

Prob. antec. exemplo definitionis, nam hoc vocale complexum *animal rationale* est vere et proprie oratio explicans essentiam rei. Ergo vere continet artificium definitionis.

Præterea illud complexum in primis est oratio, siquidem hæc est *vox significata ad placitum* etc. Deinde explicat essentiam rei, quia signum revera manifestat objectum suum (1).

Resp. *neg.* antec. et ad probation. *dist.* antec. Est oratio explicans essentiam rei grammatice, *conc.*, logice, *neg.*

Ad aliam probationem. «Definitio orationis, ut jacet in Summulis, non est propria Logicæ, sed Grammaticæ, prout hæc inserta est Logicæ tyronum gratia, vel prout a Logica indirecte regulatur, ut constat ex dictis. Neque item pure logica est ea definitio, dum traditur per signum præcisum a formali et instrumentali. Debet ergo, ut sensum pure logicum reddat, supponere signum suo interno et formali, quod est proprium Modi sciendi... (2)

Objic 4.° Ars statuaria directe respicit suum artificium in quacumque materia inveniatur, sive in marmore, sive in jaspide etc. Ergo et Logica suum directe respiciet, sive in voce sive in conceptu reperiatur (3).

Resp. *neg.* paritatem. Quia artificium statuariæ vere et proprie salvatur in quovis genere lapidum; et artificium logicum translatum ad voces non formaliter manifestat ignotum, prout Logica intendit, adeoque deficit a proprietate logici artificii (4).

Objic. 5. Logica non solum docet scire, sed etiam *docet docere et docet discere* ex S. Augustino (5). Sed per artefacta vocalia docemus et discimus, licet per sola mentalia sciamus. Ergo (6).

Resp. «Docere et discere, quatenus hæc vocibus fiunt, docet Logica indirecte tantum, quia dum regulas ad conce-

(1) Apud Lossada, loc. cit., n. 21.
(2) Lossad., ib. n. 22, ubi plura,
(3) Apud Lossad., loc. cit. n. 21.
(4) Lossada, n. 23. Cfr. ib. n. 5.
(5) Lib. 2, *de Ordim.*, cap. 13.
(6) Apud. Lossad., loc. cit. n. 21.

ptus dirigit, facile inde colligunt Logici, qua methodo et forma verborum uti debent in disciplinis tradendis atque discendis» (1).

Plura dabunt Lossada, Semery et alii AA.

ARTICULUS II.

An res spectatæ secundum suam entitatem sint objectum Logicæ.

Status quæstionis.

341. Res bifariam considerari possunt: secundum sua prædicata realia independentia in se ab hoc, quod a nobis cognoscantur; et prout a nobis certo modo cognitæ. Quæstio ergo proposita versatur circa res primo sensu consideratas; eaque respicit objectum *formale quod*, vel illud, quod per se ac directe consideretur a Logica, quemadmodum notatum est in quæstione præcedenti.

Communiter sentiunt Philosophi res secundum suam physicam entitatem non esse *adæquatum* ac *totale* Logicæ objectum, siquidem Logica de aliis etiam agit. Sed dubitatur utrum res sint saltem *partiale* objectum Logicæ. Affirmant quidam, inter quos numerandus est P. Richardus Lynce (2). At vero communissima in omni schola sententia negat.

342. PROPOSITIO 1.a **Res secundum suum esse vel entitatem naturalem non sunt objectum formale directe ac per se consideratum a Logica.**

Res secundum entitatem suam physicam

Ita inter alios Toletus (3), Rhodes (4), Quiros (5), Arriaga (6), De Benedictis (7), Semery (8), et Lossada (9) cum Suarezio (10).

(1) Lossada, ib n. 23.
(2) *Phil. Schol.*, lib. 2, procem. *Dialect.* tract. 1, cap. 4.
(3) *Dialect.*, q. 5, concl. 5.ª
(4) *Philos. perip.*, lib. 1, disp. 1, quæst. 1, sect. 2, paragr. 1.°
(5) *Curs. Philos.*, tract. 2, pars prim. *de Log. procem.*, disp. 9, sect. 4.
(6) *Log.*, disp. 2, sect. 1.
(7) *Philos. perip.*, vol. 1, quæst. procem., cap. 5, paragr. 2, *Dico 1.°*,
(8) *Trienn. philos.*, disp. 1, q. 2, art. 5.
(9) *Log.*, tract. 1, disp. 2, cap. 3.
(10) Disp. 1 *Metaph.*, sect. 4, n. 27, seqq.

non sunt objectum Logicæ formale;

Prob. 1.° Auctoritate S. Thomæ: *Philosophia prima*, inquit, *est de communibus, quia ejus consideratio est circa ipsas res communes, scilicet circa ens et partes ejus. Et quia circa omnia, quæ sunt, habet negotiari ratio, Logica autem est de operationibus rationis, Logica etiam erit de his, quæ communia sunt omnibus, id est, de intentionibus rationis, quæ ad omnes res se habent.* **Non autem ita, quod ipsa Logica sit de ipsis rebus communibus, sicut de subjectis** (1).

Prob. 2.° Logica, utpote quæ ars directiva est, illud habet pro objecto suo proprio, in quod inducere debet formam rectitudinis per suas regulas. Atqui rectitudinem illam non inducit profecto in res ipsas, secundum suam naturam spectatas. Ergo...

In idem recidit hæc alia probatio. Logica est scientia practica, aut certe instar practicæ. Ergo habet pro objecto id, quod ab ipsa operabile est, et prout operabile. Atqui res ipsæ non sunt operabiles a Logica secundum earum naturalem entitatem. Ergo...

Prob. 3.° Si res forent objectum proprium Logicæ, ad eam spectaret agere de rebus omnibus. Atqui hoc falsum est. Primo, quia secus nemo esset bonus Logicus, nisi omnia nosset. Deinde Logica non esset una scientia a cæteris distincta, sed complexus omnium scientiarum.

Dices ad Logicam quidem spectare agere de omnibus, at parce, sobrie ac per summa capita; cæterarum vero scientiarum esse, ut res pertractent funditus et copiosius.

Resp. Si ad Logicam revera spectat naturas rerum investigare tamquam objectum proprium, non est, cur non possit, ac debeat jure suo de illis funditus et copiosius agere. Tum quia quævis scientia potest ac debet id facere respectu sui objecti proprii, ut constat inductione; tum quia rationes, ob quas adversarii parcam sobriamque rerum omniam tractationem Logicæ attribuunt, æque vindicant tractationem copiosam. Has namque afferunt illi rationes; primo quod notitia rerum omnium sit necessaria, ut intellectus vitet errores, quo tandem tendit Logica; deinde quod ea notitia

(1) S. Th. lib. 1.° *Poster.*, lect. 20, paragr. *d*. Cfr. Opusc. 1.um *de Universalibus*.

sit utilis ad expedite definiendum, dividendum et argumentandum. Atqui Logica multo magis cavebit errores, si penitiorem rerum habeat notitiam, quam si solum eas norit in communi, itemque expeditior profecto erit ad ratiocinandum de rebus, v. g. de Deo, de homine etc., si has substantias in particulari pertractet, quam si solum substantiam in genere. Ergo (1).

Logica itaque docet errores cavere, et expeditum reddit ad definiendum, dividendum, argumentandum, non investigando naturas rerum, sed præcipiendo regulas modosque, quibus in quavis materia rectæ definitiones, divisiones argumentationesque fiunt. Sicut Oratoria leges præscribit, normasque generales proponit, secundum quas apposite ad persuadendum quis loquatur. Materiam vero loquendi aliis scientiis relinquit, vel ex iisdem mutuatur, si quando exercitationes oratoriæ in scholis habendæ sunt.

343. PROPOSITIO 2.ª **Res secundum esse physicum spectatæ possunt dici objectum materiale saltem remotum vel mediatum, vel indirecte seu de obliquo attactum.**

posunt tamen dici objectum materiale.

Nam illud dici potest objectum materiale remotum, mediatum, vel indirecte seu de obliquo attactum, quod saltem mediante alio, quod proximum objectum est, attingitur. Atqui tales sunt res per respectum ad Logicam.

Nam Logica agit de operationibus intellectus, quatenus recte ordinantur ad assecutionem veritatis. Atqui res sunt objectum harum operationum.

Item Logica agit de generibus, speciebus etc. Atqui genera et species sunt naturæ reales certo quodam modo cognitæ. Ergo...

Item indirecte et in obliquo sæpe attinguntur res, ut cum dicis: *Definitio est oratio essentiam rei explicans*, quæ definitio, ad Logicæ objectum certe spectans attingit, saltem in obliquo, *rem* et *essentiam* (2).

---

(1) Cfr. Lossada, loc cit., n. 4.

(2) Cfr. Lossada, loc. cit., n. 15; Ulloa, *Log. Minor.*, disp. 3, cap. 1.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

344. **Objic. 1.°** In tractatu *de Prædicamentis*, qui apud omnes veteres cursus reperitur, directe et formaliter agitur de rebus secundum esse reale ac physicum ipsarum, nempe de *substantia, quantitate, qualitate, relatione*, etc.

Resp. *dist.* antec. Et in hoc tractatu Logica directe et ex proprio instituto investigat naturas rerum, prout sunt in seipsis, *neg.*, investigat illas in ordine ad prædicationem, prout nempe ordinabiles sunt secundum subjectionem et prædicationem, *conc.*

Et *neg.* conseq.

Sunt, qui tractatum *de prædicamentis* nullatenus esse logicum, sed metaphysicum contendant, ut videre est apud Toletum (1), Conimbricenses (2) et Lossada (3). Nihilominus concedi potest hæc etiam ad Logicam spectare, non tamen directe ac per se, sed in ordine ad prædicationes ac secundas intentiones, quæ per se pertinent ad Logicam. Ad rem Toletus: «Hæc omnia metaphysica sunt. Logicus autem ex his decem naturis decem modos prædicandi desumit, fundatos in his decem modis entis, ad quos omnis modus prædicandi pertinet, et reliquos desumit secundarum intentionum respectus. Ut quemadmodum ex cognitione metaphysica rei naturam cognoscimus, ita ex modis his prædicandi et aliis respectibus secundarum intentionum, primo unumquemque per se cognoscamus, et hinc postea singulas propositiones et quæstiones consequamur, an sit generis, an sit differentiæ et qualis, an accidentis hujus vel alterius; et possimus secundum varia prædicata cognitiones et cognoscendi modos definire, dividere, argumentari. At vero quia, ut superius dixi, non possumus hos modos cognoscere, quin aliqua facilis et confusa rei cognitio præmitteretur; optima ratione et consilio Aristoteles res ipsas proposuit, non sicut Metaphysicus earum inquirens naturam, sed supponens, ut varios modos prædicandi et cognoscendi super eas res fundatos

(1) *Dialect.* in procem. *in lib. Categoriarum.*
(2) In procem., *in lib. Categorias.*
(3) Loc. supra cit. n. 6.

eliceremus: quod ipse clare ostendit, dum definiens per prædicationem præcipue et aliis similibus rationis respectibus definivit. Semper enim substantiam per prædicationem explicat; et qualitatem dicit esse, secundum quam quales esse dicimur. Unde alia ratione hæc Metaphysicus, alia Logicus considerat» (1).

Objic. 2.° Logica intendit instructionem intellectus. Atqui ad hunc finem valde conducit non solum apparatus regularum, sed expositio etiam rerum ac distributio in varias classes, ut super his artificiose ratiocinetur intellectus. Ergo (2).

Resp. *dist.* Major. Logica intendit instructionem intellectus, mediis regulis ad ordinandos conceptus, *conc.*, media doctrina de rebus ipsis, *neg.*

Non negamus tamen utilem esse ad instructionem intentam a Logica aliquam dispositionem rerum, et propterea etiam Aristoteles res ipsas in prædicamentis aliquantulum declaravit. Sed non quidquid utile aut etiam necessarium est ad meliorem artis intelligentiam, debet ab ipsa directe ac per se considerari, sed potest etiam aliunde supponi, aut ex alia scientia desumi (3).

Objic. 3.° Logica considerat veritatem conceptuum. Atqui hæc partialiter consistit in esse physico rerum, cui debet intellectus conformari, ut veritatem assequatur. Ergo (4).

Resp. Logica considerat veritatem formalem seu conformitatem conceptuum cum rebus, quatenus ab arte dirigibilem. Non est autem dirigibilis ea conformitas secundum omnia sua constitutiva, sed secundum quod importat in recto dumtaxat, nempe secundum conceptum. Non enim dirigit Logica, aut dictat v. g., quod leo sit animal; sed aliunde supposito, quod sit, dirigit, ut judicium huic objecto conforme potius, quam difforme eliciatur. Sicut ars pictoria, quæ intendit imagines rerum exprimere, non dirigit, ut homo pro-

(1) Tolet., loc. cit.; Cfr. Conimbric., loc. cit.; Rub. *Breve* procem. in lib. *Categor.*; Sotus *In Prolegom. Prædicament.* concl. 3.ª; Suarez, disp. 1. *Metaph.*, sect. 4, n. 28 et 29.

(2) Apud Lossada, loc. cit., n. 8.

(3) Cfr. Lossada, ib. 9, 10.

(4) Apud Lossada, loc. cit., n. 8.

ductum nasum in facie gestet; sed supposito, quod ita est, dirigit, ut hominis quoque imago sit nasuta (1).

Objic. 4.° Juxta Aristotelem (2) et D. Thomam (3), Dialectica versatur circa omnia entia, deque rebus omnibus disputat.

Resp. *dist.* assert. Logica vere ac proprie talis eaque docens, de qua modo disputamus, *neg.*, Dialectica seu Logica *topica* et utens, *conc.* At usus præceptorum topicorum et applicatio ad disputandum de omni re, est aliquid accessorium ad Logicam (4).

Lege S. Thomam in locis citatis. Et plura vide, si lubet, apud Lossada (5) et apud Semery (6).

ARTICULUS III.

Utrum objectum formale Logicæ sint res prout cognitæ, vel secundum esse intentionale.

345. Exclusis vocibus ac rebus secundum esse physicum earum a ratione formalis objecti, videndum nunc est brevissime, quid dicendum sit de iisdem secundum quod cognitæ sunt. Illud enim quod cognoscitur, est aliquo modo, nempe intentionaliter et secundum suam similitudinem idealem, in intellectu cognoscente, et in hoc sensu dicuntur habere esse intentionale. Res porro, prout cognitæ vel secundum esse intentionale, vocantur etiam conceptus objectivi, et constituunt concretum quoddam logicum, coalescens ex realitate ipsa physica, quæ cognoscitur, tamquam ex materia vel subjecto, et ex actu cognitionis realis, tamquam ex forma. Quæritur ergo nunc, utrum conceptus objectivi, vel res

Declaratur sensus controversiæ.

(1) Lossada, ibid., n. 11.

(2) Lib. 4 *Metaph.*, cap. 2.

(3) S. Th., lib. 4 *Metaph.*, lect. 4, paragr. *b*, et lib. 1 *Poster.*, lect. 20, paragr. *l.*

(4) Cfr. Lossada, loc. cit. n. 13; et disp. 1.a cap. 2, n. 23 seqq.

(5) Loc. cit.

(6) Loc. cit., art. 6, 7.

secundum esse intentionale, vel secundæ intentiones objectivæ in concreto, nam hæc omnia idem significant, sint formale objectum Logicæ, saltem partiale.

Affirmant quidam (1), negant tamen communiter Auctores nostri (2).

346. PROPOSITIO. **Res secundum esse intentionale, seu secundæ intentiones objectivæ in concreto, non sunt objectum formale Logicæ.**

Res secundum esse intentionale non sunt objectum formale Logicæ.

Prob. 1.° Ut secundæ intentiones objectivæ in concreto essent objectum formale Logicæ, deberet hæc respicere formaliter in illis v. g. in *genere*, aut in *specie*, præter formam, ipsum subjectum seu materiam concreti illius. Atqui Logica non respicit formaliter subjectum illarum intentionum, v. g. *naturam animalis*, in genere, vel *naturam hominis*, in specie. Ergo...

Prob. Minor. *Natura animalis* v. g. vel *natura hominis* non attingitur a Logica propter se. Ergo neque formaliter ab ea respicitur.

Consequentia bona est; antecedens vero probatur.

Ut a Logica attingeretur per se natura animalis vel hominis, deberet habere aliquam formalitatem, quæ sit motivum capax logicæ considerationis. At nullam habet hujusmodi formalitatem. Quænam enim, quæso, illa est? Dicunt adversarii naturam animalis vel hominis habere intrinsecam capacitatem, ut artificiose cognoscatur, et hoc esse motivum, cur a Logica attingatur vel consideretur. Atqui capacitas hujusmodi non est sufficiens motivum. Primo, quia talis capacitas reperitur in omnibus et singulis formalitatibus rerum omnium possibilium, immo et impossibilium: quare Logicæ agendum foret de omnibus prorsus rebus ac formalitatibus illarum, id quod Logicam confunderet cum reliquis omnibus scientiis. Deinde capacitas illa est prædicatum transcendens, necessarium, non factile, nec dirigibile, nec pendens ab ullis regulis artis. Atqui nequit esse hujusmodi objectum Logicæ, quippe quæ, fatentibus etiam adversariis, aut est scientia

(1) Apud Lossada, *Logica*, tract. 1, disp. 2, cap. 6, n. 1.
(2) Apud Lossad., loc. nup. cit.

vere practica, aut certe practicæ similis in modo procedendi. Ergo... (1).

Dices: Licet Logica non respiciat naturam animalis vei hominis etc. seorsim, bene tamen ut convestitam forma cognitionis ita, ut uno ictu immediate feratur in cognitionem et rem cognitam, tamquam partes unius concreti.

Resp: Quamvis intellectus uno ictu totum attingat, si tamen ratio formalis et motiva attingendi non est ipsa entitas rerum, sed sola cognitio realiter ab illis distincta; ergo jam res ipsæ, ut summum, non sunt nisi objectum materiale proximum et intrinsecum. Non enim egreditur limites objecti materialis id, quod propter rationem formalem a se distinctam attingitur, ut patet in mysteriis Fidei v. g., quæ creduntur propter auctoritatem Dei revelantis; in charitate proximi, qui amatur propter Deum; in medicina, quæ sumitur propter amorem salutis etc.

Præterea cum dicunt adversarii rem cognitam respic prout est pars concreti, vel reduplicant aliquid extrinsecum rei entitati, nempe tendentiam cognitionis, vel solum aliquid intrinsecum, nempe intrinsecam aptitudinem, ut artificiose cognoscatur. Si primum eligant, entitas rei non est nisi materiale objectum, ut nuper dicebamus; sin alterum, valeat argumentum factum.

«Eodem dilemmate urgebis adversarios, quoties dicunt res physicas a Logica non considerari secundum se, sed cum respectu ad cognitionem, sive ut objicibiles, ut definibiles, ut enuntiabiles» etc., quemadmodum loquitur Quiros (2). «Nam respectus ille, illa objicibilitas, aut definibilitas, quam proponunt pro motivo considerationis logicæ, vel est quid intrinsecum rebus ipsis, vel est quid extrinsecum, in cognitione possibili aut existente consistens. Et quidquid optent, impugnatio redibit» (3).

Prob. 2.° «Ars pingendi, licet respiciat hominem ut pictum, illum unice respicit propter picturam sive imaginem;

---

(1) Cfr, Lossada, loc. cit., n. 3.

(2) *Curs. Philos.*, tract. 2, pars. 1.a de *Log. proœm.*, disp. 9, sect. 4, n. 44, seqq.

(3) Lossada, loc. cit., n. 4 et 5.

nec in hoc concreto *homo pictus*, aliud pro formali respicit nisi formam. Ergo pariter Logica, dum res considerat, ut artificiose cognitas.... Huc etiam faciunt exempla Rhetoricæ et Grammaticæ. Pari nempe jure Grammatica dici posset formaliter considerare res significatas vel significabiles, quo Logica res definitas vel definibiles. Ut enim Logica est ars definiendi, sic Grammatica est ars emendate loquendi de omnibus rebus. Nihilominus Grammatica solam respicit formaliter locutionem ut congruam» (1).

Et hanc videtur expressisse sententiam S. Thomas, vel quicumque sit auctor Opusculi secundi de *Universalibus*. *Impossibile est unam et eamdem scientiam determinare de Universali per se quantum ad illas duas naturas, quas includit; sed potius de uno per se, et de aliis per accidens. Ergo Logica,* **cum considerat universale, non considerat ipsum quantum ad naturam subjectam per se; non enim considerat hominem, in eo quod homo, sed in eo quod species, et sic de aliis animalibus. Et ideo Logica principaliter est de secundis intentionibus...** *Aliæ autem scientiæ considerant universale quantum ad rem subjectam; nam Philosophus naturalis non considerat corpus mobile in quantum genus, sed in quantum mobile corpus; et musica non considerat sonum in quantum accidens, sed in quantum sic* (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

347. **Objic. 1.°** Id est formale objectum partiale Logicæ, de quo verificantur aliqui actus Logicæ. Sed actus Logicæ non pauci verificantur de solis conceptibus objectivis, seu de objectis cognitione investitis. Ergo...

Prob. Min. Actus isti: *Genus est prædicabile de multis specie differentibus: Prædicatum propositionis affirmantis debet identificari cum subjecto; Definitio debet converti cum definito; In syllogismo extrema debent identificari cum medio*, et similes alii logici sunt; et tamen de solis objectis cognitioni substantibus verificantur, ut consideranti patebit. Hinc tota fere

(1) Lossada, loc. cit., n. 6.

(2) Inter opp. S. Th., *Opusc.* 56, editionis Romanæ jussu S. Pii V factæ.

Logica non tam est de actibus intellectus in semetipsis, quam de secundis intentionibus in concreto, seu de rebus ut a cognitione denominatis: tota siquidem est in explicandis genere, specie, differentia, subjecto, prædicato, medio, extremis etc., quæ nomina proprie conveniunt conceptibus objectivis, nec nisi improprie aptantur formalibus (1).

Resp. 1.° Hoc argumentum non «favet conceptibus objectivis secundæ intentionis, id est, concretis, aut denominationibus constitutis ex objecto et cognitione directa; neque enim denominatio generis est prædicabilis de inferioribus, nec denominatio subjecti identificatur cum denominatione prædicati, est sic de cæteris. Actus igitur illi verificantur de solo objecto extra animam specificative sumpto, connotata ut summum forma rationis ut mera conditione. Immo secundus et quartus, ut sonant, respiciunt rem prorsus independentem a forma rationis, nempe realem identitatem. Si ergo munus objecti formalis est verificare actus, plures erunt actus vere logici, qui solas res secundum esse physicum de formali respiciant ita, ut forma rationis ut summum sit conditio objectiva, quod tamen Auctores, quibuscum modo certamus, improbare videntur» (2).

Resp. 2.° *Negari* potest Major objecti argumenti. «Non enim semper quod verificat actum est illius objectum formale, quoties nimirum attingitur ob motivum seu rationem formalem realiter ab ipso distinctam. Sic, dum fide divina vel humana assentimur objectis alias ignotis, assensus isti verificantur de rebus creditis, cum tamen sola dicentis auctoritas sit eorum objectum formale» (3).

Resp. 3.° *dist.* Minor. Actus Logicæ non pauci verificantur de solis conceptibus objectivis, si accipiantur ut sonant, *conc.*, si explicentur ad intentionem Logicæ, *neg.*; et *neg.* conseq.

Ad probation. «Actus illi, si ad intentionem Logicæ explicentur, reddunt sensum hujusmodi: *Conceptus genericus talis esse debet, ut reddat naturam prædicabilem; Definitio et*

(1) Apud Lossada, loc. cit. n. 7.
(2) Lossada, loc. cit. n. 8.
(3) Lossada, ib. n. 9.

definitum formalia verificare debent de eodem subjecto; Subjectum et Prædicatum formalia repræsentare debent objecta realiter identificata; In syllogismo exprimi debet identitas realis extremorum cum tertio et inter se. Idem puta de cæteris. Sic autem explicati, proprie verificantur abs dubio de conceptibus formalibus, eosque directe respiciunt.»

«In idem recidit, quod alii dicunt, prædictos Logicæ actus, ut jacent, verificari de conceptibus formalibus, non *ut quod*, sed *ut quo*, non *in essendo*, sed *in repræsentando:* quamvis enim subjectum et prædicatum formalia non sint id, quod identificatur, tamen repræsentant objecta realiter identificata: et quamvis conceptus *animal* non sit, *quod* prædicatur, est id, *quo* redditur objectum prædicabile» (1).

Objic. 2.° Concreta *genus, subjectum, prædicatum* et similia, ad aliquam scientiam pertinent secundum omnes partes, quas involvunt. Sed non ad aliam, quam ad Logicam. Ergo... (2)

Resp. 1.° Non omne concretum seu denominatio extrinseca adscribi debet alicui scientiæ, ut patet in his: *amatum, visum, tactum, irrisum...*

Resp. 2.° «Ut ea concreta spectent ad Logicam, non debet utraque pars habere munus objecti formalis, sed sufficit, quod altera formaliter, altera materialiter, per actus logicos attingatur, ut accidit his concretis: *congrue significatum, ornate dictum, graphice expressum*, comparatione Grammaticæ, Rhetoricæ et Pictoriæ» (3).

Dices: Physica non solum formam, sed etiam materiam habet pro formali objecto.

Resp. *neg.* paritatem. Ratio enim, cur Philosophia naturalis et materiam et formam directe ac per se considerat, est quia utraque participat rationem entis mobilis, quæ est ratio formalis, sub qua tendit illa scientia.

Objic. 3.° Tractatus de *Anima* non solum agit de actibus intellectus et voluntatis aut sensuum, sed etiam de objectis eorum. Ergo idem dicendum est de Logica.

(1) Lossada, loc. cit. n. 10, apud quem vide solutas in n. 11, 21, instantias contra hanc solutionem factas.

(2) Apud. Lossad., ib. n. 13.

(3) Lossad., ib. n. 13.

Resp. quod attinet ad actus intellectus et voluntatis, *neg.*, quod de illarum potentiarum objectis formaliter tractet scientia de *Anima;* verum enim et bonum, quæ sunt earum objecta, pertinent ad metaphysicam considerationem.

Quod vero attinet ad objecta sensuum fateor ita esse; sed ratio est, quia illa objecta spectant ad considerationem naturalis Philosophiæ. Unde *neg.* paritatem.

Objic. 4.° Homo sic ordinatur ad Deum clare visum, ut non sola visio, sed etiam Deus ipse sit finis hominis. Ergo Logica sic ordinatur ad genus, speciem et alia concreta intentionalia, ut non sola cognitio, sed etiam res, quæ cognoscitur, sit ejus finis et objectum formale (1).

Resp. *neg.* paritatem. Quia Deus ipse, prout distinctus a visione, habet in se rationem ac motivum, cur sit finis hominis; at Logica cujus finis est artificium modi sciendi, in rebus extra animam non invenit rationem aut motivum, cur ab ipsa considerentur.

Addo etiam, si quippiam valeret paritas, argumentum probaret Logicam principalius ordinari ad res secundum esse physicum earum, quam ad cognitiones, quod est contra arguentem; immo probat Logicam ex professo versari circa prædicata intrinseca et specifica rerum omnium; quare Logicus omnia tractare debebit, omniaque scire.

Dices, idem incommodum sequi, si objecta cognitionum, saltem pro materiali, respiciantur a Logica. **Sed respondeo** materiale objectum non discuti ex professo a scientiis, sed solum quantum exigit necessitas objecti formalis; artificium autem, quod est objectum formale Logicæ, quatenus ab ejus regulis generalibus dictatum, plerumque non exigit notitiam rerum, nisi obviam et generalem (2).

Objic. 5.° Omne id, de quo scientia disputat, est ejus formale objectum. Sed Logica ex professo disputat de conceptibus objectivis, saltem in quæstione præsenti. Ergo (3).

Resp. Objectio probat etiam id omne, de quo disputatur, an sit formale objectum, reipsa esse, quamvis evidenter

(1) Ita P. Lynce apud Lossada, loc. cit., n. 14. Conf. 2.a
(2) Lossada, loc. cit., n. 16.
(3) Ita iterum P. Lynce apud Lossada, loc. cit., n. 14.

otendatur pars negativa: quod est mirabile. Formale igitur objectum Logicæ illud est, cujus ipsa naturam et proprietates directe investigat; non vero illud, de quo tantum quærit, an objectum sit, ut maturius, et velut cognita causa, declaret spurium, et abjiciat: hoc enim solum attingitur, et, si velis, formaliter, per actus reflexos speculativos, qui non proprie, sed reductive pertinent ad Logicam (1).

Plura lege, si lubet, apud Lossada.

ARTICULUS IV.

Utrum objectum formale Logicæ sit ens rationis et secundæ mentis intentiones.

348. Ut quæstionem salebrosissimam nec sine maximo animorum æstu agitatam exponamus, oportet prius perspicue terminos intelligere sententiarumque varietatem aperire. Intentio generatim importat actum intellectus, et duplex distinguitur: *prima* et *secunda*. Prima est cognitio directa repræsentans objectum secundum esse physicum; secunda vero est cognitio reflexa habens pro objecto rem, prout jam prævie cognitam vel secundum esse derivatum ab intellectu. At sicut conceptus duplex distinguitur *formalis* et *objectivus;* ita etiam intentio sive *prima* sive *secunda*, altera est formalis, altera objectiva. Prima et secunda intentio formales sunt istæ, quæ modo descriptæ sunt. Prima autem intentio objectiva est objectum primæ intentionis formalis, nempe res illa, quæ terminat primam intentionem formalem; et secunda intentio objectiva similiter est illud, ad quod terminatur secunda intentio formalis, nempe res secundum esse derivatum ab intellectu.

Aperitur status quæstionis. Quid intentio

intentio prima, secunda,

formalis et objectiva.

Hæc, quæ jam alibi declarata sunt, exemplo illustrari possunt. Cognitio ita repræsentans *hominem* cum sua reali natura est prima intentio formalis; physica vero ac realis natura hominis est prima intentio objectiva. Quod si intellectus supra naturam hominis *sic cognitam* reflectatur, reperiet eam præcisam atque abstractam ab omnibus differentiis

(1) Lossada ib., n. 17.

individuantibus cum quibus natura humana inest in Petro, Paulo etc., et prout sic abstractam videt esse quodammodo unam atque uniformiter prædicabilem de Petro, Paulo etc. Et hujusmodi unitas constituit universale logicum. Mens igitur ita reflectens format hosce conceptus: *Humanitas abstracta, prædicabilis de multis, universalis, species:* qui omnes sunt totidem intentiones secundæ formales, et objectum hisce conceptibus respondens, nempe *humanitas abstracta,* etc. sunt secundæ intentiones objectivæ (1).

Quare secunda intentio objectiva si in concreto spectetur. duo involvit, pro materiali naturam realem, quæ fuit objectum primæ intentionis formalis, et formam seu denominationes provenientes ex modo illam intelligendi, seu affectiones proprias illius esse intentionalis derivati ab intellectu abstracte ac præcise illam concipientis. Tales sunt *universalitas,* ratio *generis* seu *generitas*, ratio *speciei, subjectio, prædicatio, definitio* etc., nam istæ affectiones aut proprietates non conveniunt rebus secundum suum esse reale, sed solum secundum suum esse intentionale, seu prout certo modo cognitæ sunt.

«Forma autem ista, saltem eo sensu, quo intenditur a Logica, nihil est aliud juxta nostros Auctores, quam cognitio directa, quæ dicitur prima intentio formalis; hæc enim pro varietate sui modi tendendi præstat formaliter objecto denominationes *generis, prædicati, definiti*,» etc.

«Porro denominatio dicitur *extrinseca,* dum provenit a forma non inhærente subjecto, sed alibi existente; ut cum a visione, cognitione, dilectione in te existentibus denominatur alter *visus, cognitus, dilectus*. Dicitur vero *intrinseca*, dum est a forma, quæ subjecto inhæret; ut cum tu ipse denominaris *videns, cognoscens*, vel etiam *albus*, aut *calidus*.»

«Secunda ergo intentio in concreto est denominatio extrinseca, cujus materia est objectum externum, et cujus forma est cognitio inhærens, non objecto, sed intellectui, cognitio, inquam, illa, quæ in ordine ad suum objectum est prima

(1) Vide de his S. Thom., Opusc. de *Natura Generis*, cap. 15; et Opusc. 2.° de *Universal.*; et Auctor. *Summ. totius Logicæ Aristot.*, tract. 1, cap. 1.

intentio formalis; hæc enim ipsa in ordine ad cognitionem reflexam, est secunda intentio objectiva in abstracto, seu forma secundæ intentionis in concreto» (1).

Sententia nostrorum auctorum.

Hæc in sententia Nostrorum, qui consequenter censent ipsos formales actus intellectus nostri secundum propriam rectitudinem esse objectum formale Logicæ, ut mox videbimus.

Sententia Thomistarum objectum Logicæ in ente rationis reponentium.

349. At longe aliter opinantur Thomistæ, qui communiter contendunt objectum formale Logicæ in ente rationis reponendum esse. Quod ut intelligas,

Ens rationis tripliciter dici potest: effective, subjective, objective.

Nota ens rationis, prout alibi explicabitur, trifariam accipi posse: *effective*, aut *subjective*, *denominative*, et *objective*. Ens rationis effectivum seu subjectivum est ens, quod a ratione efficitur, in eaque tamquam in subjecto recipitur: quo sensu omnes actus intellectus entia rationis appellari possunt. Ens rationis denominative sumptum, sunt denominationes ab actibus intellectus in objectum derivatæ; et hoc pacto *esse cognitum*, *definitum* etc. vocantur entia rationis, nempe denominativa. Hæ tamen duæ acceptiones entis rationis minus propriæ sunt; et ens rationis simpliciter dictum, intelligitur ens rationis objectivum.

Ens ergo rationis objective sumptum, est illud, quod habet esse objective tantum in intellectu. Tale ens est pure objectivum seu fictum, quod proinde neque est extra intellectum, nec esse potest, sed tantum habet esse objectivum in intellectu, quia illud sibi objicit intellectus ut ens, et cognoscit quasi ens, cum revera non sit ens sive existens, sive etiam possibile. Itaque quando quæritur num ens rationis sit objectum formale Logicæ, intelligitur hujusmodi ens rationis, videlicet *objectivum*.

Ens rationis objectivum potest esse cum vel sine fundamento.

Sed adverte adhuc hoc figmentum entis, seu ens rationis, posse esse vel sine fundamento vel cum fundamento conflatum ab intellectu: primum genus vocatur *ens rationis ratiocinantis*, et sub se complectitur chimæras, ut *equus rationalis*, *circulus quadratus* etc. Alterum vocatur *ens rationis ratiocinatæ*, quia fingitur cum aliquo fundamento vel occasione ab ipsis rebus præbita, dividique solet in *negatio-*

(1) Lossada, *Logic.*, tract. 1, disp. 2, cap. 4, n. 3.

nem, *privationem* ac *relationem rationis*, quia nempe omnes hujusmodi fictiones entis vel fiunt concipiendo carentias (negationes vel privationes) per modum formæ aut affectionis objecti positivæ, vel ibi fingendo relationem, ubi nulla est.

Jam entia rationis, quæ vulgo *logica* dicuntur, non sunt ex communi sententia negationes nec privationes instar formarum positivarum conceptæ; sed entia rationis *logica* dicuntur denominationes ab operationibus intellectus resultantes, vel denominationes certum modum rem considerandi consequentes, quales sunt ratio *subjecti*, *prædicati* etc.; vel si mavis rem in concreto declarare, sunt ipsæ res cognitæ prout certo quodam modo denominatæ ob modum, secundum quem considerantur, ut *subjectum*, *genus*, *species* etc. Hæc vero dicuntur entia rationis logica, quia sola hæc cadunt sub considerationem Logicæ.

Thomistæ reponunt objectum Logicæ in ente rationis objectivo; variant tamen nonnihil in modo rem explicandi.

Thomistæ ergo unanimiter censent objectum formale adæquatum Logicæ esse ens rationis objectivum, quamquam non omnes eodem modo rem explicent. «Quidam enim illorum dicunt, objectum Logicæ esse ens rationis in tota sua latitudine, ut abstrahit a privatione, negatione, et relatione,» quam sententiam refutat Toletus (1). «Alii vero dicunt esse solam relationem rationis, ut abstrahit a prima et secunda intentione» (2). Verum omissis his aliisque modis dicendi, qui etiam a posterioribus Thomistis deseruntur, sententia est inter hos celebris, constituens objectum formale Logicæ in ente rationis, quod sit artificium vel forma artificialis resultans in materia Logicæ ex regulis ejus. Quæ tamen sententia bifariam exponitur, ac defenditur.

Modus quorumdam gravium auctorum, pro ente rationis subjective in actibus spectato pugnantium

Primus modus est eorum, qui agnoscunt materiam seu objectum materiale Logicæ esse formales actus intellectus, formam vero seu rationem, sub qua Logica eos considerat, dicunt esse artificium ac rectitudo vel ordinatio ipsorum, quæ tamen sit quoddam ens rationis ex directione ac regulis Logicæ in iisdem resultans. Aliis verbis, hi auctores sentiunt actus mentis, ut in seipsis artificiosos, esse objectum formale

(1) *Dialect.*, *De Dialectica in communi*, quæst. 5.a, conclus. 3.a
(2) Apud Lossada, loc. cit. cap. 4, n. 6.

Logicæ, ita tamen ut forma artificii, qua actus constituuntur recti, non sit realis, sed ens quoddam rationis. Hanc tuentur opinionem Cosmas de Lerma (1), Sanchez et Martinez de Prado (2), quibus subscribere videtur a nostra Societate P. Antonius Rubius (3).

modus communissimus inter Thomistas, ens rationis in objecto actuum consideratum tuentes.

Alii vero censent, artificium in rebus ipsis cognitis resultans ex modo cognoscendi esse formale objectum Logicæ, nempe formas constituentes secundam intentionem in concreto, seu rationes *generis*, *speciei*, *subjecti*, *prædicati*, etc. secundum quam ordinare conceptus objectivos docet Logica. Et quoniam istæ formæ non habent ullum esse reale, ideo Logica dicitur sectari tamquam formale objectum ens rationis. Unde secundum hunc modum explicandi actus intellectus non sunt materia denominabilis ab artificio, quod Logica formaliter contemplatur, sed res ipsæ cognitæ, quibus conveniunt rationes *generis*, *speciei*, *subjecti*, etc. Actus vero intellectus sunt materia pure dirigibilis, quia nempe illi ex directione Logicæ inducunt in objectis intellectis artificium, quod hæc scientia formaliter contemplatur, quatenus ex certo modo cognoscendi resultant in illis entia rationis, sicut actiones fabri ex directione artis inducunt formam artificialem in rebus externis. Hanc sententiam tuentur Joaannes a S. Thoma (4). Complutenses (5) aliique plurimi Thomistæ (6), quibus e nostra Societate videntur adhærere PP. Toletus (7) et De Benedictis (8). Pro hac quoque sententia laudatur S. Thomas, qui non uno in loco scripsit quædam eidem multum faventia (9).

---

(1) *Log.*, lib. 1.° *de Proœmialibus*, quæst. 9.

(2) Apud Lossada, loc. cit.

(3) *Logic.*, quæst. 6 proœm.

(4) *Log.*, secund. part. quæst. 1, art. 3.

(5) *Log.* Disp. 1 proœm., q. 2.

(6) Apud eosdem Complutens., et apud Lossad., loc. cit., n. 7.

(7) *De Dialect in communi*, quæst. 5, *concl.* 4.

(8) *Philos. perip.*, vol. 1, quæst. proœm., cap. 5, paragr. 2, *Dico* 4.°

(9) Vide lib. 1.um *Poster.*, lect. 20, paragr. *d.*; lib. 4. *Metaphys*, lect. 4, paragr. *b*; Opusc. 2.° de *Universal.*, paulo ante med.; Opusc. *de Trinit.*, *sup. Böet.*, quæst. ult. art. 1, ad 3.um etc.

Contra vero nostri auctores fere omnes cum Eximio Doctore (1), Fonseca (2), Conimbricensibus (3) aliisque negant ens rationis pure objectivum esse objectum formale Logicæ, sed volunt objectum formale esse actus intellectus artificiosos recteque dispositos cum artificio ac rectitudine sibi propria, quæ sit non ens rationis, sed aliquid reale ac realiter indistinctum ab ipsis formalibus actibus intellectus.

Sententia nostrorum auctorum.

In quo sit cardo totius contraversiæ.

Totus ergo cardo controversiæ inter Thomistas et nostros Auctores in hoc est, utrum Logica formaliter ac prius consideret conceptus objectivos vel rationes cognitas secundum illas denominationes derivatas ex modo intelligendi, quales sunt ratio *generis*, *subjecti*, *prædicati*, etc. quæ dicuntur secundæ intentiones in abstracto, nihilque realitatis important in ipsis rebus cognitis, an vero potius consideret formaliter ipsos actus formales intellectus secundum artificium reale ac rectitudinem sibi propriam et intrinsecam.

In hac controversia, cujus longe majorem esse judico difficultatem, quam utilitatem, ego proponam rationes utriusque partis, ac dein, quid mihi verisimilius videatur, indicabo.

§ I.—SENTENTIA THOMISTARUM, PRO ENTE RATIONIS OBJECTIVO IN IPSIS REBUS CONSIDERATO PUGNANTIUM.

Rationes in favorem sententiæ Thomistarum, ens rationis objectivum tuentium: prima, auctoritas S. Thomæ.

350. **Probatur** 1.° Auctoritate S. Thomæ, ex quo varia producuntur testimonia: α) Ex *Proœmio* in libros *Ethicorum*, ubi plures ordines considerantur tamquam objecta diversarum scientiarum, et dicitur *ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu pertinere ad rationalem Philosophiam*, seu Logicam, nempe *ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem et signa conceptuum, quæ sunt vocis significativæ* (4). Verum hoc testimonium videtur multo magis favere contrariæ sententiæ: quare miratur Lossada (5) illud a Thomistis in suum favorem allegari.

(1) Disp. *Met.*, 54, in principio.
(2) *Metaph.*, lib 2, cap. 3, q. 1, sect. 3 et 5.
(3) *Dialect.*, q. 5, proœm. art. 2.
(4) Hunc locum alibi nuper produximus.
(5) Loc. cit., cap. 4, num. 32.

β) Ex lib. 1.° *Poster.* lect. 20, ubi hæc habentur: *Quia circa omnia quæ sunt, habet negotiari ratio, Logiça autem est de operibus rationis, Logica etiam erit de his, quæ communia sunt omnibus, id est, de intentionibus rationis, quæ ad omnes res se habent.* Tales autem intentiones sunt ratio *generis, speciei, subjecti* etc.

γ) Ex libro 4.° *Methaphysicor.* lect. 4, ubi: *Ens est duplex,* inquit, *scilicet ens rationis et ens naturæ.* Ens autem rationis proprie dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei *et similium; quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur. Et hujusmodi scilicet ens rationis est proprie subjectum Logicæ* (1).

Alia etiam testimonia producuntur ex S. Thoma in patrocinium hujus opinionis (2).

Prob. 2.° eadem Thomistarum sententia ratione. «Omnis realitas, quæ inveniri potest in objecto Logices, vel est actus intellectus, a quo denominantur res cognitæ, vel est res intellecta et repræsentata, vel aliquid reale superadditum et accrescens conceptibus ex ordinatione Logicæ. Duo prima secundum suam realitatem solum pertinent ad objectum materiale Logicæ, quia de rebus cognitis, ut res sunt, agunt scientiæ reales, et de conceptibus, etiam ut sunt reales perfectiones intellectus, agit Philosophia. Solum ergo de illis, quatenus ordinatis artificioso modo, formaliter agit Logica. Et quod accrescit ex ordinatione Logicæ, vel est sola denominatio extrinseca, qua res redduntur cognitæ; et hoc naturaliter ad cognitionem consequitur, non est autem aliquid artificiosum, quod per se respicit Logica, quia est ars scientifica. Debet ergo esse aliquod artificium conveniens objectis non in re, sed ut cognitis; et si convenit rebus ut cognitis, constat esse aliquid rationis, quia convenit illis, non ut sunt

Secunda ratio.

(1) Hunc locum de ente rationis non pure objectivo, sed de subjectivo ac denominativo interpretandum esse contendit P. Lossada (loc. cit. cap. 5, n. 11-15) cum aliis auctoribus Societatis.

(2) Vide v. g. Opusc. de *Natura Generis*, cap. 4; Opusc. 2.um *de Universalib.*; Opusc. *de Trinit, sup. Böet.*, quæst. 6, art. 1 ad 3.um

in re, sed ut sunt cognitæ; neque enim invenitur in re relatio *generis* aut *speciei*» etc.

«Quod vero accrescit ipsis actibus intellectus ut ordinatis per Logicam, non potest esse aliud, quam realis tendentia, vel ordo ad objecta cognita et ordinata per intentiones logi, cas; nam quidquid aliud in conceptu ponatur, præter ordinem istum ad objecta sic ordinata, non est aliquid reale. Et ex hoc illi conceptus et actus dicuntur ordinati a Logica, quia versatur circa objecta cognita, quæ sic ordinata sunt; sicut conceptus non dicitur *genus* aut *species*, aut *prædicatum* aut *subjectum*, nisi quia attingitrem, quæ est genus, vel species aut prædicatum, etc. Ista autem tendentia et repræsentatio circa objecta sic intentionata, sine dubio realis forma et perfectio est, sicut etiam ipse habitus scientiæ, qui eadem objecta respicit, realis qualitas et scientia est, sed non est id, quod per se et formaliter respicitur a Logica; tum quia isti actus et conceptus non dicuntur ordinati, nisi quia objecta, circa quæ versantur, ordinata sunt; atque adeo si ordinatio in ipsis rebus cognitis est aliquid rationis, etiam denominatio ab illa proveniens in actus non addit novam realitatem. Tum etiam quia hoc ipsum quod Logica proponit aliis scientiis conceptus objectivos per intentiones Logicas ordinatos sine alio reali influxu, illas dirigit, sicut aliæ artes architectonicæ, quæ dirigunt inferiores, non habent pro objecto formali actus inferiorum artium, quas dirigunt, sed objectum quod respiciunt, per cujus propositionem redduntur aliæ inferiores directæ... Similiter Logica cum reliquas scientias ordinet, et illuminet quantum ad modum artificiosum discurrendi, non habebit pro objecto formali ipsos actus aliarum scientiarum ratione tendentiæ et ordinis realis ad objecta sua ordinata; sed illud, quod in objecto cognito speculatur Logica, et aliis scientiis proponit sequendum, id erit objectum formale ipsius, quæ utique ordinatio objectorum secunda intentio est.» Ita Joannes a S. Thoma (1).

---

(1) *Log. secund. part.*, q. 1, a. 3. *Fundamentum conclusionis est;* et ibidem respondetur quibusdam instantiis, contra hoc argumentum factis.

Tertia ratio.

Prob. 3.° Tres sunt objecti formalis adæquati conditiones ex S. Thoma (1): α) «quod contineat omnia, quæ tractantur in scientia, ita ut ad ipsum revocentur omnia, vel tamquam principia, vel tamquam partes, vel tamquam species vel proprietates ejus: β) quod sit id, de quo potissima cura est in tali scientia, et de quo (si aliqua fuerint) tradantur præcepta: γ) quod sit id, per quod talis scientia distinguitur a qualibet alia» (2). Atqui tres hæ conditiones locum habent in ente rationis respectu Logicæ, non vero in ente reali. Ergo...

Minor Probatur quoad α). Ens rationis prædicatur fere de omnibus, quæ in tota Logica tractantur; reliqua vero ad ipsum reduci possunt, vel tamquam partes, vel principia vel species. Sane hæ sunt veræ prædicationes: *Universale est ens rationis; Genus, species, differentia* etc. *sunt ens rationis: Univocum, analogum, prædicamentum, propositio, æquipollentia, antecedens, inductio, syllogismus, figura* etc. *sunt entia rationis*. De intellectu autem et ejus actibus non disputat Logica, nisi secundum quod sunt principia et causæ, ex quibus dictæ intentiones resultant. Reliqua vero, ut substantia, qualitas et aliqua prædicamenta, quæ in Logica tractari solent, revera ad ipsam non pertinent, secundum quod sunt partes entis realis (3).

β) Neque vero obiter de hujusmodi entibus rationis aut propter aliud agit Logica, sed ex professo et per se.

γ) Denique per ens rationis, non vero per ens reale distinguitur Logica a cæteris scientiis. Neque aliter distingui posset. Nam si objectum reale contemplaretur, illud esset abstractum vel a materia dumtaxat singulari, vel etiam a sensibili, vel præterea ab omni prorsus materia etiam intelligibili; nec enim est possibile objectum habens alium gradum abstractionis. Atqui objectum abstrahens a materia dumtaxat singulari spectat ad Physicam; abstrahens a sensibili, ad Mathesim; abstrahens demum ab intelligibili, ad Metaphysicam.

---

(1) S. Thom., Prolog. in libr. *Sententiarum* art. 4.

(2) Complutens., disp. 1, procem. q. 2, n. 11.

(3) Complutenses loc. cit., n. 19. De quo cfr. Lossada, loc. cit., c. 5, n. 21 et 25 seqq.

Ergo si Logica formaliter respiceret objectum aliquod reale, non posset ab aliis scientiis distingui. Ita Complutenses (1).

Quarta ratio. **Prob. 4.°** In qualibet scientia dantur principia prima, objecti illius scientiæ propria, ex quibus procedit ad concluclusiones de objecto illo demonstrandas. Ergo si objectum scientiæ reale est, principia quoque illius realia sint oportet. Atqui Logica non habet aliqua prima principia realia, ex quibus procedat ad suas conclusiones de objecto proprio demonstrandas. Nam tota ars syllogistica innititur in principiis *Dici de omni* et *Dici de nullo* et in principio identitatis. Similiter ars definiendi et dividendi innititur intentionibus generis, differentiæ, speciei, et similibus: quæ omnia constat esse entia rationis. Ergo principia, ex quibus procedit Logica sunt intentiones rationis ac proinde tale quoque erit objectum ejus. Ita iterum Complutenses (2).

Quinta ratio. **Prob. 5.°** Consideratio rationis se extendit ad omnia, de quibus ens reale prædicatur, docente Aristotele (3) et S. Thoma (4), et sic assimilatur Metaphysicæ. Debet ergo illa considerare sub aliqua ratione formali, quæ in omnibus illis reperiri possit. Atqui ultra prædicata seu rationes reales, rebus omnibus communes, quæ sunt objectum Metaphysicæ, nullæ aliæ dantur rationes, quæ conveniant omnibus entibus, nisi secundæ intentiones seu prædicata rationis. Ergo ratione illarum considerat Logica omnia entia, ac proinde ipsæ erunt objectum formale ejus.

Hoc quoque argumentum faciunt Complutenses (5), de quo videri potest Lossada (6). Plura dabunt alii Auctores, ac nominatim Lossada in objectionibus, quas sibi proponit ac solvit (7). Sententiam vero hanc fuse impugnatam vide si vacat, apud Lossada (8).

---

(1) Loc. cit., n. 19 et 18, *Confirmatur primo*. De hoc ultimo argumento vide Lossada, loc. cit., cap. 5, n. 7, 8.

(2) Loc. cit., n. 20.

(3) Arist., lib. 4 *Metaph.*, cap. 2; et lib. 1 *Poster.*, cap. 8.

(4) S. Thom., lib. 4 *Metaphys.*, lect. 4.

(5) Loc. cit., n. 18.

(6) Loc. cit., cap. 5, n. 9.

(7) Loc. cit., toto cap. 5.

(8) Loc. cit., cap. 4, a. n 15, ad finem usque.

§ II.—SENTENTIA THOMISTARUM PRO ENTE RATIONIS IN IPSIS ACTIBUS SPECTATO PUGNANTIUM, SEU ARTIFICIUM ACTUUM, QUOD LOGICA CONTEMPLATUR, FORMALITER IN ENTE RATIONIS REPONENTIUM.

Rationes Thomistarum pro ente rationis in actibus spectato pugnantium:

Prob. 1.° «Logica habet pro objecto operationes intellectus, quas dirigit, ut per directionem constituat ex eis syllogismum aut aliud instrumentum. Ergo materiale objectum sunt operationes reales, formale vero directio aut ordinatio earum, per quam constituunt talia instrumenta. Sed ordinatio est relatio rationis. Ergo objectum formale est ens rationis.» Ita P. Antonius Rubio (1). prima,

Prob. 2.° «Ex activa directione Logicæ necessario pullulat, seu consurgit in actibus directis forma rationis, quæ est secunda intentio et ultima forma artefacti logici» (2). secunda,

Prob. 3.° «Actus intellectus secundum realem tendentiam sunt actiones artificis, quibus Logica suum construit artefactum. At artificium seu forma artificialis consistere nequit in actionibus artificis aut artis, sed semper est aliquid distinctum et inde pullulans» (3). tertia,

Prob. 4.° Forma syllogismi in *Barbara* est ejus dispositio in figura et modo. Hæc autem dispositio est quid rationis, quia nihil ponit in conceptibus, siquidem ex iisdem invariatis construi potest alius syllogismus in alio modo et figura» Ita Araujo (4). quarta.

De vi harum rationum videri potest Lossada (5).

§ III.—SENTENTIA REPONENS OBJECTUM FORMALE LOGICÆ IN ARTIFICIO REALI VEL RECTITUDINE PROPRIA OPERATIONUM INTELLECTUS.

Sententia auctorum Societatis

352. Ut melius percipiatur doctrina hæc inter Auctores Societatis communissima, prius declarandi sunt termini, declaratur amplius.

(1) *Logic.*, quæst. 6.ª procem., n. 24, conclus. 1.ª Cfr. Lossada, loc. cit., cap. 4, n. 11.

(2) Ita Araujo et Prado, ex Lossada, loc. cit., n. 12.

(3) Vide apud Lossada, loc. cit., n. 13.

(4) Apud Lossada, loc. cit., n. 14. Cfr. c. 7, n. 18, *Objic.* 2.ª et n. 21.

(5) Loc. cit. cap. 4, n. 11, 15. Cfr. omnino etiam, quæ disputantur cap. 7, a. n. 16 ad n. 25.

videndumque, in quo consistat rectitudo et artificium illud, ratione cujus actus intellectus dirigi possunt a Logica. Nec vero quis scrupulum moveat ex eo, quod Logica non actus mentis, sed ipsam mentem dirigat. Nam licet Logica solam mentem dirigat, quatenus hæc vox idem sonat, ac *instruere* vel *edocere*, tamen vere etiam actus dirigit, quatenus hæc vox significat *dictare* vel *regulare*.

Directio duplex, activa et pasiva.

Itaque directio duplex distingui solet *activa* et *passiva*. Directio activa est ipsa regula artis; directio passiva est ordinatio vel rectitudo, quam regula dictat in opere faciendo. Utraque spectari potest vel in actu primo vel in actu secundo. Activa directio in actu primo, quæ vulgo, licet improprie, dicitur dirigibilitas activa, est aptitudo regulæ ad dirigendum. Activa vero directio in actu secundo est ipsa regula, ut actu dirigens sive prælucens ad operandum. Ex adverso passiva directio in actu secundo est rectitudo operis, ut facti cum attentione ad regulas; passiva directio in actu primo est aptitudo seu dignitas operis, ut ab arte dictetur, et approbetur, et vocatur etiam dirigibilitas passiva.

Dirigibile subjective et objective.

Observa tamen adhuc bifariam aliquid posse esse arte dirigibile, *subjective* et *objective*. Dicitur subjective dirigibile illud, quod postquam existit, est subjectum indifferens, ut recipiat vel non recipiat formam artificiosam; quo pacto ligna et lapides dirigibilia sunt ab architectura. Hujusmodi dirigibilitati per quamdam analogiam comparatur indifferentia rationis, quam habent prædicata communia, ut contrahantur per differentias specificas recte vel vitiose. Dicitur vero dirigibile objective, quod essentialiter est rectum, indifferens tamen, ut existat vel non existat; ideoque ab arte dictatur ejus existentia potius, quam actus oppositi: quare non est subjectum, cui ars perfectionem superaddat, ut est marmor respectu artis sculptoriæ, sed est ipsamet perfectio, quæ præconcipitur ab artifice, et regulis objicitur ut digna, quæ actu ponatur. Sic a Fide dirigibilis est amor Dei super omnia, non quia Fides dictet, ut amor alterius objecti fiat amor Dei, sed quia dictat, ut actus, quem præconcipit esse amorem Dei, eliciatur potius, quam alius amor. Hoc modo actus intellectus in specie dirigibiles sunt a Logica. Hæc ergo objectiva dirigibilitas idem est ac directio passiva in actu primo, vel intrinseca

rectitudo, quæ artis regulis objicitur ut factibilis, et vocari etiam solet *artificium* fundamentale.

Nam vox *artificium*, ut etiam *artefactum*, stricte sumpta connotat artis directionem; quare idem sonare videtur ac opus *actu directum, regulatum, positum cum advertentia ad regulas artis*, vel habens directionem passivam in actu secundo. Importat ergo formaliter denominationem extrinsecam a prælucente regula ut a forma. Et hæc denominatio dicitur *artificium formale et extrinsecum*. Quod si præcise consideretur intrinseca rectitudo operis ex se digna, quæ ab arte dictetur, sic dicitur *artificium fundamentale*. Sic actus *animal rationale* elicitus ab ignaro Logicæ, vel sine attentione ad regulas, non est formaliter extrinsece artificiosus, cum non dirigatur ab arte prælucente; est tamen intrinsece et fundamentaliter artificiosus, quia habet totam rectitudinem, quam præscriberent regulæ bene definiendi, si actu adhiberentur. Artificium et artefactum.

Verum quia passim *artificium* simpliciter dictum sumitur pro intrinseco, seu pro rectitudine ista; idcirco actus ille, sicut est formaliter ac plene rectus, ita est formaliter ac plene artificiosus, quamvis ab arte non prodeat hic et nunc. Atque hoc sensu accipitur in præsenti quæstione *artificium*, prout videlicet idem est ac passiva directio in actu primo, seu dirigibilitas objectiva; vel clarius, prout est idem ac rectitudo ex se digna labore artis, et quam ars præcipit, dum adest (1).

Hisce prænotatis, sententia est communissima inter nostros Auctores, statuens actus ipsos formales cognitionis, eosque prout recte et artificiose disponendos, esse objectum formale Logicæ ita, ut rectitudo vel artificium sit ratio formalis *sub qua* Logica operationes intellectuales contemplatur. Certum namque est operationes intellectuales secundum naturam suam spectatas pertinere ad considerationem scientiæ *de Anima*. Sententia Societatis.

At quoniam operationes intellectuales tres sunt, simplex apprehensio, judicium et discursus, est aliqua varietas inter patronos hujus sententiæ in judicando, num omnes illæ tres Aliqua discrepantia in modo rem explicandi.

(1) Omnia hæc fere ad verbum desumpta sunt ex P. Lossada, loc. cit., disp. 2, cap. 7, *Quid est artificium actus intellectus*, n. 13-16.

operationes sint formale objectum Logicæ. Nam P. Hurtadus negat simplicem apprehensionem esse arte dirigibilem: unde consequenter eam excludere debet a ratione formalis objecti Logicæ (1). Alii vero secundam dumtaxat operationem volunt esse formale Logicæ objectum adæquatum, alii autem solam tertiam, alii primam ac tertiam, seclusa secunda, alii primam et secundam (2). Alii demum reponunt objectum formale adæquatum Logicæ in tribus prædictis operationibus intellectus; quæ est communissima nostratum sententia (3). Horum doctrinam sequens complectitur

Sententia communissima

353. PROPOSITIO. **Objectum formale adæquatum Logicæ sunt tres operationes intellectus secundum artificium sibi proprium, seu prout recte instituendæ.**

fulcitur rationibus.

Ut autem propositio hæc probetur, duo demonstranda sunt: α) Tres operationes esse objectum formale adæquatum, non vero partiale dumtaxat: β) easdem esse objectum adæquatum secundum rectitudinem et artificium proprium.

Prob. α). Nam ut aliquid sit objectum adæquatum scientiæ cujusvis, requiritur, ut omnia quæ disputat ea scientia, ad illud revocentur, ut secundum omnes suas partes ab illa tractetur, utque nihil aliud præterea veniat secundum se in considerationem ejusdem scientiæ. Atqui tales sunt tres mentis operationes respectu Logicæ. Nam quidquid Logica directe considerat, ad illarum directionem spectat, nec aliud præter easdem respicit tamquam formale objectum, non voces, non res, sive secundum esse physicum, sive secundum esse intentionale consideratas, nec ens rationis objectivum. Ergo tres illæ operationes sunt objectum adæquatum Logicæ (4).

Probatur itaque β), *nempe tres operationes intellectus secundum rectitudinem et artificium proprium esse objectum formale Logicæ.*

---

(1) *Log.*, disp. 1, sect. 2, n. 10, 11.

(2) Apud Amic., *Log.*, tract. 1, quæst. 5, dub. ultimo.

(3) Vide Lossada, *Log.*, tract. 1, disp. 2, cap. 7, n. 25; Semery, *Log.*, disp. 1, quæst. 2, art. 9; Rhodes, *Philos. Perip.*, lib. 1, disp. 1, quæst. 1, sect. 2.

(4) Cfr. Rhodes, loc. cit., *Conclus.* 4.a; Lossada, loc. cit., n, 38.

Auctoritas S. Thoma

1.° Auctoritate S. Thomæ: *Cum Logica dicatur rationalis scientia, necesse est, quod ejus consideratio versetur circa ea, quæ pertinent ad tres prædictas operationes rationis* (1), quas ibidem commemoraverat S. Doctor.

Et alibi Logica definitur ab Aquinate: *ars directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinate et faciliter et sine errore procedat. Et hæc est ars Logica, id est, rationalis scientia, quæ non solum* **rationalis** *est ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum* **actum rationis, sicut circa propriam materiam.** *Et ideo videtur esse ars artium,* **quia in actum rationis nos dirigit,** *a quo omnes artes procedunt. Oportet igitur Logicæ partes accipere secundum diversitatem actuum rationis. Sunt autem rationis tres actus* etc. (2). En tibi proprias notas formalis objecti scientiæ: esse nimirum id, circa quod ex instituto versatur illius consideratio: esse id, in quo per artem facile, ordinate et sine errore exercemur; esse id, unde Logica suum sortitur nomen ac distinctionem a cæteris artibus; esse id, cujus partium diversitas partes scientiæ diversificat (3).

Quæ si nondum satis perspicua sunt, accipe aliud testimonium: *Ordo... quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem, et signa conceptuum, quæ sunt voces significativæ. Tertius autem est ordo, quem ratio considerando facit in operationibus voluntatis. Quartus autem est ordo, quem ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca, domo. Et quia consideratio rationis per habitum perficitur secundum hos diversos ordines, quos proprie ratio considerat, sunt diversæ scientiæ. Nam ad Philosophiam naturalem pertinet considerare ordinem rerum, quem ratio humana considerat, sed non facit, ita quod sub naturali Philosophia comprehendamus et Metaphysicam. Ordo*

(1) Lib. 1. *Periherm.*, lect. 1, initio.
(2) S. Thom., lib. 1. *Poster.*, lect. 1, initio.
(3) Lossada, loc. cit. n. 25.

autem, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinet ad rationalem Philosophiam, cujus est considerare ordinem partium orationis ad invicem, et ordinem principiorum ad invicem et ad conclusiones. Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralis Philosophiæ. Ordoautem, quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas (1).

Dices, Logicam dirigere actus rationis, *non ut artefacta,* sed *ut actiones artificis*, ex quibus in objecto cognito resultat artificium, sicut artes fabriles v. g. dirigunt actiones fabri, non ut artefacta propria, sed ut id, quo artefacta efficiuntur, nam per operationem artificis resultat in materia artificium intentum. Et ratio hujus interpretationis est, quia ex ipso S. Thoma (2) Logica est de actu rationis, sicut ars ædificatoria de actu manus. Atqui ars ædificatoria est de actu manus non tamquam de arte facto proprio artis ædificatoriæ, sed tamquam de actione artificis, quam dirigit, ut artefactum, domum nempe, faciliter et ordinate construat. Ergo nihil conficitur ex testimonio S. Doctoris.

Resp. *neg.* assertum et interpretationem. Nam Angelicus ibi per actum manus non significat meram actionem transeuntem manus, sed ipsum opus manu factum, nempe artificium domus. Non enim actionem præcisam ab opere dirigit ars fabrilis, sed actionem terminatam ad opus. Id quod multo manifestius apparet in postremo loco, quem exscripsimus ex libro primo *Ethicorum*, in quo diserte dicitur artes mechanicas respicere *ordinem ipsum* quem ratio considerando facit in rebus exterioribus; itemque ordinem, quem ratio facit in proprio actu, pertinere ad Logicam. Non ergo Logica dirigit actus intellectus solummodo ut actiones artificis, sed ut artefacta; nec solum ut aliquid, ex quo in objecto resultet artificium, sed ut aliquid, quod in se ordinandum et recte faciendum in seipso est.

---

(1) S. Thom., lib. 1.° *Ethicor.*, lect. 1.a initio.

(2) *Sicut igitur ex hoc, quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinventa est ars ædificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter et ordinate hujus actus exercere potest, eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis...* S. Th., Lib. 1.° *Poster.*, lect. 1, initio.

Prob. 2.° Logica respicit pro objecto formali modum sciendi. Sed quidditas modi sciendi proprie convenit tribus actibus intellectus. Ergo (1).

Major in confesso est apud omnes, etiam apud Thomistas.

Minor probatur. Modus sciendi sic communiter definitur: *oratio ignoti manifestativa* (2). Atqui nulli rei magis convenit esse manifestativum ignoti, quam actibus intellectus; nam sunt signa formalia, quæ immediate et formaliter objectum menti patefaciunt, notumque de ignoto reddunt, dum signa instrumentalia nonnisi mediante formali manifestare illud possunt, docente S. Thoma: *Manifestatio per se non invenitur nisi in intellectu; si enim aliquid, quod est extra intellectum, manifestare dicatur, hoc non est, nisi secundum quod ex ipso aliquid in intellectu relinquitur, quod postea est principium manifestativum in eo; proximum ergo manifestans est in intellectu, sed remotum potest etiam esse extra eum* (3). Ergo.

Probatur præterea eadem Minor principalis syllogismi in hunc modum. Modus sciendi ex communissima sententia dividitur in definitionem, divisionem et argumentationem. Atqui ratio definitionis, divisionis et argumentationis convenit actibus intellectus.

Sane in primis definitio est oratio explicans essentiam rei. Atqui hic actus mentis, exprimens *animal rationale*, est oratio, id est, signum complexum, explicans ac distincte detegens essentiam hominis. Ergo. Hinc solemne fuit antiquis definitionem, sicut et conceptum ac terminum, dividere in *formalem* et *objectivam;* et formalem quidem dicebant actum mentis (vel etiam complexum vocum, si de orali definitione sermo erat) exprimentem essentiam rei. Hæc eadem, ut patet, locum habent in divisione.

Deinde propositio ex Aristotele et S. Thoma est affirmatio aut negatio alicujus de quopiam, aut etiam oratio verum vel falsum significans. Atqui hæc definitio propriissima est

---

(1) Cfr. Lossada, *Logic.*, tract. 1, disp. 2, cap. 7, n. 29, seqq.

(2) Vide Joann. a S. Thoma, lib. 2, *Summular.*, cap. 2; Complutens, *Log. Procem. Præambula de Modis sciendi...*

(3) S. Thom., *de Verit.*, q. 4, art. 3.

actus mentalis, immo prima nonnisi improprie objectis aptari potest. Præterea affirmatio et negatio apud Logicos perinde est ac *compositio* e *divisio*. At *compositio vel divisio operatio quædam est intellectus* (1) ut scribit S. Thomas. Hinc idem S. Doctor ibidem docuit: *Propositionis per intellectum componentem et dividentem formata compositio in ipso intellectu existit, non in re, quæ extra animam est* (2).

Confirmatur hæc doctrina relate ad definitionem et propositionem auctoritate expressa S. Thomæ: *Intellectus sua actione format rei definitionem, vel etiam propositionem affirmativam seu negativam. Hæc autem conceptio intellectus in nobis proprie verbum dicitur: hoc enim est, quod verbo exteriori significatur* (3).

Denique syllogismum et ratiocinationem esse actus intellectus patet ex ejus definitione. Nam *ratiocinatio est*, inquit S. Isidorus, *rationalis, substilisque* **disputatio** *atque a certis ad incertorum indagationem nitens* **cogitatio**, (4), quæ est S. Augustini definitio (5): vel ut ait S. Thomas, ratiocinatio... *est quidam motus intellectus transeuntis ab uno in aliud* (6).

Et idem dicito de demonstratione, quam definit Aristoteles *ratiocinationem eam, quæ scientiam efficit; eam vero scientiam efficere dico, quam scimus eam ipsam habendo* (7) quasi diceret demonstrationem esse eum actum cognitionis, quem cum in mente habemus, *scire* dicimur, vel scientes fimus, ut etiam interpretatur Angelicus (8). *Est ergo syllogismus actus rationis* (9).

Hæc adeo perspicua sunt, ut frustra conentur in alienum sensum detorquere quidam Thomistæ, dicentes «hæc nomina *definitio, propositio, syllogismus, demonstratio*, et similia

(1) S. Thom. 1.° *Contr. Gentes*, cap. 58, n. 6. *Item, intellectus.*
(2) S. Thom. loc. nup. cit., n. 5, *Amplius, propositionis.*
(3) De *Potentia*, q. 8, art. 1, corp.
(4) Lib. 1.° *Differentiarum*, n. 490.
(5) *De Immortalitate Animæ*, cap. 1, n. 1.
(6) Lib. 1.° *Contr. Gent.*, cap. 57, n. 6. *Præterea, omnem motum;* Cfr. S. Thom. 1. p. q. 58, a. 3, ad 1.um
(7) Arist. lib. 1.° *Post.*, cap. 2.
(8) Lib. 1.° *Poster.*, lect. 4, paragr. *f, g.*
(9) S. Thom., Opusc. 47. *De Natura syllogismorum* initio.

vere et proprie convenire objectis prout ente rationis investitis, at rationis actibus nonnisi *improprie, repræsentative, causaliter* aut *vialiter;* sicut hominis imago nonnisi repræsentative dicitur homo, et actio ædificantis nonnisi vialiter aut causaliter continet artificium domi. Hæc illi: quibus nihil repugnantius doctrinæ D. Thomæ et Aristotelis nuper allegatæ, necnon definitionibus modi sciendi et ejus specierum... Seposito partium studio, considera utrum lapis v. g. quadam entis umbra fædatus vel, si mavis, ornatus, vere et proprie sit oratio ignoti manifestativa, aut explicans essentiam rei, aut affirmatio vel negatio aut ratiocinatio, secundum quam scimus, in quantum ipsam habemus. Hoc profecto non minus absurde dixeris, quam quod in Grammatica non voces, sed objecta fictionibus obsita, sint *nomen, verbum, participium, oratio;* vel in Poetica sint *pes dactylus, spondeus, choreus*, aut *versus sapphicus, jambicus* etc.» (1).

«Apud ipsos Thomistas *definitio formalis, propositio formalis, syllogismus formalis* sunt actus intellectus, nam intentiones in objecto fictæ, solum dicuntur *syllogismus objectivus, definitio objectiva* etc. Numquid similiter actio ædificantis vocabitur *palatium formale*, aut imago Cæsaris *Cæsar formalis?*»

«Certe Scholæ usu tritissimo additum *formalis* non alienat significatum nominis, sed propriam designat acceptionem, ut cum dicitur objectum *formale*, constitutivum *formale*, calor *formalis*, etc. Immo si calor idem diceretur *formalis*, simulque pure *vialis* aut *causalis*, manifesta foret implicatio in terminis. Par igitur implicatio est, dum rationis actus vocatur definitio *formalis*, simulque pure causaliter aut vialiter convenire ipsi dicitur nomen *definitio*» (2).

Prob. 3.° Actus voluntatis secundum moralem rectitudinem sibi propriam sunt formale objectum Moralis Philosophiæ. Ergo pariter actus intellectus secundum proprium sibi artificium sunt formale objectum Logicæ.

Consequentia patet tum ex simili modo procedendi utriusque scientiæ, tum ex auctoritate S. Thomæ docentis,

(1) Lossada, loc. cit., cap. 7, n. 33.
(2) Lossada, loc. cit., cap. 7, n. 34.

sicut ordo actionum voluntarium pertinet ad considerationem Moralis Philosophiæ, ita ordinem, quem ratio considerando facit in proprio actu, pertinere ad Logicam (1).

Antecedens vero licet negetur a quibusdam Thomistis, probatur tamen primo ex eodem S. Thoma sic concludente in loco nuper citato: *Sicut igitur subjectum Philosophiæ naturalis est motus vel res mobilis; ita subjectum moralis Philosophiæ est operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo prout voluntarie agens propter finem* (2).

Probatur deinde antecedens, quia cum Philosophia moralis sit scientia practica (3), formale illius objectum debet esse aliquid operabile ab ipso cognoscente. Atqui nihil hujusmodi dari potest præter actus voluntatis rectos et ordinatos in finem. Ergo...

Confirmatur eadem assertio ex eo, quod sola rectitudine propria actuum intellectus plene obtinetur institutum Logicæ. Id enim sibi propositum habet Logica, ut usum rectum rationis doceat, viamque tutam ad veritatem aperiat remota confusione, ambiguitate atque errore, neque enim ob aliud vocata est *Ars artium*, *Instrumentum* et *Organum scientiarum*, *Scientia Rationalis* et *Magistra mentis*. Atqui quamvis nihil dictet Logica præter illum specialem modum repræsentandi, qui proprius est definitionis formalis, syllogismi formalis, demonstrationis formalis etc., jam satis docet ad rectum usum rationis obtinendum, veritatemque assequendam sine confusione et errore, qui cum eo modo repræsentandi minime cohæret. Ergo...

Confirmatur etiam ex eo, quod rationis actus dirigibiles sunt propter se directione sistente in ipsis tamquam in fine proximo atque intrinseco, ac proinde dignæ sunt, quæ arte aliqua tractentur per se et propter se, cum potissimum integræ artes instituantur propter actiones saltandi, citharizandi, equum moderandi, et alias mere ludicras. Atqui ad quam aliam artem, quæso, spectare tales actus possunt nisi ad Logicam? (4).

(1) Vide S. Th., lib. 1. *Ethicor.*, lect. 1, initio.
(2) S. Thom., lib. 1.° *Ethicor.*, lect, 1.a initio.
(3) Vide superius dicta num. 301 et 302.
(4) Lossada, loc. cit., cap. 7, n. 37.

Denique probatur, quia singulæ tres operationes suam habent scibilitatem propriam ac dirigibilitatem, et singulæ ne errent, distinctis egent regulis ac directione. Ergo omnes tres operationes secundum propriam rectitudinem sunt objectum formale Logicæ.

Antec. satis videtur patere quoad 2.am et 3.am operationem, ac probatur manifeste ex iis, quæ disputari solent circa illas, ac potissimum ex regulis conversionum, oppositionum, syllogismorum etc.

Probatur autem speciatim de prima operatione propter illos, qui eam excludunt a formalis objecti ratione. Eatenus prima mentis operatio non foret formale objectum Logicæ, quatenus non posset regulis et arte dirigi. Atqui falsa hæc ratio est.

Sane ut operatio arte dirigatur, requiritur quod variis modis, bene et male, elici possit, ac proinde in ea elicienda possit agens rationale errare, atque a fine suo deflectere. Atqui talis est prima mentis operatio. Nam prima mentis operatio vel est complexa vel incomplexa. Et in incomplexa errare posse hominem manifeste probat definitio, in qua formanda potest intellectus errare, ac porro sæpissime errat, ut patet experientia, vel adhibendo genus remotum pro proximo, accidens loco differentiæ essentialis ac specificæ, vel addendo superfluum, vel detrahendo necessarium, vel etiam copulando inter se prædicata contradictoria.

Nec dicas cum Hurtado Logicam solum agere de definitione in ordine ad judicium, in quo Definitio prædicetur, atque adeo nonnisi prout est pars propositionis. Nam licet prima operatio ad secundam ordinetur, sicut etiam secunda ad tertiam, tamen suam postulat propriam perfectionem, a qua deficere potest ex defectu directionis. Sicut etiam partes cujuslibet artefacti, etiamsi ad totum conflandum ordinentur, suam directionem peculiarem postulant, ut affabre construantur. Quare docet S. Thomas in definitionem cadere posse falsitatem aliquam (intellige inchoatam, radicalem seu virtualem, quæ etiam extra judicium reperiri potest) non solum *secundum quod intellectus definitionem, unius attribuit alteri, ut si definitionem circuli attribuit homini, sed etiam secundum quod partes definitionis componit ad invicem, quæ simul sociari*

non possunt; sic enim definitio non solum est falsa respectu alicujus rei (cui nempe attribuitur per judicium), *sed etiam est falsa in se, ut si formet talem definitionem:* **animal rationale quadrupes**, *falsus est intellectus sic definiendo* (1).

Patet idipsum de apprehensione incomplexa, qualis est ea, per quam formatur *genus*, *species* et cætera prædicabilia. Nam in his quoque formandis errare potest intellectus. Intellectus enim formaturus genus proximum hominis, quamvis advertat convenientiam illius cum brutis in operatione sentiendi, non est necessario determinatus ad apprehensionem *animal*, quæ sola tali generi est apta, sed potest aliquam aliam elicere ex his, *Animalia*, *sentiens*, quarum neutra est utilis: altera quia multitudinem exprimit, altera, quia fertur in accidens. Ut igitur intellectus, omissis inutilibus apprehensionibus, utiles seligat, prædoceri debet, quas conditiones exposcat apprehensio formatura genus, aut aliud quodvis prædicabile, ac proinde regulis eget, quæ revera dantur in tractatu de *universalibus* ac *prædicabilibus*, qui ad simplices apprehensiones pertinent (2).

§ IV.—JUDICIUM AUCTORIS.

Judicium auctoris.

354. Jam de hac controversia ita judico: α) In primis certum non est *genus*, *speciem* etc. et generatim universale constitui formaliter per ens rationis. Sunt enim de hac re variæ opiniones, quemadmodum suo loco innuimus (3).

β) Etiamsi in conficiendis artefactis logicis occurrere possint entia rationis, fingendo entitates vel relationes, ubi nullæ sunt; immo etiamsi admittatur *genera*, *species* et reliqua, de quibus agit Logica, formaliter constitui per ens rationis, certum videtur Logicam de hoc non curare, nec tractare illa, prout entia rationis sunt. Unde sunt plures tractatus Logicæ, qui nec quidditatem entis rationis explicant. Et certe, omissa hac tractatione, quæ ad Metaphysicam spectat, et ignorato

(1) S. Thom., 1. p. q. 17, art. 4 corp.

(2) Lossada, loc. cit., cap. 7, n. 3-9. Cfr. Semery, *Trienn. philos.*, tom. 1, *Logic.*, disp. 1, procem. quæst. 2, *Omitto hic examinare* etc., et alii auctores supra citati.

(3) Vide supra num. 177.

prorsus vel nomine entis rationis, æque bene præcepta logica cognosci possunt.

γ) Sed quoniam negari nequit innumera tractari in Logica, quæ a multis Philosophis dicuntur entia rationis v. g. *genus*, *species*, *subjectum*, *prædicatum* etc. eorumque cognitio necessaria prorsus est ad præcepta Logicæ capienda; nec negari item posse videtur, actus rationis omnino a Logica considerari, actus quippe intellectus sunt *definitio formalis*, *propositio*, *syllogismus*, *ratiocinatio* etc., ut apparet ex horum definitionibus: dubium esse potest, quid horum primario et directe spectet ad considerationem Logicæ.

Artificium ac rectitudo actuum rationis consistit in modo repræsentandi objecta. v. g. artificium definitionis situm est in brevi repræsentatione prædicatorum essentialium eorum, in quibus res similis est aliis, (hæc vocantur *genus proximum)* et eorum, in quibus discrepat ab omnibus aliis (et dicitur *differentia ultima)*. Similiter artificium syllogismi stat in certa repræsentatione præmissarum, quæ vel affirmativæ sint, vel partim affirmativæ, partim negativæ, certamque habeant quantitatem ac terminorum dispositionem: in quo omnes conveniant, necesse est.

Quoniam ergo conceptus non «dicuntur ordinati quasi entitative, sed quasi repræsentative et respectu objectorum, circa quæ versantur,» concludit Joannes a S. Thoma, «ergo principaliter respicit Logica ordinationem objectorum, formalem autem tendentiam et repræsentationem conceptuum, ut medium attingendi ista objecta ordinata» (1). Item quia «Logica non docet elicere (actus intellectus) quantum ad suam entitatem, sed ut artificiose disponantur, et quia dispositio artificiosa non aliter invenitur in actibus, nisi in quantum attingunt objecta ordinata et disposita; idem est dirigere Logicam intellectum, ut eliciat actus suos artificiose, quod objecta ipsa præponere, circa quæ actus scientiarum eliciantur, atque adeo primo et per se Logica attingit intentiones secundas, quibus objecta ipsa formaliter dicuntur ordinata» (2). Et similia habet P. Sylvester Mauri.

(1) Loc. cit. paragr, *Sed contra primam solutionem est.*
(2) Ibid., *Contra secundam solutionem est...*

Verum hujusmodi consecutiones non satisfaciunt. Nam certum est Logicam non intendere ordinationem objectorum in seipsis secundum physicam earum entitatem, sed ordinationem intentionalem rationum intelligibilium, *generis*, *speciei*, *differentiæ*, *subjecti*, *prædicati*, *propositionis*, *Majoris*, *Minoris*, *Conclusionis*, *Extremorum*, *medii* etc. etc.; quæ omnia si concrete sumantur, non sunt nisi res certo quodam modo conceptæ seu mente expressæ. Ergo quidquid docet Logica de his, huc revocatur, ut ostendat modos omnes diversos, secundum quos res repræsentari vel mente exprimi possunt. Nam res ita repræsentata, ut exhibeat notas essentiales, prætermissis differentiis pure individualibus, *species* est; res repræsentata secundum eas notas essentiales, in quibus conveniunt plura inter se discrepantia, non solum secundum differentias individuales, sed etiam secundum alias essentiales, *genus* est. Res concepta ut id, de quo aliquid affirmatur, *subjectum* est; res concepta ut id, quod de aliquo enuntiatur, *prædicatum* est. *figura* vero et *modus* coalescit ex certo ordine terminorum ac dispositione propositionum secundum quantitatem et qualitatem.

Quid vero intendit Logica omnia ista pertractans? Non aliud profecto nisi docere, quinam modi repræsentandi res adhibendi sint, quia recti, quinam vero respuendi, quia vitiosi, in assecutione scientiarum. Ergo ultimus scopus Logicæ non sistit in ordinatione rerum aut rationum intelligibilium, sed ulterius tendit in ordinationem actuum intellectus, seu quærit tandem artificium et rectidunem prædictorum actuum, ac proinde hoc est objectum, quod directe et per se considerat (1).

Verum est, quod omnia hæc, quæ a multis entia rationis logica dicuntur, qualia sunt *genus*, *species*, etc., fiant per actus intellectus, qui reflectens in actus, per quos hujusmodi artefacta fiunt, advertit quosdam illarum artificiosos esse seu rectos dignosque, ut regulis artis præcipiantur tamquam apti ad res bene sciendas, quosdam vero ineptos, quia non bene res repræsentant; et hoc tandem modo ars logica enata

(1) Cfr. Semery, Op. cit. tom. 1; *Logic.*, disp. 1, procemial. quæst. 1, art. 11, fin.

est. Ergo totus scopus Logicæ est, ut actus artificiose recteque ponantur ab intellectu, et huc totam suam doctrinam et præcepta dirigit. Quo in opere Logica ita se habet, ut fictiones illas Thomistarum, quibus entia rationis constituuntur, nihil curet, penitusque prætermittat.

Hinc etiam facile est judicare, quid dicendum sit de opinione illorum, qui defendunt ens rationis tamquam formam actuum ipsorum intellectus, dicentes artificium vel rectitudinem illorum aliud non esse, quam ens rationis, ac proinde Logicam, quæ tale artificium formaliter contemplatur, habere pro formali objecto ens rationis. Etenim artificium illud, ut jam declaratum manet, consistit in speciali ac certo modo repræsentandi objecta. Atqui modus repræsentandi indistinctus est ab ipsa repræsentatione; atque adeo est ipsa entitas actus intellectualis. Ergo artificium illud non est ens rationis, sed perfectio indentificata cum ipsa actus entitate.

Major constat, quia Logica regulis suis non intendere videtur nisi certum modum repræsentandi objecta: quare artificium logicum actuum in hoc consistit.

Minor etiam manifesta est, quia actus intellectus secum identificant suum quisque modum tendendi in objectum, quem exuere nullatenus possunt, sicut nequit idem judicium ex affirmativo in negativum converti, vel universale fieri particulare (1).

Notandum autem probe est, «artificium mentale aliud esse realiter simplex, videlicet in sententia multorum artificium judicii et apprehensionis complexæ, et in sententia omnium artificium apprehensionis formantis genus vel aliud prædicabile; aliud esse realiter compositum ex multis conceptibus, videlicet artificium syllogismi vel etiam in sententia probabili artificium judicii seu propositionis mentalis. Nostram ergo sententiam sic intellige, ut artificium simplex prorsus identificetur cum eo simplici conceptu, cujus est proprium, artificium vero compositum identificetur adæquate cum partibus simul sumptis: v. g. in syllogismo cum tribus judiciis, cum singulis autem nonnisi inadæquate. Quod si

(1) Cfr. Lossada, loc. cit. cap. 7, n. 16. Cfr. omnino ibidem n. 18, *Objic.* 2.ª et n. 21; et cap. 4, n. 14.

velis, ut tria Syllogismi judicia, prout simul sumpta, importent supradictos modos durationis aut etiam unionis cum eodem intellectu, quod ad præsens attinet, non repugnabo: de his enim modis naturaliter etiam sine arte pullulantibus non loquuntur adversarii, sed de modo quodam reali vel rationis per artem superinducto, qui sit tota forma denominans conceptus artificiosos» (1).

ARTICULUS V.

Quodnam sit objectum attributionis Logicæ.

Quid objectum attributionis

355. Objectum attributionis a quibusdam confunditur cum adæquato, seu «cum ratione formali objecti, ut res est, quæ ab aliis vocatur ratio formalis *quæ*, ab aliis *sub qua*, ab aliis objectum formale *quod*, ab aliis *quo*, estque ille titulus communis omnibus objectis particularibus per se attactis ab aliqua scientia. Quo sensu objectum attributionis foret in sententia communissima nostrorum scriptorum rectitudo intrinseca actus intellectus scientiis acquirendis utilis, hæc enim est ratio formalis *sub qua* Logica tendit, vel si mavis in concreto loqui, erit recta cognitio scientiis acquirendis utilis, hoc enim artefactum est, quod Logica per se intendit» (2).

«Communis tamen loquendi modus distinguit objectum attributionis ab adæquato, sicut partem a toto, vel sicut particulare a communi, definitque id, quod primo intenditur, seu quod per se primo consideratur, et cujus gratia attinguntur cætera omnia, quæ idcirco dicuntur objecta attributa, atque etiam objecta communitatis. Talis est Deus in Theologia, in Metaphysica substantia completa ut sic, et in Philosophia naturali compositum substantiale, seu corpus naturale completum. Tres conditiones ex communi sententia ipsi conveniunt: α) ut sit aliquid unum, unitate sive reali, sive rationis, sive univoca, sive analoga, sive ordinis tantum, ita

(1) Lossada, loc. cit. cap. 7, n. 17.
(2) Lossada, loc. cit., cap. 9, n. 1, 2.

ut congrue possit unica definitione proponi, et proprietates habeat, quæ de ipso demonstrentur: β) ut ex eo desumatur scientiæ diversitas cæteris, et idcirco vocatur *specificativum:* γ) ut in ordine ad ipsum considerentur cætera scientiæ objecta, quæ dicuntur *attributa* seu *communitatis*, nec alia de causa in considerationem veniant, nisi quia sunt illius partes, vel principia, vel accidentia, vel quovis modo ad illud ordinata: quæ ordinatio præcipue spectari debet in *esse cogniti*, ut ajunt, id est, ita ut cæterorum consideratio ideo introducta sit in scientiam, quia conducit ad pleniorem notitiam, seu speculativam seu practicam, objecti attributionis» (1).

Dices. Si objecta attributa tractantur in scientia *propter* objectum attributionis, desinent esse vere objectum formale, nam tale est illud dumtaxat, quod propter se consideratur; quod autem propter aliud attingitur ab aliqua scientia, non est nisi objectum materiale. Ergo prædicta explicatio eo tandem devenit, ut objectum attributionis cum formali adæquato confundat.

Resp. æquivocationem inesse in illa particula *propter*, quæ duplicem sensum habere potest, alterum, qui designet rationem finis, ad quem aliquid dirigitur: hoc pacto servus laborat *propter* pecuniam, et ægrotus sumit medicinam *propter* sanitatem. Et hunc sensum denotat particula illa, cum ad exprimendum aliquid de actibus voluntatis adhibetur, siquidem respectu voluntatis omne objectum formale rationem finis induit, ut communiter asseritur. At cum sermo est de actibus intellectus, particula illa *propter* non semper finem designat, sed generatim quidquid redditur pro ratione actus, et cum ad significandam rationem formalis objecti adhibetur, denotat quidquid reddi potest pro sufficienti ratione objectiva, cui directe innitatur actus, totaque ipsius securitas vel adhæsio, vel, ut passim dicitur, rationem ex parte objecti desumptam, qua interroganti, cur talis actus attingat objectum, directe satisfit per præpositionem *quia*. Hujusmodi rationem exprimit illa particula in hoc judicio: *Firma Fide credo*

(1) Lossada, loc. cit., n. 3. Cfr. Conimbric., *Dialect.*, q. 5. procem., art. 1; Fonsec.; lib. 2, *Metaph.*, c. 3, q. 1, sect. 3. Tolet. *De Dialect.*, in comm. q. 5. *Ut autem;* Complutens., *Log.*, disp. 1, procem., q. 2, n. 11.

immaculatum Deiparæ conceptum, propter *auctoritatem Dei revelantis:* nam interroganti, cur immaculatum conceptum Deiparæ credas, hac ratione objectiva respondebis: *Quia* Deus summe verax id revelavit. Similem quoque rationem præ se ferunt præmissæ respectu conclusionis.

Itaque cum dicitur omnia in scientia considerari *propter* objectum attributionis, particula *propter* finem significat, ad quem reliqua diriguntur non vero rationem objectivam vel motivum, cur reliqua attingantur; cum vero objectum materiale dicitur considerari *propter* formale, indicatur e converso ratio assensus objectiva. Hæc vero duo diversa sunt, ut per se patet, nam non semper finis habet rationem objecti formalis respectu eorum, quæ ad finem diriguntur: sic assensus principiorum ordinatur ad conclusiones, prima intellectus operatio ad secundam, et secunda ad tertiam tamquam ad finem, quem tamen pro formali objecto minime respiciunt (1).

Objectum attributionis ita explicatum, ut discernatur a formali adæquato seu ratione formali *sub qua*, vocatur *subjectum attributionis*, et etiam *specificativum per modum finis;* objectum vero adæquatum dicitur *subjectum adæquationis*, et *specificativum per modum sphæræ objectivæ* circumscribentis amplitudinem totius scientiæ. Quæ differentia explicari potest exemplo voluntatis, cujus finis et quasi attributionis objectum est beatitudo, ratio vero formalis sub qua, et quasi sphæra objectiva, est bonum ut sic: et utrique tribuitur munus specificandi (2).

Cave tamen, ne existimes quemcumque finem, ad quem dirigantur ea, quæ tractat scientia, esse objectum attributionis, sed oportet, ut sit finis intrinsecus. Quare licet pax et quies Reipublicæ sit finis artis militaris, et artis pictoriæ oblectamentum visus, et Logicæ acquisitio aliarum scientiarum; at quia hi sunt fines extrinseci, non sunt objectum attributionis.

Cæterum si objectum attributionis plures comprehendat partes, illa, quæ nobilior est aut scitu dignior, *objectum principalitatis* vocatur: ut in Metaphysica *Deus*, et in Physica seu naturali Philosophia *homo*.

---

(1) Cfr. Lossada, loc. cit. cap. 1, n. 5, 8.

(2) Lossada loc. cit. cap. 9, n. 4.

Variæ sententiæ Auctorum.

356. Hisce præhabitis, quamvis plurimæ circumferuntur de objecto attributionis Logicæ opiniones, celebriores tamen quatuor sunt. Prima illud extendit ad omnem secundam intentionem: ita plures Thomistæ apud Lossada (1). Secunda illud coarctat ad solam demonstrationem. Ita PP. Hurtado (2), Arriaga (3), De Benedictis (4), Ulloa (5), et alii. Tertia illud reponit in syllogismo perfecto, prout hic complectitur probabilem ac demonstrativum: ita Oviedo aliique apud Lossada et Quiros (6). Quarta demum est PP. Petri Fonseca (7), Conimbricensium (8), Rubii (9), aliorumque (10), quibus non parum favet Suarez. (11). Hi docent modum sciendi, prout comprehendit definitionem, divisionem, et argumentationem esse objectum attributionis Logicæ.

Eligitur quarta sententia,

Quamvis controversia hæc non magni videatur momenti, placet tamen quartam hanc sententiam breviter probandam assumere. Primum autem notare debes designationem objecti attributionis in scientiis aliquatenus pendere ad arbitrio Philosophorum, sicut etiam pendet divisio ipsa scientiarum totalium. Hinc est, quod multi etiam eorum, qui quartam sententiam sequuntur, existiment demonstrationem esse objectum attributionis Logicæ, non quidem secundum se consideratæ, sed prout continetur ab Aristotele tradita in libris nunc exstantibus. Nihilominus non inutiliter quæritur, quodnam sit objectum attributionis, quia arbitrium illud oportet, ut fundamentum habeat in re ipsa naturaque Logicæ. Et ideo in hoc sensu tractamus quæstionem, ut velimus definire, quodnam illorum objectorum, quæ in Logica formaliter considerantur congruentius eligendum sit ut objectum attributionis.

---

(1) Loc. cit. cap. 9, n. 5.
(2) *Log.*, disp. 1, sect. 7.
(3) *Log.*, disp. 2, sect 5, subsect. 3.
(4) *Philos., perip.* vol. 1, quæst. procem. cap 5, paragr. 2, *Dico* 5.°
(5) *Logic. Minor.* disp. 3, cap. 6, n. 153.
(6) *Curs. Philos.*, tract. 2, pars. 1, de *Log. procem.* disp. 11, sect. 2, n. 17.
(7) Lib 2. *Met.* cap. 3, q. 1, sect. 5.
(8) *Dialect.*, quæst. 5, procem. art. 3.
(9) *Log.*, quæst. 6 procem. conc. 2.
(10) Apud Lossad., loc. cit. n. 5; et apud Quiros loc. cit. n. 18.
(11) Disp. 1. *Metaph.*, sect. 4, n, 26, seqq.

357. PROPOSITIO. **Objectum attributionis Logicæ est modus sciendi, prout complectitur definitionem, divisionem et argumentationem.**

et probatur **Prob.** Objectum attributionis Logicæ nec latius extendi, nec brevius contrahi potest, quam modus sciendi. Ergo...

Prob. antec. per partes. Et primo quidem ultra modum sciendi extendi nequit.

Nam præter modum sciendi non restant nisi prædicabilia et propositiones cum suis speciebus et partibus. Atqui hæc non sunt finis et scopus Logicæ. Nam quæ ad prædicabilia, genus v. g. et differentiam spectant, solum tractantur, ut definitionem facere noverimus. Propositiones vero earumque proprietates et cætera cum ipsis connexa eo tendunt, ut recte ac sine deceptionis periculo arguere doceamur, bonasque consequentias a malis discernere.

Prob. antec. quoad alteram partem. Nequit objectum attributionis brevius contrahi. 1.° Nam, fatentibus omnibus, Logicæ est modum sciendi docere. Atqui modus sciendi complectitur omnia illa instrumenta, quibus in intima, ut ita loquar, rerum viscera penetrare noverimus. Ergo hæc omnia præcipue intendat Logica tamquam finem, necesse est. Atqui nulla res penitus cognoscitur, donec tria hæc pateant, *quid sit*, *quotuplex*, et *quas habeat proprietates:* ad quorum primum per se immediate necessaria est definitio, ad secundum divisio, ad tertium argumentatio. Ergo (1)...

Prob. 2.° Logica certe non tractat argumentationem propter definitionem, divisionem vel aliquid aliud, ut patet; at neque etiam tractat definitionem aut divisionem propter argumentationem aut demonstrationem, tum quia regulæ definitionis divisionisque «ex professo traditæ necessariæ non sunt ad artem syllogisticam aut demonstrativam, siquidem hæc ars perfectissime tradita est ab Aristotele in libris nunc extantibus, qui tamen regulas definiendi ac dividendi in iis libris ex professo non docuit, ut fatentur omnes. Tum quia definitio ac divisio artificium continent per se valde optabile, etiam præciso ordine ad syllogismum. Quis enim parvi faciat

(1) Cfr. Lossada, loc. cit., n. 8.

certa methodo rimari posse, quid sit res, quasve partes aut species habeat, etiam immemor aut inscius ulterioris artis?...» (1).

Confirmatur. Quia artes instrumentariæ non habent pro objecto attributionis instrumentum dumtaxat perfectissimum, sed omnia instrumenta completa, quibus indigent superiores artes... (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

358. **Objic. 1.°** Nec modus sciendi generatim ac præcisive, nec etiam prout complectens species varias, potest esse objectum attributionis Logicæ. Ergo...

Prob. antec. per partes. Non primum. Quia finis intrinsecus Logicæ debet esse instrumentum, quo acquiruntur scientiæ. At nulla acquiritur per modum sciendi ut sic. Adde, quod Logica, utpote scientia practica, pro fine respicit aliquid operabile; non est autem operabilis modus sciendi ut sic et præcisus ab omni specie.

Prob. altera pars antec. Quia complexum ex omnibus speciebus modi sciendi non habet unitatem nisi aggregationis. Cum ergo scientia desumat unitatem ab objecto attributionis, non poterit Logica vera unitate prædita esse, si habeat pro objecto attributionis modum sciendi, prout complectitur tres illas suas species (3).

Resp. *neg.* antec. quoad utramque partem. Ad probation. primæ partis respondeo modum sciendi, ut sic, esse quidem instrumentum acquirendarum scientiarum, non tamen acquisitione exercenda in statu abstractionis, sed in statu contractionis. Et similiter idem modus sciendi, ut sic, est aliquid operabile non pro illo statu abstractionis, sed pro statu contractionis. Sicut etiam domus in genere, quam respicit Architectura, est vere operabilis, licet non prout sic, sed in individuo.

«Quoad alteram partem, dico in primis ab scientiæ unitatem sufficere unitatem rationis formalis sub *qua*. Deinde objectum attributionis, quod ponimus, non habet unitatem solius

(1) Lossada, loc. cit., n. 9.
(2) Lossada, loc. cit., n. 10.
(3) Apud Lossada, loc. cit. cap. 10, n. 1.

aggregationis, instar acervi lapidum, sed habet insuper unitatem definitionis sub eodem genere, ad Logicam spectante sub ratione communi modi sciendi: quæ unitas ad attributionis objectum sufficit, ut nemo negat, patetque inductione per omnes fere scientias et artes» (1).

Objic. 2.° Objectum attributionis Logicæ complecti debet etiam propositionem et quinque prædicabilia: Nam, α) S. Thomas proprie subjectum Logicæ vocat illud ens rationis, quod proprie dicitur de intentionibus *generis, speciei* etc. (2) β) Item juxta eumdem S. Doctorem ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, est specificativum Logicæ: at hujusmodi ordo reperitur etiam in prædicabilibus et propositione. γ) Proposito est artefactum, de quo ex professo tractat Logica (3).

Resp. *neg.* antec. Et ad probation. *neg.* conseq. Quia solum probant prædicabilia et propositionem esse objecta formalia (4).

Objic. 3.° Objectum attributionis est modus sciendi. Sed sola demonstratio est proprie modus sciendi, cum sola generet scientiam. Ergo sola est objectum attributionis. Ergo (5)...

Resp. *dist.* Minor. Si modus sciendi sumatur stricte, *conc.*, si latius, non tamen improprie *pro modo seu medio artificioso manifestandi ignotum*, prout congruit integritati scientiarum, quo pacto generatim intelligitur ex communi sententia modus sciendi, *neg.* (6)

Objic. 4.° Logica, utpote rationalis scientia, sequi debet naturalem ordinem operationum rationis. Atqui ex tribus mentis operationibus prima naturaliter ordinatur ad secundam, et secunda ad tertiam, ut cum S. Thoma (7) fatentur

---

(1) Vide Lossada, loc. cit. n. 2, seqq. ubi plura reperies.

(2) S. Thom. lib. 4, *Metaph.*, lect. 4.

(3) Apud Lossada, loc. cit. cap. 10, n. 8.

(4) Cfr. Lossada, ibid. n. 9, seqq.

(5) Apud Lossada, loc. cit. n. 12, ubi plures confimationes hujus argumenti.

(6) Cfr. Lossada, loc. cit. n. 13, apud quam plura ibid. et in sequentibus.

(7) Lib. 1, *Poster.*, lect. 1. Cfr. Auctor, *Summæ totius Log. Arist.*, ubi in procemio innuitur omnia, quæ in Logica tractantur, ad demonstrationem ordinari.

omnes. Ergo Logica quidquid tractat de prima et altera operatione, ordinat ad tertiam, quæ est argumentatio vel syllogismus (1).

Resp. *dist.* Major. Quantum attinet ad methodum seu collocationem doctrinæ *conc.*, quantum attinet ad attributionem unius ad alium et quidem in omnibus, *neg.* «Ubicumque enim Logica invenit artificium completum proxime utile ad acquisitionem scientiæ, ibi sistit velut in fine intrinseco, saltem inadæquato. Nec ordo attributionis in scientiis debet per omnia sequi naturalem ordinem objectorum; alioquin scientiæ omnes pro attributionis objecto Deum respicerent, cum earum omnium objecta naturaliter ordinentur ad Deum: id quod maxime verum esse deberet in iis, quæ Deum inter partialia objecta considerant, ut sunt Physica et Metaphysica.»

«Non tamen negaverim, quod Logica primam et secundam operationes consideret aliquatenus, prout ordinatas ad tertiam. Sic enim respicit tum eos actus, qui ratione sui non habent artificium completum in esse instrumenti sciendi; tum etiam eos, qui præditi sunt artificio definitionis aut divisionis, dummodo spectentur sub conceptu non primario, sed secundario.» Nam dupliciter tractari potest v. g. definitio: primo quatenus explicat essentiam rei in se, et hic est conceptus primarius definitionis, sub quo respicitur nobis ut objectum partiale attributionis: secundo quatenus vim habet inferendi conclusiones circa proprietates, et hic est conceptus secundarius, sub quo definitio respicitur ut pars demonstrationis, et sic non est objectum attributionis, sed attributum. Sic in ipsa rei quidditate distingui solet duplex conceptus, alter essentiæ, alter naturæ: et in primo spectatur quidditas absolute, in altero relative, in ordine ad operationes. Sic etiam elementum tractatur a Physico tum absolute ac ratione sui, tum cum ordine ad mixtum, quod ex pluribus elementis coalescit (2).

---

(1) Cfr. Lossada, loc. cit., num. 12.

(2) Lossada, loc. cit., n. 17 et 14.

INDEX RERUM

(NUMERUS PAGINAM DESIGNAT).

Abælardus 53.
Absolvi a tempore quid 237.
Abstracta quomodo prædicentur de concretis et de abstractis 730, 731.
Abstractio quid 108 in nota: abstractio propria naturæ universalis 702; abstractio intellectus agentis et possibilis 712.
Abstractus terminus 143.
Abstrahentium non est mendacium 680.
Academia et Academici 21, 31: triplex Academia 28.
Accidens metaphysicum et logicum 172 seqq. 749: accidens quomodo prædicari possit de subjecto 749: quod est accidens respectu unius, potest esse essentiale respectu alterius 750: accidens physicum et intrinsecum prædicari nequit de subjecto non existente 750.
Acervalis argumentatio sophistica 373.
Actio quid 183: Actio et factio quid differant 909.
Actus mentis quid et quotuplex 107.
Adversativa propositio ad copulativam revocatur. 263.
Ægidius Columna 59.
Ægyptii Philosophi 14.
Ænesidemus 33.
Æquipollentia propositionum 284: æquipollentia modalium 296.
Æquivocum 129.
Aguirre Cardinalis 73.
Alamanni Cosmus 80.
Albertus Magnus, *Doctor Universalis* 59.
Alcinous 33.
Alexander Aphrodisæus 33.
Alexander Halensis, *Doctor irrefragabilis* 55.
Alexandrini Peripatetici 68.
Algazel 50.
Alienatio quid 200.
Alpharabius 50.
Alvarado P. Franciscus 93.
Ammonius 33, 36. Ammonius Saccas 37.
Ampliatio quid 199.
Analogia et analogum quid et quotuplex 133 seqq.: analogiæ argumentatio 370: analogiæ principium 360: analogiam respicientia axiomata 138.
Animalia alia sunt perfecta, alia imperfecta secundum virtutem sensitivam 797.
Anselmus (S.) 54.
Antecedens quid 265, 317.
Antiperipatetici 69.
Antonius Andreas, Scotista 60.
Appellatio quid et quotuplex 197: regulæ ad dignoscendam appellationem 197.
Apprehensio quid et quotuplex 117.
Arabes Philosophi 49.
Arbor porphyriana 185.
Arcesilas academicus 28.

Areopagita 45.
Argumentatio quid 312 seqq.: ejus elementa necessaria 317: quotuplex 318: argumentationis indirectæ species variæ 379: argumentatio probabilis 381.
Argumentum quid 314.
Aristoteles 23 seqq.: ejus discipuli 26, commentatores et interpretes 24: comparatio inter Aristotelem et Platonem 24.
Aristotelici 68.
Arriaga Rodericus 80.
Ars quid et quotuplex 911 seqq.: discrimen artis a scientia et prudentia 914, et ab experientia 915. Ars critica 607.
Ascensus quid in suppositionis resolutione 194.
Athanasius (S.) 44.
Attentio quid 108 in nota.
Attingi objectum quid sit 918.
Auctoritas 601: coalescit ex veracitate et scientia testantis 601: quid valeat in Philosophia 64, 610 seqq., 616 seqq.: non tamen contemnenda, sed reverenda etiam doctis hominibus 615.
Augustinus (S.) 44.
Aurelius M. imperator romanus 32.
Aureolus 60.
Avempace 50.
Averroes 51. Averroistæ Peripatetici 68.
Avicebron 51.
Avicenna 50.
Axiomata quid 754: axiomata circa abstractiones 680, circa analogiam 138, circa conditionales propositiones 266, circa definitionem 214, circa exclusivas propositiones 272, circa genus et differentiam 737.

Baco Franciscus a Verulamio 69.
Baco Rogerius, *Doctor mirabilis* 58.
Balmes Jacobus 93: sententia ejus circa principium evidentiæ confutatur 518.
Bañez Dominicus 72.
Basilides 46.
Basilius (S.) 44.
Bassolis Joannes, *Doctor ornatissimus* 60.
Bayle Petrus 87.
Beda (Venerabilis) 48.
Benedictis (de) Joannes Baptista 81.
Berkeley 84.
Bessario Cardinalis 67.
Böetius Anitius Manlius Severinus 47.
Bonald (Vicecomes de) Ludovicus Ambrosius 93.
Bonaventura (S.), *Doctor Seraphicus* 56.
Burleus (Burleigh), *Doctor planus et perspicuus* 60.

Cabala Hebræorum 35.
Cabanis 85.
Cajetanus Cardinalis Thomas de Vio 72.
Campanella 69.
Canus Melchior 72.
Capreolus Joannes, insignis thomista 71.
Caramuel Joannes de Lobkowicz 88.
Carneades academicus 27.
Cartesius (Des Cartes) Renatus 81: ejus asseclæ et impugnatores 82: ejus methodica dubitatio exponitur 1056, et confutatur 1060.
Casiodorus 47.
Causa et causalitas multiplex 815: causa efficiens universalium 711 seqq.
Causalis propositio 270.
Certitudo quid generatim 469; est dos judicii, non simplicis apprehensionis 469: certitudo subjectiva vel adhæsiva 470, certitudo formalis 471, ejusdemque radix 472, certitudo objectiva 472: comparantur tres istæ certitudines 475: nomine certitudinis simpliciter intelligenda formalis 476: divisio certitudinis formalis in metaphysicam, physicam et moralem 476, physica et

moralis in alio sensu accepta 477: existentia certitudinis contra Scepticos vindicatur 478 seqq.: certitudo vulgaris et philosophica 481: certitudinis proprietates 492; non est de ejus essentia evidentia 492, licet postulet saltem evidentiam credibilitatis 493; certitudo nequit resultare ex mera summa probabilitatum 495; proportionalis est tum perfectioni subjecti intelligentis, tum motivo ad assensum impellenti 496, unde certitudo Fidei supernaturalis superat quamcumque naturalem 497; certitudo admittit gradus quoad partem positivam 498: certitudo Metaphysica, physica et moralis specie differunt 499 seqq.: non eadem certitudo quærenda in omnibus est 1052.

Chaldæi Philosophi 14.

Chrysostomus (S.) Joannes 44.

Cicero M. Tullius, academicus 31.

Circulus quid in probationibus 773: materialis et formalis 773: circularis demonstrationis patroni 773: circulus materialis licet, non vero formalis 774 seqq.

Clarke Samuel 84.

Clemens Alexandrinus 43.

Cognitio speculativa et practica 896: discrimina utriusque 897 seqq.

Communis terminus 147: communis natura non est omnino idem proprie loquendo ac universalis, quamvis sæpe pro eodem accipiantur 643.

Communismus et communistæ 91.

Comparatio quid 108 in nota et 712.

Comparativa propositio 276.

Complutenses Carmelitani 72.

Comprehensio et extensio ideæ 121.

Compte Augustus, auctor Positivismi 90.

Conceptus quid 119: est signum rei naturale 120: non confundendus cum phantasmate 120: variæ divisiones conceptuum 126 seqq.: conceptus formalis et objectivus 129.

Conceptualismus confutatur 660 seqq.

Conceptualistæ 654.

Conclusio vel illatio quid 321: sola non constituit essentiam syllogismi 812 seqq.: utrum ad inferendam conclusionem requiratur prævia notitia de bonitate consequentiæ 830: utrum et quomodo conclusio attingat præmissas 838 seqq.

Concreta quomodo prædicentur de concretis 729, et de abstractis 733.

Concretus terminus 143.

Condillac (de) Stephanus Bonnot, Sensismi parens 85.

Conditio nihil ponit in esse 266.

Conditionalis propositio quid 265, quotuplex 266: an admittendæ conditionales propositiones pure conjunctivæ 267: conditionalium materia et qualitas 269. Conditionaliss yllogismus 348.

Conditionatum, purificata conditione, transit in absolutum 348.

Conjectura quid 458.

Conjunctivus seu copulativus syllogismus 352.

Connotativus terminus 142.

Conscientia 569: de veracitate conscientiæ ambigi nequit 586.

Consequens 265, 317.

Consequentia quid et quotuplex 303 seqq.: consequentia dicitur bona vel mala, non autem vera vel falsa 304, 844: leges bonæ consequentiæ 305.

Contradictoria oppositio 156: contradictoria opponuntur ut ens et non ens 157: contradictoria est maxima omnium oppositionum 157: reliquæ oppositiones participant de contradictione 158.

Contraria oppositio 152 seqq.

Conversio propositionum 286 seqq.: notanda in conversione ad cavendas fallacias 289: conversio modaliun 298.

Copericus 69.

Copulativa propositio quid 261, 262, ejus materia, quantitas, qualitas 262, 263.
Cousin Victor, recentioris Eclecticismi parens 90.
Crates thebanus 20.
Criterium quid et quotuplex 531: criterium subjectivum Protagoræ rejicitur 533, 536: criterium Reidianum sensus communis vel instinctus confutatur 534, 536: criterium scholæ sentimentalis absurdum est 535, 538: item criterium conscientiæ Gallupianum 536, 538: et criterium auctoritatis 542, 544: criterium verum stabilitur 551.
Cynici 20.

Damascenus (S.) Joannes 84.
Darwin Carolus Transformismi instaurator 90.
Definitio quid et quotuplex 202 seqq.: definitio per additamentum 206, 211: leges definitionis 207 seqq.: non omnia definienda sunt 210: quænam definiri nequeant 211: modi definitiones conficiendi 212 seqq.: in definitionibus verba sumenda sunt aptitudinaliter 214.
Definitum quotuplex et quale 209, 210.
Demostratio quid 377, 852 seqq.: quotuplex 377, 869 seqq.: demonstratio a priori, a posteriori, a concomitante 869, *propter quid* et *quia* 870, demonstratio potissima 872, ostensiva et ducens ad impossibile 872: an demonstratio fieri debeat ex præmissis necessariis, ac de prædicato *de omni*, *per se* ac *secundum quod ipsum*, itemque ex propriis 861 seqq.: demonstratio circularis 773: demonstratio circularis formalis repugnat, materialis vero vitiosa non est 774 seqq.
Descensus quid in suppositionis resolutione 194.
Dialectica 101.
Copula 117, 224: in quo consistat copula formalis 227.
Dictum quid in modali propositione 257.
Differentia quid et quotuplex 167, 168, 744: triplex munus ejusdem 169: utrum differentia sit universalis respectu speciei 744: utrum sit formaliter simplex 744, 745: utrum genus transcendat differentias 746: differentia et genus faciunt compositionem metaphysicam 747.
Dignitates seu axiomata 754.
Dilemma 374.
Diminutio 200.
Diogenes cynicus 20. Diogenes Læertius 31.
Dionysius areopagita 45.
Directio quid et quotuplex 1140.
Discursus quid 312, 811: discursus formalis et virtualis 316: quotuplex discursus formalis 318: in quo consistat essentia discursus 812 seqq.: utrum discursu veritates novæ detegantur 847 seqq.
Disjunctiva propositio 263: disjunctivarum materia, quantitas, qualitas 265: disjunctivus syllogismus 350.
Disputatio quid et quotuplex 394, 395: scholastica disputatio 396 seqq.
Divisio quid et quotuplex 215 seqq.: leges rectæ divisionis 220: discrimen divisionis a definitione 221.
Doctor Angelicus 56: Dulcifluus 60: Eximius 76: Facundus 60: Fundatissimus 59: Illuminatus 60: Irrefragibilis 55: Mirabilis 58: Ornatissimus 60: Planus et perspicuus 60: Resolutissimus 60: Seraphicus 56: Singularis 61: Solemnis 58: Solidus 58: Subtilis 59: Universalis 56.
Dominicus a Flandria 62.
Dubium ac dubitatio 457: dubitatio realis et hypothetica vel methodica 1055: dubitatio methodica recte adhibetur in scientiis 1055: Cartesii methodica dubitatio exponitur 1056 seqq., ac reprobatur 1060 seqq.
Durandus a Sancto Portiano, *Doctor resolutissimus* 60.

Ecclesia catholica, instauratrix etiam scientiarum in Christo 40.
Eclectici Philosopi 36, 90.
Eclecticismus recentiorum confutatur 1052: qualis eclecticismus liceat 1054.
Effata seu axiomata 754.
Encyclopædistæ 86.
Ens rationis quid 1139.
Enuntiatio 243, 244.
Enthymema quid 365: opinio Cajetani Sanseverino circa enthymema confutatur 366.
Epicurus et epicurei 27, 31.
Epicherema 376.
Epithectus 32.
Erasmus 69.
Error quid 414, 457: errorum causæ 634 seqq.
Evidentia quid 508: evidentia objecti et cognitionis 508: quid evidentia objectiva 509: discrimen objecti evidentis, opinabilis et credibilis 511: evidentia subjectiva 513: evidentia semper connexa cum certitudine 507: quid prius evidens dicatur, objectumne, an cognitio 514: evidentia immediata et mediata 515: metaphysica, physica et moralis 515: intrinseca et extrinseca 516: veritatis et credibilitatis 516: consequentiæ et consequentis 516: evidentia in attestante 603: evidentia non est de essentia certitudinis 492: quod evidens, est verum est 517, idque evidentissimum esse ostenditur contra Balmes 518: evidentia cogit intellectum ad assensum, et quo sensu 521 seqq.: evidentia est verum criterium veritatis 551: quænam evidentia sit veritatis criterium, subjectiva ne, an objectiva 555.
Exceptiva propositio quid 274.
Exclusiva propositio quid 271, et quotuplex 272: exclusiva dictio non tollit concomitantia 272.
Exemplum 369.
Experientia et inductio in colligendis principiis necessaria est 795 seqq.; non tamen est motivum impellens ad eorum assensum, sed occasio dumtaxat vel conditio manu ducens intellectum, ut rite penetret vim terminorum 806 seqq.
Experimentum proprie quid 798: datur in homine, non autem in brutis 798.
Expositorius syllogismus 345.
Extensio et comprehensio ideæ 121.

Factio et actio quid differant 909.
Facultates cognoscitivæ describuntur 561 seqq.: per se veraces sunt circa proprium objectum, quamvis per accidens falli possint 573 seqq.
Fallacia quid 384, quotuplex 387.
Falsitas logica quid 413: quomodo veritati opponatur 414: an et quomodo possit esse in simplici apprehensione 433 seqq.: falsitas gradus admittit, et non consistit in indivisibili 452.
Fama vel rumor quid 600.
Feijóo 88.
Ferrariensis Franciscus de Sylvestris 72.
Fichte Amedeus, transcendentalis pantheista 88.
Fides quid 468, 601: duplex in ea distinguenda habitudo, ad rem seu objectum creditum et ad personam, cui creditur 602: actum fidei præcedit judicium credibilitatis 602: actus fidei non continet formalem discursum 604: fides humana plerumque solam præbet probabilitatem 611 et 616: utilitas ac necessitas fidei 604: inter fidem divinam et rationem nulla veri nominis dissensio esse potest 963: Fides divina et ratio mutuo se juvant, nedum inter se pugnent 964. Fidei nomen tribuitur etiam ab antiquis quandoque judicio 224.
Figura syllogismi 324, quotuplex 330: num admittenda sit quarta figura Gallenica 331: figurarum leges 332: quænam præstantiores figuræ 335.
Fonseca Petrus 74: ejus opinio circa universalia 665, confutatur 673.

Formido quid in assensu opinativo 458: formido prudens et imprudens 459, formalis et radicalis 460: radix formidinis 459.
Fourier Carolus, communistarum antesignanus 91.

Gabriel Biel, Nominalis 61.
Galenus, medicus, auctor quartæ fi figuræ syllogismorum 33.
Galilei Galileus 69.
Gallupi Paschalis 93: opinio ejus circa criterium confutatur 536, 538.
Gassendi Petrus, atomista 69,
Genus quid et quotuplex 166, 116, 735: utrum genus essentialiter requirat plures sub se species 735: quomodo genus prædicetur de inferioribus 737, et de individuis 743: quo pacto intelligendum axioma illud: Genus sumitur a materia, differentia vero a forma 737: Genus et differentia faciunt compositionem metaphysicam 747: quomodo genus sub se contineat differentias 747.
Gerbertus, mox Sylvester II, R. Pontifex 53.
Gerdil Cardinalis Sigismundus 94.
Gerson Joannes 62.
Gioberti Vincentius, Ontologismi professor 92.
Gnostici 46.
Goerres 93.
Gomez Pereira Georgius 70.
Gonzalez Cardinalis Zephyrinus 95.
Græci Phylosophi 15 seqq.
Gregorius Ariminensis 61.
Gregorius (S.) Nazianzenus et Nyssenus 44.
Grotius Hugo 71.
Gullielmus Campellensis 54: ejus opinio circa universalia 663, refutatur 669.
Gullielmus Parisiensis 55.
Günther 93.

Habitus primorum principiorum distinctus ab intellectiva potentia 779, 780, a quibusdam negatus 779, cum communi Scholasticorum sententia propugnatur 780 seqq.: hujusmodi habitus vocatur *intellectus* principiorum 784: utrum hic habitus sit unus an multiplex 784; naturalis vel innatus, an acquisitus 788; et in quo consistat 794.
Hamilton 85.
Hartman Eduardus 89.
Hebræi Philosophi 11, 12, 34.
Hegel Gullielmus Fridericus, transcendentalis pantheista 88.
Henricus Gandavensis, *Doctor solemnis* 58.
Hermes 93.
Historia 601, 624: conditiones ad ejus valorem 624 seqq.: valor historicorum documentorum 627 seqq.
Hobbes, impius materialista 69.
Huetius Daniel, episcopus avrincensis 82: ejus opinio circa criterium rejicitur 542, 544.
Hugo Victorinus 54.
Hume, Scepticus et materialista 85.
Hurtado Petrus 81.
Hypothesis argumentatio 383.

Idea 119: objectum ejus 121, notæ 121, comprehensio et extensio 121, divisiones variæ 126 seqq.
Idealismus 84.
Ignorantia quid sit et quotuplex 456: distinguitur a nescientia 456: ignorantiæ atque errorum causæ 634 seqq.
Imaginatio 565, deceptioni obnoxia est 583.
Impedimentum pro sensatione rite efficienda quotuplex 579.
Indefinita propositio 250: quomodo interpretanda ejus quantitas 250.
Indi Philosophi 12.
Individuantes notæ 741.
Individuum quid 645, 741, 742: vocatur quoque *particulare* ab antiquis 741: individuum completum et incompletum, determinatum et indeterminatum seu vagum 742: ex individuis

variis particularibus abstrahi potest communis ratio individui 743.
Inductio quid 356, et quotuplex 357: ejus utilitas 357, immo et necessitas ad colligenda prima scientiarum principia 795 seqq.: falsa recentiorum opinio, apud priscos Philosophos insolitam fuisse inductionem dictitantium 357: vis inductionis probatur 358 seqq., declaraturque ejusdem discrimen a syllogismo 360 seqq.: inductio Baconiana 363, expenditur 364: inductio in colligendis principiis non habet rationem motivi ad assensum impellentis, sed tantum manu ducit intellectum ad melius penetrandam vim terminorum 806 seqq.
Inesse (propositio de) 256.
Instinctus cæcus 532, non est veritatis criterium 536.
Intellectus 560 seqq. Intellectus principiorum 784, est habitus a potentia intellectiva distinctus 779 seqq.: utrum intellectus principiorum sit unus simplex habitus, an multiplex 784 seqq., naturalis vel innatus, an acquisitus 788 seqq., et in quo consistat 794: intellectus agens et possibilis, et utriusque abstractio 712.
Intelligentia 567: per se falli nequit in simplici apprehensione judiciisque immediatis 584. Intelligentia indivisibilium idem sonat ac simplex apprehensio 119.
Intentio quid et quotuplex 147, 691 et 1129: prima et secunda, formalis et objectiva 147, 691 et 1129.
Intuitio conclusionis sola non constituit essentiam discursus 316, 813.
Isidorus (S.) hispalensis 48.

Jacobi Fridericus Henricus, scholæ *sentimentalis* auctor 88: absurdum ejusdem commentum circa criterium 535, confutatur 538.
Javellus Joannes Chrysostomus 72.
Joannes a S. Thoma 72. S. Joannes Damascenus 48. Joannes Sarisburiensis 54.
Judicium quid 223; ejus varia nomina et elementa 224, materia et forma 224: in judicio non formales conceptus, sed objectivi copulantur 225: in judicio quanta debeat esse identitas prædicati cum subjecto 226, 749: subjectum se habet instar materiæ et prædicatum instar formæ 226: quotuplex judicium 228, 567.
Justinus (S.) martyr, Philosophus christianus 43.

Kant Emmanuel, fœcundus parens recentiorum errorum 88.
Kepler 69.
Kirker Anastasius 83.
Kleutgen Josephus 94.
Krause Carolus Christianus Fridericus, pantheista 89.

Lactantius 44.
Lamennais (de) Felicitas 93: ejus opinio circa criterium confutatur 543 seqq.
Lainez Jacobus 74.
Leibnitzius Gottifredus Gullielmus 82.
Liberatore Matheus 95.
Locke Joannes 83: ejus discipuli 84, et absurda opinio circa ratiocinii naturam 316.
Logica quid 99, 100; cur ita vocata 100: alia ejus nomina 101: objectum materiale et formale, finis et utilitas 101, elogia 102, divisiones variæ 103 seqq.: quanta illius necessitas 1066 seqq.: concursus vel influxus Logicæ ad alias scientias 1080 seqq.: an sit scientia vel ars 1082 seqq.: an pars Philosophiæ ibid: utrum sit speculativa an practica 1097 seqq. Logica naturalis et artificialis 103, actualis et habitualis ibid. et 1080, docens et utens 104 et 1093, Major et Minor 104, formalis et materialis 105: an objectum formale Logicæ sint voces 1110 seqq., an res-

secundum suam entitatem spectatæ 1117 seqq., an res prout cognitæ, vel secundum esse intentionale 1125 seqq., an ens rationis 1129 quomodolibet explicatum 1132 seqq., an vero artificium reale vel rectitudo propria operationum intellectus 139: quodnam objectum attributionis Logicæ 1154 seqq.: Logicæ inventor 106, 1069.

Lombardus Petrus 54.

Longinus 37.

Lossada (de) Ludovicus 87.

Lugo (de) Cardinalis Joannes 80.

Lumen quid respectu intellectus 509.

Lyceum 23.

Macchiavellus Nicolaus 70.

Magister abstractionum 60: Magister Sententiarum 54.

Maimonides 51.

Maistre (de) Josephus 93.

Major Joannes 71.

Major propositio 321: major terminus 321.

Malebranche Nicolaus 82.

Manes et Manichæi 47.

Mariana (de) Joannes 71.

Marsilius ab Inghen 62: Marsilius Ficinus 67.

Mastrius a Meldulla Bartolomæus, Scotista 73.

Materialistæ 69, 84, 85, 86, 89: consentientes cum rationalistis in excludendis veritatibus humanum captum superantibus 951.

Mathesis, spectata certitudine, cæteras Philosophiæ partes antecellit, 1037; spectato autem objecto, postremum locum dignitatis tenet 1038: Mathesis ordine naturæ posterior est naturali Philosophia, prius tamen illa est addiscenda 1041.

Mauri Sylvester 76.

Mayronis Franciscus, *Doctor illuminatus* et *Magister abstractionum* 60.

Medina Bartolomæus 72.

Media veritatis assequendæ interna 561 seqq.: externa 600: eorum veracitas 573 seqq., 604 seqq., medium quid relate ad oppositiones 154: medium cognitionis 314, 315: medius terminus 321.

Memoria 365, deceptioni obnoxia est 583.

Metaphysica, licet *in se objective* certissima omnium humanarum scientiarum sit, at *relate ad nos* cedit illis in certitudine 1037; spectato autem objecto, præstantissima est omnium humanarum scientiarum 1038: Metaphysica ordine naturæ prior est aliis Philosophia partibus, ordine tamen doctrinæ postrema est, saltem si Ontologiam excipias 1041, 1043; Metaphysicæ latiori genere subalternationis cæteræ partes Philosophiæ subordinantur 1028, 1029: ad Metaphysicam perperam a recentioribus post Wolfium revocantur Cosmologia et Psychologia, quæ potius sunt membra Philosophiæ naturalis 1022.

Methodus quid et quotuplex 1044: methodus analytica 1044, synthetica 1045; utraque consideratur in variis mentis operationibus 1045; utraque miscetur in scientiis 1046, analytica tamen propria inventionis dicitur, synthetica doctrinæ 1046: methodus experimentalis et rationalis 1047, scholastica ejusque laus 1047, eclectica 1048, geometrica 1048: præcepta rectæ methodi 1048 seqq.: geometricæ methodi usus in aliis scientiis reprobatur 1050: eclecticismus recentiorum rejicitur 1052; methodus tamen eclectica recte intellecta probatur 1054.

Methodica dubitatio quid 1055, recte adhiberi potest in scientiarum tractatione 1055: Cartesii dubitatio methodica exponitur 1056 seqq., et reprobatur 1060 seqq.

Minor propositio quid 321; minor terminus 321.

Modalis propositio quid 256, quotu-

plex 257: modalium copula 259; materia 259, quantitas 260 et qualitas 261: modalium oppositiones 291 seqq., æquipollentia 296 seqq., conversio 298 seqq.

Modus logicus quid 256: modus syllogismi quid 325, et quotuplex 334: modi perfecti et imperfecti 340: quinam modi præstantiores 335: demonstrantur novemdecim modi syllogismi utiles 340 seqq.: modi prædicandi vel dicendi *per se* varii 864, 865: modus sciendi quid 101, 102.

Molina (de) Ludovicus 76.

Montoya (Ruiz de) Didacus 80.

Montesquieu Carolus Secundat (baro de)

Monumenta 600: conditiones ad hoc ut valeant fidem facere 629.

Morcillo Foxus 70.

More (B. Thomas) 70.

Mysteria quid 952: mysteria, revelatione divinitus facta, cognosci queunt 955, aliter nequeunt 958: rationalistarum objectiones contra mysteria dissipantur 959.

Naturæ triplex consideratio 693: natura, quæ denominatur universalis existit in individuis, formam autem universalitatis accipit ex operatione intellectus 694.

Necessarium quotuplici modo aliquid esse possit 473, 474, 503, 1068.

Necessitas consequentis et consequentiæ 320: necessitas metaphysica, physica et moralis, sive stricte sive late 473, absoluta et hypothetica 474, specificationis vel contrarietatis et contradictionis vel exercitii 521.

Neoplatonici et Neoplatonismus 36.

Nescientia distinguitur ab ignorantia 456.

Newton Isaac 84.

Nicolas Augustus 93.

Nomen quid 228 seqq.: nomina primæ et secundæ intentionis 692.

Nominales 53, 61, 654 seqq.

Nominalismus confutatur 658 seqq., 674 seqq.

Notæ alicujus ideæ quid 121: notæ individuantes 741.

Objectum cognitionis vel scientiæ quid et quotuplex 917 seqq.; materiale et formale 918, formale intrinsecum et extrinsecum 919, *quod* et *quo* vel ratio formalis *sub qua* 920, specificativum 921, objectum attributionis et attributum 922: quid sit objectum attingi a potentia 918: objectum scientiæ qualenam esse debeat 922 seqq.: objectum Logicæ 1110 seqq.

Obliquo (in): quid sit significari in obliquo 145.

Ockam Guillelmus, *Doctor singularis* et *invincibilis*, *Venerabilis inceptor* 61.

Ontologi Philosophi et Ontologismus 94: Ontologorum opinio circa universalia exponitur 663, et reprobatur 667.

Opinio quid et quotuplex 458 seq.: de ratione opinionis est formido, saltem radicalis 458, 460: opinionis proprietas est, ut possit esse falsa 461: qualenam sit opinionis objectum 462: opinio importat aliquam improportionem objecti cum intellectu 467: opinio probabilis et improbabilis 463, prudens et imprudens 464, magis vel minus probabilis et probabilissima 466: utrum stare possit opinio cum scientia in eodem intellectu et circa idem objectum 936 seqq.

Oppositio ac termini oppositi 151: quotuplex oppositio 152 seqq., et quænam sit maxima 157: oppositio propositionum quid 277, et quotuplex 278: leges oppositionum 279 seqq.: oppositio de forma et de lege 282: oppositio propositionis singularis 282, et indefinitæ 283: oppositiones aliarum propositionum 283: oppositio modalium 291

seqq.: oppositio propositionum compositarum 300.

Oratio quid 240, et quotuplex 241 seqq.: sola oratio enuntiativa spectat ad Logicam 243: Logicus non tractat omnes partes orationis, quas Grammaticus considerat 239.

Organum Vocatur Logica, et cur 101: organum vitalium operationum 561.

Pantheistæ 53, 69, 82, 88: consentientes cum rationalistis in respuendis veritatibus humanum captum excedentibus 951.

Paracelsus 70.

Paralogismus 385.

Particulare quid 192: quandoque idem valet ac individuum vel singulare apud antiquos 341.

Passio actioni respondens quid 183: passio idem sæpe valet apud antiquos ac proprietas 865, 872.

Patres Ecclesiæ 42 seqq.

Pereira vel Pererius Benedictus 80.

Peripatetici 23, 32, 68: Peripatetici Alexandrini et Averroistæ 68.

Per se quot modis dicatur 864, 865.

Persæ Philosophi 14.

Petrus de Alliaco, *Aquila Doctorum Franciæ* 61.

Petrus Hispanus 58.

Petrus Lombardus, *Magister Sententiarum* 54.

Philoponus Joannes 48.

Philosophia quid ex vi nominis 1, et secundum rem 5: dignitas ejus 7, utilitas 8, variæ partitiones 9, origo et progressus 10 seqq.: Philosophia apud Arabes 49, apud Ægyptios 14, apud Chaldæos 14, apud Græcos 15 seqq., apud Hebræos 11, apud Indos 12, apud Persas 14, apud Phænices 14, apud Romanos 30 seqq., apud Sinenses 13, apud antiquos populos Europæ 15: Philosophia christiana 41 seqq., 49: Philosophi christiani officium relate ad veritates revelatas 965: Philosophia Scholastica 51 seqq.: Philosophiæ generalis divisio 1015 seqq.: Philosophia speculativa, spectato gradu abstractionis a materia, dividitur in Metaphysicam, Physicam vel Philosophiam naturalem et Mathesim 1016, practica vero in Logicam et Philosophiam moralem 1021: ad Philosophiam naturalem vel Physicam revocanda est non solum Cosmologia, sed etiam Psychologia recentiorum tamquam partes ejusdem 1022: ad aliquam ex istis quinque primariis scientiis vel membris Philosophiæ reliquæ omnes humanæ scientiæ revocari possunt, vel ab iisdem certe dependent 1028: Philosophia naturalis nobilior est Mathesi ratione objecti 1038, at minus nobilis spectata certitudine 1037.

Phænices Philosophi 14.

Photius 49.

Physicæ nomine apud antiquos venit naturalis Philosophia, complectens ea omnia, quæ nunc tractari in Cosmologia et Psychologia solent 1016, 1022.

Picus a Mirandula Joannes 67.

Plato 21: comparatio inter Platonem et Aristotelem 24: Commentum ejusdem de prævia animorum existentia et de acquisitione scientiæ per solam reminiscentiam 847 seqq.: dubium est, an vere tenuerit circa universalia opinionem vulgo eidem attributam 662.

Platonici antiquiores 23, posteriores 33, 36, recentiores 67: Platonicorum opinio circa universalia 662, refutatur 666 et 678 seqq.

Plinius junior 31.

Plotinus, princeps neoplatonicæ scholæ 38.

Plutarchus chæronensis 33.

Polysyllogismus 375.

Pomponatius Petrus 68.

Pons asinorum 383.

Porphyrius 37: arbor Porphyrii 185.

Positiones, genus principiorum 754.

Positivismus et positivistæ 90: hi adstipulantur rationalistis veritatem omnem ingenio humano imperviam respuentibus 951.

Postulata seu suppositiones 755.

Practica cognitio quid 896: quid discrepet a speculativa cognitione 897.

Praxis quid 901 seqq.

Præcognita et præcognitiones 874 seqq.

Prædicabile quid et quotuplex 164 seqq., 174 et 734.

Prædicari *per se* aliquid quotuplici modo potest 864 seqq.

Prædicamentum quid et quotuplex 175 seqq.: ratio divisionis 184: quot modis possit aliquid in prædicamento constitui 186.

Prædicatio quid 161 et quotuplex 161 seqq.: quo pacto verificentur prædicationes in concretis et abstractis 729.

Prædicatum 117, se habet instar formæ in judicio respectu subjecti 226; quid prædicatum *de omni* 863, *per se* 864, et universale ac *secundum quod ipsum* 866: prædicati extensio undenam judicanda 287: prædicata generaliora quomodo asserantur de inferioribus in accidentibus 73.

Præmissæ 321, spectari possunt objective et formaliter 815: præmissæ solæ absque conclusione non constituunt essentiam discursus vel syllogismi 812: quomodo influant in conclusionem 814 seqq.: utrum assensus præmissarum existere debeat simul tempore cum assensu conclusionis 823 seqq.: utrum assensus præmissarum includatur in conclusione 838 seqq.: quales debeant esse præmissæ in demonstratione 867.

Principium quid generatim 751; principium cognitionis 751: principia incomplexa et complexa 751, communia seu axiomata et propria vel positiones 753: indemonstrabilia simpliciter et indemonstrabilia secundum quid 753: dantur quoque principia prima probabilia 756: principia sunt priora et notiora conclusionibus 757: dari prima principia quinam negaverint 772: verum admittenda necessario sunt 776 seqq.: habitus primorum principiorum quid 779, 780 et 784, a quibusdam negatus 779, cum communi sententia propugnatur 780 seqq.: vocatur hujusmodi habitus *intellectus* principiorum 784: utrum intellectus principiorum sit unus simplex habitus, an multiplex 784 seqq., naturalis vel innatus, an vero acquisitus 788 seqq., et in quo consistat 794: principia quomodo colligantur 795 seqq.: principiorum divisio in analytica et synthetica reprobatur 795: assensus principiorum discursivus non est 805 seqq.

Principiatum quid 752, et in quo conveniat, et quid discrepet a principio 752.

Privativa oppositio 155.

Probabile et probabilitas quid 463, 464: probabilitas intrinseca et extrinseca 464: an et quomodo extrinseca supponat intrinsecam 464: valor et usus probabilitatis extrinsecæ 615, 632: probabilitas absoluta et relativa 495: major non elidit minorem 465: probabile non est idem ac possibile 467: probabilis argumentatio 381.

Proclus 39.

Progresus indefinitus absurdus historice comprobatur 40: ejus fautores 91.

Propositio quid 243: varia ejus nomina 244, elementa 245, quantitas et qualitas 245: multiplex divisio, primo spectata materia 246 seqq., secundo ratione quantitatis 249 seqq., tertio ratione qualitatis 252 seqq., quarto ratione unitatis 254 seqq.: propositio categorica et hypothetica 254, modalis et *de inesse* 256; propositiones aperte compositæ 261 seqq. et occulte compositæ vel exponibiles 271 seqq.: pro-

positio immediata et per se nota 758 seqq.: non est contra rationem propositionis per se notæ, quod demonstrari possit indirecte et a posteriori 760: divisio propositionis per se notæ in per se notam secundum se et per se notam quoad nos 760, a multis reprehensa 761, propugnatur 765 seqq.: quale medium excludat propositio immediata seu per se nota 761: quamvis quidam sentiant sufficere, ut excludat medium cognitionis 760; at probabilius est, quod excludere debeat medium rei ita, ut sit vere indemonstrabilis a priori 763: idque sufficit ad rationem propositionis immediatæ vel per se notæ 765 seqq.: unde propositiones, quæ actu cognoscuntur sine discursu propter experientiam, si quoad rem ipsam medium habeant, non sunt proprie immediate vel per se notæ 764: quænam propositiones in numero per se notarum recensendæ 770: propositionis proprietates 277 seqq.: propositio eadem vera simul et falsa esse nequit 454: non omnis propositio vera essentialiter et ab intrinseco vera est 439: propositio vera transire in falsam potest 445 seqq.

Proprium quid 170, 748: utrum prædicationes de proprio sint necessariæ veritatis 748: proprium quomodo prædicetur 749.

Protagoras 19: ejus doctrina circa criterium 533, reprobatur 536.

Proudhon 91.

Psellus Michael 48.

Pyrrho eleus 28.

Pythagoras et Pythagorici 17, 30.

Qualitas quid et quotuplex 181, proprietates ejusdem 182: qualitas propositionum 245, bifariam considerari potest 252.

Quando, unum de prædicamentis 184,

Quantitas quid et quotuplex 180, ejusdem proprietates 180: quantitas propositionum 145, undenam judicanda 250: quantitas indefinitæ propositionis 250.

Ratio quid 568: ejus veracitas 588, 597: ratio formalis *quæ et sub qua* et formalissima *sub qua* 920: ratio et Fides mutuo se juvant, nedum inter se pugnent 962 seqq.: quæ sunt supra rationem, absurde dicuntur contra rationem 962.

Ratiocinium quid 312 seqq. ejus elementa necessaria 317: quotuplex ratiocinium 318, 568: utrum ratiocinatione novæ detegantur veritates 847 seqq.

Rationalis propositio 271.

Rationaslismus nullas agnoscens veritates humanum captum transcendentes 950, profligatur 950 seqq.

Rationalistæ 53, 82, 88, 90, 92, 93: rationalistarum objecta contra veritates hominis captum excedentes dissipantur 959 seqq.

Raymundus Lullius 60.

Raymundus Martin 56.

Raymundus Sabunde 62.

Realismus rigidus ac temperatus 654: rigidus variæ expositus ac defensus, a Platonicis 672, ontologis 663, pantheistis 663, scotistis 663 seqq., aliisque 655, 666, singillatim rejicitur 666 seqq. et 678 seqq.: realismus temperatus fuse propugnatur 690 seqq.

Recto (in), quid sit significari in recto 145.

Reduplicans particula potest sumi specificative et reduplicative 275.

Reduplicativa propositio 275.

Reflexio quid 108 in nota: ontologica et psychologica 128.

Reid Thomas, auctor scholæ scoticæ 85: ejus opinio circa criterium 534, confutatur 536.

Relatio quid et quotuplex 182: proprietates relationis 182.

Relativa oppositio 152: relativa pro-

positio ad copulativam revocatur 263.
Remotio 200.
Renan 91.
Restrictio 200.
Revelatio possibilis est, quibusque modis a Deo fieri possit 955 seqq.: revelatio veritatum si a Deo fiat, non est integrum homini eamdem amplecti vel respicere, sed necessario tenetur firmissime credere 955 seqq.: officium Philosophi christiani relate ad veritates revelatas 965: revelatæ veritates possunt constituere objectum alicujus scientiæ 966: revelatio utilissima est 958, nec solum revelatio veritatum supernaturalium, sed earum etiam, quæ ingenii humani vires minime transcendunt 967.
Rhabanus Maurus 53.
Rhodes Georgius 81.
Ribadeneira Petrus 70.
Richardus a Mediavilla, *Doctor solidus* 58.
Roscellinus Joannes 53.
Roselli Salvator María 88.
Rosmini Antonius 92.
Rousseau Joannes Jacobus 86.

Saint-Simon (Comes) Henricus 91.
Salmero Alphonsus 74.
Sanz del Rio 89.
Sanseverino Cajetanus 95: opinio ejus circa enthymema 366.
Sapientia quid 2 seqq. et 891: variæ conditiones sapientiæ 893.
Scaliger Julius Cæsar 68.
Sceptici 28, 33, 71, 87, 478, 479 seqq.: scepticismus profligatur 482 seqq.
Schelling Gullielmus Josephus, pantheista trascendentalis 88.
Schola atomistica 18, cynica 30, cyrenaica 20, eleatica 18, elidensis et eritriensis 21, epicurea 27, jonica 17, megarica 20, pythagorica vel italica 17, scotica 85, sentimentalis 88, transcendentalis 88.
Scholastici 51 seqq., 71 seqq., 87, 94; vindicantur ab adversariorum calumniis 62 seqq.: Scholasticorum laus 1049: scholastica Theologia utrum sit veri nominis scientia 886.
Schopenhauer 89.
Scientia quid 880 seqq.: quotuplex 884 seqq.: discrimen ejus a sapientia 896: scientiæ objectum 917, subjectum 921: scientiæ objectum debet esse necessarium 922, universale 927, perpetuum, ingenerabile, incorruptibile 931, et ens per se, non vero per accidens 932: scientia et opinio an circa idem objectum in eodem intellectu versari possint 936 seqq.: scientiam plurium rerum potest homo naturali virtute ingenii assequi 945, ac porro assequitur 948: utrum scientia totalis sit qualitas simplex 984 seqq.: scientia comparari potest inventione ac disciplina 949: scientiarum distinctio atque specificatio 969 seqq.: et speculativarum quidem optime desumitur ex objecto formali 970, practicarum autem ex fine 972: undenam desumant scientiæ totales unitatem vel diversitatem specificam 973: scientiæ totales unitatem vel diversitatem desumunt ex unitate vel diversitate specifica formalis objecti 974, vel ut alii loquuntur, ex unitate vel distinctione objecti, non *in esse rei*, sed *in esse scibilis* 976 seqq., vel ex gradu immaterialitatis seu abstractionis a materia 977 seqq.: scientiarum generalis divisio et coordinatio 1015 seqq.: scientiæ speculativæ, inspecto diverso gradu abstractionis, dividuntur, tamquam in primaria membra, in Physicam vel naturalem Philosopiam, Mathesim et Metaphysicam 1016; practicæ vero, inspecto fine, dividuntur in Logicam et Philosophiam moralem 1021: quomodo istæ scientiæ inter se comparentur 1036: reliquæ scientiæ fere aut sunt harum partes, aut saltem ab iisdem dependent 1028: scientiæ speculativæ nobi-

liores practicis sunt 1038: subalternatio scientiarum quid generatim 1001, altera impropria 1002, altera propria 1003: conditiones ad perfectam subalternationem 1005 seqq.: quænam scientiæ subalternentur aliis et quomodo 1028, 1030: utrum scientia subalternata existens in aliquo sine subalternante rationem habeat scientiæ 1009 seqq.

Scotus et Scotistæ: Scotus Erigena 53: Scotus Joannes Duns, *Doctor Subtilis* 59: scotistæ 59, 60, 73: scotistarum sententia circa universalia 663 seqq., confutatur 669 seqq. et 681 seqq.

Seneca L. Anneus 32.

Sensibile quid et quotuplex 562.

Sensismus et sensistæ 83, 85, 86.

Sensus quid et quotuplex 561 seqq.: sensus externi 563, interni 564 seqq.: sensus intimus 672: sensus communis, unus de internis sensibus 564: sensus naturæ communis vel universalis consensus 630, valor ejusdem 631 seqq., non consistit in instinctu naturæ 630: sensus externi, si nullum adsit impedimentum, decipi nequeunt circa sensibile proprium, possunt tamen circa sensibile commune et per accidens 675 seqq.

Septem Sapientes 16.

Sepulveda Joannes Genesius 68.

Sextus Empiricus 34.

Signum quid 110 seqq., differt ab imagine 113, quotuplex 114 seqq.

Significare cum tempore quid sit 229.

Simplicius 33, 39.

Singulare 149.

Situs quid 184.

Societas Jesu 73, ejusque Philosophi 74 seqq.

Socrates 19.

Soncinas Paulus 72.

Sophisma quid 384, et quotuplex 387.

Sophistæ 19.

Sorites 370.

Sotus Dominicus 72.

Species logica quid et quotuplex 167: utrum species requirat possibilitatem plurium individuorum, an vero salvetur in uno individuo 739: species intelligibilis 712.

Spencer Herbertus, positivista 90.

Specificatio scientiarum 969.

Specificative 275: specificativum quid et quotuplex 969.

Speculativa et practica cognitio 896: discrimen utriusque 897 seqq.

Spinoza Baruch 82.

Status quid 199: status varii mentis in ordine ad assecutionem veritatis 455.

Stewart Dugald 85: Stewart Mill 90.

Stoici 26, 32.

Suarez Franciscus, *Doctor Eximius* a Paulo V, Pontifice Maximo, nuncupatus 76: ejus elogium 76 seqq.

Subalternatio scientiarum. Vide supra ubi de scientia vers. fin.

Subjectum 117, 224, se habet instar materiæ in judicio 226: subjectum scientiæ 921.

Substantia quid et quotuplex 179: substantia prima et secunda 179: proprietates substantiæ 180.

Summulæ vel Logica Minor 105.

Suppositio quid et quotuplex 168 seqq.: suppositionis communis resolutio 194 seqq.

Suppositiones vel postulata 755.

Syllogismus categoricus quid 319: ejus artificium 321 seqq., materia et forma 323, figura 324, modus 325, leges 325 seqq.; principia, quibus innititur syllogismus 337 seqq.: quotuplex syllogismus 345: syllogismus expositorius et ex obliquis 45, modalis 347; hypotheticus 348, conditionalis 348, disjunctivus 350, copulativus seu conjunctivus 352: syllogismorum hypotheticorum ad categoricum reductio 354: syllogismus pseudographus 386, et sophisticus 384: syllogismi

essentia non stat in solis præmissi, nec in sola conclusione, sed in utrarumque complexu 812.
Synthesis 108 in nota.

Taparelli Aloysius 95.
Tartaretus Petrus, scotista 73.
Terminus quid 117, cur sic appellatus 118: mentalis, oralis et scriptus 118: terminus mentalis variis nominibus appellatur 119; divisiones ejusdem 126 seqq.: terminus oralis seu vocabulum 122; divisiones ejusdem 129 seqq.: divisiones termino mentali et orali convenientes 139 seqq.: divisiones terminorum respective ad alios 150: terminorum proprietates 188 seqq.
Tertullianus 44.
Testis ac testimonium quid et quotuplex 600: notitia facti et veracitas testium innotescere potest 617; regulæ ad judicandum scientiam testium 608, eorumque veracitatem 609 seqq.: num unus testis certam valeat facere fidem 618: testimonii existentia et veracitas quomodo cognosci possit 603: testimonii necessitas ad plura cognoscenda 604: ejusdem valor 606, sive circa facta 616, sive circa doctrinam 110.
Themistius 33.
Theologia scholastica utrum sit veri nominis scientia 886: et utrum sit subalternata scientiæ Beatorum 1013: in encyclopædia christiana scholastica Theologia primatum tenet inter cæteras scientias 1030.
Thomas (S.) Aquinas, *Doctor Angelicus* 56: ejusdem elogium 56 seqq. Thomas Argentinas 62.
Thomistæ 59, 60, 62, 71.
Ticho-Brahe 69.
Timo, scepticus 28.
Toletus Cardinalis Franciscus 74.
Tongiorgi Salvator 95.
Thophail 50.
Tostatus Alphonsus a Madrigal 62.
Totum quid et quotuplex 215.
Tracy Destutt, sensista 26.
Traditio quid 622: conditiones ad ejus valorem requisitæ 622: vis ejus ad faciendam fidem probatur 622 seqq.
Traditionalismus et traditionalistæ 93.
Transformismus et transformistæ 90.
Tredelenburg, recentior Aristotelicus 89.
Trivium artium 47.
Trombetta Antonius 73.

Ubi, prædicamentum 184.
Unitas quid 646: unitas individualis 646, et formalis 647 seqq., et unitas universalis ab hisce duabus distincta 649 seqq. et 652: unitas universalis vocatur etiam unitas præcisionis 652: unitas universalis est extrinseca naturæ 697 seqq.
Universale quid generatim 641: universale simplex et complexum, in causando, in præsentando, in significando, in essendo et prædicando 641, 642: quid universale in essendo 642: discrimen universalis a communi 643: universale in prædicando 643, non distinguitur re ab universali in essendo 642: universale metaphysicum et logicum, cui aliqui addunt physicum 644, 715: absolutum et relativum 714, directum et reflexum 645: unitas et aptitudo ad plura vel communitas propria universalium declaratur 646 seqq.: errores ac falsæ opiniones circa realitatem universalium refutantur 654 seqq.: vera doctrina de universali exponitur 690 seqq.: duo in universali consideranda, natura et forma universalitatis 690: universale secundum naturam existit in individuis, non vero secundum formam universalitatis 694: universale formaliter non est in re, sed tantum fundamentaliter 694 seqq.: universale est natura quævis prout reducens in cognitione præ-

cisiva mentis 697 seqq.: doctrina S. Thomæ circa universale 700 seqq.: abstractio universalium non est formalis, sed totalis 702: ad constituendum universale non requiritur unitas ficta 703 seqq.: causa efficiens universalium est intellectus 711 seqq.: variæ opiniones circa actum, quo universale efficitur 713: ad universale absolutum, completum tamen ac veri nominis, habendum sufficit abstractio 716, et probabilius abstractio intellectus possibilis 718: ad universale autem relativum ac reflexe cognitum, requiritur comparatio 720: an universale sit ens rationis 722: proprietates universalium 727 seqq., est objectum scientiarum 727, 679, principium singularium 727, prius et posterius singularibus sub diverso respectu 727, immateriale, ingenerabile, incorruptibile 728 et 678, ac prædicabile 728: divisio universalium in quinque prædicabilia 734 seqq.

Univocum 129.

Usus quid 1093.

Valentia (de) Gregorius 79.

Vazquez Gabriel 79.

Valentinus, gnosticus 46.

Verbum intellectuale vel conceptus mentis 120: verbum in oratione quid 231 seqq.: verbum substantivum et adjectivum 234.

Veritas quid et quotuplex 402: veritas cognitionis, rerum et sermonis 403, veritas sermonis duplex 403: sola veritas in cognoscendo, quæ logica dicitur, tractatur hic 404: quid logica veritas 404 seqq.: an importet conformitatem inter conceptum formalem et rem, vel inter conceptum objectivum et rem prout est in se 406: quid sit conformitas, quam veritas importat, vel an et quomodo veritas consistat in relatione 408 seqq.: utrum adsit veritas in simplici apprehensione 418 seqq., et qualis ea sit 421 seqq,: veritas logica speciali ratione est in judicio 428 seqq.: quo sensu dicatur æterna 950: veritatis logicæ proprietates 439 seqq.: utrum omnis enuntiatio vera essentialiter et ab intrinseco exigat veritatem 439 seqq.: utrum propositio semel vera transire possit in falsam 444 seqq.: veritas formaliter considerata non admittit gradus, sed est indivisibilis 452, secus autem materialiter considerata 451: veritas et falsitas logica, concrete sumptæ, contrarie opponuntur 415: utrum veritates novæ ratiocinio detegantur 847 seqq.: veritates humanum captum superantes quænam dicantur 951; admittendæ sunt hujusmodi veritates 952, et possunt cognosci ab homine ope revelationis divinitus factæ 955: veritates etiam captum humanum minime superantes utilissime a Deo revelantur 967.

Victoria Franciscus 72.

Vincentius Bellovacensis 56.

Vives Ludovicus 70.

Voltaire Franciscus Maria Arouet 86.

Vocabulum vel vox quid 122: est signum conceptuum et rerum 122, 123, et quid prius vocabula significent, resne, an conceptus 123 seqq.: utrum voces sint objectum Logicæ: quomodo regulentur a Logica voces.

Wiseman Cardinalis Nicolaus 93.

Wolf Christianus 83.

Zabarella Jacobus 68.

Zeno citticus, auctor scholæ stoicæ 26.

A. M. D. G.



URRÀBURU S. J.

INSTITUTIONES PHILOSOPHICÆ

LOGICA

18.167